Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

C 649.75

Harvard College
Library

VE RI TAS

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS III

IN JOSUE, JUDICES, RUTH, I-III REGUM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXCVII


Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

Digitized by Google

Digitized by Google





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

3

IN JOSUE, JUDICES, RUTH, I-III REGUM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCXCVII





Digitized by Google

C 649.7.5

✓

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

Digitized by Google

ENARRATIONES IN LIBROS

JOSUE, JUDICUM, RUTH, REGUM,

PARALIPOMENON

Trex

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES PIÆ AC ERUDITÆ

IN LIBROS

JOSUE, JUDICUM, RUTH, REGUM, PARALIPOMENON

Sapientiæ VI.

Audite, reges, et intelligite; discite, judices finium terræ. Præbete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Horrende et cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum in his qui præsunt, fiet.

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

PETRI QUENTEL, MDXXXV; HEREDUM JOANNIS QUENTEL, MDLII;

GERVINI CALENII, MDLXXVII.

Digitized by Google

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

REVERENDO AC ILLUSTRI COMITI D. CHRISTOPHORO AB RYNECK, METROPOLITANÆ ECCLESIÆ TREVERENSIS DECANO, DOMINO IN PALUDE AC THOENBERGH, ETC., THEODORICUS LOER A STRATIS, CARTUSIÆ COLONIENSIS VICARIUS, S. D. P.

SI arrogantiæ formidarem apud tuam excellentiam accusari, generose Comes, non ab re puto id foret, utpote qui monachus et absque merito ad te Decanum et Comitem scribere ausim, idque crebrius. Verum longe penitius perspecta mihi est virtus tua, longe aliter sentire me fecit de te integritas atque modestia tua, quibus jam olim factum est, ut pii doctique omnes te Mecænatem habeant, ac tanquam patrem familiarem. Amplexaris enim omnia quæcumque pietatem, quæcumque sanctimoniam, quæcumque denique Christum spirant. Porro hominibus piis Deoque deditis, supra modum patrocinaris. Eam ob rem nihil prorsus formidandum mihi sciebam : non ignorans te mihi vel præ ceteris fautorem atque patronum. Porro si quis metuit, terreat illum longum nobileque stemma, deterreant opes, deterreant amplæ dignitates quominus te accedant : certe nullo hæc pacto me absterrebunt, quandoquidem, quod scio, haudquaquam de his inflaris, nequaquam tibi places. Et quamvis tamen illa, te præsertim, non parum venustent, majorem tamen multo splendorem tibi, qua omnifariam nites, adducit virtus. Hac enim cuncta illa, quæ aliis inducere solent supercilium, calcas. Unde quanto tu minus tuam excellentiam admiraris, eo te mirabilem ac venerabilem nobis præbes, quantoque tu animi tui dotes atque candorem ignoras, tanto videtur prædicaturque a ceteris gloriosius. Itaque hac humanitate, hac virtute tua fretus, ad te haud aliter atque ad patrem veniens, munusculum hoc chartaceum tuæ excellentiæ offero. Scivi olim quod Dionysii lectio, eruditio et pietas tibi arrideant : quare non parum præ ceteris promoves atque juvas operum ejusdem evulgationem. Ceterum absolutis, præter alia multa, commentariorum ipsius in Biblia novem voluminibus, ad decimum et ultimum tandem venimus, non absque judicio generosæ T. D. reservatum. Insunt autem huic commentaria non minus pia quam erudita, in libros Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, profecto utilia et jucunda, maxime autem hac tempestate lectu dignissima : quippe quibus ob oculos ponitur, quam suis nunquam desit cultoribus Deus, quam in se sperantes protegat, quam sibi juvet devotos, quam denique vel coram impiis eos glorificet qui illum honorant : contra vero, superbos et sui contemptores quam potens sit humiliare contereque. Discitur præterea inde, quam pestilens populo sit rector prælatusve impius. Is enim quum multos habeat sibi adulantes, plures vero qui iniquitati faveant, quum

Digitized by Google

denique potentissimus sit ad seducendum mutabile vulgus, quippe quem omnes timere habent, edicta proponere valet impia, legesque sancire iniquas. Verum non aliunde hujus rei quam ex eo ipso quem nuncupare venimus T. R. D. libro, sunt petenda exempla. Nam ibi sive Judæ, sive Samariæ domum attenderimus, videmus quomodo sub quovis rege non metuente Deum atque idololatra, relicto mox Deo vero, relictaque ejusdem lege, idolorum cultui, simulque facinoribus pessimis suo cum rege sese populus mancipavit. Porro si quando rex esset pius, Deique veri cultor, populus pariter universus regem Dominumque sequebatur. Nulli enim rei adeo plebs studet mobilis, quam regibus placere, eorumdemque moribus fieri similis. Adeo est igitur vel utilis vel perniciosus subjectis rector. Nam quod domus Israel tam longo schismate a domo Judæ atque usque ad vitulorum adorationem (ut pejora taceam) manserit seducta, quid, quæso, in causa fuit quam regum vel ambitio vel impietas? Quamobrem non parvi refert, ducem, præceptorem, rectoremve habere justum ac pium. Quod certe hoc quoque ævo nostro utinam non magis re ipsa quam lectione disceremus! Quas enim fæces hæreseos plebi subditæ non invexerunt mali rectores? Et hoc vel per suam dormitantiam, qua conniventes omnibus placere voluerunt, vel quia dedita etiam opera volebant desciscere ab Ecclesia, ne non cum multis essent impii. Aut quæ plebs ab hæreticis est seducta, nisi ubi princeps aut rector ante fuerit corruptus, aut dum pusillanimitate feminea, dum posset, noluerit resistere? Misera tamen utrobique et prorsus infelix conditio, ut ubi princeps rectorve civitatis fuerit hæresi corruptus, omnes subditos confestim velit cogatque esse coinquinatos, atque ab Ecclesia una ac vera divisos. Quid verbis opus est? Videmus enim ubi cultus, ubi honor, ubi Dei laus florere solebat, ubi castigatio carnis, ubi peccatorum pœnitentia, ubi denique obedientia Ecclesiæ atque Apostolicarum observantia traditionum vigebant, ibi nunc abrogata omni religione, depopulatis, nudatis clausisque templis, erasis Sanctorum imaginibus, imo explosis sacris omnibus, carni libertatique pecuinæ vivitur. Nulla præterquam in ore solo fides, nulla operum bonorum sanctimonia, nulla castitas, nulla est ibi Dei verbo obedientia. Nam etsi vel pro Evangelio vel pro verbo Dei buccis etiam crepantibus clametur ab omnibus, neminem tamen videbis, in cujus moribus reluceat Dei verbum : neminem, inquam, reperies, cujus vita verbo Dei quadret. Verum hæc apud impios, quorum rectores novarum rerum studiosi, admiserunt quæ fas non est. Nam etsi turba alicubi insanire cœpit, atque per vim seditiosum carnaleque illud evangelium inducere, huic rebellioni nonne ansam præbuere magistratus? qui quum initio id nullo potuissent negotio avertere, pro Dei honore, pro ejus legibus, pro ritibus Ecclesiæ antiquis nullus apud eosdem fuit zelus. Atque ideo nec injuria quidem factum est, ut quia quum potuissent, noluerunt : nunc quum velint, non possint pestem hanc arcere a plebe. Nulla fuit cura pereuntium animarum, nullus horror de contemptu Ecclesiæ et Sacramentorum, nullus denique amor et zelus Dei. Ideo inter extrema pericula ridebatur. Si ditionis temporalis terræve modicum quid fuisset ademptum, bellum mox pro hujus repetitione instrueretur. Contra Deum, contra Ecclesiam, contra Dei verbum impune temereque peccatur. Quis contradicit? Quis dolet? Nemo affligitur ex peccato, quia fere nemo perfecte diligit Deum. Nam etsi magnis impensis aliquando contra hæ-

Digitized by Google

reticos sive tumultuantes rusticos pugnatum sit, quot tamen sunt qui pro Christo, qui pro fide animarumque salute pugnent, et non potius quia prævalentibus hæreticis, senserunt et populum a se deficere et sibi adimi principatum? Pro se igitur, non pro Deo major eorum pars pugnat. Nam si pro Deo et odio detestandæ hæreseos moverentur, de suis terris, de suis civitatibus, de suis curiis atque officiis eos quos Ecclesiæ hostes sciunt, deturbarent. An hi contra quos quamvis justissime pugnatur, soli sunt hæretici de medio auferendi? Quot sunt item alii, qui sibi modo Evangelium arrogant non minus quam isti, quatenus ad animarum infectionem pertinet, pestiferi rapacesque lupi, quos ab ovili Christi nemo arcere curat? Hæc tamen cum modestia et pace bonorum dicta sint, quandoquidem constat etiam probatæ fidei esse principes, qui omnia hæreticorum genera ad unum persequantur. Et revera qui ejusmodi sunt, laborum suorum sentiunt fructum. Nam ubi Dei zelus atque in seductores censura viguit, quid, quæso, paci, quid fortunæ, quid fidei, quid sanctis Ecclesiæ legibus detractum est? Prorsus nihil. Verum dicit quis : Ecclesia interim patitur, et Ecclesiæ membra. Fiunt persecutiones bonorum, et impiorum animositas grassatur. Hæc omnia et ab initio fuere. Quando enim persecutio, aut quando tumultuosa tempora fidelibus defuerunt? Verum adeo hæc illi non obfuerunt, ut etiam illis clarior facta, longiusque propagata sit Ecclesia. Multi sese olim erexerunt contra eam hæretici, nec homines tantum viles, sed reges atque imperatores quoque se hostes persecutoresque præbuerunt. Verum illi interierunt omnes, Ecclesia ac fides vera mansit : atque adeo inter hæc inconcussa mansit, ut post persecutionem gloriosior semper appareret. Certe Arianorum persecutio viginti plus annis adeo grassabatur, ut fluctuans Petri navicula non semel submergenda putaretur. Sed nequaquam mergi potuit : excitatus est enim in ea qui imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Mansit fides integra ad hanc usque diem, mansit Ecclesiæ unitas, manebitque ad finem usque sæculi. Verum in civitatibus et locis multis Germaniæ fides, inquis, Catholica infirmatur, aut tota interiit hodie. Nihil formidandum. Reliqui mihi, inquit Dominus Eliæ, septem millia (dum se Elias putaret solum) qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic quot putas, Domine generose, inter hos qui pereunt, relictos? qui necessitate quadam adacti, foris se ceteris inter quos habitant præbent communes, nihil interim in animo mutati, nihil ab Ecclesia dissentientes, parati etiam, si necesse sit, fidem suam exponere omni poscenti : tametsi ubi hæc necessitas non cogat, interim sub peregrina specie lateant. Et quid si Germania Galliaque tota in hæresim ab Ecclesiæ unitate deficiat? Certe a Domino, ne fiat, deprecandum est. Si tamen eveniret, numquid Ecclesia, numquid fides tunc exstincta esset? Hic quidem periit, alibi propagatur : hic desinit, alibi crescit. Si Græcia variis fuit hæresibus involuta, tandemque schismatica, atque ideo a Deo projecta, venit in manus Mahometanorum, et si ibi deserta adeo est Christiana religio, ut si qui supersint etiam Christiani, vix suæ queant fidei rationem reddere, imo quid credant, vix noverunt : numquid propterea fides Ecclesiave interiit? Interiit sane in oriente apud illos, verum in occidente interim crevit et mansit. Jam si hic quoque in occidente, nostris peccatis sic postulantibus, a multis civitatibus terrisque ablata est fides, ablata obedientia, ablatum denique sacrosanctum sacrificium, manent tamen hæc apud alios salva

Digitized by Google

integraque. Verum dicit aliquis : Quid tum quum defecerimus etiam nos ab unitate Ecclesiæ universi? Cessabitne tum Ecclesia? Haudquaquam. Potens est enim Deus alios filios Abrahæ vel apud extremas nationes suscitare, qui recumbant cum eodem in regno Dei. Et quid dicimus Deum posse hoc facere, quum sciamus id ipsum nunc fieri in America, Cuba, nova Hispania, et aliis majoris Asiæ regionibus, populis et linguis per Hispanos? Et in Æthiopia, Arabia, Persia, India, et circumjacentibus meridionalibus insulis per Portugalenses quid fit? Nonne hi quibus hactenus de Christo nil annuntiatum est, potenter hodie vocantur a Deo, miroque fervore et gaudio ad fidem currentes, Ecclesiæ jugo certatim colla submittunt? Quid putamus aliud, quam quod per servos suos olim comminatum esse legimus Christum, ut relicta occidentis hujus Ecclesiæ acedia, relictis fæcibus, quibus non inveniret sibi hic (hoc est, in cordibus hominum hujus occidentalis Ecclesiæ) locum et requiem, quæreret sibi novum populum, ad quem gratiam suam et Ecclesiæ suæ Sacramenta transferret? Nec dissonat evangelicum a Salvatore nostro sub parabola Judæis dictum, quod malos male perdet, vineamque suam locabit aliis agricolis, qui dabunt ei fructum in tempore suo. Et illud : Auferetur a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructum ejus. Quomodo enim post multa beneficia a Judæis Deus recessit propter eorumdem ingratitudinem et rebellionem, et transiit ad gentes, ita nunc propter nimia peccata Christianorum, quid mirum si eos relinquat, omniaque dissidiis, sectis, hæresibus contaminari, se mutuo mordere, consumi et deficere sinat, ipse vero ad novas gentes, Ecclesiam suam ibidem constituturus, pergat, a quibus desiderantissime recipiatur, atque caritatis calore foveatur? Itaque semper manebit fides, semper perseverabit Ecclesia, licet persecutionum torculari pressa, a loco in locum demigret. Non deficiet fides Petri et successorum ejus Romanæ Sedis Pontificum, qui sunt vicarii Christi in terris. Pro qua ne deficeret idem Christus ipse rogavit. In hac fide, in hac Ecclesia Basilius, Augustinus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, imo quotquot Martyres, quotquot Sancti fuere, quotquot denique miraculorum ac signorum prodigiis claruere, vixerunt omnes : adeo ut ne unum quidem contingat Sanctorum extra hanc Ecclesiæ unitatem inveniri. Quis de illa Ecclesia jam ambigat? aut quis sese huic non tuto committat, cujus Christus rector et sponsus, cui Apostolos et Episcopos idem ipse dedit præsides? Quis in hac Ecclesia metuat inveniri, in qua omnes quotquot salvati fuere, vixerunt? Nam si quis extra hanc quærat salutem, extra arcam Noe inter aquas diluvii (hoc est, inter humanæ sapientiæ undas) peribit, suæ stultitiæ temeritatisque procul dubio daturus pœnas. Hoc idcirco commemoramus, quod temporibus nostris illa quæ Regum docent libri, valde alludunt. Ibi enim a Juda (ubi lex, ubi Dei templum erat et cultus) decem tribus separatæ, nullis poterant Prophetarum admonitionibus revocari, donec in captivitatem, direptionem dispersionemque omnes abductæ sunt. Sic modo non pauci ab Ecclesia vera et orthodoxa deficiunt, quo præceptis ejusdem suapte temeritate absoluti, liberius peccent. His quantum semel deliquisse noceat, nisi perpetuis essent tenebris excæcati, manifestum foret. Videmus enim nos, quomodo prima illorum defectio ab Ecclesiæ obedientia, quomodo Romani Pontificis, Ecclesiæ universæ Christi, ejusdem nomine rectoris, contemptus, eos magis magisque fecit tenebrescere ac cæcutire, adeo ut

Digitized by Google

semper deteriora apud illos nascantur, semper densiores hæresum tenebræ pestilentioresque prodeant : adeo ut nihil supersit, nisi ut Christus etiam negetur, aliumque nescio quem exspectemus salvatorem, aut fortasse cum Judæis Messiam, qui nos vias justitiæ doceat. Has hæreses pepererunt ambitio, superbia atque ad libertatem carnis effrenis libido. Siquidem dum pro suo cuique capite permissum est intelligere explanareque Scripturas, et contempto Ecclesiæ judicio censuraque, dicere hunc esse verbi Dei sensum, alio clamante alium, quomodo hallucinantes non iremus in tenebras semper profundiores? Taceo quod multi calumnias, detractiones, invectiones, scommata in Pontificem, in Sacramenta, in Ecclesiæ antiquissimos ritus, in monachos pie viventes, in castitatem denique omnem audent (proh dolor) vocare Dei verbum, quasi hoc apud eos sit Dei verbum, quod verbo Dei maxime prohibetur. Absit ut hoc Dei verbum apud eos maneat in æternum. Sed de his satis. Tu, Pater reverende, Decane atque generose Comes, gaudere atque tibi ipsi gratulari merito debes, quod eo prælatus sis in loco, ubi sedes, ubi obedientia, ubi leges Ecclesiæ, ubi denique omnia adhuc salva manent. Viget per te disciplina Cleri, moresque quotidie meliores reviviscunt. Age itaque quod agis, et indefessus semper insistas. Si officii gravitas te molestat, esto, quæso, nihilo minus patiens. Senex es, probatus es, et non solum ætatis, verum etiam virtutis auctoritas subditos coget ad meliora. Nullo enim pacto consultum videtur officiorum onera ad quæ te Deus vocavit excutere, ne Dominum simul a te excutias, et ejus benedictionem. Certe licet haudquaquam honores, dignitates officiaque ambienda sint, si tamen (Deo sic ordinante) præter suum ambitum ad hæc quis trahatur, nullo est modo pertinaciter reluctandum. Siquidem bonis animarum præfecturam recusantibus, quid aliud necesse est sequi, quam ut leves atque sine virtute homines præficiantur? Quod quam foret hoc tumultuoso sæculo exitiosum nemo probus non videt. Soletur itaque subditorum fructus labores tuos ac senium, ut perseveranter agas strenueque pergas : erit tandem et apud Deum merces operi tuo copiosa valde. Dominus Jesus, amator et redemptor noster, te servet, Domine generose, atque ad decus urbis Trevericæ quam diutissime valere velit, et quæ in universam Theologiam Dionysius scripsit, quam hactenus nimis philosophiæ immixtam causabantur, propediem prælis absolutam, quinque voluminibus exspecta. Ex domo D. Barbaræ Coloniensis Cartusiæ, ipso Circumcisionis Domini die, anno MDXXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM JOSUE

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

F*ORTIS in bello Jesus Nave, successor Moysis in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israel.* Eccli. XLVI, 1, 2.

In his verbis auctor libri nunc exponendi, multipliciter commendatur. Primo, a fortitudine sua in bellis justis, in quibus duplicem fortitudinem habuit ac monstravit, videlicet corporalem et spiritualem. Fuit etenim vir corporaliter multum robustus : quod demonstravit in præliis. Unde et infra habetur in textu, quod expugnavit reges triginta unum. *Josue* XII, 24. In Exodo quoque recitatur, quod veniente Amalec ut pugnaret contra Israel, Moyses elegit ipsum Josue ad Amalec expugnandum. *Exod.* XVII, 9. Insuper habuit fortitudinem, quæ est inter quatuor cardinales virtutes una, cujus est passionem timoris circa pericula mortis moderari ac refrenare, et ardua, imo et difficillima, viriliter aggredi, sustinere et exsequi. Nec dubium quin et fortitudinem illam habuerit, quæ est unum de septem donis Spiritus Sancti : *Is.* XI, 2. imo utramque sortitus est in gradu perfecto, et excellentiæ termino, tanquam vir eminenter heroicus. Secundo commendatur in verbis prætactis, a principatus sui ac præsidentiæ dignitate, quum dicitur, Successor Moysis, cui in principatu super Israeliticam plebem successit, ut in Numeris legitur. *Num.* XXVII, 18 *et seq.* Tertio, a gratia prophetiæ, quum subditur, In Prophetis : per quod datur intelligi, quod prophetali spiritu fulserit, et inter Prophetas sit computandus. Quarto, a proprietate ac dignitate suæ appellationis, quum dicitur, Qui fuit magnus secundum nomen suum. Nam dictus est Jesus ac Josue, quod utrumque interpretatur salus seu salutare : quod et realiter ei conveniebat, attamen imperfecte, quoniam populum Israel a visibilibus eripuit inimicis, atque ad temporalem prosperitatem perduxit, imo et de animarum salute et cultu Dei ferventer eos admonuit, secundum quod infra patet. *Josue* XXIV, 11 *et seq.* Quinto, a sua fructuositate, quoniam toti plebi sibi commissæ utilissimus fuit, tam quantum ad temporalem prosperitatem, quam ad informationem salubrem et ædificationem atque idoneam gubernationem : propter quod additur, Maximus in salutem electorum Dei. Ex quibus innotescit libri hujus auctoritas, quem edidit Josue ipse, et inter canonicæ libros Scripturæ continetur ac ponitur.

Præterea, juxta Hieronymum, Hebræi distinguunt ac dividunt Scripturam canonicam veteris Testamenti in tres partes seu ordines : puta in legem, ad quam quinque libri Moysis pertinent; in Prophetas, ad quos octo libros affirmant pertinere, videlicet librum Josue, librum Judicum, sub quo includunt et librum Ruth, libros quoque Regum, quos in duo volumina dividunt, Isaiam quoque, Jeremiam, Ezechielem, et librum duodecim Prophetarum. Tertiam partem et ordinem Scripturæ, hagiographa vocant. Sic ergo juxta istam divisionem Scripturæ, hic incipit secundus ordo Scripturæ illius. Porro ad hagiographa asserunt pertinere librum Job, Psalterium, tria volumina Salomonis, [Danielem], Paralipomenon, Esdram et Esther.

Digitized by Google

Præterea, utriusque Testamenti Scriptura apte dividitur in libros legales, in historiales, in sapientiales, in prophetales. Nam quatuor Evangelia, sunt libri legales novi Testamenti, quemadmodum quinque libri Moysis sunt libri legales veteris Testamenti ; Epistolæ vero Apostolorum, sunt libri sapientiales ; liber Actuum Apostolorum, est historialis ; Apocalypsis autem, prophetalis. Juxta hanc divisionem liber Josue pertinet ad libros historiales, quia in libro isto narratur, qualiter promissiones patribus factæ de sanctæ terræ adeptione, et per Moysen descriptæ, sint realiter adimpletæ.

Porro hagiographum dicitur ἀπὸ τοῦ ἅγιος, quod est sacrum, et γραφή, scriptura, quasi scriptura sancta. Circa hoc Magister in historiis et aliqui alii asserunt : Hoc nomen commune est omnibus sacræ Scripturæ libris ; sed quia præfati novem libri, videlicet Job, David, etc., præ ceteris libris non habent eminentiam specialem, secundum quam agnominarentur, communi hoc nomine sunt contenti : sicut hoc nomen, Confessor, omnibus Sanctis est commune ; tamen quidam propter specialem eminentiam vocantur Apostoli, alii Martyres. Huic dicto objici potest, quod liber Psalmorum grandi excellentia et anagogicis visionibus decoratur ; sed et Cantica canticorum, ut ex ipso articulo elucescit, præcipua pollent proprietate ; imo et liber Job stilo atque sententia fulget. Imo cur David vocatur eximius Prophetarum, nisi quoniam liber Psalmorum inter vaticinia eminet ? Hinc reor hujus rei aliam, verioremque esse causam. Est equidem regula, quod quando nomen aliquod pluribus est commune, et alia habet specialia nomina, tunc nomen illud commune appropriatur ei, quod aliud speciale nomen non habet : secundum quod dialectici dicere solent, hoc nomen, Accidens, commune esse omni accidenti, videlicet communi ac proprio ; tamen quum accidens inseparabile et proprium, habeat proprium nomen, hoc nomen, Accidens, appropriatur accidenti separabili et communi ; sicque proprium et accidens ponuntur duo prædicabilia condistincta.

Amplius, Origenes juxta Græcos, in prima parte et ordine Scripturarum constituit septem libros, Pentateucho Moysis addens Josue ac Judicum libros, illumque ordinem vocat Heptateucum, ab ἑπτά, quod interpretatur septem, et τεῦχος, volumen.

Postremo, qualiter juxta Hebræos liber Josue valeat inter libros propheticos contineri, quum tamen non videantur in eo prænuntiari futura quemadmodum in Prophetis, infra dicetur : attamen quædam futura prædicuntur in eo.

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM JOSUE

HEBRAICE JEHOSUA

IN QUO DE TRANSITU AGITUR JORDANIS, ET SUBVERSIONE REGNORUM HOSTILIUM, DE INTRODUCTIONE POPULI DEI IN TERRAM PROMISSIONIS, ET DE DIVISIONE IPSIUS TERRÆ.

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : ET FACTUM EST POST MORTEM MOYSIS.

AUCTOR libri hujus, sanctus Josue, de A se ipso quasi de alio loquens, materiam libri sui continuat ad ea, in quibus beatissimus Moyses libros suos finivit, et ultimo libro suo imposuit terminum. Hinc Josue librum suum a conjunctione hac copulativa, Et, inchoans, ait : *Et factum est post mortem Moysis servi Domini,* qui fuit servus Dei servitute filialis timoris atque spontaneæ caritatis, non servitute timoris servilis et coactionis, *ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun.* Josue tri-
Num. xiii, 17; Eccli. xlvi, 1. plex habuit nomen. Nam dictus est Osee, B et Jesus, ac Josue. Pater autem ipsius voca-
Ibidem. batur Nave, et Nun. Dicuntque aliqui, quod cognominatus sit filius Nun seu Nave, ad differentiam Jesu filii Sirach, pronepotis filii Jesu sacerdotis magni. Sed verius arbitror, quod more idiomatis Hebræorum ita cognominetur, quoniam apud Hebræos filii cognominantur a suo patre, quemadmodum in libris Regum et Paralipomenon
II Reg. xxiii, 1; I Par. x, 14. præcipue constat, in quibus communiter dicitur David filius Jesse, Ezechias filius

Achaz. Interdum tamen, sed raro, cognomi- IV Reg. xviii, 1.
nantur a matre. Unde Joab et Abisai appellantur filii Sarviæ. II Reg. ii, 13; xvi, 9. Porro Jesus filius Sirach, plusquam per mille annos post Josue natus est, siquidem post Babylonicam fuit captivitatem : ideo non videtur, quod ad ejus differentiam, Josue dictus sit Jesus aut Josue filius Nave aut Nun. *Ministrum Moysis.* Fuit etenim Josue specialissimus ac familiarissimus Moysis servus, prout in diversis locis librorum Moysis legitur. Nam et cum Moyse ascendit in montem Sinai, Exod. xxiv, 13.
quamvis non usque ad verticem montis, et cum Moyse revertebatur de monte : et Ibid. xxxii, 17-19.
sicut S. Clemens beatissimo archiapostolo Petro in omnibus familiarissime et affectuosissime cum mira reverentia, inseparabiliterque adhæsit, ita et Josue Moysi.

Et diceret ei : Moyses servus meus mortuus est. Circa hæc quæri potest, qualiter Deus locutus sit Josue. Secundo, an locutus sit ei hæc verba ante finem dierum luctus Moysis, an non. Ad primum dicendum videtur, quod locutus sit ad Josue

Digitized by Google

sicut ad Moysen, per creaturam subjectam, puta per angelum in humana effigie apparentem, et in vigilia plena, et forte aliquando aliter. Ad secundum aliqui dicunt, quod Dominus dixit ista verba ad Josue ante finem luctus mortis Moysis, quem filii Israel planxerunt triginta diebus. Alii dicunt, quod post finem dierum illorum: quod verius æstimo. Nam hoc ad honorationem tanti legislatoris ac vatis pertinuit, quod durante luctu ipsius, Dominus alia non commisit agenda ejus ministro ac populo, videlicet transitionem per Jordanem, et missionem exploratorum, ac cetera quæ in isto sequuntur capitulo. Hinc in Scholastica fertur historia: Post mortem Moysis, quiescente luctu populi pro eo, locutus est Dominus ista ad Josue. Lyra tamen dicit Hebræos aliter opinari, et sequitur eos, ut in expositione sequentis capituli refertur.

Deut. xxxiv, 8. — Petrus Comestor. — Josue II, 1.

Insuper quæri potest, cur Dominus dixit ad Josue, Moyses servus meus mortuus est, quum tamen hoc notum exstiterit tam Josue ipsi, quam populo toti. Respondetur, quod Dominus hæc loquendo, ostendit se memorem servi sui fidelis etiam post mortem ipsius. Per eadem quoque verba destruxit duos errores: Primum, dicentium Moysen non esse defunctum, sed esse translatum in paradisum, et esse cum Elia et Enoch, quoniam nullum mortis suæ signum in terra relictum est, et quia cum Christo in sua transfiguratione corporaliter, quemadmodum et Elias, apparuit. Secundus error fuit Manichæorum et aliorum quorumdam, dicentium Moysen esse damnatum propter incredulitatem suam ad aquas Contradictionis, de qua non legitur pœnituisse: qui error per ista verba excluditur. Apertissime quoque Scriptura insinuat eum inde pœnituisse, per hoc quod post illam incredulitatem Dominus more solito ei locutus est, et Moyses consueta devotione pro Deo zelatus est, et bona usque in finem vitæ suæ exercuit. Atque pro illa incredulitate Dominus punivit eum in vita hac, privando eum ingressu terræ promissionis. Denique, in Deuteronomio evidenter narratur Moyses esse defunctus.

Deut. xxxiv, 6. — Matth. XVII, 3; Marc. IX, 3; Luc. IX, 30. — Num. XX, 11. — Deut. II, 2, 3, 17, 31; XXXIV, 4. — Num. XX, 12. — Deut. XXXIV, 5.

Surge. Ex hoc verbo videri posset, quod sedenti vel jacenti aut dormienti Dominus dixerit ista: vigilanti namque et stanti dici non solet, Surge. Sed opinari quis potest, quod Domino incipiente loqui ad Josue, ipse vir sanctus humiliter se coram Deo prostraverit, prostratoque Dominus dixerit, Surge, sicut et infra ait ad eum, Surge, cur jaces pronus in terra? Vel sensus est: Surge, id est, ad actum te præpara et extende. Circa hoc scribit Petrus Comestor: Quod ait, Surge, locutio est, et non est sensus: id est, genus et modus quidam loquendi est, nec ille est intellectus quem facere verba videntur. *Et transi Jordanem istum* tempore opportuno, id est, dispone te ad transeundum per fundum Jordanis, *tu et omnis populus tecum,* omnis videlicet Israeliticus populus, quem tibi commisi ut duci ac principi. *Omnemque locum quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi:* id est, universam terram, quam perambulaveritis pergendo ad pugnam contra adversarios vestros, me auxiliante obtinebitis.

Josue VII, 10.

Deinde termini terræ promissionis exprimuntur. *A deserto et Libano, usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare Magnum contra solis occasum, erit terminus vester,* id est terra et locus vestræ habitationis. Præterea intellectus hujus particulæ patet ex eo, quod in Exodo Dominus loquitur: Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum, et a deserto usque ad fluvium. Hinc quoque in Deuteronomio ait: Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto et Libano, et a flumine magno Euphrate, usque ad mare Occidentale, erunt termini vestri. Itaque hoc loco, per desertum, intelligitur desertum Ægypti, quod terræ promissionis contiguatur a plaga australi; per Libanum vero, mons Libani, qui est a parte aquilonari respectu terræ promissionis. Euphrates autem est terminus terræ pro-

Exod. XXIII, 31. — Deut. XI, 24.

Digitized by Google

missionis ab oriente. At vero per mare A Magnum, quod est contra solis occasum, intelligitur mare Mediterraneum: quod etiam dicitur mare Occidentale, respectu maris Mortui, quod est in parte orientali: et vocatur nunc Magnum mare, non quod sit mare Oceanum, quod simpliciter dicitur magnum mare, et universam ambit ac circuit terram; sed magnum, respectu maris Rubri aut maris Mortui, nuncupatur. Insuper Hethæi erant una gens de gentibus quarum terras Deus filiis Israel repromisit, ut in Exodo patet. Unde hoc loco per B terram Hethæorum, terræ omnium illarum gentium designantur, secundum quod totum solet per partem signari. Sed quæri potest, quomodo verificata sit ista promissio, quum certum sit quod filii Israel tempore Josue nunquam obtinuerint totam terram præfatam. Respondetur, quod promissio ista facta est populo Israelitico in communi, seu confuse sub nomine Josue et eorum qui tempore ejus fuerunt, et ita paulatim in populo illo fuit impleta, potissimum tempore David ac Salomonis. De C his super Exodum plenius scripsi.

Exod. III, 8, 17.

II *Reg.* VIII, 13; III *Reg.* IV, 21; IX, 20, 21.

Exod. XXIII, 23.

Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ. Contra hoc videtur, quod reges Chananæorum contra Josue et filios Israel sunt congressi, et pugnaverunt contra eos viri Jericho, imo et habitatores Hai filios Israel fugaverunt et quosdam eorum interfecerunt: quæ omnia infra in textu habentur. Et respondendum, quod Resistere, sumitur hic pro Prævalere. Ista quoque promissio, sub conditione fuit intelligenda, sicut et similes promissiones, videlicet nisi D filii Israel oppositum mererentur peccando. Vel dici potest, quod victoria illa virorum Hai, fuit brevis ac modica: idcirco non reputatur, quia quod modicum est, habetur pro nihilo. Nam et paulo post fuerunt omnino victi a filiis Israel. *Sicut fui cum Moyse, ita ero et tecum.* Quemadmodum Deus fuit cum Moyse per dona gratiæ gratum facientis, et item per dona gratiæ gratis datæ, ita et cum Josue. Fuit quippe cum Josue, eum supernaturaliter

Josue X, 5; XI, 1; VII, 4, 5.

Ibid. VIII, 24.

ac gratiosissime dirigendo, protegendo, ac triumphando; gratiam quoque prophetiæ, virtutem miraculorum et revelationes divinas conferendo eidem. Verumtamen in his omnibus excellentius fuit cum Moyse, nisi quod in miraculorum operatione, Josue videtur Moysen quodammodo excessisse, per hoc quod solem et lunam fecit tam imperialiter stare. *Non dimittam nec derelinquam te,* id est, intus et extra te protegam. *Josue* X, 12.

Confortare ex mea promissione et consolatione, *et esto robustus* mente et corpore. Hæc omnia accipi possunt per modum exhortationis ac jussionis: præcepit equidem Deus ipsi Josue, ut in virtutibus cresceret, et se ipsum confortaret in Domino, sperando in ejus auxilio. Aliorum enim duci ac judici necessaria est gratia specialis et magna, assiduusque profectus virtutum. Denique necessaria fuit huic Josue ista tam dulcis et firma consolatio et corroboratio Dei propter imminentium difficultatem negotiorum, quæ naturales vires ipsius Josue ac populi ejus totaliter excedebant, videlicet gentes illas Chananæorum copiosissimas atque fortissimas debellare, eorumque territoria possidere. *Tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua juravi patribus tuis ut traderem eam illis,* id est, quam cum juramento promisi dare posteritati Patriarcharum. Qualiter autem Josue terram illam divisit filiis Israel, infra in diversis capitulis enarratur.

Confortare ergo et esto robustus valde, id est in omni virtute stabilis ac perfectus, præsertim in fortitudine, quæ est virtus cardinalis, atque ad principes ac bellatores præcipue pertinet, ne propter imminentia mortis pericula pavidi, tristes, pusillanimesve exsistant; *ut custodias* memoriter retinendo, *et facias* opere exsequendo, *omnem legem,* id est universa legis mandata, *quam præcepit tibi Moyses servus meus.* Moyses namque legem omnibus generaliter dedit ac jussit; sed tanto specialius præcepit eam a Josue observari, quanto ceteris virtuosior, exemplariorque consistere tene-

Digitized by Google

Deut. xvii, 16-20. batur. Quædam etiam legis præcepta solum principem concernebant, prout in Deuteronomio patet. *Non declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram,* id est ad nullum vitiosum extremum, sed mane in medio, quum virtus sit quædam medietas inter duo vitia extrema ; *ut intelligas cuncta quæ agis,* id est, omnem tuam actionem interiorem et exteriorem sapienter consideres, discutias, atque ad debitum referas finem, juxta divinæ legis tenorem. Quod totum qualiter sit agendum, docet lex Dei. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo :* id est, doctrinam Deuteronomii legis datæ per Moysen, omni tempore opportuno habe in ore, ita ut semper paratus sis eam proponere populo, et tibi commissos divina præcepta instruere, quantum requirit tuum officium. *Sed meditaberis in eo diebus ac noctibus,* id est congruis horis diei noctisque, *ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo.* Unde etiam
Ibid. vi, 6, 7. in Deuteronomio habetur : Erunt verba Domini in corde tuo ; et meditaberis ea sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens. *Tunc diriges viam tuam,* id est, operationem et vitam tuam efficaciter rectificabis, atque ad debitum referes finem juxta legis præcepta ; *et intelliges eam,* id est, cognosces an conversatio tua sit justa ac placita Deo. Impii autem non attendunt suorum actuum perversitatem, nec propria pensant peri-
Prov. iv, 19. cula. Siquidem via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt : de quibus fertur
Ps. xxxiv, 6. in Psalmo, Fiat via illorum tenebræ et lubricum.

Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus. Quamvis enim confortari in Domino, et esse robustum in gratia ac virtute, sint dona Dei, nec virium humanarum
Jer. x, 23. effectus, juxta illud Jeremiæ, Non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos ; nihilo minus præcipit Deus homini, confortari in Domino et esse in gratia fortem : quia si fecerit homo quod in se est, Deus gratiam conferet et robur virtutum præstabit. *Noli metuere*

A carnali timore, *et noli timere* mundana formidine ; sed omnem inordinatum abjice metum ex intuitu et confidentia adsistentiæ Omnipotentis : *quoniam tecum est Dominus Deus tuus,* per gratiosam directionem, et protectionem ac opem, *in omnibus ad quæcumque perrexeris* corporali aut spirituali progressu, id est, ad quæcumque agenda te extenderis. O quam magna et pia promissio ! Ex qua videtur, quod Josue fuerit ex hac hora confirmatus in gratia, et assecuratus de præservatione a
B culpa mortali : nisi forte, quod ait, Ad quæcumque perrexeris, specialiter intelligatur de profectione ad pugnas contra Chananæos. Præterea intuendum, quod Josue, tanquam vir sapiens, ponderavit difficultatem et onus gravissimum injuncti sibi officii, pericula quoque præsidentiæ suæ, præsertim quoniam prædecessor ac dominus suus Moyses, qui fuit perfectior eo, toties fuit gravatus ex regimine plebis illius, et tandem graviter lapsus, atque ab ingressu terræ promissæ prohibitus. Ideo Num. xx, 12.
C pius Dominus mentem Josue intuens, tam multipliciter ac dignanter consolatus est eum, et eadem sæpe repetiit, unamque sententiam per diversa verba significavit, ad majorem rei certitudinem et affirmationem. Hinc Josue animatus, statim processit ad divini exsecutionem mandati.

Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo ac dicite. In qualibet namque tribu fuit et præfuit unus speci- Ibid. vii, 2.
alis princeps, ex tribu illa progenitus :
D sicque Josue jussit, ut unusquisque eorum transiret per tribum suam, imperans ei : *præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem.* Ex hoc apparet, quod jusserunt præparari cibaria usque in diem tertium. Idcirco dicunt expositores, istud non posse intelligi de manna, quod nec in diem immediate Exod. xvi, 19-24.
sequentem poterat incorruptum servari, nisi pro sabbato, ut in Exodo patuit. Ideo istud exponunt de aliis alimentis, quæ filii Israel invenerunt aut emerunt in terris

Digitized by Google

per quas transibant. Unde in Deuterono- A mio Dominus ait ad eos : Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau. Cibos emetis ab eis, et aquam emptam haurietis et bibetis. Quod autem manna nondum defecit, patet infra.

Deut. II, 4, 6.

Josue V, 12.

Præterea quæritur, qualiter verum sit quod Josue dixit, Post diem tertium transibitis Jordanem. Non enim transierunt Jordanem post verba hæc ante septimum diem : quia post hæc verba misit Josue exploratores in Jericho, qui inde egressi, latuerunt per tres dies in montibus ; post B quorum reditum, Josue et filii Israel perrexerunt usque ad Jordanem, atque ibidem triduo permanserunt, antequam transirent Jordanem : quæ omnia infra habentur. Ad istud Augustinus respondet, quod Josue dixit hæc verba sensu humano, sperans ut homo sic fieri posse, si exploratores cito redirent. Nam et illi quibus loquitur Deus, interdum humana dispositione aliquid agere volunt, in qua Deum sibi esse rectorem confidunt ; sed eorum consilia sæpe ab ipso mutantur, cujus providentia guber- C nantur. Hinc Magister in historiis protestatur : Istud, videlicet quod post tertium diem transirent Jordanem, dixit Josue de humano consilio, permisitque Dominus (ut adstruit Augustinus) ipsum Josue errare, ne deinceps simile aliquid sine divino consilio aggrederetur, præsertim quoniam dixit ad Moysen de Josue : Pro eo, si quid agendum est, Eleazar consulet Dominum. Quod autem Josue in isto erraverit, patet : quoniam ignoravit an nubes tertio die elevaretur de tabernaculo, sine cujus eleva- D tione castra movenda non erant. Hæc in Historiis.

Ibid. II, 1, 22.

Ibid. III, 1.

Aug. Quæst. in Josue.

Num. XXVII, 21.

Ibid. IX, 17 *et seq.*

Porro aliis videtur istud non bene sonare. Si enim (ut alibi loquitur Augustinus) auctores Scripturæ canonicæ erraverunt in uno, perit tota auctoritas sacræ Scripturæ. Immediate quoque ante hæc verba Dominus dixit ad Josue : Tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, etc.; et rursus, Sicut fui cum Moyse, ita ero et tecum; et multa similia. Hinc quidam doctores catholici asserunt, verba ista hoc loco esse conscripta per anticipationem, ita quod verba hæc protulit Josue post reditum exploratorum : quod etiam dicunt Hebræi. In Scripturis namque, post facta aut dicta, aliquando ante narrantur. Insuper dici potest, quod Josue non dixit hæc verba, Post diem tertium transibitis Jordanem, cum præcisione; nec numerus minor excludit majorem, dum ponitur absolute : sicque ponitur hic numerus determinatus pro indeterminato, quemadmodum in Job habetur : Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione. Sic et Christus in Evangelio dixit, Tertio die consummor, quum dictum fuisset ad eum, Vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Imo interdum crastinum, pro futuro in brevi, accipitur, juxta quod Jacob locutus est : Cras respondebit mihi justitia mea. Sic igitur sensus erit : Post diem tertium, id est in brevi, transibitis Jordanem.

Job XXXIII, 29, 30.

Luc. XIII, 32, 31.

Gen. XXX, 33.

Consequenter in textu describitur, qualiter Josue præcepit duabus tribubus ac dimidiæ, scilicet tribui Ruben et tribui Gad ac mediæ tribui Manasse, ut implerent quod Moyses eis præcepit, prout in Numerorum libro habetur. Nec est difficultas in textu, nisi quod in fine capituli filii Israel dicunt : *Tu tantum confortare, et viriliter age*. In quibus verbis superiorem suum humiliter admonent; et quod aiunt, Tantum, non sumitur exclusive, sed sensus est : Hoc præcipue exhortamur et cupimus, ut conforteris in Domino, atque viriliter agas.

Num. XXXII, 20 *et seq.*

Digitized by Google

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI HUJUS PRIMI CAPITULI INTELLECTU.

QUEMADMODUM Origenes testatur, li- A
ber hic non tam gesta Josue filii Nave
nobis indicat, quam sacramenta Domini
Jesu nobis depingit. Itaque Josue nomine
et re Christum præfiguravit : imo quia in
multis eminenter ac evidenter per facta
Josue, mysteria Christi signantur, iste liber
inter propheticos codices computatur. Pro-
phetæ namque et alii quidam viri præcipui
veteris Testamenti, non solum verbis, sed
etiam factis de Christo sunt vaticinati. Idcir-
co Christus loquitur per Osee prophetam :
Osee xii, 10. Ego visiones multiplicavi, et in manibus B
Prophetarum assimilatus sum. In manibus,
inquit, Prophetarum, id est per opera eo-
rum, sum similitudinarie præsignatus.

Denique, in veteri Testamento tres viri
egregii hoc nomine *Jesus,* in typo summi
Jesu Christi, sunt nuncupati. Primus illo-
rum fuit Josue iste dux Israelitici popu-
li, qui suo principatu regiam Christi Jesu
Agg. i, 1, 12; ii, 3, 5. dignitatem signavit. Secundus fuit Jesus
Josedec sacerdos magnus, id est pontifex
Zach. iii, 1. Judæorum, qui Christum Jesum, in quan-
tum est summus Pontifex, præfiguravit. C
Eccli. l, 1. Tertius fuit Jesus filius Sirach, auctor
Ecclesiastici libri, qui per suam sapien-
Coloss. ii, 3. tiam typus exstitit Jesu Christi, in quo
omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt
absconditi. Insuper Josue in multis est
Christi figura. Primo, quoniam Amaleci-
Exod. xvii, 9, 10, 13. tas, qui filios Israel impugnarunt, debel-
lavit : sic et Christus invisibiles hostes,
qui populum Dei incessanter impugnant,
Josue i, iii, xii. devicit. Secundo, quoniam filios Israel in
terram perduxit promissionis : sic Domi-
nus Jesus electos suos in regnum perduxit D
Ibid. xiii-xxi. felicitatis cœlestis. Tertio, quoniam filiis
Israel divisit terram promissam : sic Jesus
omnium judex ac Dominus, unicuique ele-
ctorum dat locum et præmium in regno
cœlorum, juxta mensuram meritorum su-
orum. In aliis quoque multis fuit Christi
figura, sicut patebit infra.

*Et factum est post mortem Moysis, ut
loqueretur Dominus ad Josue ministrum
Moysis,* dicens : *Moyses servus meus mor-
tuus est.* Per Moysen lex vetus, per Moysen
data, datur intelligi, juxta illud in Evan-
gelio : Si Moysen et Prophetas non au- *Luc.* xvi, 31.
diunt, neque si quis ex mortuis surrexerit,
credent. Per hoc ergo quod post mortem
Moysis locutus est Dominus Josue, figura-
tur, quod adveniente plenitudine temporis, *Galat.* iv, 4.
in quo Deus decrevit imponere finem le-
galibus, incarnatus est Christus, atque se- *Luc.* ii, 7.
cundum suam humanitatem Spiritu Sancto *Is.* xi, 2.
repletus est, per cujus allocutionem inter-
nam cognovit legalia jam esse sepelienda
ac cessatura. Præterea, sicut Moyse mor-
tuo, Josue in principatu successit ; sic
veteris legis observantia desinente, Chri-
stus Filius Dei, principatum accepit Eccle-
siæ, et factus est legifer rex Judæorum, ac *Ibid.* xxxiii, 22.
Pontifex veri spiritualisque Israelis, vide- *Hebr.* vii, 26.
licet populi christiani per Hebræos signifi-
cati. Circa hæc loquitur Origenes : Conside-
ra subversam Jerusalem esse, templum et
altare destructa, sacrificia, sacerdotium,
pontificium et mysteria litterarum cessas-
se, et dicito : Moyses servus Dei mortuus
est. Considera quoque gentes esse conver-
sas ad fidem, id est, ecclesias construi,
altaria non cruore pecudum adspergi, sed
pretioso Christi sanguine decorari, et dic,
quia Jesus post mortem Moysis obtinuit *Act.* iii, 22.
principatum, non Jesus filius Nave, sed
Jesus Filius Dei.

Rursus per Moysen, intelligitur lex di-
vina ; per Josue ministrum Moysis, bo-

Digitized by Google

nus prælatus legi subjectus. Dum ergo A
populus christianus divinam transgreditur
legem, conqueritur Deus et loquitur cui-
cumque fideli prælato, Moyses servus meus
defunctus est : quia lex data a me, in
Christianorum cordibus jam deficit. Om-
Philipp. II, 21. nes enim quæ sua, non quæ mea sunt,
quærunt, ita quod illud Isaiæ videatur
Is. XXIV, 5. impletum : Quia transgressi sunt leges,
mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sem-
piternum.

*Surge, et transi Jordanem istum, tu et
omnis populus tecum.* Per Jordanem desi- B
Matth. III, 16. gnatur Baptismus. Christus autem Joannis
baptismum suscipere, Deo Patre instigante,
Galat. III, 26, 27. dignatus est, et omnes qui crediderunt in
Christum, per Christi Baptismum transie-
runt, purgati sunt et salvati, sicque ad cœ-
lestis promissionis perducti sunt regionem.
Rursus, Jordanis interpretatur descensus :
per quem notatur humilitas, per quam ip-
semet Dominus Jesus et universi Christifi-
Philipp. II, 7. deles ambulaverunt. Exinanivit etenim se
Luc. XIV, 11; XVIII, 14. ipsum, et dixit : Qui se humiliat, exaltabitur.
Matth. XI, 29; XVIII, 3. Itemque : Discite a me, quia mitis sum et C
humilis corde. Et : Nisi conversi fueritis et
efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in
regnum cœlorum. Hinc per Isaiam ait su-
Is. XLVII, 1. perbo : Descende, sede in pulvere. Quid
est sedere in pulvere, nisi in propriæ vili-
tatis et culpæ consideratione quiescere?
Prælatus ergo plebem sibi commissam de-
bet in humilitate præcedere, sicque cum
illis in terram Beatorum intrare.

*Omnem locum quem calcaverit vesti-
gium pedis vestri, vobis tradam.* Totus
Ps. II, 8. quippe orbis terrarum, Christo et ejus Ec- D
clesiæ est concessus ac subditus, domina-
Ps. LXXI, 8. turque Christus a mari usque ad mare, et
a flumine usque ad terminos orbis terra-
Matth. XXVIII, 18. rum. Unde et dixit : Data est mihi omnis
potestas in cœlo et in terra. *Nullus poterit
vobis resistere.* Certum est, nullum posse
resistere Christo, nisi quantum ipse per-
Joann. XIII, 3. miserit. Pater namque omnia dedit in ma-
nus ejus ; et ipse Christus rursus de se ipso
Ibid. XVII, 2. ait ad Patrem : Sicut dedisti ei potestatem
omnis carnis. Suis quoque discipulis di-
xit : Dabo vobis os et sapientiam, cui non Luc. XXI, 15.
poterunt resistere et contradicere omnes
adversarii vestri. Denique constat quod
populo christiano, si obediret perfecte,
nulla posset gens prævalere. *Sicut fui
cum Moyse, ita ero et tecum.* Quemadmo-
dum enim Deus omnipotens legem Moysis
per diversa miracula et præclara Spiritus
Sancti charismata confirmavit, ita, imo et
incomparabiliter magis et excellentius,
evangelicam legem constabilivit ; fuitque
Deus cum Christo homine ineffabiliter gra-
tiosius, gloriosiusque, quam cum Moyse,
nec dimisit eum, nec dereliquit per gratiæ Joann. VIII, 29.
aut gloriæ subtractionem aut diminutio-
nem, quamvis in Passione reliquerit eum
quantum ad apparentiam quamdam exte-
riorem et subtractionem solitæ redundan- Matth. XXVI, 37, 38.
tiæ consolationis a superiori parte animæ
suæ in partem ipsius inferiorem ac sen-
sitivam. Propter quod pendens in cruce,
clamavit : Deus meus, Deus meus, ut quid Matth. XXVII, 46.
dereliquisti me? *Confortare et esto robu-
stus.* Christus in omni virtute immobiliter
perfectus fuit ac stabilis ab exordio incar-
nationis. Attamen, Passione instante, spon-
te quasdam passiones vel potius propassio- Matth. XXVI, 37, 38.
nes assumpsit, et per modum infirmantis
se habuit. Propter quod apparuit ei ange- Luc. XXII, 43.
lus de cœlo, ipsum confortans, id est, instar
confortantis se habens, et consolatoria pro-
ferens verba, videlicet qualiter suæ merito
passionis redempturus esset genus huma-
num, et veris fidelibus regionem mansio-
num cœlestium divisurus.

Præterea per Josue designatur quicumque
prælatus, pastor et præsul, cui Dominus
specialiter jubet, persuadet ac loquitur, ut
confortetur in omni virtute et gratia Spi-
ritus Sancti, imo tanto virtuosior esse co-
netur, quo pluribus præsidet, et altioris
est auctoritatis aut professionis, et quo
plura atque majora desuper dona sortitus
est, et pro pluribus redditurus est ratio-
nem, ut aliorum imbecillitatem et imper- Galat. VI, 2.
fectionem valeat supportare, et in bono Rom. XII, 21.
vincere malum. Itaque omnem evangeli-
cam legem debet servare, ne a subditis

Digitized by Google

possit in aliquo reprehendi, et ne quempiam scandalizet, ne dispergat et perdat, (*Ezech.* XXXIV, 5, 16.) quos tenetur colligere et curare. (*Jacob.* II, 10.) Qui enim in uno offendit, fit omnium reus. Non ergo declinet a lege Christi, nec a via justitiæ ac observantia juris, *ad dexteram* se extollendo per prospera, aut inaniter blandiendo, vel mala sub boni specie admittendo, seu etiam per indiscretionem ultra vires quid aggrediendo ; nec *ad sinistram* deficiendo in adversis, aut aperta vitia incidendo, aut unum præ alio aggravando (*Deut.* XVI, 19; *Jac.* II, 9.) injuste ; sed regia via incedat, et absque acceptione judicet personarum.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo. Prælatus, pastor et prædicator, Evangelium Dei suo debet inscribere cordi, et omnem suam locutionem secundum illud dirigere, jugiterque habere in promptu verbum saluberrimæ informationis, correptionis, exhortationis et sanctæ consolationis, et ita intelligere cuncta quæ agit, ac propriam conversationem discutere, taliterque implere, quod ait Scriptura (*Ps.* I, 2.) : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Præterea, quamvis ista sint ardua, Dominus tamen consolatur bonæ voluntatis prælatum, dicendo : *Noli metuere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus.* Specialiter namque paratum se exhibet præsidentibus, ad ipsum toto corde confugientibus, subvenire. Itaque væ intimoratis, ambitiosis, negligentibus, carnalibusque prælatis, judicibus ac præsidentibus inefficacibus (*Is.* LVI, 10.) Dei vicariis, qui sunt canes muti, quibus (*Sap.* VI, 6.) durissimum instat judicium.

Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo ac dicite : Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium A *transibitis Jordanem ad possidendum terram.* Per Josue intelligitur Christus, qui principibus tribuum, id est Apostolis judicaturis duodecim tribus Israel, (*Matth.* XIX, 28. *Act.* XIII, 46.) jussit ire per universam Judæam, deinde per universas gentium nationes, (*Matth.* XXVIII, 19.) ad prædicandum omnibus illis, ut sibi de spiritualibus alimoniis providerent, hoc est de virtutibus, donis et fructibus Spiritus Sancti, de pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris, (*Eccli.* XV, 3.) de sacramentorum refectionibus, de actibus virtuosis ac pane lacrimarum : quia (*Ps.* LXXIX, 6.) B post tertium diem, hoc est post contritionem, confessionem et veniæ implorationem seu quosdam pœnitentiæ actus, essent transituri Jordanem, id est suscepturi Baptismum, qui non consuevit adultis et his qui de gentilitate et Judaismo convertebantur ad Christum, conferri, nisi post confessionem et abstinentias, orationes et pœnitentiales exercitationes.

Insuper, per tribum Ruben primogeniti (*Gen.* XXIX, 32; XXX, 11; XLI, 51.) ex Lia, et tribum Gad primogeniti ex Zelpha, ac tribum mediam Manasse primoge- C niti ex conjuge Joseph, exprimitur populus Hebræorum, qui primo legem accepit per Moysen. Per alias tribus signantur, qui postea Evangelii gratiam sunt sortiti, quum transissent Jordanem, id est, baptizati fuissent. Verum tam illi qui ultra Jordanem, quam ceteri, fuerunt in numero impari, non integro ac totali : quoniam superbeatissimæ Trinitatis notitiam, non nisi imperfectam habuerunt in vita hac, tam qui sub lege, quam qui sub Evangelio exstiterunt.

D *Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus.* Sic subditi boni superioribus suis in cunctis obedire debent caritative, prompte ac reverenter : imo et pro superioribus suis debent cordialiter ac instanter orare.

Digitized by Google

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : MISIT ERGO JOSUE FILIUS NUN DE SETIM.

CONSEQUENTER describitur executio jussionis divinæ circa ingressum ad terram Chananæorum trans Jordanem. *Misit ergo Josue filius Nun de Setim,* id est de loco sic nuncupato, exsistente in Deut. xxxiv, 5. campestribus et extremitatibus Moab, ubi et Moyses in monte defunctus est, ut in Deuteronomio legitur, *duos viros exploratores,* de quibus (ut fertur) fabulantur quidam Hebræi, quod fuerunt Caleb et Phinees, *in abscondito,* id est sub tali apparatu et specie, ut non cognoscerentur esse exploratores, neque de populo Israel. Di- B cunt aliqui, quod misit eos sub simulatio- 1 Reg. xxi, 10-15. ne stultitiæ, sicut et David coram Achis rege Geth, simulavit se quasi furiosum et stolidum, ne caperetur, ut primo Regum libro habetur. Porro Hebræi (ut fertur) asserunt, quod fingebant se surdos et mutos, ne ex sua loquela cognoscerentur : quod non videtur apparentiam magnam habere, sciebant enim et aliam linguam, saltem Ægyptiam, præsertim si erant Caleb et Phinees, quod ad minus de Caleb constat. Hinc verius puto, quod habitum Chananæorum assumpserunt, ut tanto mi- C nus putarentur Hebræi, quanto habitatoribus terræ videbantur similiores ; vel introierunt ut mercatores, aut tale quid prætendentes. Josephus vero dicit, quod cives non curabant de consideratione qua exploratores isti singula quæque intuebantur, quia putabant eos tanquam peregrinos, invisa libenter adspicere.

Circa hæc, duo quæruntur : Primo, cur Josue vir sanctus misit exploratores, quum explorare videatur actus iniquus et fallax : propter quod Joseph quasi reprehensorie D Gen. xlii, 9. dixit fratribus suis, Exploratores estis. Secundo, cur fecit terram et urbem Jericho

A explorari, quasi ad sciendum qualiter posset eas acquirere, quum ex promissione Josue i, 5. divina certus esse debuerit, quod eas Deo auxiliante faciliter obtineret, non obstante quacumque terræ et urbis habitatorum fortitudine. Respondendum ad primum, quod sicut in justis præliis licet uti insidiis, ut infra dicetur, ita et exploratione. Ibid. viii. Est itaque exploratio duplex : una, quæ venit ex zelo justitiæ, et ordinatur ad justum triumphum, et hac usi sunt Moyses Num. xiii, 18. et Josue ; alia, quæ ex odio, cupiditate, ambitione, et simili procedit radice, atque ad injustam aliorum oppressionem ordinatur : de qua locutus est Joseph. Ad aliud respondendum, quod quamvis Josue certus fuit de veritate promissionis divinæ, non tamen omisit facere quod in se erat.

Circa hæc quidam facit prolixum tractatum, an missi sunt isti exploratores ante finem luctus Moysis, et approbat opinionem Rabbi Salomonis, dicentis, quod missi fuerunt antequam finiebantur triginta dies luctus deflentium Moysen ; sed hujus oppositum magis approbatum est primo Josue i, 2. articulo. Probatio quoque Rabbi Salomonis procedit ex incerto, quoniam dies obitus Moysis ignoratur, et quamvis a principio fuisset descriptus in annalibus Judæorum, illa tamen descriptio (ut probabile est) postea fuit deleta, præsertim tempore Babylonicæ captivitatis, vel in aliis cladibus Hebræorum, in quibus libri eorum ab infidelibus fuerunt combusti. Denique, ut Rabbi Paulus fatetur, et facile est pensare, Rabbi Salomon fuit novitatum confictor, et de vana curiositate notatur. Sed quia de ista re parva vis est, transeo.

Et dixit eis : Ite, et considerate terram urbemque Jericho. Non præcepit eis totam

Digitized by Google

terram illam perambulare et considerare, sed eam quæ juxta Jericho erat, an scilicet fertilis esset seu populosa, an etiam Jericho esset urbs populosa atque munita. *Qui pergentes, ingressi sunt domum mulieris meretricis* in Jericho habitantis, *nomine Rahab, et quieverunt apud eam,* id est, se repausabant, et recumbebant fortassis post laborem itineris, considerationemque urbis. Communiter dicunt expositores sancti, quod Rahab hæc, exstitit meretrix saltem ad tempus : cujus oppositum tenet Lyra, eo quod Salmon filius Naasson principis tribus Juda, duxit eam uxorem. Sed quia Septuaginta transtulerunt, Meretricem, et Scriptura canonica eam sic nominat, ut patet in Canonica sancti apostoli Jacobi,
Jacob. II, 25. asserentis, Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est? hinc potius reor, quod meretrix fuit ; non tamen opinari oportet, quod penitus publica, sed eo modo, quo in Scripturis feminæ incontinentes, et quæ pro notabili pretio possunt acquiri, meretrices vocantur. Ad objectum vero dici potest, quod post suam conversionem ad Judaismum, facta sit valde proba. Idcirco ob ejus probitatem, virtuositatem, et propter fidelitatem quam exploratoribus exhibebat, Salmon eam honoravit, ac duxit in conjugem : et forte aliunde fuit mulier apta, utpote speciosa, prudens et opulen-
Matth. I, 5. ta. De isto super Matthæum plenius scripsi. Verumtamen, ut probabiliter dicitur, translatio Chaldaica habet, Ingressi sunt domum mulieris hospitalariæ, et dictio Hebraica ad designandum meretricem et venditricem victualium, est æquivoca : unde dicunt Hebræi nonnulli, quod meretrix fuit, et hospitium tenens. Propter quod exploratores deverterunt ad domum ejus, non ad fornicandum, sed quoniam domus ejus fuit communis : sic minus observabantur introeuntes in eam.

Nuntiatumque est regi Jericho hora cœnæ, *et dictum : Ecce viri ingressi sunt huc per noctem,* id est tempore vespertino in ipso crepusculo, quando intrantes minus inspiciuntur, *de filiis Israel, ut explora-* A *rent terram.* Forte quod aliqui exsistentes in domo Rahab, conjecerunt et nuntiaverunt hoc regi, vel custodes portarum qui diligenter considerabant intrantes per portas. *Misitque rex ad Rahab meretricem, dicens : Educ viros qui ingressi sunt domum tuam,* id est, duos illos Hebræos propala, et fac exire. *Exploratores quippe sunt, et omnem terram* hujus regionis *considerare venerunt.* Hoc suspicabatur rex Jericho. Porro secundum Josephum, rex voluit per tormenta extorquere a viris B illis cur venissent. *Tollensque mulier viros, abscondit.* Hoc fecit antequam nuntii regis venerunt ad eam, vel in loco secretiori posuerat eos. Estque probabile, quod exploratores consideraverunt vel timuerunt se esse notatos, et ideo petierunt abscondi. Nec enim Rahab abscondit eos, nisi ad ipsorum petitionem : nisi forte dicatur, quod ante adventum nuntiorum regis, ipsa quoque pensaverit quod erant de filiis Israel, et ideo avisaverit eos atque suggesserit, quod permitterent se abscon- C di. *Et ait* nuntiis regis : *Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent. Quumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt ; nescio quo abierunt. Persequimini cito, et comprehendetis eos.* Hoc fuit mendacium officiosum pro pia causa prolatum, videlicet pro ereptione exploratorum, et sui ipsius ac suorum a morte : ideo modicæ fuit culpæ.

Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ : quod fecit vel ad virorum petitionem, vel ex propria suggestio- D ne, ut tactum est, vel, secundum Josephum, ut ibi cœnarent. *Operuitque eos lini stipula quæ ibi erat.* Alia littera habet, Stuppa. Et secundum Magistrum in historiis, stipulam illam super murum siccavit. *Hi autem qui missi erant,* videlicet nuntii regis, *secuti sunt eos :* non quod veraciter secuti sint exploratores, qui adhuc erant in civitate, sed secundum suam æstimationem sequebantur eos, quos putabant ante se currere ; *per viam quæ ducit ad vada,* hoc est aquas, *Jordanis. Illisque* nuntiis

Digitized by Google

regis *egressis* urbem, *statim porta* civita- A
tis, per quam exibant, *clausa est,* ne exploratores aut alii adversarii urbem de nocte intrarent. Quidam tamen exponunt, quod nuntiis egressis domum Rahab, statim porta seu janua domus Rahab sit clausa ab ea, quatenus convenientius absconderet exploratores, nullo ingrediente in domum ejus ; sed prima expositio aptior est.

Necdum obdormierant qui latebant. Homines namque in timore atque periculo constituti, non cito obdormiunt præ in- B
quietudine cordis et imaginationis. Unde
Dan. II, 5. et Nabuchodonosor perterritus : Somnus, inquit, recessit a me. *Et ecce mulier ascendit ad eos, et ait : Novi quod Dominus tradiderit vobis terram :* id est, certa sum quod Deus vester qui est omnium Dominus, dare decrevit, et protinus dabit vobis universam hanc terram Chanaan. Secundum Origenem, meretrix ista facta est prophetissa : non quod vere spiritum habuit prophetiæ, sed quoniam instar Prophetarum, de futuro per modum præteriti C
est locuta propter certitudinem rei. Illud autem scivit futurum, præcipue ex duobus. Primo, ex dejectione cordis Chananæorum : qui enim sic timent, vinci consueverunt. Secundo, ex mirabilibus quæ Deum Hebræorum fecisse audivit : hoc est quod subditur : *Etenim irruit in nos terror vester,* id est, formido de vobis concepta, impetuose incidit cordibus nostris ; *et elanguerunt,* id est, mente infirmati sunt, *omnes habitatores terræ* istius, quoniam robur et animum spemque prævalen- D
Exod. XIV, 21. di amiserunt. *Audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad introitum vestrum.* Esse humidum, inseparabile est ab aqua. Ideo aqua proprie non siccatur. Itaque sensus est, quod Dominus siccavit fundum maris Rubri, removendo aquam ab eo ad spatium certum. *Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum,* id est cœlestium atque terrestrium, imo et universorum. Hoc mulier ista perpendit ex supernaturalibus Dei effectibus, et quoniam dii Ægyptiorum et Amorrhæorum non potuerunt suis subvenire cultoribus, nec Deo resistere Hebræorum. *Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego feci vobiscum misericordiam,* id est pietatis effectum, *ita et vos faciatis misericordiam cum domo patris mei,* id est cum parentibus meis et posteritate seu cognatione ipsorum ; *detisque mihi signum verum* veritate rei, puta reale et certum indicium, *ut salvetis,* id est de hoc quod salvabitis, *patrem meum et matrem, fratres ac sorores meas, et omnia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras,* id est nos ipsos seu vitam nostram animalem corpoream, *de morte violenta,* videlicet de interfectione, qua Hebræi occident populum hujus urbis ac regionis.

Qui responderunt : Anima nostra sit pro vobis in mortem, id est, nos ipsi occidamur, nisi eripuerimus vos de morte. Istud fuit æquivalenter juramentum per exsecrationem, quemadmodum illud Apostoli, Ego testem invoco Deum in animam II Cor. I, 23.
meam. Itaque anima nunc sumitur pro toto composito, cujus ipsa est pars principalis ; vel pro vita animali, quam diffundit in corpus. Rationalis etenim anima immortalis est quantum ad suam essentiam. *Cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam* sicut petisti, *et veritatem,* id est juramenti hujus verificationem seu adimpletionem.

Demisit ergo, id est deposuit, *eos per funem de fenestra* sui solarii. *Domus enim ejus hærebat muro.* Circa hoc refert Lyra : Hebræi, qui dicunt Rahab fuisse meretricem, affirmant, quod per funem illum consuevit suos recipere atque dimittere amatores ; sed non videtur, quod rectores civitatis hoc permisissent, præsertim nocturnis temporibus. Ad meretrices quoque fit patens, non talis furtivus et latens, ingressus. *Dixitque ad eos : Ad montana conscendite* divertendo a recto itinere, *ne forte occurrant vobis revertentes* nuntii regis. *Ibique latitate diebus tribus,* lo-

Digitized by Google

quendo de diebus naturalibus qui noctem A includunt, *donec redeant, et sic ibitis per viam vestram. Qui dixerunt ad eam : Innoxii erimus a juramento hoc quo adjurasti nos,* id est, ad id non erimus obligati, nec ejus transgressio imputabitur nobis ad culpam, *si ingredientibus nobis terram,* quando videlicet omnes simul cum Josue principe nostro intrabimus terram hanc, *signum non fuerit funiculus iste coccineus,* id est rubeus, per quem deponis nos, *et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos,* ut funem istum adspicien- B do, cognoscamus domum tuam hoc signo, *et patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit* die quo urbem istam vastabimus, *reus erit. Sanguis ipsius erit in caput ejus :* id est, effusio sanguinis sui seu interfectio ejus, juste imputabitur ei ; *et nos erimus alieni* ab ejus interitu, ita quod in culpa non erimus.

Illi vero, scilicet exploratores isti, qui et gratias retulerunt Rahab meretrici, se- C cundum Josephum, *ambulantes, pervenerunt ad montana, et manserunt ibi,* videlicet in montanis, *per tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti.* Ex quo apparet, quod nuntii regis Jericho, per tres dies quærebant exploratores, perscrutando eos hinc inde per diversa deverticula atque latibula. Ut fertur, Hebræi dicunt quod revelatum fuit huic Rahab, quod tantum tardarent ; sed non videtur quod Deus hoc magis revelaverit Rahab, quam exploratoribus ipsis. Idcirco apparet quod Rahab ex humana prudentia et conjectura suggessit exploratoribus latitare triduo in montanis, quoniam non putavit nuntios regis ultra tres dies extra oppidum tardaturos. *Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte,* in cujus se latibulis absconderunt, *et transito* * *Jordane* forsan navigio, *venerunt ad Josue, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi.* Non soli Josue, sed et aliis, saltem principalioribus, illa narrabant. Deinde relata sunt populo toti, sed Josue tanquam principalis exprimitur. *Atque dixerunt : Tradidit Dominus in manus nostras omnem terram hanc:* propter certitudinem et evidentiam rei futuræ, loquebantur de ea quasi de re gesta ; *et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus,* ita quod passio timoris carnalis ac mundani, et etiam naturalis, dejecit corda eorum, nec per virtutem fortitudinis, aut per judicium rationis timorem illum queunt abjicere ac frenare.

* *transmisso*

ARTICULUS IV

DE MYSTICO HUJUS SECUNDI CAPITULI SENSU.

PER Josue, juxta præhabita, intelligi- D tur Christus mundi salvator, qui *misit duos exploratores in abscondito :* per quos possunt intelligi angeli sancti invisibiliter missi in mundum, et item sancti prædicatores, duo quoque Testamenta. Quibus præcepit : *Ite, et considerate terram urbemque Jericho,* id est habitatores terræ, et eos qui sibi in sæculo isto loca construxerunt munita. Angeli namque ad homines missi sunt, ad intuendum ac sublevandum eorum calamitates, atque ad illuminandum ac dirigendum corda eorum. Similiter prædicatores misit Christus in mundum ad explorandum salubriter mores ac vitia hominum, non principaliter ad sciendum, sed ad convertendum, ac salvandum sæcularium mentes : quod factum est per prædi-

Digitized by Google

cationem ac doctrinam utriusque Testamenti. *Qui pergentes, ingressi sunt domum meretricis nomine Rahab, et quieverunt apud eam.* Per Rahab, quæ interpretatur latitudo, designatur gentilitas, quæ erat per totum mundum diffusa. Ad gentiles ergo tam angeli quam Apostoli ac reliqui prædicatores quamplurimi, accesserunt pro informatione, conversione, et salvatione ipsorum, multoque tempore apud ipsos manserunt. Unde et Christus ascensurus in cœlum, dixit discipulis suis : Euntes, docete omnes gentes. Paulus quoque et Barnabas ingratis incredulisque dixerunt Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes.

Matth. xxviii, 19; Marc. xvi, 15. — *Act. xiii, 46.*

Nuntiatumque est regi Jericho. Per regem Jericho, intelligitur princeps tenebrarum, quem Salvator principem mundi appellat. Cui angeli Satanæ retulerunt, quanta bona, quantumque fructum, et quantam salutem tam angeli sancti quam Christi discipuli fecerunt tempore evangelicæ legis, præsertim in exordio primitivæ Ecclesiæ, ubique terrarum in gentibus : quod princeps caliginis impatientissime ferens, per suos satellites suggessit ex gentilitate conversis, ut educerent viros qui introierunt ad eos, id est, nec angelicis inspirationibus, nec apostolicis prædicationibus consentirent, sed repellerent nuntios veritatis et angelos lucis a se, qui venerunt regnum mundi auferre diabolo, et addere Christi regno. Denique per regem Jericho, etiam infideles principes, sæculares tyranni, atque hæretici figurantur, qui consentientes diabolo, multipliciter nisi sunt evangelicæ legis prædicationem, et fidem gentilium, aut catholicam veritatem ac dogmata impedire.

Ephes. vi, 12. — *Joann. xii, 31; xiv, 30; xvi, 11.*

Tollensque mulier viros, abscondit. Per Rahab jam conversam, merito designatur Ecclesia ex gentibus adunata, quæ olim spiritualiter cum idolis ac dæmonibus, carnaliter quoque cum carnalibus, fornicabatur : quæ et per fornicariam ab Osee sumptam exprimitur. Hæc sic conversa,

Osee i, 2, 3.

A abscondit viros, quia doctores ac prædicatores sanctos intra se fideliter conservavit ; imo et a tyrannorum persecutionibus occultavit frequenter. *Et ait : Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent.* Gentiles quippe ante evangelicæ legis disseminationem, tam angelorum quam Apostolorum originem, proprietatem, obsequia ignorabant. *Cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt.* Porta in tenebris clauditur, dum mens humana, ignorantiæ et infidelitatis caligine involuta,
B angelicis inspirationibus, prædicationibus quoque sacris aditum et introitum negat, ita quod tunc ab indurato animo angeli et prædicatores interdum recedunt, saltem ad tempus. *Nescio quo abierunt.* Pergunt enim quo eos dirigit Dominus ; sed quo, homines sæpe latet. *Persequimini cito.* Hoc ironice accipi potest.

Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ. Solarium domus Ecclesiæ est mens devota, seu mysticus intellectus Scripturæ, vel ecclesiastica dignitas,
C contemplationisve gratia. Ad hoc solarium rogavit Ecclesia prædicatores sanctos ascendere, et in secretis Deo intendere, ac pro aliis exorare, præsertim tempore persecutionis. *Operuitque eos lini stipula.* Induxit enim eos ad hoc, quod pro reconciliatione et conversione gentilium, exercuerunt opera rigorosa, et humiliaverunt se valde prostrati in terram, propriæ mortalitatis et fragilitatis considerationibus, quasi stipulis se cooperientes. Quibus in orationibus, abstinentiis, disciplinis adhuc vigilan-
D tibus, conversa gentilitas est locuta : *Novi quod Dominus tradiderit vobis terram.* Ex prædicatione namque Apostolorum cognovit, quod juxta Prophetarum oracula, totus mundus fuit per Apostolos et coadjutores eorum convertendus ad Christum, qui jam tot et tanta peregit prodigia. Unde et timor judicii exercendi per Christum, penetravit corda multorum, nec ausi fuerunt resistere. Itaque, qui sic conversi fuerunt, pro aliorum, præsertim domesticorum suorum, conversione et salute fuerunt solliciti, et

Eccli. vii, 19.

Digitized by Google

oraverunt Christi discipulos, ut opem et salutem procurarent eisdem. Quibus responderunt discipuli, quod universi in domum Ecclesiæ convenientes, et conversis consentientes, essent salvandi : qua pactione adepta, permiserunt, qui jam ad fidem venerunt, sanctos prædicatores ad alia transmigrare. Imo rogabant, ut tyrannorum persecutiones declinarent ad tempus. Unde quemadmodum extra domum A Rahab, nullus in Jericho mortem evasit, sic extra Ecclesiam nemo potest salvari. Per funem autem coccineum, crux Christi quæ est signum salutis, exprimitur.

Postremo, quod Rahab viros demisit in sporta de suo solario, hoc designat, quod de altitudine contemplationis ad labores actionis permisit Ecclesia suos transire doctores, quibus et adminicula impendit humana.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : IGITUR JOSUE DE NOCTE CONSURGENS.

In fine præcedentis capituli dictum est, quemadmodum exploratores reversi dixerunt : Tradidit Dominus in manus nostras omnem terram hanc. (*Josue* II, 24.) Quo audito Josue animatus, fecit quod in isto recitatur capitulo. *Igitur Josue de nocte,* id est valde mane, *consurgens :* sicut præcedenti capitulo scriptum est, quod exploratores ingressi sunt urbem Jericho nocte, id est de vespere. (*Ibid.* 2.) Quum enim vespera et aurora sint diei ac noctis confinia, utroque exprimuntur extremo. *Movit castra,* id est, populum excitavit ad pergendum. *Egredientesque de Setim,* videlicet loco in campestribus Moab sito, *venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israel, et morati sunt ibi per tres dies.* Circa hoc scribit quidam : Dicunt expositores nostri, quod causa hujus moræ fuit, quoniam aqua Jordanis excreverat. Ideo ibi steterunt, quousque aliquantisper decrevit. Quod consequenter reprobat, quia (ut ait) in Hebræo habetur, Et Jordanis impleverat super omnes ripas suas in omnibus diebus messis : qui dies durant per duos menses secundum Hebræos. Si ergo causa moræ, fuisset excrescentia aquæ, stetissent ibi satis plus quam per dies tres. Ideo aliter dici potest, quoniam Josue exspectavit revelationem de modo transeun- B di, quæ facta fuit ei ultima illarum trium dierum, et tunc in crastino transierunt Jordanem.

Circa hæc dico, verum esse quod Magister in historiis et alii quidam affirmant, aquas Jordanis tunc excrevisse ex nivium quæ in montibus erant, resolutione, atque ex imbre serotino tunc noviter dato : quod etiam tangit Glossa. Nec tamen Magister in historiis, nec Glossa, nec alii expositores communiter assignant hoc pro causa moræ præfatæ. Ideo dato quod aliqui assi- C gnent hoc pro causa, non tamen ob hoc dicendum est absolute, quod doctores nostri hoc dicant, quasi omnes aut communiter dicant hoc. Josephus quoque tangit, quod propter magnitudinem aquæ, Josue timuit transitum fluminis, sed infra duos dies Deus minuit aquam, et prædixit ipsi Josue, quod fluvium illum faceret ei et suis transire. Insuper, quod dicit præallegatus, ipsi Josue factam revelationem de modo transeundi Jordanem tertio die, in- D certum est. Quamvis namque dicatur in textu, Dixit Josue ad populum, Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia ; ex hoc tamen non sequitur, quod tertio die illo, et non ante, Dominus revelaverit ei mirabilia illa, seu modum

Digitized by Google

transeundi per fluvium. Hinc dicendum videtur, quod ex dispositione divina quieverunt circa Jordanem tamdiu, quatenus tanto tempore considerando, quam impossibile eis esset per naturam pertransire Jordanem, postea magis commendarent supernaturalem Jordanis desiccationem ac transitum.

Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium, et clamare cœperunt. Istud fecerunt præcones tertio die. Ideo non est intelligendum, quod tribus illis diebus ex toto evolutis hæc fecerint, sed duo dies erant omnino finiti, et tertius partim. Sicque per synecdochen dicuntur tres dies evoluti. *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri,* id est arcam
Hebr. IX, 4. testamenti, in qua erant tabulæ testamenti sive Decalogi, *et sacerdotes Leviticæ stirpis,* quia de stirpe Levi erant per Amram et Aaron, *portantes eam; vos quoque consurgite,* id est, in actum proficiscendi vos ipsos extendite, *et sequimini præcedentes,* videlicet sacerdotes arcam portantes.

Sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium, id est intervallum duorum millium cubitorum, *ut procul magis videre possitis* arcam involutam, seu
Num. IV, 20. eam portantes : non autem licuit eis videre arcam non coopertam; *et nosse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam.* Nempe, ut loquitur Augustinus, in tanto agmine non potuisset arca a cunctis videri, si juxta eam transissent; nec viam directam omnes vidissent, si juxta sacerdotes perrexissent quidam eorum. Circa hoc scribit quidam : Ex hoc patet, quod alio ordine arca tunc portabatur, quam ante in castrorum motionibus per desertum : quia in illis motionibus sex tribus præcedebant arcam, et sex sequebantur. Cui dicto contrariari videtur, quod in Numeris describitur, quem-
Ibid. II, 3-31. admodum in motionibus castrorum tres tribus præcedebant, et primo egrediebantur ad orientem, deinde tres ad plagam meridianam; tres quoque ad aquilonem, et tres ultimæ ad occidentem. Verum est tamen,

A quod arca nunc portabatur ab aliis, quam tunc : quia, ut in Numeris habetur, tunc Num. IV, 15.
portabatur involuta a Levitis filiis Caath, nunc vero a sacerdotibus. Præterea, ex prædictis elicit Augustinus, quod ducatus nubis seu præcessio columnæ nubis, defecit jam. Alias non fuisset necesse, sacerdotes per tantum intervallum sic sequi. Præterea, de quantitate horum cubitorum est duplex opinio : una dicentium, quod singuli continebant longitudinem pedis ac medii; alia, quod duorum longitudinem
B pedum continebant. *Et cavete ne appropinquetis ad arcam* ultra terminum jam prædictum, quia hoc esset contra præceptum, et impeditivum notitiæ recti itineris.

Dixitque Josue ad populum : Sanctificamini, id est, devote disponite vos ad videndum mirabilia Dei cras, ab amplexibus abstinendo, orationibusque vacando; *cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia :* quæ paulo post in isto continentur capitulo. Et quia miraculosi illi effectus
C fiebant pro Hebræorum multiplici utilitate, debebant Deo grati consistere, et ei in suis operibus decenter occurrere. *Et ait ad sacerdotes.* Secundum quod Thomas declarat in libro de Regimine regum, non solum apud gentiles, sed etiam inter Hebræos, principes sæculares seu reges erant sacerdotibus et pontificibus superiores, quoniam illorum sacerdotium fuit carnale magis quam spirituale : carnalia enim sacrificia immolabant. Sed longe aliter est in evangelica lege. Hinc Josue sacerdoti-
D bus præcipere potuit, et præcepit : *Tollite arcam fœderis* Domini, eam portando : quæ qualiter fuit portanda, in Exodo partim describitur, et ut apparet, portabatur Exod. XXV, 13, 14.
a quatuor; *et præcedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt et ambulaverunt ante eos.*

Dixitque Dominus ad Josue : Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciant quod sicut fui cum Moyse, ita et tecum sim : quod qualiter verum sit, in Josue I, 5.
primo articulo diffuse expositum est. Sed

Digitized by Google

his objici potest : Dominus enim incepit A Josue exaltare, quando Moysi revelavit, quod ipse Josue succederet ei in principatu; deinde exaltavit eum per Moysen, quando Moyses hoc ipsum populo recitavit ; et tertio magis, quando post mortem Moysis præfecit eum populo Israel universo. Quomodo ergo nunc cœpit eum exaltare? Et respondendum, quod istud intelligendum est de exaltatione facta per signum exterius miraculosum, sensibile, atque de manifestatione exaltationis prælaticæ prius collatæ : sicut et Christus post suam re- B surrectionem locutus est, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : quæ tamen jam ante ei fuit donata. De Samaritanis quoque in Actibus fertur, quod Spiritus Sanctus nondum venit in quemquam illorum, puta per signum sensibile. Invisibiliter tamen venit ante in eos, quando a Philippo diacono baptizabantur.

Num. XXVII, 18-20. Ibid. 23. Josue I, 1-9. Matth. XXVIII, 18. Act. VIII, 16. Ibid. 12.

Tu autem præcipe sacerdotibus qui portant arcam fœderis, et dic eis : Quum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea. Circa hoc scribit Lyra : Dicunt He- C bræi, quod sacerdotes steterunt in Jordane prope ripam, per quam ingrediebantur, quousque totus populus pertransivit. Quod reprobat Lyra, quoniam infra habetur, quod stabant in medio Jordanis. Verumtamen quidquid de veritate sit hujus dicti, hæc reprobatio non convincit. Dicitur enim aliquid esse in medio, non solum quoniam æque distat ab utroque extremo, sed etiam quoniam inter duo extrema consistit, quemadmodum in Ezechiele fertur de Tyro, Siccatio sagenarum erit in medio maris. Ipsa- D que Tyrus in corde et in medio maris sita fuisse in Prophetis describitur. Imo talis modus loquendi, frequens est in Scripturis. Præterea, quod sacerdotes steterunt cum arca non longe a ripa, videtur ex eo quod paulo post legitur : Quum posuerint sacerdotes vestigia pedum suorum in aquis Jordanis, aquæ inferiores decurrent atque deficient. Itemque : Ingressis eis Jordanem, pedibus eorum in parte aquæ tinctis, steterunt aquæ, etc.

Ezech. XXVI, 5. Ibid. XXVII, 4, 32.

Dixitque Josue ad filios Israel : Accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri. Dicunt quidam quod Josue dixit verba ista principibus populi, non populo toti, quoniam totus populus non potuisset verba ejus audire. Sed istud non videtur textui consonare, quoniam evidenter affirmat, quod dixit ista generaliter ad filios Israel : quos et ideo convocavit, ut omnes, quantum fieri potuit, eum audirent. Quemadmodum autem Aaron frequenter loquebatur ad populum universum, ita et Josue omnibus poterat loqui : multique, dum congregantur, in satis parvo stant loco. Imo et Dominus vocem Josue potuit confortare. *In hoc, inquit, scietis quod Dominus Deus vivens,* qui essentialiter vivens est, et ipsa pura et actualissima vita, *in medio vestri est,* id est in cordibus vestris per gratiam, seu paratus est vobis adsistere, *et disperdet in conspectu vestro Chananæum, et Hethæum, Hevæum, et Pherezæum, Gergesæum quoque et Jebusæum, et Amorrhæum,* tradendo eos in manus vestras, aut aliter occidendo, ut infra in textu habetur. *Ecce arca fœderis Domini antecedet vos per Jordanem :* hoc est, per hoc opus supernaturale scietis quod dico, secundum quod causa per effectum suum cognoscitur. *Parate duodecim viros de* duodecim *tribubus Israel, singulos per singulas tribus :* id est, de qualibet tribu Israel eligite unum virum, ut duodecim viri illi tollant Josue IV, 3.
de medio Jordanis desiccati duodecim saxa, ut in sequenti recitatur capitulo.

Et quum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes, qui portant arcam fœderis Domini Dei universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, hoc est, quæ infra eorum pedes exstiterunt, *decurrent* inferius more solito, *atque deficient,* id est, ultra non operient fundum Jordanis per spatium competens ; *quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent,* ascendendo in altum, ut infra habetur. *Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat,* hoc est, usque ad ripas fuit aquis impletus, ut moris est ei tempore messis

Digitized by Google

triticeæ. Circa quod dicit quidam : Non potest intelligi, quod tunc grana communiter colligebantur, quia decima die mensis primi transierunt Jordanem. Sed contra hoc videtur, quod ait Glossa : quod tunc messis fuit, incredibile videtur regionibus nostris ; ibi autem, ut perhibent qui noverunt, in principio veris, est tritici messis. Et ista glossa ex verbis Augustini videtur sumpta. Porro quod Jordanis tunc redundet, impleaturque aquis, patet per illud quod in Ecclesiastico fertur de Salomone : Qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis. *Steterunt aquæ Jordanis,* videlicet quæ venerunt a loco et situ altiori, loco in quo sacerdotes steterunt, *descendentes in loco uno, et instar montis intumescentes, apparebant procul ab urbe quæ vocatur Adom, usque ad locum Sarthan. Quæ autem inferiores erant, in mare Solitudinis, quod nunc vocatur Mortuum, descenderunt.* Lacus ille vocatur mare, juxta proprietatem linguæ Hebrææ, qua quæcumque grandis aquarum collectio mare vocatur. Vocatur quoque mare Solitudinis, ratione situs, quum sit juxta desertum Sin. Vocatur insuper mare Mortuum, quoniam propter spissitudinem et immunditiam aquarum suarum, pisces in eo vivere nequeunt. Est item maxime amarum et salsum, propter quod mare Salsissimum appellatur. Sed et vestes in eo magis macularentur, quam purgarentur. De hoc mari in Genesi dictum est ; de quo et Philosophus secundo Meteororum locutus est ; per quem lacum currit Jordanis. Aquæ autem inferiores decurrebant, *quousque omnino deficerent* ab intuitu atque præsentia populi Israel.

Eccli. xxiv, 36. — Gen. xiv, 3.

Populus autem incedebat contra Jordanem. Ambulabant enim filii Israel in medio fundi Jordanis per latitudinem ejus. Sicque a latere fuit eis aqua Jordanis elevata in altum, et ex opposito eis ad latus. Denique secundum Magistrum in historiis, Mulieres ac parvuli pergebant in medio inter viros, quia secundum Josephum, metuebant, ne vim in flumine paterentur. Levitæ quoque sequebantur sacerdotes, et portabant tabernaculum ac vasa ipsius ; et filii Ruben ac Gad et media tribus Manasse, omnes alios præcesserunt armati, secundum quod Moysi promiserunt. Postremo et hoc fuit mirabile, quod fundus Jordanis fuit repente ita siccatus, quod durus ac permeabilis, non lutosus, tunc fuit.

Num. xxxii, 31, 32.

Circa hæc quæri potest, cur supersapientissimus Deus aliter divisit mare Rubrum, aliterque Jordanem. Siquidem mare ita divisit, quod aquæ erant pergentibus per fundum siccatum quasi muri ab utraque parte. Ad hoc aliquis dicere posset : Quis consiliarius ejus fuit ? Attamen ad litteram dici posset, quod Deus omnipotens et excelsus voluit omnipotentiam suam in aquis diversimode demonstrare. Potest et mystica ratio dari, quæ sequenti tangetur articulo.

Exod. xiv, 22. — Is. xl, 13; Rom. xi, 34.

ARTICULUS VI

DE SPIRITUALI HUJUS TERTII CAPITULI SENSU.

IGITUR *Josue de nocte consurgens, movit castra :* id est, Dominus et Salvator humanam naturam assumens, et incarnatus, in publicum veniens, dum nox ignorantiæ et peccati in mundo prævaluit, sua prædicatione, suisque miraculis, virtutibus et exemplis corda hominum ad pœnitentiam excitavit, dicendo : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. *Egredientesque de Setim, venerunt ad Jordanem*

Matth. iv, 17.

Digitized by Google

ipse et omnes filii Israel. Setim interpretatur spina. Per quod remorsus conscientiæ et vitiorum punctura signantur. Christus itaque sibi omnes obtemperantes, a conscientia prava et vitiorum mordacitate, ad humilitatis descensum gratiamque Baptismi, quæ per Jordanem significantur, perduxit. *Et morati sunt ibi per tres dies.* Docuit enim Dominus Jesus universos se comitantes, contritioni cordis, confessioni oris, et operibus satisfactionis insistere, atque de statu incipientium ad statum proficientium, de statu quoque proficientium ad statum ascendere perfectorum.

Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium, et clamare cœperunt. (Matth. x, 5.) Isti præcones fuerunt duodecim Apostoli, (Luc. x, 1.) et septuaginta discipuli a Christo ad prædicandum directi, qui per populos Judæorum ac Paganorum pergentes, evangelizarunt. *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri et sacerdotes portantes eam, consurgite, et sequimini præcedentes.* Per arcam fœderis Dei, intelligitur (Rom. v, 10.) humanitas Christi, per quam mundus reconciliatus est Deo : quam sacerdotes et prædicatores in cordibus suis per fidem et caritatem [portaverunt], atque per prædicationis obsequium obtulerunt longe ac late ad alios, sicut de Paulo apostolo dixit (Act. ix, 15.) Salvator, Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram regibus et gentibus et filiis Israel. Præceperunt ergo Apostoli, ut vulgares ac subditi imitarentur doctrinam virtuososque actus sacerdotum et superiorum suorum. *Sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium.* Necesse est enim, ut universi credentes, præsertim inferiores ac laici, fateantur se a Christi hominis perfectione, tam contemplativa quam activa, remotissime distare atque deficere; nec ejus incarnationis mysterium præsumant discutere, ut procul per humilem fidem adspiciant Christum, et viam salutis agnoscant, de qua ipse testatur : (Matth. vii, 14; xix, 17. Joann. xiv, 6; xii, 26.) Arcta est via quæ ducit ad vitam. Et : Si vis intrare ad vitam, serva mandata. Itemque : Ego sum via, veritas et vita. Et : Qui mihi ministrat, me sequatur. *Et cavete ne appropinquetis ad arcam :* hoc est, Christi mysteria et incomprehensibilia fidei suæ testimonia, præsertim deitatem ipsius, non præsumatis irreverenter scrutari, aut in hac vita comprehendere velle. (Exod. xix, 13; Hebr. xii, 20.) Nam si bestia tetigerit montem, lapidari præcipitur. (II Reg. vi, 6, 7.) Oza quoque qui tetigit arcam, percussus est. (I Reg. vi, 19.) Imo Bethsamitæ qui eam viderunt, cæsi sunt plaga magna vehementer, ut primo libro Regum describitur.

Dixitque Josue ad populum : Sanctificamini. Hoc Christus omnibus prædicavit, quando per se et suos Apostolos invitavit homines ad sui Baptismi susceptionem. *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* Vere mirabilia fecit Deus Trinitas in universis credentibus, quando per Christi Baptismum contulit eis omnium remissionem peccaminum. Quod et sublimiter fecit, quando post Christi ascensionem misit Deus Pater in signo visibili Spiritum Sanctum in baptizatos. *Et ait ad sacerdotes : Tollite arcam, et præcedite populum.* Christus quippe suis jussit discipulis, (Matth. x, passim.) ut suæ humanitatis mysteria, evangelicam sapientiam et crucis vexillum omnibus annuntiarent, et viam salutis, docendo ac conversando, imo et mortem pro fidei veritate fortissime sustinendo, monstrarent : qui totum hoc fidelissime impleverunt.

Dixitque Dominus ad Josue : Hodie incipiam exaltare te coram omni populo *Israel.* Deus Pater ab exordio incarnationis et nativitatis Christi, eum multipliciter exaltavit, prout Evangelistæ testantur. Verum post resurrectionem, in die Pentecostes (Act. ii, 1, 3, 4, 6.) eum præcipue exaltavit, mittendo Spiritum Sanctum in igneis linguis super Apostolos, ceterosque exsistentes cum eis : quos et omnium linguarum ac Scripturarum implevit notitia, omnique dono Spiritus Sancti et excellentissima gratia : per quos et eodem die diversa peregit magnalia, ita quod multa millia filiorum Israel (Ibid. 41.) veraciter cognoverunt Deum fuisse cum Jesu, sicut fuit cum Moyse, imo incomparabiliter excellentius. Unde et credide-

Digitized by Google

runt in eum, quem paulo ante crucifixerunt, secundum quod eis ante passionem suam prædixit : Quum exaltaveritis, id est, in cruce suspenderitis, Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. *Tu autem præcipe sacerdotibus : Quum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea :* id est, quum virtutem gratiamque Baptismi prædicare cœperitis, stabiliter in hac perseverate doctrina, non formidantes eos qui corpus occidunt. *In hoc, inquit, scietis quod Dominus Deus in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum, et Hethæum, Hevæum,* etc., quia per hanc Baptismatis gratiam fideliter scimus, quam gratiose nobiscum egerit Deus, et quod in medio Ecclesiæ commoretur, quod item invisibiles hostes animarum nostrarum et acies vitiorum evidenter dejiciat et expellat a nobis.

Joann. XIII, 28. — Matth. X, 28.

Ecce arca fœderis Domini antecedet vos per Jordanem. Christus equidem propter nos baptizari dignatus est in Jordane, tactu suæ sanctissimæ carnis consecrans, regenerativamque vim tribuens aquis, exemplum quoque suscipiendi Baptisma relinquens. *Et quum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient.* Per illam Jordanis divisionem signatum est, quod aqua Baptismatis omnibus patet, et omnes intra se suscipit. Quod autem Deus Jordanem ita divisit, ut dictum est, videlicet quod aquæ ejus desuper venientes congregabantur in unam molem, quæ instar altissimæ turris intumescebant ; inferiores vero aquæ omnino defluxerunt : hoc præfiguravit, quod quidam baptizatorum a gratia in Baptismo data deficiunt atque pereffluunt, et in vitiorum amaritudinem convertuntur, ac corpori incorporantur diaboli. Electi vero collatam custodiunt gratiam, et per caritatem unum sunt mysticum corpus Christi, sed et per contemplationis gratiam elevantur ad summum.

Ibid. III, 13. — I Cor. VI, 15.

Sacerdotes autem *stabant super siccam humum,* id est, Christo omnium salvatori et ejus immaculatissimæ carni tanquam fundamento firmissimo innitebantur. Christus enim est qui sacramentum Baptismi instituit, principaliterque baptizat.

Ibid. III, 11.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTI : QUIBUS TRANSGRESSIS, DIXIT DOMINUS.

NUNC magis determinate describitur, qualiter populus Israel pertransivit et exivit Jordanem. *Quibus transgressis,* id est, quum populares pertransissent Jordanem, *dixit Dominus ad Josue : Elige duodecim viros, singulos de singulis tribubus,* * id est de qualibet tribu unum. Præcedenti autem capitulo Josue ait ad filios Israel : Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus. Ex quo habetur, quod dedit populo commissionem, ut quælibet tribus unum eligeret ex se. Quod ergo nunc dicitur Josue viros duodecim elegisse, intelligendum est ideo dictum, quoniam electionem factam ab aliis, acceptavit, vel quia ejus auctoritate ac jussione a populo sunt electi. *Et præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides,* qui diu possint durare in memoriam hujus miraculi ; *quos ponetis in loco castrorum,* id est cuneorum vestrorum, *ubi fixeritis hac nocte tentoria,* id est, ubi nocte hanc diem sequente quiescetis.

* per singulas tribus — Josue III, 12.

Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, vel, ut aliqui libri habent, elegerant : illos enim elegit Josue,

Digitized by Google

A quos jam elegerant duodecim tribus, *singulos de singulis tribubus. Et ait ad eos : Ite ante arcam Domini Dei vestri,* id est, usque ad locum ubi stat arca accedite, *ad Jordanis medium,* id est ad locum illum Jordanis, qui est inter ejus extrema seu inter ripas ipsius medius ; *et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel :* id est, quilibet vestrum portet inde lapidem unum, ut sint in toto duodecim lapides, juxta numerum duodecim Patriarcharum
Gen. xxxv, 10. filiorum Jacob, qui alio nomine dictus est B Israel ; *ut sit signum inter vos,* id est, ut lapides isti reponantur et serventur pro memoriali et signo rememorativo rei præteritæ, scilicet miraculi hujus in Jordane jam facti. Ideo subditur : *Et quando interrogaverint vos filii vestri, cras,* id est tempore futuro, *dicentes : Quid sibi volunt isti lapides?* id est, quid designant ex institutione humana? et quare sic et hic positi sunt? *Respondebitis eis : Defecerunt aquæ Jordanis,* id est, naturali ac solito more fluere cessaverunt ad tempus, C et inferiores aquæ Jordanis descenderunt, quousque ab adspectu filiorum Israel sunt ablatæ ; *ante arcam fœderis Domini,* id est in præsentia ejus, *quum transiret eum,* id est, dum arca a sacerdotibus portabatur per fundum Jordanis siccati. *Idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel,* id est pro memoriali eorum, per quod admoneantur reminisci beneficiorum Dei, *usque in æternum,* id est per ævum seu usque in sæculum. Æternum namque frequenter pro quacumque dura- D tione longa accipitur. Unde et primo Re-
I Reg. xxvii, 12. gum libro Achis rex dixit de David : Erit mihi servus in sempiternum. Atque ut Josephus scribit, Ex lapidibus illis Josue fecit altare, super quod Deo sacrificavit, et Pascha cum populo celebravit.

Alios quoque lapides duodecim posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini. Hos duodecim lapides posuit Josue in Jordane, non propriis manibus : sed fortibus viris præcepit, ut acciperent lapides illos ex aliqua parte terræ in qua jacebant, et portarent eos usque ad locum ubi adhuc stabant sacerdotes cum arca. Erantque notabiliter magni, et fiebat ex eis quasi monticulus et tumulus tantus, quod apparuit super aquam, præsertim dum parva erat. Unde aliqui opinantur, quod sacratissimus Joannes Baptista demonstravit lapides illos, quum dixit Judæis : Potens est Deus de lapidibus istis Matth. iii, 9.
suscitare filios Abrahæ. Ex quo apparet, quod lapides illi non erant remote a ripa. Aliqui tamen dicunt, quod demonstravit lapides quos Josue fecit efferri. *Et sunt ibi usque in præsentem diem.* Hoc auctor libri hujus retulit ad tempus quo ista conscripsit ; sed an adhuc ibi sint, nescimus.

Sacerdotes autem qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur quæ præceperat Dominus Josue ut loqueretur ad populum, et dixerat ei Moyses : id est, sacerdotes illi tamdiu fixi stabant in fundo Jordanis arefacto, quod omnia implebantur, quæ Dominus jussit ipsi Josue loqui ad populum de modo eundi per fundum Jordanis, et de duodecim lapidum sublatione ex Jordanis fundo, aliorumque lapidum deportatione ad fundum illum, et quæ etiam Moyses adhuc vivens jusserat Josue. Ex quo sequi videtur, quod hæc eadem vel quædam eorum, etiam Moyses prædixerat Josue huic ; atque ut quidam hic scribit, Moyses saltem de transitu Jordanis prædixit Josue : quo concesso, stare non poterit, quod idem in expositione præcedentis capituli dixit ipsum Josue et filios Israel exspectasse tres dies Josue iii, 1.
super Jordanem, antequam iverunt per eum, quoniam Josue exspectavit revelationem de modo transeundi Jordanem, quæ facta fuit ei tertio die illo. Jam enim ex Moysis revelatione præscivit hoc.

Festinavitque populus et transivit per fundum Jordanis. Festinavit in eundo, non ex timore quod aqua caderet super eos, sed ne unus alteri tædiosam ingereret moram in pertranseundo, quoniam maximus

Digitized by Google

erat exercitus, et ne sacerdotes cogerentur A nimis diu stare in fundo Jordanis. *Quumque transissent omnes,* præter portitores arcæ, *transivit et arca Domini,* id est, portantes eam exierunt post alios cum arca de fundo Jordanis, ut infra plenius recitatur. *Sacerdotes quoque pergebant ante populum.* Nam postquam exierunt de fundo Jordanis, populum præcesserunt, sicut et ante introitum in Jordanem. *Filii quoque Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israel,* [*Num.* XXXII, 20 *et seq.*] etiam Jordane jam transito, B *sicut præceperat eis Moyses,* ut in Numeris habetur. *Et quadraginta pugnatorum millia per turmas et cuneos incedebant per plana atque campestria urbis Jericho.* Non est intelligendum, quod filii Ruben et Gad, ac media tribus Manasse non fuerint nisi quadraginta millia : imo soli filii Ruben, in [*Ibid.* XXVI, 7.] secunda numeratione erant quadraginta tria millia septingenti triginta, ut in Numeris vicesimo sexto habetur. Est igitur sensus, quod de omnium illorum numero tot millia pugnatorum pergebant per cam- C pestria Jericho ad incutiendum Jerichontinis pavorem.

In illo die magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum sicut timuerunt Moysen dum adhuc viveret : id est, per mirabilia illa facta in Jordane, juxta prænuntiationem ipsius Josue, Deus fecit ipsum Josue honorabilem ac metuendum, tanquam Dei amicum et servum ejus potentem, quatenus filii Israel ei cum filiali timore obedirent : subditi namque debent superiorem suum timere, magis ta- D men diligere ; sed timor filialis includit dilectionem. *Dixitque ad eum,* puta ad Josue : *Præcipe sacerdotibus qui portant arcam fœderis Domini, ut ascendant de Jordane,* id est, de loco quo stant, sequantur populum jam egressum usque ad ripam per quam plebs ascendit : quæ ripa fuit altior fundo Jordanis, idcirco tendendo ad eam, ascendebant. *Quumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et siccam humum calcare cœpissent,* id est, super ripam et terram siccam venissent, *reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant,* id est, moles illa aquarum cœpit descendere, et per fundum suum naturali modo decurrere. *Populus autem ascendit de Jordane decima die mensis primi,* videlicet Martii seu Aprilis, qui est primus mensis anni apud Hebræos, ut alibi plenius dictum est. *Et castrametati sunt in Galgalis,* id est in loco sic dicto : qui tamen paulo post ita vocatus est, ut infra dicetur. Ibi ergo proximo vespere fixerunt tentoria *contra orientalem plagam urbis Jericho.* Est enim locus ille inter Jericho et Jordanem, distans a Jericho per stadia decem, et quinquaginta stadiis a Jordane, ut in Scholastica fertur historia. In eodem quoque loco posuerunt tunc duodecim lapides de Jordane sublatos.

Quæ sequuntur in textu, planissima sunt. In quibus docet nos Scriptura, quod Deus fecit mirabilia illa in Jordane atque in mari Rubro, non solum propter filios Israel, sed item ut universi habitatores terræ addiscant fortissimam manum Domini, id est omnipotentiam Dei, ex supernaturalibus ejus effectibus, et timeant eum.

Juxta spiritualem intelligentiam, per hoc [**Sensus spiritualis.**] quod Josue post transitum Jordanis præcepit de fundo Jordanis duodecim lapides tolli, et inter filios Israel collocari, præfigurabatur, quod post Baptismum debeant prælati et prædicatores verbi Dei, baptizatis proponere exempla et documenta firmissima duodecim Apostolorum, quæ in medio Ecclesiarum sunt conservanda. Unde in Actibus fertur Apostolorum, quod Paulus et Barnabas docuerunt Ecclesias gentium servare præcepta et traditiones [*Act.* XV, 41.] Apostolorum et seniorum. Ipsis quoque duodecim Apostolis jussit Christus, ut de Jordane tollerent duodecim lapides, id est, de libris duodecim Prophetarum, vel de quinque libris Moysis, et quatuor libris Prophetarum majorum, ac tribus Salomonis voluminibus, acciperent apta testimonia ac doctrinas pro eruditione populi

Digitized by Google

christiani. Quumque ineruditi et simplices interrogaverint, quid sibi velint hujusmodi allegationes ac doctrinæ ex lege et Prophetis sumptæ : dicendum est, quod patres primi nostri transierunt Jordanem, id est, in Christo baptizati sunt, et evangelicæ legi fidem adhibuerunt, idcirco pro confirmatione et instructione eorum in fide et moribus, introducta sunt illa.

Festinavitque populus et transivit. Circa quod loquitur Origenes : Non otiose additum mihi videtur a Spiritu Sancto, quod dictum est, Festinavitque populus : quia, ut arbitror, nobis quoque festinandum est, ut omnia celeriter transeamus. Transire, est præcepta implere. Quumque omnia ad salutem spectantia non segniter nec remisse, sed cum omni instantia et celeritate exsecuti fuerimus, hoc est cum festinatione transire Jordanem. Quo facto, rursus nobis diligentiæ et cautelæ cura succedit, ne improviso aliquo lapsu effundantur gressus nostri. Non enim remissior sollicitudo nobis inesse debet ad conservandum, quam ad acquirendum virtutes. Non putemus, quod in hereditatem cœlestem per otium et negligentiam oscitantes et dormientes intrare possimus. Hæc sententialiter Origenes.

Amplius, per filios Ruben, Gad et Manasse, qui armati et accincti filios Israel præcesserunt, intelliguntur sancti Prophetæ veteris Testamenti, qui suis vaticiniis atque virtutibus et doctrinis pugnant pro nobis, et roborant nos in fide, ac nostræ salutis æmulos superant et expugnant. O quam armatus propugnator et præcinctus pugil noster est Isaias, David quoque et Daniel, ac ceteri vates electi !

ARTICULUS VIII

DECLARATIO CAPITULI QUINTI : POSTQUAM ERGO AUDIERUNT OMNES REGES AMORRHÆORUM.

CONSEQUENTER describitur, qualiter populus Israel aptatus est ad obtinendum terram sibi promissam per quorumdam divinorum observantiam præceptorum, videlicet circumcisionis et Paschæ. *Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam...* Textus difficultatem non habet. Quum etenim hi reges cognovissent, qualiter Deus siccasset fundum Jordanis, et mirabilia in Jordane facta audissent, *dissolutum est cor eorum* præ timore, *et non remansit in eis spiritus,* id est vigor animi, *timentium introitum filiorum Israel.* Quod ait, Timentium, refertur ad pronomen Eorum. Itaque cor eorum ita timentium, dissolutum est. Per Magnum quoque mare intelligitur hic non mare Oceanum, sed Mediterraneum, cujus supra jam meminimus plenius. [*Josue* I, 4.]

Eo tempore ait Dominus ad Josue, scilicet post transitum Jordanis : *Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel.* Non propriis manibus fecit Josue illam circumcisionem, sicut nec cultros, sed per manus aliorum utrumque, ut reor, fieri jussit ; et quod Dominus ait, Fac tibi, exponitur, Ad tuum profectum. Josue namque, obediendo Deo in his, profecit in gratia et salute. Circa hæc quæritur, an cultri illi fuerunt vere lapidei : quod sic probatur ex textu. Oppositum videtur, quia ut in Scholastica fertur historia, Hebræus habet, pro cultris lapideis, Novaculas acutas. Lyra asserit : Hebræi dicunt, Novaculas acutas. Ad istud respondeo, quod res ista facit me admirari. Non enim capere valeo, quod S. Hieronymus in passu isto tam ponderoso, ab Hebraica veritate recesserit, aut aliter quam Hebraica veritas

Digitized by Google

habet, transtulerit. Ideo credo quod cultelli illi fuerunt revera lapidei. Nam et translatio Septuaginta sic habet, Fac tibi ipsi cultros de petra. Origenes quoque et Augustinus sic tenent. Sed et Magister Sententiarum ex verbis Sanctorum, libro quarto, distinctione 1, breviter tangit mysticam causam, cur circumcisio ista facta sub Josue, per cultellos lapideos sit peracta : videlicet quia significat circumcisionem illam consummatam, qua electi in resurrectione finali per petram Christum ab omni imperfectione et superfluitate eripientur. Denique Thomas, Albertus et cuncti doctores scholastici, super quartum sic tenent ; imo et Ecclesia quæ non errat. Hoc interea penso, quod nec auctor Scholasticæ historiæ, neque Lyra, dicit Hebraicam veritatem habere, Novaculas acutas, sed quod Hebræi sic dicunt vel habent, quamvis hoc forte videatur redire in idem. An ergo diversitas ista ex æquivocatione dictionum, an ex corruptione textus, per posteriores Judæos facta, aut alia contigerit causa, ignoro.

Rursus circa hæc quæri potest, an cultellus lapideus fuit de necessitate circumcisionis. Ad hoc sanctus Doctor super quartum, distinctione 1, respondet : Sacramentum quod est signum et causa, efficit quod figurat : ideo illa significatio est de necessitate sacramenti, quæ ad effectum sacramenti refertur ; non autem illa, quæ refertur ad causam principalem effectus, sed est de bene esse ipsius. Cultellus vero lapideus non est de necessitate incisionis, per quam significat circumcisio suum effectum, scilicet purgationem originalis peccati ; sed habet aliquam similitudinem ad causam principalem meritoriam remissionis originalis culpæ, scilicet Christum. Idcirco culter lapideus non fuit de necessitate circumcisionis, nec quantum ad obligationem præcepti, nec quantum ad efficaciam sacramenti : quod ritus Judæorum usque hodie ostendit, quia videlicet in circumcisione non utuntur cultello lapideo. Sed in principalibus circumcisionibus, quibus A Christum significari oportebat, tale instrumentum adhibitum est. Hæc Thomas. Quibus addi potest, quod in Genesi (ubi circumcisio legitur instituta) nulla fit mentio de cultello lapideo. Porro per principales circumcisiones, quibus significatus est Christus, intelligit Thomas istam sub Josue factam, et eam de qua in Exodo habetur, qua circumcisus est Moysis filius. *Gen.* XVII, 10-14. *Exod.* IV, 25.

Et circumcide secundo filios Israel. Circa hoc loquitur Origenes : Vellem percontari Judæos, quomodo possit quis secundo B circumcidi circumcisione carnali. Verumtamen ad istud possent respondere Judæi, quia hæc quæstio videtur ex inepto intellectu Scripturæ hujus procedere. Non enim sensus est, quod Deus jussit eosdem numero, circumcidi secundo seu altera vice ; sed quod filios Israel jussit circumcidi secundo eosdem in specie, ut ad diversos numero, referatur duplex circumcisio illa. Sæpe etenim Scriptura loquitur de diversis, quasi de eisdem, quoniam in eodem numero continentur diversa supposita. Un- C de est illud : Quum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. Nempe qui occidebantur, non veniebant ad Deum diluculo. Hinc asserit Augustinus : Unus et idem homo bis circumcidendus non erat ; sed quoniam unus populus erat, in quibusdam circumcisus, in quibusdam non circumcisus, ideo dictum est Iterum, ut circumcisus iterum circumcideretur, non homo, sed populus. *Ps.* LXXVII, 34.

Præterea alia difficultas occurrit. Constat enim, quod ante hanc circumcisionem D multæ factæ sint circumcisiones in populo Hebræorum a tempore Abrahæ : cur ergo nunc dicitur, Circumcide filios Israel secundo ? Respondetur, quod nunc sermo est de circumcisione solenni, vel solum de populo qui exiit de Ægypto, posterisque eorum qui erant sub Josue. Et si intelligatur de circumcisione solenni, oritur quæstio, respectu cujus circumcisionis præcedentis, solennis ista dicatur secunda. Quocirca recitat Lyra opinionem Hebræorum, dicentium quod ista vocatur secunda, respectu *Gen.* XVII, 23-27; *Exod.* XII, 44, 48; *Lev.* XII, 3.

Digitized by Google

circumcisionis factæ in Ægypto ea nocte, qua Deus primogenita Ægyptiorum percussit, in qua nocte dicunt multos Hebræorum circumcisos fuisse : quam opinionem reprobat Lyra, quoniam ex Scriptura auctoritatem non habet, et quoniam circumcisio illa fecisset filios Israel ineptos et impotentes ad egrediendum de terra Ægypti propter circumcisionis recentem dolorem. Eadem enim nocte exierunt Ægyptum, ut in Exodo legitur. Hinc Lyra affirmat, quod circumcisio ista nominatur secunda, respectu ejus quam Abraham fecit, se ipsum et omnes suos domesticos circumcidens, ut in Genesi recitatur. Idem dicunt quidam expositores. Verumtamen istud non videtur textui consonare, nec dictis Sanctorum. Nam Dominus ait in textu ad Josue : Circumcide filios Israel secundo. Abraham autem non circumcidit filios Israel : imo in illa circumcisione, de qua in Genesi fertur, quod circumcidit se et suos domesticos, Isaac nondum exstitit natus. Præterea (sicut nunc tactum est) B. Augustinus testatur hanc duplicem circumcisionem ad eumdem populum referendam. Populus autem Judæorum non fuit circumcisus ab Abraham. Idcirco juxta ea quæ infra in isto habentur capitulo, respondendum, quod circumcisio hæc vocatur secunda respectu ejus quæ facta est in Ægypto : non tamen in nocte qua primogenita sunt percussa, sed ante. Constat enim, quod Hebræi in Ægypto fuerunt negligentes in observantia præcepti circumcisionis. Unde quum Moyses eis jussisset tollere agnum paschalem decima die mensis primi, et eumdem comedere quartadecima die mensis ejusdem ad vesperam, hoc quoque jussisset ut nemo nisi circumcisus ad esum agni illius admitteretur : valde probabile est, quod Judæi nondum circumcisi, circumcidebantur, et hoc fiebat per dies satis multos ante eorum exitum de Ægypto ; sicque respectu illius circumcisionis, ista vocatur secunda : quod et Rabbi Paulus affirmat. Imo circumcisio ista potest dici secunda, respectu totius

Exod. XII, 29. — *Ibid.* 42. — *Gen.* XVII, 23-27. — *Ibid.* 24; XXI, 4, 5. — *Exod.* XII, 3, 6, 44, 48.

A circumcisionis omnium ex Ægypto eductorum, et ante in ea circumcisorum.

Præterea, quemadmodum tangit Augustinus, quidam hæretici dicebant, baptizatos semel, rebaptizandos, argumentum sumentes ex hoc loco, quod Dominus jussit filios Israel circumcidi secundo, quum tamen non sit hoc de eisdem numero intelligendum.

Sic itaque Josue circumcidit eos secundo, *in colle Præputiorum,* id est in colle quodam et circa collem, qui ratione hu-

B jus circumcisionis ibi factæ, vocatus est collis Præputiorum, quæ scilicet ibi abscisa sunt. *Hæc autem est causa secundæ circumcisionis,* quæ sub Josue facta est : *Omnis populus qui egressus est ex Ægypto generis masculini,* videlicet *universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus,* prout in libro Numerorum et Deuteronomio patet : quod intelligendum est de viris, puta de his qui in prima numeratione sunt numerati, demptis tamen Caleb et Josue, atque Levitis,

C qui non erant numerati a vicesimo anno, sed ab uno mense, ut in Numeris dictum est ; *qui omnes circumcisi erant* in Ægypto. *Populus autem qui natus est in deserto per quadraginta annos in itinere latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit donec consumerentur,* id est, in solitudine morerentur. *Qui non audierant vocem Domini,* id est, promissionibus Dei non crediderunt, sed post reditum duodecim exploratorum dixerunt : Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram

D hanc, ne cadamus gladio. Et rursus : Constituamus nobis ducem, et redeamus in Ægyptum. *Et quibus ante juraverat ut ostenderet eis terram lacte et melle manantem.* Illis enim ante per Moysen promisit cum juramento, quod daret eis terram promissionis : quæ promissio fuit intelligenda cum conditione implicita, utpote nisi demererentur.

Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue, quia sicut nati fuerant, in præputio erant. Di-

Num. XI, 1, 33; XIV, 29; XVI, 32, 35, 49; XXV, 9. *Deut.* I, 44. — *Num.* XIV, 30; XXVI, 62. — *Ibid.* XIV, 3, 4. — *Exod.* VI, 7, 8.

Digitized by Google

cunt autem doctores communiter, quod ex divina dispensatione circumcisi non sunt in deserto, propter incertitudinem motus castrorum seu progressionis. Nam juxta motum nubis progrediebantur, et fuit eis incertum quando columna nubis procederet : ideo fuisset periculosum circumcidi, quoniam noviter circumcisi, inepti et impotentes fuissent ad procedendum. Damascenus autem libro quarto, et multi doctores super quartum, aliam causam assignant, dicentes, quod circumcisio data fuit in signum distinctivum Israelis a gentibus, et quoniam filii Israel in solitudine satis distincti erant et separati a ceteris nationibus, non oportuit eos circumcidi ibidem. Porro hæc ratio esset conveniens, si circumcisio data fuisset Hebræis solum in distinctionem, et non etiam in purgationem ab originali. Verumtamen Augustinus testatur, quod quidam ex filiis Israel manserunt in deserto incircumcisi ex contemptu suorum parentum, quia inobedientes fuerunt legi Dei. In Scholastica vero historia legitur : Quidam manserunt ibi incircumcisi ex mandato Dei, alii ex parentum suorum negligentia, alii ex parentum cautela, ne forte eis circumcisis, attolleretur mox nubes, et necesse haberent progredi, et sic periclitarentur parvuli circumcisi. *Postquam autem circumcisi sunt omnes, manserunt in eodem castrorum,* id est tentoriorum et cuneorum suorum *loco, donec sanarentur* a vulnere et dolore circumcisionis.

Num. IX. 17-23.

Dixitque Dominus ad Josue : Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Per opprobrium Ægypti, intelligi potest ipsa præputii caro, quam Hebræi reputabant ipsis Ægyptiis, et ceteris incircumcisis opprobriosam, quos et tanquam incircumcisos spernebant, quemadmodum Christiani juste despiciunt non baptizatos ut tales. Circa hæc scribit quidam : Locus iste dupliciter exponitur ab expositoribus nostris. Primo, ut accipiatur opprobrium Ægypti passive, quod scilicet sustinuerunt Ægyptii ab Hebræis exprobrantibus, quod erant incircumcisi. Quam expositionem reprobat, dicens : Hoc non videtur rationabiliter dictum, quoniam filii Israel in Ægypto erant subjecti et in maxima servitute, ideo non est verisimile, quod Ægyptiis exprobrarent. Ad quod dico, quod expositio ista Catholicorum est bona, nec valet ista objectio, quoniam multo tempore fuerunt Hebræi in magna libertate et reverentia apud Ægyptios, scilicet tempore Joseph et postea diu, sicut in Exodo expositum est. Sufficit quoque ad veritatem expositionis istius, quod filii Israel reputabant Ægyptiis præputium ignominiosum. — Deinde subjungit : Alio modo exponunt, accipiendo opprobrium Ægypti active, scilicet quod Ægyptii intulerant filiis Israel opprobrium servitutis : a quo licet liberati fuerunt in exitu de Ægypto, tamen ista libertas fuit declarata in terra promissionis. Unde et locus iste vocatus est Galgala, quod significat libertatem. Hanc quoque expositionem reprobat, dicens : Hoc non videtur bene dictum, quia ablatio opprobrii, videtur referri ad circumcisionem. Nec illa interpretatio Galgalæ, vera est : quia nec Remigius neque Hieronymus sic interpretantur hoc nomen. Ad hæc dico, quod hæc quoque expositio vera et apta est, quoniam filii Israel suscipiendo ex divino præcepto circumcisionem, meruerunt majori libertate et adoptione honorari et acceptari a Deo : et ita ablatio opprobrii, vere refertur ad circumcisionem tanquam ad meritoriam causam. Nec sequitur, Hieronymus et Remigius non ponunt illam Galgalæ interpretationem, ergo non est ponenda. Catholici quoque qui eam ponunt, non eam finxerunt, sed ab Hebræis potius acceperunt. — Deinde ponit expositionem Hebræorum, dicendo : Aliter exponitur secundum Hebræos, videlicet quod Ægyptii observantes constellationes, dixerunt Hebræis petentibus a Pharaone egrediendi licentiam : Miseri, quo vultis ire ? Ecce constellatio ostendit effusionem sanguinis vestri, si recedatis. Quum ergo in circumcisione facta per Jo-

Exod. I.

sue, fusus sit sanguis Hebræorum, non in opprobrium eorum, sed in honorem, in ea ablatum est opprobrium illud Ægypti. Ista expositio videtur inepta et ficta, nec ad propositum pertinens. Nam dato quod Ægyptii astrologi dixissent Hebræis verba præfata, tamen illi Hebræi jam in solitudine obierunt; et circumcisi sub Josue, in solitudine, non in Ægypto, sunt nati, sicut jam patuit. Denique multa millia Hebræorum de Ægypto egressorum, gladio, igne et aliis modis in deserto occisa sunt : sicque in illis fuisset opprobrium Ægypti impletum. Amplius, dato quod Ægyptii illa dixissent, non tamen illorum intentio fuit loqui de tali spontanea sanguinis effusione cito curabili, sed de effusione sanguinis letali ac violenta : sicque illud opprobrium abstulisset Deus a filiis Israel, præservando eos ab omni læsione et trucidatione.

Exod. XXXII, 28; *Num.* XVI, 32, 35, 49; XXV, 9.

Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem. Galgala, secundum Hieronymum, interpretatur, sancti revelatio, et secundum alios quosdam, libertas. Ibi enim manifestata est et aucta Hebræorum libertas a servitute Ægyptiorum ac vitiorum, et illuminati sunt ibi ac sanctificati. *Manseruntque filii Israel in Galgalis,* id est in loco præfato. Galgala autem quandoque indeclinabiliter sumitur, interdum declinatur. Ibi ergo manserunt usque ad circumcisorum curationem. *Et fecerunt Phase,* id est solennitatem paschalem, offerendo et manducando agnum paschalem debito ritu, *quartadecima die mensis primi,* scilicet Martii, seu Aprilis secundum quosdam, qui mensis est primus mensis anni secundum Hebræos, *in campestribus Jericho :* sicut fecerunt primo Phase in Ægypto, egressu eorum instante circa Ramesse, ut in Exodo legitur; secundo ad radices montis Sinai, anno secundo egressionis ex Ægypto, ut in Numeris habetur. *Et comederunt de frugibus terræ* Chanaan, *die altero, et azymos panes,* id est panes non fermentatos, confectos ex fructibus terræ promissionis: nam talibus panibus tenebantur vesci durante

Exod. XII, 28, 37. *Num.* IX, 4, 5. *Exod.* XII, 15.

A festivitate paschali, ut in Exodo fertur; *et polentam ejusdem anni.* Secundum Magistrum in historiis, polenta est grana tosta et manibus confricata ad modum † granophili pilo tusi, et dicitur polenta quasi pilenta. Aliqui tamen dicunt, polentam esse pultes de farina purgatissima factas, et dictam polentam quasi pollentam, a polline, quod est purgatissima farina. Porro in solennitate paschali fiebat oblatio de granis novis de manipulo excussis. *Defecitque manna,* id est, ultra non pluit, *postquam* B *comederunt de frugibus terræ* Chanaan : quia ultra non indiguerunt manna ut ante, sed abundabant fructibus terræ promissæ.

Lev. XXIII, 10. *Exod.* XVI, 35.

Quum autem esset Josue in agro urbis Jericho, ad explorandum et considerandum qualiter urbs illa aptius caperetur; *levavit oculos, et vidit virum,* id est angelum in forma et specie viri, *stantem contra se,* id est ex opposito sui, quantum ad situm, et *evaginatum tenentem gladium,* tanquam paratum ad auxiliandum Hebræis. *Perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an ad-* C *versariorum,* id est, fautor et collega noster, an Chananæorum ? Putavit autem Josue quod homo esset. Nec angelus iste apparuit in tam terribili specie, sicut apparuit Danieli angelus Dei, ex cujus visione Daniel fuit tam vehementer perterritus. *Qui respondit : Nequaquam.* Quod quidam sic glossant : Supple, Sum adversarius. Alii vero exponunt : Nequaquam, id est, nec vester sum, nec adversariorum, quasi de natura vestræ speciei exsistens : quasi dicat, Non sum homo. *Sed sum princeps* D *exercitus Domini,* id est, angelica virtus sum, et de choro ac ordine Principatuum, præsidens toti populo Hebræorum, qui nunc per modum exercitus ordinate collectus est sub te principe suo terrestri, qui ejusdem es speciei cum eis, et vocatur exercitus Dei : tum quia per electionem et gratiam specialiter pertinebat ad Deum, tum quia electus fuit a Deo ad expugnandum adversarios Dei Chananæos ac alios; *et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram,* quoniam advertit quod angelus

Dan. X, 6, 8, 9.

Digitized by Google

esset, et forte cognovit quis erat ex universitate supernorum spirituum. Dicunt autem doctores catholici et Hebræi, quod Michael fuit, qui princeps exstitit Synagogæ, secundum quod Gabriel locutus est
Dan. x, 21. Danieli: Nemo, inquiens, est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. Et nunc venio, id est, præsto jam sum ad dandum tibi consilium atque auxilium. Unde et tunc docuit ipsum Josue de modo capiendi civitatem Jericho, et ut eam
Josue vi, 17. in toto faceret anathema, prout sequenti fertur capitulo.

Et adorans, ait. Adoravit angelum adoratione duliæ, atque per gratiam discretionis spirituum, ac instinctu divino cognovit, quod angelus bonus erat, non spiritus fallax : alias fuisset incautum, quod tam cito credidisset verbis apparentis. *Quid dominus meus loquitur ad servum suum?* Fuit enim Michael etiam princeps ipsius A Josue. *Solve, inquit, calceamentum de pedibus tuis,* id est, ambos pedes tuos discalcea et denuda propter reverentiam loci, imo ad Dei honorem in loco suo. Ideo subditur : *Locus enim in quo stas, sanctus est,* id est deputatus de cetero ad opera sancta, ut in eo commorentur veri Dei cultores ; et locus iste, qui hactenus exstitit inquinatus per idololatrias atque facinora Chananæorum, nunc sanctificatus est per angelicam istam præsentiam et allocutionem, imo per præsentiam Dei in
B angelo suo. Simile huic præcepit angelus *Exod.* iii, 5.
Moysi circa rubum. *Fecitque Josue, ut sibi fuerat imperatum* ab angelo. Postremo, qua hora facta sit apparitio ista, et an solus Josue angelum istum vidit, atque in quali habitu apparuerit angelus iste, textus non exprimit; sed ex circumstantia ejus apparet, quod in die, et certum, quod eo vigilante.

ARTICULUS IX

SPIRITUALIS EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI QUINTI.

POSTQUAM audierunt omnes reges Amorrhæorum, etc. Per reges Amorrhæorum et Chananæorum, intelliguntur
Ephes. vi, 12. principes tenebrarum ; qui habitant *trans Jordanem,* id est in vitio elationis, quod est extremum humilitati contrarium. Humilitas quippe per Jordanem, qui interpretatur descensus, signatur. *Et qui possidebant Magno mari loca propinqua.* Per Magnum mare, exprimitur amaritudo ac fluxus inquietudoque vitiorum. Loca vero propinqua huic mari, sunt corda instabilia, prona ad vanitates et iniquitates sæculi hujus : hæc loca possident dæmones. Sed postquam principes tenebrarum noverunt *quod Dominus siccasset fluenta Jordanis coram filiis Israel, donec transirent,* id est, fontem et aquas Baptismi aperuisset universis ho- C minibus, præsertim ad fidem electis, quousque per Baptismatis gratiam introirent Ecclesiam, incorporarenturque Christo ; *dissolutum est cor eorum :* tunc namque principes tenebrarum vehementer perterriti sunt, videntes se quotidie a vasis suis expelli, nec posse gratiæ Dei, quæ ubique terrarum diffundebatur, resistere.

Eo tempore ait Dominus ad Josue : Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel. Sic Deus Pater dixit ad Christum inter homines conversantem ac
D prædicantem, ut filios Israel semel corporaliter circumcisos, circumcideret spiritualiter altera vice cultro lapideo, id est acutissimo verbo suæ prædicationis et justæ correptionis. Unde verbum Dei, gla- *Ephes.* vi, 17.
dius spiritus appellatur. Sicque Christus

Digitized by Google

circumcidit electos ex Judaismo, non in uno dumtaxat membro, nec solum ab originali peccato, sed in toto corpore et cunctis viribus animæ, docens eos omnia membra sua exhibere arma justitiæ Deo, viresque animæ a vitiis cunctis purgare, atque virtutibus decorare. Nam dixit : Si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. Idem de manu jussit ac pede. Et iterum : Nisi pœnitentiam (inquit) egeritis, omnes similiter peribitis. De hac circumcisione ait et Jeremias : Circumcidite præputia cordium vestrorum. Denique Christus semel circumcisos in Baptismo, circumcidit secundo in Pœnitentiæ sacramento, quoniam omnia in confessione lavantur. Prælatus quoque filios Israel, id est fideles sibi commissos, circumcidere debet secundo, videlicet post recidivationem eorum, eosdem arguendo, increpando, obsecrando, instruendo et castigando.

Rom. VI, 13. *Matth.* XVIII, 9. 8. *Luc.* XIII, 3. *Jer.* IV, 4.

Postquam autem circumcisi sunt omnes, manserunt in eodem loco, donec sanarentur. Dum adulti Baptismum suscipiunt, aut confitentur et pœnitent, spiritualiter circumciduntur a vitiis, non tamen mox sanantur ex toto, quoniam manent in eis reliquiæ vitiorum, pronitas ad peccandum, infirmitas resistendi peccato. Boni ergo fideles dum Baptismi aut Pœnitentiæ gratiam sunt sortiti, manent in gratia illa virtutibusque infusis, proficiendo in eis, donec a vitiorum curentur reliquiis, et corroborentur in bonis. Tunc quoque aufert Deus ab eis Ægypti opprobrium, id est aspernabilem vanitatem et impietatem hominum mundanorum, caliginem vitiorum, et causam confusionis æternæ, ita quod carent his quæ exprobrari et improperari possunt Ægyptiis, puta mundanis hominibus, nec ipsi Ægyptii possent eis rationabiliter exprobrare. Unde oravit Vir sanctus : Aufer a me opprobrium et contemptum.

Ps. CXVIII, 22.

Et fecerunt Phase. Quemadmodum filii Israel circumcisi, corporaliterque curati, celebraverunt Pascha, et agnum comederunt paschalem ; sic Christifideles post Baptismi emundationem et curationem a reliquiis vitiorum, apti sunt ad Eucharistiæ sumptionem. Denique per triplex Pascha, ab Hebræis corporaliter observatum, potest intelligi triplex Pascha spiritualiter exhibendum. Pascha etenim transitus interpretatur. Itaque, per Pascha Judæorum in Ægypto exhibitum, potest intelligi transitus fidelium a vitiis ad virtutes et ad incipientium statum. Per Pascha autem circa montem Sinai celebratum, transitus Christianorum de statu incipientium ad statum proficientium de virtute in virtutem, de bono in melius. Porro, per Pascha factum in terra promissionis, intelligitur transitus de statu proficientium ad statum et gradum perfectorum, ut jugiter quæramus et apprehendamus meliora et viciniora saluti ; transitus quoque de via ad patriam. *Et comederunt de frugibus terræ die altero, et azymos panes.* Azymi panes, sunt spirituales refectiones et actiones virtutum, omni simulatione et dolo carentes, sicut ait ac monet Apostolus : Epulemur, non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Qui panes conficiuntur de frugibus terræ, quoniam ex habitu gratiæ gratum facientis, et semine verbi cœlestis procedunt hujusmodi actiones : quæ tamen immediate nascuntur ex virtuosis infusis habitibus. *Et polentam ejusdem anni.* Per polentam hanc, spiritualis consolatio anni gratiæ designatur. *Defecitque manna,* id est, typicus cibus Eucharistiæ cessat in evangelica lege. Per hoc tamen, quod manna defecit dum filii Israel de fructibus et panibus terræ Chanaan comederunt, signatum est, quod divinam et spiritualem consolationem meretur homo amittere, dum ad exteriora solatia vanaque gaudia se effundit.

Exod. XII, 11. *Ps.* LXXXIII, 8. *Hebr.* VI, 9. I *Petr.* II, 1. I *Cor.* V, 8.

Quum autem esset Josue in agro, etc. Per apparitionem illam angeli sancti, gladium in manu habentis, significatur, quod parata sunt nobis angelorum præsidia ad expugnandum invisibiles hostes. Dicuntque nobis angeli gloriosi per inspirationem in-

Digitized by Google

ternam, ut tollamus calceamenta de pedibus nostris, id est, opera mortua et terrena auferamus a cordium nostrorum affectibus, quoniam locus in quo stamus, terra est sancta. Ecclesia militans, locus est in quo stamus, in quo per fidem manemus, in quo est sanctificatio copiosa et sanctitas vera. Non ergo inhonoremus, nec inquinemus hunc locum.

Postremo, per triplicem cibum quo usi sunt filii Israel, triplex spiritualis alimonia figuratur. Tulerunt namque secum ex
Exod. XII, 34, 39. Ægypto farinam conspersam, ex qua panes B fecerunt, quibus ad tempus modicum parce refecti sunt : per quem cibum, refectio litteralis intelligentiæ, aut acquisitæ scientiæ, seu scholasticæ ac philosophicæ sapientiæ ad divina relatæ, datur intelligi. Secundo, sustentati sunt manna in solitu- *Exod.* XVI, 35.
dine : per quod allegoricus seu tropologicus sensus Scripturæ, et ejus refectio denotantur. Tertio sunt refecti fructibus terræ promissionis : per quod anagogici sensus refectio, Domini sapientiæ contemplatio, et futuræ prælibatio felicitatis intelliguntur. His ergo dignissimis refectionibus sustentari, impinguari, ac confirmari conemur.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : JERICHO AUTEM CLAUSA ERAT ATQUE MUNITA.

EXORDIUM captionis et eversionis urbium Chanaan trans Jordanem, capitulo C isto describitur; videlicet qualiter Jericho, filiis Israel transgressis Jordanem, directo itinere inter urbes primo occurrit. Describitur autem demolitio urbium, non villarum, quum tamen fortassis multæ villæ ante urbium devastationem dejectæ sint. *Jericho autem clausa erat atque munita* plus solito, prout urbes obsessæ solent muniri, *timore filiorum Israel, et nullus* civium ejus *egredi audebat* civitatem ad fugiendum, vel ad faciendum commoda sua, ne inciderent manus filiorum Israel, D qui in circuitu erant; *aut ingredi,* ad succurrendum habitatoribus Jericho, eadem ex causa.

Dixit Dominus per angelum *ad Josue : Ecce dedi in manus tuas Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros* habitantes in urbe, id est, jam decrevi eos tradere manibus tuis. Hocque tam certum est, quasi jam actualiter factum esset. *Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem.* Ex hoc elicitur, quod mulieres et pueri qui fuerunt infra vicesimum annum, non circuierunt urbem. *Sic facietis sex diebus,* circumeundo quotidie semel cum silentio. Et redierunt in castra seu tentoria sua. Atque, ut aliqui dicunt, prima circuitio fuit primo azymorum die, de quo præcedenti *Josue* V, 11.
est dictum capitulo; et aliæ circuitiones consequenter aliis azymorum diebus.

Septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas, quarum usus est in jubilæo. Septem enim sacerdotes acceperunt septem hujusmodi buccinas, scilicet quilibet unam. Habebant autem sacerdotes pacificas buccinas in solennitatibus, et bellicas in expeditionibus, quibus etiam utebantur et buccinabant in jubilæo. De buccinis his legitur in Numeris et in Levi- *Num.* X, 1-10;
tico atque in Psalmo : Buccinate in Neo- *Lev.* XXIII, 24; XXV, 9.
menia tuba in insigni die solennitatis *Ps.* LXXX, 4.
vestræ. *Et præcedant arcam fœderis* Domini, juxta eam eundo in ante. *Septies circuibitis civitatem septimo die, et sacerdotes* septem *clangent buccinis* bellicis septem, ut dictum est. Cœperunt autem diluculo circuire ac clangere. Hinc in Nu-

Digitized by Google

Num. x, 9. meris Dominus jussit : Si exieritis ad bellum contra hostes, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. *Quumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior,* id est magis confractus et interpolatus [clangor], *et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima.* Ex quo patet, quod etiam forsitan mulieres et parvuli in suis locis clamabant. Clamabant autem non irrationabiliter et confuse, sed devote ad Dominum, eum laudando et invocando. *Et muri funditus corruent civitatis,* non ex virtute clamoris, sed ex omnipotentia Dei per meritum vestræ devotionis : et hoc in septimo circuitu factum est.

Deinde describitur, qualiter Josue denuntiavit sacerdotibus ac populo ista jam tacta, sibi insinuata ab angelo, et planus est textus ex introductis. *Ad populum quoque ait,* puta ad viros : *Ite, et circuite civitatem armati præcedentes arcam Domini.* Hebræi (ut fertur) exponunt istud de filiis Ruben et Gad, ac mediæ tribus Manasse, sed non est putandum quod illi soli præcedebant arcam armati, quum infra dicatur quod omnis populus armatus præcessit arcam ; sed illi præcesserunt ceteras tribus quæ ante arcam iverunt. Promiserant enim duæ tribus illæ ac media, Moysi : *Num. xxxii, 17.* Nos ipsi armati præcedemus filios Israel. *Quumque Josue verba finisset, et septem sacerdotes buccinis clangerent, omnisque populus præcederet armatus*, reliquum vulgus arcam sequebatur.* Dicunt quidam, quod universi viri armati ante arcam transibant, et alii lassi seu impotentes ad prælium, aut non armati, retro arcam venerunt : et hoc littera videtur prætendere. Porro alii dicunt, quod tribus Dan cum duabus tribubus sibi adjunctis, quæ et in motione castrorum ibant post arcam, ultimo loco ad occidentalem plagam, etiamnunc arcam sequebantur; quod item ceteri minus apti, seu lassi et impotentes, associabant se eis. *Ac buccinis omnia concrepabant :* quia acutus et intensus ille septem

* *omnisque præcederet armatus exercitus*

A tubarum sonitus, aggregatus et permixtus, sic omnium Hebræorum aures implevit, ac si omnia elementa ac cetera sonitum emisissent tubarum.

Præcepit autem Josue populo, dicens : Non clamabitis, nec audietur vox vestra, nec ullus sermo egredietur ex ore vestro, donec veniat dies in quo dicam vobis, id est, cum omni silentio circuibitis, quousque vobis jubebo : *Clamate* corde per ferventem ad Deum amorem ac devotionem, *et vociferamini* ore Dominum invocando et B collaudando. Jussit itaque Josue, ut cum perfecto circuirent silentio, quatenus majorem ad Deum haberent devotionem, et cum omni reverentia, ordinatione, atque modestia arcam circumferentes coram Deo incederent. Quo innotescit, quam reprehensibiles sint Christiani, qui processiones et sacrorum deportationes faciunt indevote, fabulationibus, insolentiis, aut etiam comessationibus potationibusque vacando.

Circuivit ergo, id est circumferebatur, *arca Domini civitatem semel per diem.* C *Vulgus autem reliquum arcam sequebatur, et buccinis personabat.* Exterioribus et materialibus buccinis clangere, officium *Num. x, 8.* exstitit sacerdotum : quomodo ergo reliquum vulgus buccinis personabat, nisi vel buccinantibus sacerdotibus congaudendo, aut buccinarum sonitum percipiendo, quia (ut dictum est) omnia buccinis concrepabant, vel cordialiter jubilando ac concinendo ? *Quumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel : Vociferamini.* Circa hoc D scribit quidam : Non est verisimile quod tantus exercitus posset vocem Josue audire, maxime quoniam sacerdotes clangebant tubis : idcirco videtur, quod Dicere sumitur hic pro Denuntiare aliquo signo sensibili, puta elevatione vexilli, vel aliquo tali, quod a toto exercitu poterat videri. Istud apparentiam posset habere, si Josue solum dixisset, Vociferamini ; sed quia huic verbo longum adjunxit sermonem, ut patet in textu, quem non poterat aliquo exteriori hujusmodi signo populo

Digitized by Google

indicare, non videtur expositio illa vera. Subditur enim in textu immediate post hoc verbum, Vociferamini : *Tradidit enim Dominus vobis civitatem; sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino :* id est, ad Dei honorem, atque ad divinæ commendationem justitiæ, tota hæc urbs et omnia in ea viventia, sint quid prohibitum et maledictum, ita ut destruantur, et nemo inde aliquid accipiat sibi. *Sola autem Rahab meretrix vivat cum universis qui cum ea in domo sunt.* Hoc, speciali privilegio, Deo inspirante, et Josue dispensante, concessum est tam Rahab, quam domesticis ejus, propter beneficia quæ cum periculo suæ vitæ exhibuit exploratoribus Israel, et quia jam credere cœpit in Deum verum. Nec hoc fuit contra formalem intentionem præcepti dati a Deo de omnium interfectione Chananæorum. *Abscondit enim nuntios quos direximus.*

Josue II, 4 *et seq.*

Deut. XX, 13, 16, 17.

Vos autem cavete, ne de his quæ præcepta sunt vobis, quidpiam contingatis, id est, ne aliquid vobis ipsis usurpetis de his, quæ præcepi vobis non usurpare ad commoda vestra; *et sitis prævaricationis rei,* transgrediendo divinum præceptum, *et omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur,* id est, universi particulares cœtus, seu tribus ac populi Israel, incidant pœnam et inquietudinem pro hujusmodi culpa unius sive paucorum. Porro, qualiter istud non deroget, sed concordet divinæ justitiæ, quod pro excessu unius aut paucorum, tota communitas perturbetur et plurimi puniantur, infra dicetur, ubi comminatio hæc legitur adimpleta. *Quidquid autem auri et argenti fuerit et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur,* id est, ad ea quæ sunt necessaria divino cultui, applicetur, nec in humanos deveniat usus; *repositum in thesauris ejus,* id est, inter divitias sanctuarii seu tabernaculi reservatum. Quia enim hæc civitas prima capta et eversa est inter urbes, quæ trans Jordanem destructæ sunt, decuit divitias ejus istas inanimatas, non prædationi pugnantium, sed Domino qui speciali miraculo urbem dejecit, deputari. Itaque omne aurum, argentum, æs et ferrum, ac cetera metalla, ut plumbum, stannum, etc., vasa quoque et ornamenta, seu utensilia facta ex illis, atque numismata Jericho, consecrata sunt Domino, et ex eis facta sunt vasa seu instrumenta cultus divini. Omnia verba ista locutus est Josue ad omnem Israel; et merito quæritur, qualiter in tanta processione et multitudine poterat ab universis audiri. Ad quod poterit responderi, quod vel divina virtute hoc factum est, vel per se ipsum dixit aliquibus, et illi consequenter retulerunt et aliis. Potuit quoque disponere, quod durante sua locutione, cessavit clangor tubarum. Estque probabile, quod retulit ista principalioribus populi, et duodecim principibus tribuum, quorum unusquisque ultra denuntiavit hæc tribui suæ.

Josue VII.

Igitur omni vociferante populo, juxta sensum prætactum, *et clangentibus tubis, muri Jericho corruerunt* divina virtute : quæ ministerio angelorum sive bonorum sive malorum hoc fecit, ut creditur, quamvis solo imperio potuerit facere; *et ascendit unusquisque* Hebræorum *per locum qui contra se erat.* Ex hoc elicitur, quod civitas erat in loco alto constructa. *Ceperuntque civitatem,* non in arcu et gladio suo, sed a Deo traditam intraverunt, *et interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem* inclusive, *ab infante usque ad senes; boves quoque, oves et asinos,* imo et cetera pecora, scilicet equos, capras, camelos, etc., *in ore gladii percusserunt.* Verumtamen sicut in hujus libri calce legitur, Viri Jericho pugnaverunt contra filios Israel. Nam stabant in muris ac turribus ad repugnandum; sed muris ruentibus, sunt oppressi, nec ceteri resistere valuerunt. Denique strages illa fuit mirabiliter magna, tam hominum quam brutorum, quia de toto territorio plurimi confluxerunt in Jericho pro urbis defensione; et de victualibus sibi providerunt in longum, quoniam fuit urbs regalis, et primo occurrens ingressui Hebræorum. Un-

Deut. XX, 13.

Josue XXIV, 11.

Digitized by Google

Josue XXIV. 11. de infra fertur : Transistis Jordanem, et venistis Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis. Amorrhæus et Pherezæus et Chananæus et Hethæus et Gergesæus et Hevæus et Jebusæus.

Verumtamen crudele fortasse videri potest, II Cor. I, 3. quod Deus misericordiarum Dominus, jussit etiam infantes et mulieres ac adolescentulas atque jumenta occidi. Et respondendum, quod Deus justo judicio fecit hoc. Omnes enim adultæ ætatis ibidem, non solum temporalem, sed etiam infernalem mortem meruerunt et incurrerunt, quia per temporalia illa flagella non pœnituerunt. Cum parvulis autem nondum ratione utentibus misericorditer actum est, quod occisi sunt antequam peccare potuerunt : qui si ad ætatem venissent adultam, peccassent graviter et perissent. Jumenta vero in detestationem facinorum hominum sunt occisa. Præterea, quoniam urbs illa tam specialiter se armavit contra filios Israel, meruit tam specialiter destrui et occidi. Voluit quoque Deus in destructione urbis illius primo vastatæ, rigorem suæ justitiæ tam specialiter demonstrare, ad aliorum perterritionem Chananæorum, ut pœniterent et converterentur, pensantes se Deo Hebræorum, qui tot et tanta egit mirabilia, resistere non valere. Verumtamen præ nimia excæcatione et obstinatione Josue IX, 3-27. hoc non adverterunt, paucis (ut infra habetur) exceptis. Hinc demum, ut puto, Deus fecit filios Israel per septem dies ipsam Jericho circuire, quatenus exsistentes in ea, interim pœniterent, considerando Ibid. II, 9-11. ea quæ Rahab consideravit.

Duobus autem viris qui exploratores missi fuerant, dixit Josue : Ingredimini domum mulieris meretricis, et producite illam, et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis. Istud Josue jussit, et exploratores fecerunt ante interfectionem eorum qui erant in Jericho. Sed mirum, Ibid. II, 15. quod domus Rahab quæ muro civitatis hærebat, non cecidit, nec oppressa est ex muri ruina. Verum perfacile fuit Omnipotenti, domum illam a tali præservare de- A jectione. *Ingressique juvenes, eduxerunt Rahab et parentes ejus, fratres quoque et cunctam supellectilem et cognationem illius.* Ex hoc videtur falsa esse opinio Hebræorum, dicentium quod unus exploratorum illorum fuit Caleb, quoniam Caleb jam erat octogenarius. Unde et infra : Octoginta quinque, inquit, annorum sum hodie. Josue XIV. 10. Ad hoc quidam respondent, quod exploratores isti, juvenes nuncupantur non ratione ætatis, sed roboris et magnanimitatis. Aptius tamen dici (ni fallor) posset, B quod quidam juvenes simul cum exploratoribus domum Rahab ingressi sint, pro majori tuitione et subventione exsistentium ibi. *Et extra castra Israel manere fecerunt,* id est, Rahab et cognationem ipsius fecerunt filii Israel seorsum morari, quoniam viri qui erant in illa cognatione, necdum fuerant circumcisi. Nec erat congregatio illa adhuc satis purgata ab idololatria, nec ad Judaismum plene conversa. Postmodum vero eis conversis et incorporatis populo Israel, inter Hebræos C habitaverunt. Propter quod subditur : *Rahab et domum patris ejus, et omnia quæ habebat,* videlicet sobolem seu cognatos ac pecora, *fecit Josue vivere,* id est, ab occisione eripuit ; *et habitaverunt in medio Israel :* imo filii Israel honoraverunt ipsam Rahab muneribus, et tempore procedente, ob suam probitatem et alias eminentias ejus, Salmon filius Naasson eam duxit uxorem. Sic ergo habitaverunt *usque in præsentem diem.* Hoc refertur ad tempus quo auctor libri hujus hæc scripsit. D Josue quoque retulit grates Rahab pro conservatione exploratorum, et magnis eam dotavit divitiis.

In tempore illo imprecatus est Josue, id est, maledixit, seu malum pœnæ optavit et invocavit, urbi Jericho ex zelo justitiæ, *dicens : Maledictus vir,* supple, erit, *coram Domino,* saltem quoad temporalem adversitatem, et propter transgressionem præcepti erit culpabilis, *qui suscitaverit,* id est, recuperare inceperit, *et ædificaverit civitatem Jericho,* eamdem in specie, seu

Digitized by Google

quantum ad situm et nomen. Optabat equidem Josue, ut urbs illa tam miraculose subversa, non repararetur, in commendationem divini prodigii, et in commemorationem justitiæ Dei. *In primogenito suo fundamenta illius jaciat,* id est, dum fundamenta ejus posuerit, aut ponere cœperit, moriatur primogenitus ejus, quatenus pater puniatur in filio; *et in novissimo liberorum ponat portas ejus,* id est, si, vel dum portas ejus posuerit, moriatur ultimus filiorum ipsius, vel absolute ultimus, ita quod alium ultra non gignat, vel ultimus quem pro tunc habuerit. Qualiter imprecatio ista postmodum sit impleta, patet tertio libro Regum, quo habetur: In diebus ejus, scilicet Achab, ædificavit Hiel de Bethel Jericho; in Abiram primogenito suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun. Quo constat, quod Deo inspirante imprecatus est Josue ista. Quocirca quæri potest, cur pro peccato patris, imprecata est mors filiis ejus. De hoc in sequentis expositione capituli erit sermo.

III *Reg.* XVI, 34.

Postremo circa illud, Die autem septimo diluculo consurgentes, Lyra allegat et approbat Hebræos, dicentes quod Jericho capta sit et destructa in sabbato : quia hic dicitur, Septimo die ; et addit, quod ex dispensatione Dei istud in sabbato factum sit. Verum hoc stare non potest, juxta præhabita, in quibus dictum est, quod primo die azymorum primo circuierunt. Prima enim dies azymorum fuit in vespera feriæ quintæ, luna quartadecima, et ita septima dies circuitus non exstitit sabbatum. Nec valet argumentum sumptum ex eo quod dicitur hic, Septima die. Nam septima dies vocatur non respectu primæ diei hebdomadæ, secundum computum Hebræorum, sed respectu primæ diei azymorum.

Ibid. VI, 15.

ARTICULUS XI

DE SPIRITUALI HUJUS SEXTI CAPITULI SENSU.

JERICHO *clausa erat atque munita timore filiorum Israel.* Per Jericho, quæ luna interpretatur, mundus iste in maligno positus, ejusque vanitas, instabilitas, et superstitio designantur, et præsertim gentilitas idololatriæ ac diversis superstitionibus atque carnalitatibus dedita : quæ contra Christum et ejus Apostolos seu evangelicam fidem ac legem, multipliciter se munivit per philosophica argumenta, per sæcularium principum potestates, per tyrannorum persecutiones, per magorum fallacias, per commenta augurum atque aruspicum, per blanda et prospera, per adulationes et comminationes, per deceptoria signa : quibus omnibus non obstantibus, victa est et deleta per evangelicæ legis prædicationes tubales, per sermocinationem altisonam Christi discipulorumque ejus, quorum duos, videlicet Jacobum et Joannem, vocavit Filios tonitrui; per gloriosissima quoque et innumerabilia miracula eorumdem, per veteris Testamenti Scripturas et allegationes, per vitam etiam virtuosissimam primitivæ Ecclesiæ, cujus tanta exemplaritas fuit, quod multi infidelium ipsa virtutum evidentia superati, fassi sunt sanctam esse Evangelii theoriam, et crediderunt in Christum : imo tandem ita prævaluit religio christiana, quod nullus perfidorum ac sæcularium audebat molestare fideles. In exordio quoque post Pentecosten misso Spiritu Sancto, quum Apostoli prædicationibus miraculisque ful-

I *Joann.* V, 19.

Marc. III, 17.

Act. V, 12, 15; VI, 8.

Ibid. II, 14-36, 42-47.

Ibid. II, 1-41.

Digitized by Google

gerent, et multa millia in Jerusalem crede- A
Act. viii, 13. rent, ac variis et evidentissimis divinorum
charismatum gratiis coruscarent, ingens
Ibid. v, 13. metus erat in omnibus ceteris, et nemo
aliorum audebat se conjungere illis, sed
beatificabat eos populus, ut in Actis Scri-
ptura veritatis testatur.

Dixit itaque *Dominus ad Josue : Ecce
dedi in manus tuas Jericho, et regem ejus,
omnesque fortes viros.* Sic Pater Christo
promisit principatum mundi, ejectionem
diaboli, et conversionem multorum ma-
Ps. II, 8. gnatum. Postula (inquit) a me, et dabo tibi B
gentes hereditatem tuam, et possessionem
tuam terminos terræ. Unde et in Daniele
Dan. VII, 14. scriptum est : Dedit ei potestatem et ho-
norem et regnum; et omnes populi, tribus
et linguæ servient ei. Deinde Christus præ-
cepit septem sacerdotibus sumere septem
tubas, id est, universis prædicatoribus evan-
gelicæ legis assumere totam sacram Scri-
pturam : septenario quippe universitas de-
Tob. XII, 15. signatur. Unde et Raphael angelus : Ego,
ait, sum unus de septem qui adstamus
ante Deum. Illis ergo Christus præcepit, C
Matth. X, 6; XXVIII, 19; Marc. XVI, 15; Act. XIII, 46; XVII, passim. frequenter et ordinate circuire loca gen-
tilium, imo et Judæorum incredulorum; de-
inde prædicare eisdem, et prædicando eos
devincere, vitiorumque regnum et aciem
in ipsis destruere, sicque ad ipsos victo-
riose intrare : quod factum est, omni po-
pulo altissime vociferante, id est, univer-
sis fidelibus pro infidelium conversione
affectuosissime exorantibus. Per circum-
portationem vero arcæ, præfigurata est
deportatio sacramenti Eucharistiæ, reli-
quiarum, et aliorum sacrorum in proces- D
sionibus populi christiani; itemque, quod
prædicatores sancti Christum in suis cordi-
bus undique circumferebant. Insuper, per
hoc quod Josue populo jussit non vocife-
rari quousque diceret eis, insinuatur quod
omnia ex divino instinctu et motione Spi-
ritus Sancti a fidelibus fieri debent, et ut
Hebr. V, 4. nemo sibi assumat honorem, nisi qui vo-
catur a Deo.

Sitque civitas hæc anathema. Infidelium
namque collectio, anathema est, quantum
ad esse suæ perfidiæ ac vitiorum, et quan-
tum ad eos qui credere renuunt. *Sola au-
tem Rahab meretrix vivat cum universis
qui cum ea in domo sunt.* Secundum Am-
brosium super Lucam, non caret grandi
mysterio, quod nemo in Jericho a morte
eripitur, nisi quem meretrix salvat. Nempe
per Rahab hanc figuratur Ecclesia ex gen-
tibus conversa, quæ prius cum idolis for- Ezech. XVI, 9.
nicabatur ; sed auditis mirabilibus Dei,
recepit exploratores, id est Christi prædi-
catores, et omnem suam cognationem, id
est cunctos electos ex gentibus, natos ex
Deo per semen gratiæ ejus, congregat se-
cum. Propter quod nemo salvatur, nisi qui
continetur in domo ipsius. *Cavete, ne de
his quæ præcepta sunt vobis, quidpiam
contingatis :* id est, ea quæ Deo sunt ad-
scribenda, vobis non adscribatis. Nec mun-
dana ac vana per consensum et affectum
tangatis, nec ea commisceatis divinis, nec
intra ecclesiam deferatis. *Quidquid autem
auri et argenti fuerit.* Per aurum naturalis
sapientia, per argentum eloquentia, seu
scientia de creatis, per vasa ænea virtutes
acquisitæ, per ferrum corporalis fortitudo
seu sæcularis potentia designantur : quæ
omnia consecranda sunt Deo, id est super-
naturalibus gratiæ donis subjicienda, atque
in Dei obsequium convertenda. *In tempore
illo imprecatus est Josue : Maledictus vir
qui suscitaverit et ædificaverit Jericho.* Sic
et Christus incredulis urbibus maledixit :
Væ, inquiens, tibi, Capharnaum; væ tibi, Matth. XI, 21, 23; Luc. X, 13, 15.
Corozaim. Omnibus quoque maledixit, qui
gentilitatem cum suis sceleribus innovare
conantur.

Ista juxta allegoriam sint dicta. Porro
secundum tropologiam, per Jericho intel-
ligitur unaquæque prava et vitiosa socie-
tas, quæ increpari et corrigi dedignatur, et
contra prædicatores ac prælatos virtuosos
se armat variis modis : quam tamen Chri-
stus frequenter per sanctas prædicationes
dejicit et convertit, animasque spirituali-
ter fornicarias, efficit suas sponsas. Doce-
mur item ex isto capitulo, quam reverenter
ac devotissime fieri debeant processiones

Digitized by Google

Ecclesiæ cum orationibus internis et laudibus Dei, spiritualique gaudio, omni carnalitate atque lascivia et clamore exclusis. Postremo, sicut in deportatione arcæ præcessit populus armatus, deinde secuti sunt sacerdotes cum buccinis, tertio loco arca, quarto reliquum vulgus ; sic in processionibus Ecclesiæ præcedunt fideles vexillis crucibusque armati, deinde clerici et presbyteri cantantes, tertio prælatus sacra fe- A rens, et quarto laici reliqui. At vero qui Jericho suscitat atque ædificat, id est, vitia sæculi renovat, et mundanas societates impie fovet, maledictioni subjicitur, ita quod in primogenito suo hoc incipit : quoniam talia inchoando, a primitivo fructu gratiæ sibi in Baptismo aut contritione collatæ evacuatur; et in novissimo liberorum suorum illud complet, quia finali conversione per hoc privari meretur.

ARTICULUS XII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : FILII AUTEM ISRAEL PRÆVARICATI SUNT.

QUID eversionem Jericho consecutum est, consequenter describitur. *Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum* præcedenti capitulo scriptum, quo Dominus prohibuit eis usurpare aliquid de anathemate, seu rebus Domino consecrandis, *et usurpaverunt de anathemate.* Quamvis autem unus solus hoc fecit, tamen pluraliter dicitur, Filii Israel, eo loquendi genere, quo communitati vel societati adscribitur, quod ab uno vel paucis ex ea committitur; vel forte filii hujus viri cooperati sunt, vel consenserunt ei in furto isto. *Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid,* imo multa pretiosa clenodia, *de anathemate:* quæ infra exprimuntur. *Iratusque est Dominus contra filios Israel,* imo, ut infra habetur, graviter eos punivit pro scelere isto : quod qualiter justum Deum decuerit, paulo post exprimetur.

Quumque mitteret Josue de Jericho, id est de loco ubi paulo ante steterat urbs illa, quæ jam fuit combusta, *viros contra Hai,* id est urbem sic appellatam, *quæ est juxta Bethaven ad orientalem plagam oppidi Bethel.* Eadem urbs, secundum expositores, vocatur hic Bethaven et Bethel, quia binomia erat, et a diversis (ut dicitur) B sortita est duo nomina illa. Est autem hæc Bethel, alia ab illa quam Jacob ita vocavit, *Gen.* xxviii, 19. quæ antea dicta est Luza, sicut in Genesi habetur. Nam illa fuit in regno duarum tribuum, et alio nomine Jerusalem appellatur. Porro hæc Bethel fuit in regno decem tribuum, in qua et Jeroboam posuit unum *III Reg.* xii, 28, 29. de aureis vitulis suis. Dicit vero hic quidam, quod vocata sit Bethel, eo quod Abraham ædificavit altare inter Bethel et Hai : *Gen.* xii, 8. quod non videtur idonee dictum, quoniam in Genesi legitur, quod Abraham ascen- *Ibid.* xiii, 1, 3, 4. C dens de Ægypto, reversus est in Bethel ; nec ibi exprimitur, quod ipse vocavit ita hanc urbem. Nec expositores dicunt hoc ibi, sed magis videtur quod jam ante Abraham ita sit nuncupata. *Dixit eis : Ascendite et explorate terram,* id est urbes territorii hujus, specialiter Hai, an sit urbs fortis et magna. *Qui præcepta complentes, exploraverunt Hai. Et reversi, dixerunt : Non ascendat omnis populus* Israel, *sed duo vel tria millia virorum pergant.* Secundum Josephum dixerunt, Triginta millia ascen- D dant. *Et deleant civitatem. Quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos ?*

Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes, id est ex

Digitized by Google

timore fugientes, *percussi sunt,* non omnes, sed pauci ex eis, *a viris Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines. Persecutique sunt eos,* puta Hebræos, *adversarii de porta* Hai, ad quam audacter primo accesserunt filii Israel, sed visis hostibus, expaverunt, *usque ad Sabarim,* id est locum sic nominatum. Vel (ut fertur) secundum Hebræos, Sabarim est nomen commune, significans confractionem : ut sit sensus, quod persecuti sunt filios Israel usque ad dissipationem et occisionem quorumdam Israelitarum, vel usque ad propriam fatigationem. *Et ceciderunt per prona fugientes. Pertimuitque cor populi* Israel, visis fugientibus de prælio, *et ad instar aquæ liquefactum est,* formidantes se omnes a Chananæis occidendos. Ignorabant enim causam fugæ istius, videlicet quod propter peccatum Achan, Deus subtraxisset fugientibus robur atque audaciam ; timebant quoque occulta Dei judicia, et videbant se naturalibus viribus non posse resistere Chananæis, qui eis multo plures ac fortiores fuerunt. Præterea, quod ait, Cor populi instar aquæ liquefactum timore, potest tam de corporali corde, quod, secundum Philosophum, est primum vivens, et ultimum moriens in animali, quam de spirituali corde, videlicet voluntate seu ratione, intelligi. Passio namque timoris, corporalem transmutationem facit in toto corpore, præsertim in corde corporeo : quæ etiam passio dum vehemens est, redundat in partem intellectivam, et causat ibidem spiritualem liquefactionem, seu vigoris atque constantiæ defluxionem.

Josue vero scidit vestimenta sua præ mœrore, etiam ex timore imminentis periculi, et quoniam causa specialiter tetigit eum, tanquam communem omnium ducem ac patrem, et quia præ ceteris ardentissime plebem illam sibi commissam dilexit ; *et cecidit pronus in terram,* quatenus se maxime humiliando, atque humillime deprecando, citius ac plenius exaudiretur a Domino, *coram arca Domini,* scilicet in tabernaculo in quo erat arca ; potius tamen se prostravit coram Deo, quem exoravit. Nec ante arcam prostravit se, nisi propter Dei majestatem, præsentiam et honorem, quem ibidem specialiter ac gratiose præsentem esse cognovit. Nam super arcam fuit propitiatorium, quod Dei sedes erat. Ibi ergo prostravit se *usque ad vesperam.* In quo patet orationis suæ instantia : imo quousque exaudiebatur, mansit sic orans ; et nisi ad vesperam exauditus fuisset, mansisset in oratione et prostratione diutius ; estque probabile quod jejunus oraverit tam diu. Sic ergo oravit *tam ipse quam omnes senes Israel,* potissime superiores et officiati, et qui sapientia ac virtutibus præminebant. *Miseruntque pulverem super capita sua,* in signum majoris humiliationis ac pœnitentiæ. In Scholastica quoque historia additur quod et saccis erant induti. Nec dubium quin et reliquus populus, imo mulieres quoque, et parvuli ac puellæ ætatis adultæ, Dominum fervide invocabant. Istud autem, videlicet tempore præcipui mœroris et grandis adversitatis, scindere vestimenta, et pulverem super capita spargere, consuetudo fuit non apud Hebræos dumtaxat, sed etiam apud quosdam gentiles unius Dei cultores. Sic enim in Job legitur ipse Job vestimenta sua scidisse. De ejus item amicis legitur, quod viso Job in tantis doloribus constituto, scissis vestibus, sparserunt pulverem super caput suum.

Exod. xxv. 17, 22. — *Job* i, 20. — *Ibid.* ii, 12.

Et dixit Josue, per modum humiliter et dolorose, imo et familiariter conquerentis, non increpantis : *Heu, Domine Deus, quid,* id est ad quid seu quare, *voluisti populum istum transducere Jordanem, ut traderes nos in manu Amorrhæi, et perderes,* id est occidi permitteres ? Hoc ait, admirando et inquirendo magis, quam asserendo. Et quod ait, Ut traderes, intelligendum est consecutive, non causaliter. Non enim ideo Deus transduxit eos Jordanem, ut traderet Amorrhæis, sed transductionem illam consecuta est illa traditio. *Utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem,* videlicet in regionibus Sehon et Og, quas

Digitized by Google

acquisivimus ibi. Quidam dicunt, quod A Josue culpabiliter dixit hoc ex passione tristitiæ; sed, ut arbitror, melius dici potest, quod protulit verba illa non optando absolute, sed cum implicita conditione, videlicet, nisi ipse Deus misericorditer subveniret. *Mi Domine Deus.* Ecce quam amorosum familiareque verbum, Dominum Deum universorum, vocare proprium Deum! Nec proprie competit sic loqui ad Deum, nisi perfectis, qui Deum tam præcipue amant et colunt, quasi Deus omnium, sit solum aut maxime Deus eorum: B quorum etiam corda Deus valde specialiter diligit, visitat, et adimplet. Itaque, Domine Deus, quem tam singulariter ac ferventissime amo et colo, *quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem?* quasi dicat: De hoc summe admiror, quum tu ipse qui mentiri non potes, promiseris
Josue I, 5. nobis triumphum, dicendo: Nullus poterit
Lev. XXVI, 8. stare contra vos; persequetur unus ex vobis centum alienos, et centum ex vobis, decem millia. *Audient Chananæi et omnes habitatores terræ* Israelem fugisse, *et pariter conglobati,* id est adunati. Solet autem globus pro exercitu accipi. Unde speculator, viso exercitu Jehu, dixit ad Joram:
IV Reg. IX, 17. Video ego globum. *Circumdabunt nos, et delebunt nomen nostrum de terra,* id est, totaliter nos occident, quod nec memoria nostra inter homines permanebit. Hoc Josue dixit, non simpliciter affirmando, sed formidolose suspicando, et nisi Deus succurreret. *Et quid facies magno nomini tuo?* id est, qualiter propriam famam defendes, qua jam undique omnipotens et D Deus deorum es reputatus, nisi nos feceris triumphare? quasi dicat: Dejectio nostra
* minoratio erit monstratio* honorificentiæ tuæ, et adversarii nostri dicent, quod dii eorum contra te prævaluerunt. Hoc dicens Josue, ostendit se zelari pro Domino: per quod oratio ejus exaudibilior reddebatur.

Dixitque Dominus per angelum *ad Josue: Surge* ad audiendum divinum oraculum, et ad exsequendum quæ tibi mandabo. Sic ad Ezechielem ac Danielem Dominus seu angelus ait: Sta supra pedes tuos, et Ezech. II, 1; Dan. X, 11.
loquar tibi. *Cur jaces pronus in terra?* Non reprehendit Dominus ipsum Josue, quod in terra prostravit se, nec per verba hæc innuit, quod Josue irrationabiliter fecit hoc; sed dixit Dominus verba hæc, ad insinuandum quod non oportebat ipsum Josue cum tali pusillanimitate atque formidine in terra jacere. Quasi dicat: Paratus sum tibi consilium auxiliumque impendere. *Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum,* id est præceptum *meum. Tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua.* Istud generaliter adscribitur populo Israel, eo quod unus ex ipso id egit, ut Josue VII, 1.
dictum est. *Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet,* nisi vindicatum fuerit hoc peccatum. Ideo subditur: *Non ero ultra vobiscum* per collationem victoriæ: tamen per dona gratiæ gratum facientis fuit adhuc cum justis; *donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est,* ita quod personaliter illud commisit.

C *Surge.* Ex hoc apparet, quod Josue jacuit adhuc prostratus, et verba præfata sic jacens audivit locutione interna seu exteriori. Vel si corporaliter jam surrexit, sensus est: Surge, id est, erige mentem ad ea quæ dico, seu in actum procede. Vel forte surgere cœpit, et quasi in genibus se erexit, juxta quod in Daniele legitur: Ecce manus tetigit me, et erexit me super Dan. X, 10.
genua mea, et super articulos manuum mearum. *Sanctifica populum,* id est, præcipe filiis Israel, ut per devotionem et orationem se præparent ad hoc, quod eis divinitus ostendatur quis crimen istud commiserit. *Et dices eis**: *Sanctificamini* * dic eis
in crastinum, id est præfato modo purificate et præparate vos ab hac hora usque in crastinum, ut cras veritas ostendatur: et forte sanctificatio ista fiebat etiam per jejunium, aut per continentiam ab amplexu. *Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Anathema in medio tui est, Israel,* id est, o popule Israel, res prohibita tangi a te, per furtum usurpata est ab uno ex te.

Digitized by Google

Accedetisque mane, id est in crastino, *singuli per tribus vestras,* id est, quilibet in sua tribu veniet ad me, *et quamcumque tribum* ex duodecim tribubus Israel, *sors invenerit,* non a casu, sed juxta infallibilem divinæ providentiæ directionem, *accedet per cognationes,* id est familias *suas, et cognatio per domos,* id est, quælibet illius tribus familia accedet per domos seu prosapias suas, *domusque per viros.* Nempe in unaquaque tribu erant multæ seu plures familiæ, saltem communiter vel in successu temporis : quod dico propter tribum Dan, in qua primo non erat nisi una fami-
Gen. XLVI, 23. lia, quoniam unum solum filium Dan habebat. In qualibet quoque familia erant plures domus, atque in qualibet domo plu-
Num. XXVI, 5-60. res viri seu capita. De hac familiarum et domorum distinctione, diffuse habetur in codice Numerorum. Itaque per sortis missionem primo capta est tribus, ad quam reus hujus criminis pertinebat : qua sic deprehensa, divisa est per suas familias, et per sortem deprehensa est certa familia : quæ tunc divisa est per domos, et inter eas projecta est sors, per quam deprehensa est domus determinata : qua per viros divisa, missa est sors inter viros illos, sicque tandem captus est sorte vir reus. *Et quicumque in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua, quoniam prævaricatus est pactum Domini.*

Surgens itaque Josue mane, applicuit Israel per tribus suas, et inventa est tribus Juda. Quæ quum esset oblata, inventa est familia Zare. Illamque offerens, reperit Zabdi. Cujus domum dividens, invenit Achan de tribu Juda. Et ait Josue ad Achan, quum per sortem deprehensus fuisset : *Fili mi.* Sanctus Josue, vir discretus ac mansuetus, non turbulenter, sed pie ac mite primo alloquitur reum, ne ex dura allocutione perterritus aut exacerbatus vel induratus, non acquiescat veram dare responsionem. *Da gloriam Deo,* id est, per culpæ tuæ recognitionem et expressionem in speciali, Deum honora, qua-

A tenus ex tua confessione innotescat evidentius, quod Deus juste punivit nos. Ideo quasi expositorie subditur, *et confitere,* id est recognosce, *atque indica mihi quid feceris.* Quamvis enim ex divina revelatione et sortis missione jam patuit, quod Achan iste crimen commisit, et de anathemate usurpavit, nondum tamen individualiter et circumstantionaliter patuit factum. *Et ait Achan : Vere ego peccavi Domino Deo Israel,* id est ad irreverentiam Dei seu contra ejus præceptum. *Vidi enim inter*
B *spolia pallium coccineum valde bonum,* id est rubeum et valde pretiosum, seu, ut Josephus scribit, chlamydem auro contextam, habentem auri massam, id est siclos ducentos, *et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, et concupiscens* ea per avaritiam, *abstuli,* per furtum sacrilegum usurpando quæ Deo fuerunt deputata ; *et abscondi in terra contra medium tabernaculi,* id est directe ex opposito tentorii *mei, argentumque fossa humo operui.* Porro quod ait,
C Inter spolia, non est intelligendum, quod illa metalla ac vasa redacta sint in prædam pugnantium, sed quod erant talia, qualia solent esse spolia pugnatorum vincentium. At vero aurea regula, secundum quosdam, fuit aurea linea seu aurea lamina, habens speciem linguæ, seu in similitudinem linguæ formata. Unde (ut fertur) in Hebræo habetur, Auream linguam.

Misit ergo Josue ministros, qui attulerunt furata, *projeceruntque ante Dominum,* id est, ea coram Deo omnia intuente
D posuerunt, recognoscendo peccatum ejus qui abstulit ea, et tanquam parati tantum crimen ulcisci. *Tollens itaque Josue Achan, argentumque et pallium et auream regulam, filiosque ejus et filias,... ipsumque tabernaculum,* id est tentorium *ejus* portatile, *et omnis Israel cum eo,* id est ceteri filii Israel cum Josue, adsistentes ei in isto, *duxerunt eos ad vallem Achor.* Quidam *Is.* LXV, 10.
dicunt, quod fur iste vocatus est Achan et Achor. Hieronymus vero dicit, quod solum vocatus est Achan, non Achor. Nec in He-

Digitized by Google

bræo vocatur Achor. Ideo vallis ista vocata est vallis Achor, non a viro isto in ea occiso; nec Achor est hic nomen proprium, sed commune, et interpretatur turbatio, ita quod locus ille appellatus est vallis Turbationis. *Ubi Josue dixit* ad Achan jam occidendum : *Quia turbasti nos*, id est, per tuum furtum sacrilegum meruisti, quod tam graviter fuimus perturbati, et quidam ex nostris occisi, ac multi fugati, *exturbet te Dominus in die hac*, id est, violentæ morti te tradet, et per eam ex nobis te auferet.

Lapidavitque eum omnis populus Israel, et cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt. Circa hoc est quæstio duplex : Primo enim quærendum est, cur populus virum hunc lapidavit, quem (ut paulo ante jam patuit) Dominus jussit igne comburi. Secundo quærendum, an filii ejus ac filiæ simul cum eo occisi sint. Ad primum B. Augustinus respondet, quod nomine combustionis seu ignis, Scriptura frequenter designat quamcumque pœnam, præcipue gravem, quemadmodum filii Israel sæpe leguntur de ferrea Ægypti fornace educti. (*Deut.* IV, 20; III *Reg.* VIII, 51.) Sed contra hoc objicit quidam, dicens quod non videtur textui consonum, quia jam dictum est, quod Dominus jussit eum cum omni substantia sua comburi : quum ergo substantia ejus combusta sit, videtur idem de ipso dicendum. Sed advertendum quod Augustinus valde convenienter circa hæc scribit : Non est, inquiens, credendum, Jesum (id est Josue) aliud fecisse, quam quod Dominus jussit. Nam ad intelligendum verba Domini, quis potuit esse sapientior, vel ad facienda obedientior Jesu, qui ea intellexit ut Propheta? Insuper loquitur Augustinus : Duæ mihi causæ occurrunt, propter quarum alteram Josue non combussit hunc Achan. Aut enim vere pœnituit, et ita dignus non erat igne gehennæ : idcirco nec igne voluit eum Jesus comburere; aut non pœnituit vere, et ita fuit æterno igne torquendus : ideo illam pœnam ignis reservavit Josue Domino, et ipse aliam pœnam, scilicet la-

A pidationem, inflixit. Præterea Lyra dicit, quod Achan peccavit dupliciter, scilicet sabbatum violando, quia in sabbato commisit hoc scelus, et pro hoc exstitit lapidatus; et rem Deo consecratam furando, propter quod fuit combustus. Sed sicut in expositione præcedentis capituli est probatum, probabilius est, quod Jericho non (*Josue* VI, 15.) est capta in sabbato, et ita nec furtum illud in sabbato est commissum. Denique in fine hujus capituli legitur, quod congregaverunt super Achan lapidatum, acervum magnum lapidum. Vel ergo primo est

B lapidatus, vel primo combustus : si primo lapidatus, non fuit post combustus, quia in textu habetur, quod acervus ille lapidum super eum permanet usque in præsentem diem. Si autem primo combustus est, constat quod mortuum non lapidarunt. Quod autem omnis Israel eum dicitur lapidasse, intelligendum est, quod quidam ex omnibus hoc fecerunt, et alii consenserunt.

Ad aliam quæstionem dicunt (ut Lyra refert) Hebræi, quod filii et filiæ Achan

C non fuerunt cum eo occisi, sed ducti fuerunt cum eo, ut ejus punitionem videndo, a similibus cohiberentur. Alii dicunt, quod fuerunt cum eo occisi; sed an lapidati, an combusti, adhuc posset inquiri. Et ideo dicunt istud, quoniam propter peccatum Achan permisit Deus triginta sex viros occidi, aliosque fugari. Magis ergo videtur, quod in detestationem facinoris ejus, occisi sint filii ejus et filiæ. Recitationi autem Lyræ videtur contrariari, quod Magister in historiis narrat, dicendo : Putant Hebræi

D Dominum præcepisse ut Achan lapidaretur, et omnia ejus, quæ lapidibus obrui possent; cetera esse cremanda. Ex quo sequeretur, quod filii ejus et filiæ ac jumenta, fuissent lapidibus interfecti. Pro horum concordia dici potest, quod de isto sint duæ inter Hebræos opiniones.

Amplius quæri potest, an Achan vere pœnituit. Circa hoc loquitur Augustinus dubitative, ut ex verbis ejus patet jam allegatis. Aliqui vero dicunt, quod non pœnituit vere, videlicet ex displicentia culpæ,

Digitized by Google

sed ex formidine pœnæ. Sed hujus oppositum alii probabilius dicunt, quia ut textus testatur, quum Josue dixisset ad eum, Fili mi, da gloriam Deo; ipse respondit, Vere ego peccavi Domino Deo Israel : quæ videntur verba humilis compunctionis et veræ contritionis.

Congregaverunt quoque super eum acervum magnum lapidum, ut acervus ille esset memoriale signum præteriti criminis ad aliorum terrorem et cautionem. *Et aversus est furor Domini ab eis,* id est, rigor divinæ justitiæ cessavit a filiis Israel, ita quod propter facinus Achan non abstraxit eis ultra præsidium contra hostes. *Et vocatum est nomen loci illius, vallis Achor,* id est turbationis, propter causam expressam : de qua valle scriptum est in Isaia,
Is. LXV, 10. Erit vallis Achor in cubile armentorum. Et
Osee II, 15. in Osee : Dabo vallem Achor ad aperiendam spem.

Circa prædicta duæ occurrunt quæstiones : Prima, qualiter divinæ justitiæ congruebat propter peccatum unius hominis, sic irasci populo universo. Secunda, an licuit Josue uti sorte. Ad primam harum Augustinus respondet : Quæri, inquiens, solet, quomodo peccatum unius juste vin-
Deut. XXIV, 16; *Ezech.* XVIII, 20. dicetur in alio, quum lex dicat, patres non esse puniendos pro iniquitatibus filiorum, nec econverso : an lex ista homines judicantes concernit, ut scilicet non puniant unum pro alterius culpa; sed talia non sunt judicia Dei, qui alto et incomprehensibili judicio novit, quantum extendat temporalem hominum pœnam, salubremque terrorem. Non enim durum aliquid, quantum attinet ad universi mundi administrationem, contingit mortalibus quum moriuntur, aliquando morituri; et tamen apud eos qui talia metuunt, disciplina sancitur, ut unusquisque in populo non solum curet se ipsum, sed homines sibi invicem adhibeant diligentiam, et tanquam unius corporis membra alia pro aliis sint sollicita. Nec tamen credendum est, unum pro alio posse puniri his pœnis, quæ irrogantur post mortem, sed infligi

A pœnam hujusmodi tantum in his rebus, quæ finem fuerant habituræ, etiam si non finirentur hoc modo. Per id quoque ostenditur, quantum in populi potestate ipsa universitas sit connexa, ut non solum in se ipsis singuli, sed tanquam partes existimentur in toto. Per unius ergo peccatum, et per mortem paucorum, admonitus est populus universus, tanquam in corpore universo quærere quod commissum erat. Si autem aliquis invenisset ipsum Achan in furto, et adduxisset eum ad Jesum seu

B Josue, non est putandum quod Jesus punivisset alium simul cum illo, qui non communicasset ei in crimine. Sed longe secretiori judicio judicat Deus, qui etiam post mortem potest liberare et perdere. Visibiles ergo afflictiones et mortes, quæ possunt obesse et prodesse his quibus ingeruntur, novit Dominus in occulto providentiæ suæ, qualiter quibusque dispenset seu irroget, etiam quum alios pro aliorum peccatis videtur ulcisci sive punire. Invisibiles autem pœnas quæ nocent nec pro-

C sunt, non infligit uni pro culpa alterius. Ex his sapientissimi Augustini verbis patet plena hujus quæstionis solutio. In quibus etiam virtualiter continetur responsio, quam Thomas, aliique doctores scholastici ad hanc quæstionem assignant, quam alibi in diversis locis induxi. Elucescit quippe ex his, quod dum Deus punit unum pro culpa alterius pœna temporali et corporali, ordinat hoc in majus bonum illius quem taliter punit : estque talis punitio, ejus purgatio, seu futuræ minoratio pœ-

D næ, seu etiam via ac dispositio ad gratiam ac salutem, earumve incrementum. Ideo non præjudicat ei quem ita punit. Potissime quoque facit hoc in illis, qui sunt quodammodo unum, quemadmodum in exercitu unus est quasi compars et commembrum alterius, et filius est aliquid suorum parentum, quantum ad corpus, et servi sunt res quædam dominorum suorum. Ordinat etiam Deus hoc ipsum in bonum commune.

Ad secundum dicendum, quod sortes vocantur, dum quædam geruntur, ex quo-

Digitized by Google

rum eventu occultum aliquid innotescat : A sicque sortibus uti, est ex vario eventu aut dispositione rei sensibilis propositæ determinare quodcumque incertum aut dubium, sicut ex tractu longioris aut brevioris festucæ. Est autem sors triplex, videlicet divisoria, consultoria ac divinatoria. Divisoria dicitur, quando per missionem seu eventum rei sensibilis quæritur, quid sit aliquibus exhibendum de re possessa, vel de honore, dignitate aut pœna, videlicet ut sciatur, quid quis aut quantum accipiat. Sors vero consultoria nuncupa- B tur, dum ita inquiritur, quid sit agendum vel omittendum. Quod si quæratur, quid sit futurum, vocatur sors divinatoria.

Quum ergo actus humani non sint cœlestium corporum influentiis subditi, quoniam sapiens dominabitur astris, non licet eventum ostensionemque sortium a cœlestibus corporibus aut sideribus exspectare, et multo minus a dæmonibus : quibus causis remotis, necesse est talem eventum præstolari a fortuna, vel a substantia intellectuali superiori, directiva actuum huma- C norum, et bona, hoc est a Deo vel angelis. A fortuna autem exspectari non potest, nisi in sorte divisoria, sicut dum aliqui nequeunt rem concorditer dividere : ideo ex communi consensu mittunt sortes, totum eventum committentes fortunæ, et tunc non est peccatum ; tamen causa motiva potest esse culpabilis, ut dum ex cupiditate vel contentione aliter dividere nequeunt, vel ex affectu lucrandi sic faciunt. Interdum quoque in hoc contingit vitium vanitatis. Porro si eventus atque judicium sortis exspe- D ctetur a Deo vel angelis, non est in se peccatum, secundum quod asserit Augustinus. Sed potest in hoc quadrupliciter culpa incidere. Primo, si fiat absque necessitate : sic enim ad tentationem pertinet Dei. Secundo, si etiam in necessitate fiat absque debita devotione et reverentia. Unde quum Apostoli missuri erant sortes inter Matthiam et Barsabam, fecerunt hoc cœtu fratrum collecto, atque oratione præmissa. *Act.* I, 14, 15, 24. Tertio, quando divina oracula ad negotia convertuntur terrena. Quarto, si sortibus quis utatur in ecclesiasticis electionibus, quæ ex inspiratione divina fieri debent. Propter quod Beda testatur, Matthiam sorte factum apostolum, quando Spiritus Sanctus nondum fuerat datus; sed eo misso, septem diaconi non sorte, sed fratrum electione sunt ordinati. *Ibid.* VI, 5. De hac re plenius scribit Thomas in secunda secundæ. In veteri autem Testamento frequens exstitit sortium usus, quando Deus volebat hoc modo ostendere, se omnium providentiam, notitiamque perfectam habere. Propter quod in Proverbiis scriptum est : Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. *Prov.* XVI, 33. Necnon et in Numeris jussit Dominus terram promissionis sorte dividi, sicut et infra in isto libro legitur adimpletum. *Num.* XXXIV, 2, 13. *Josue* XIV 2.

Ultimo quæri potest circa præhabita, cur Josue duxit Achan, et ea quæ erant ipsius, ad vallem ut occideretur ibidem. Ad quod ad litteram dici potest, quod ideo, ne aliqui Chananæorum ex eminentioribus locis suis conspicerent, quod filii Israel aliquem ex se ipsis ita tractarent. Unde in Scholastica fertur historia, quod fuit vallis profunda.

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

DE SPIRITUALI SENSU HUJUS CAPITULI SEPTIMI.

F*ILII autem Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate.* Per filios Israel intelligendi sunt Rom. xii, 2. Christiani, quibus præcipitur : Nolite conformari huic sæculo ; et, Nolite diligere I Joann. ii, 15. mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Hi ergo dum timore Dei neglecto, efficiuntur mente mundani, et mores sæculares ac vitia, excusationesque frivolas ad Ecclesiam aut in claustrum comportantes, per talia inficiunt alios, usurpant de anathemate Jericho. Circa hoc loquitur Origenes : Qui de astrorum cursibus vitas hominum et gesta perquirunt ; qui avium volatus et similia, quæ in sæculo didicerunt, observant, de anathemate Jericho inferunt in Ecclesiam Dei, et vinci faciunt populum ejus.

Iratusque est Dominus contra Israel. Circa hoc loquitur Origenes, quo nullus doctorum melius dicit in his, in quibus catholice dicit : Non otiose transcurrendum, quod uno peccante, ira super omnem populum venit. Hoc accidit quando sacerdotes qui populo præsunt, erga delinquentes benigni volunt videri, et verentes peccantium linguas, ne forte de eis male loquantur, et sacerdotalis severitatis immemores, non implent quod scriptum est, I Tim. v, 20. Peccantem coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant. Quæ ista bonitas, quæ ista misericordia est, uni parcere et omnes in discrimen adducere ? Polluitur enim ex uno peccatore populus, sicut ex una ove morbida grex universus inficitur. Ideo observemus nos invicem, et uniuscujusque conversatio nota sit, maxime superioribus et prælatis ; nec putet se quisquam recte dicere, Quid ad me spectat, si alius Rom. xii, 5. male agit ? Unum corpus omnes sumus in A Christo. Tu qui præsides, oculus es corporis hujus, ut omnia circumspicias et emendes, et futura prævideas. Pastor es, et oviculas Dei ignoras periclitari ; vides ad præcipitia ferri, et ad prærupta pendere, et non occurris, nec revocas, nec correptionis clamore deterres. Hæc non ideo diximus, ut pro levi culpa quis abscindatur ; sed si forte commonitus quis et correptus pro delicto semel et iterum ac tertio, nihil emendationis ostenderit, utamur medici disciplina ; si oleo perunximus, si B emplastris mitigavimus, si malagmate mollivimus, nec tamen cedit tumoris duritia, tunc solum superest resecandi remedium, sicut et Dominus ait : Si dextera manus Matth. v, 30. tua scandalizaverit te, abscinde eam, et projice abs te. Numquid de manu corporis dicit hoc ? Sed hoc est quod dicit, ut ego qui videor tibi esse manus dextera, et presbyter nominor, et prædico verbum Dei, si aliquid contra ecclesiasticam disciplinam et Evangelii regulam gessero, ita ut scandalum tibi et Ecclesiæ faciam, C universa Ecclesia in uno consensu conspirans, abscindat me dexteram suam, et projiciat a se. Expedit enim tibi et Ecclesiæ, absque me manu sua male agente et scandalizante, introire in regnum cœlorum, quam mecum mitti in gehennam. Hæc Origenes.

Insuper, sicut filii Israel missi ad expugnandum urbem Hai, ab infidelibus illis sunt victi ; sic sæpe contingit, quod sacerdotes et prædicatores, qui diriguntur ut sæculares convertant, pervertuntur ab illis D ex propria pravitate ad malum. *Josue vero scidit vestimenta sua, et cecidit pronus in terram* tam ipse quam seniores. Sic prælati et prædicatores et sapientiores ac se-

Digitized by Google

niores in populo, dum inferiorum et pusillorum atque vulgarium peccata et deformationem agnoscunt, debent vehementissime contristari, flere, seque coram Deo cum omni compunctione prosternere, atque indesinenter pro lapsis et victis ab invisibilibus hostibus deprecari; proprias quoque scindere vestes, id est, propria opera increpare, et formidare, quod ex sua negligentia atque demeritis illi ita dejecti sint. Debent etiam suas scindere vestes, id est, sua corpora pro illorum reconciliatione, conversione et salute castigare, macerare et flagellis atterere. Nempe si Josue et seniores Israel tot et tanta fecerunt propter temporalem fugam et læsionem a visibilibus inimicis: quanto magis ista agenda sunt propter fidelium fugam et læsionem ab invisibilibus atrocissimis æmulis?

Præterea, quum prælatus aliquem cognoverit excessisse, dicat ei quod Josue dixit ad Achan: *Fili mi, da gloriam Deo, et confitere atque indica mihi quid feceris.* Oportet enim in sacramentali confessione recognoscere culpam; in exteriori quoque foro, si ratio exigit, fateri eamdem, quando videlicet publica est, vel publice punienda. Per hoc vero, quod Josue dixit, Fili mi, patet quam caritative et compassive, non ex ira aut odio, increpatio et exhortatio fieri debeat. Ex eodem docemur, quod propriæ culpæ confessio, sit Dei laudatio. Qui enim se peccasse fatetur, Deum esse justum et sanctum, contra cujus mandatum aliquid egit aut omisit, testatur. Amplius, sicut Achan mox humiliter acquievit, et suum facinus distincte ac evidenter aperuit; sic quilibet reus, a suo superiore jussus sive admonitus, facere debet: imo periculosissimum est propriam culpam negare, aut nimium extenuare, præsertim quum et reus pro suo crimine occidendus, peccet mortaliter, quando a judice jubetur illud manifestare, nec acquiescit.

Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, etc. Circa hoc ait Glossa ex Origene: In sermonibus rhetorum et philosophorum, qui sunt de civitate Jericho, id est de mundo, multa est pulchritudo. Si ergo inveneris apud philosophos perversa dogmata, luculenti sermonis assertionibus decorata, aurea lingua seu regula est; sed vide ne te decipiat sermonis aurei pulchritudo. Si poetam legeris modulatis versibus atque præfulgido carmine deos deasque texentem seu describentem, vide ne delecteris eloquentiæ suavitate, quoniam aurea lingua est. Si enim sustuleris et posueris eam in tabernaculo tuo, si in cor tuum introduxeris per consensum quæ asseruntur ab illis, polluis Ecclesiam Dei. Hoc fecit infelix Valentinus et Basilides, hoc fecit et Marcion hæreticus: furati sunt istas * aureas linguas de Jericho, et philosophorum sectas non rectas in Ecclesiam Dei introducere et omnem populum polluere sunt conati. Sed nos præcedentium patrum sequamur exemplum, et abjiciamus malum de nobis: nam et in nostris disputationibus moris est dicere, quia Christum non purum hominem dicimus, sed Deum et hominem confitemur. Hæc Origenes. Per pallium autem coccineum valde bonum, potest intelligi sæcularis ornatus exterior, seu apparatus pompaticus a carnalibus hominibus reputatus. Unde loquitur Isaias: Si fuerint peccata vestra quasi coccinum. Atque in Apocalypsi: Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam. Per siclos vero argenteos, copia mundanæ prudentiæ et nitor eloquentiæ designantur. Hæc furatur de Jericho, qui post conversionem suam rursus sæcularem et carnalem vitam assumit, et ex humana prudentia atque facundia se extollit. Talis in valle Achor lapidatur, id est, in bassitudine suæ turbulentiæ propriis actibus duris opprimitur, ac diabolicarum tentationum ponderibus trucidatur. Non ergo gloriemur in talibus; sed in hoc unusquisque se prudentem putet et eloquentem, si proprias defectuositates, culpas et calamitates humiliter recognoscat, clare confiteatur, et condigne emendet.

* isti

Is. I, 18.

Apoc. XVII, 3.

Digitized by Google

ARTICULUS XIV

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : DIXIT AUTEM DOMINUS AD JOSUE : NE TIMEAS.

OSTENSO in capitulo præcedenti, qualiter divina justitia peccatis offensa, filios Israel dereliquit, nunc edocetur, qualiter dignis pœnis placata, eosdem adjuvit. *Dixit autem Dominus ad Josue : Ne timeas* corde, *neque formides* per redundantiam timoris in corpore : quæ redundantia proprie dicitur tremor. Itaque non timeas inordinato carnali timore : quasi dicat, Jam reconciliatus sum populo tuo. *Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens, ascende in oppidum Hai,* id est ad urbem sic dictam. *Ecce tradidi in manu tua regem ejus et populum, urbemque et terram* circumjacentem cum villis suis, *faciesque urbi Hai et regi ejus, sicut fecisti Jericho et regi ejus :* id est, urbem illam combures et populum urbis occides, ac regem ejus affiges patibulo per manus populi tui. *Prædam vero,* id est divitias urbis, *et omnia animantia* vobis accommoda, *diripietis vobis,* id est rapietis, et inter vos dividetis. *Pone insidias urbi post eam.* Qualiter autem liceat uti in bello insidiis, infra dicetur.

Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo. Et electa triginta millia virorum fortium misit Josue nocte, præcepitque eis, dicens : Ponite insidias post civitatem. Aliqui dicunt, quod ista triginta millia posuerunt se tota in insidiis post urbem, et quod in alio loco qui in textu exprimitur, posuit Josue alia quinque millia in insidiis. Alii dicunt, quod ibi non fuerunt insidiæ positæ, nisi in uno loco, in quo dicunt fuisse quinque millia, et quod erant de numero illorum triginta millium : itaque viginti quinque millia ex illis triginta millibus, ad exercitum redierunt. *Abiit ergo Josue, et stetit in vallis*

A *medio* cum suo exercitu. *Quod quum vidisset rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis. Direxitque aciem contra desertum,* quoniam Josue cum suo exercitu fuit in ea parte, quæ solitudinem respiciebat, *ignorans quod post tergum,* videlicet ab alia et opposita urbis parte, *laterent insidiæ,* scilicet, inter Bethel seu Bethaven et Hai. *Josue vero et omnis Israel cesserunt loco,* recedentes ab eo, quasi ex timore fugam ineuntes, *simulantes metum, et fugientes per solitudinis*
B *viam. At illi vociferantes pariter,* etc., id est, habitatores Hai ac Bethaven cum clamore et mutua cohortatione insequentes filios Israel. *Et ne unus quidem in urbe Hai et Bethaven remansisset,* loquendo de his qui ætatem et robur habuerunt ad insequendum ; *sicut eruperant* instar fluvii rapidi cum impetu exeundo, *aperta oppida relinquentes,* quasi prædam illico reportaturi, vel ut celerius possent regredi, si fugerent; *dixit Dominus ad Josue : Leva clypeum qui in manu tua est, contra*
C *urbem Hai. Quumque levasset clypeum, insidiæ quæ latebant, surrexerunt confestim, et pergentes ad civitatem, ceperunt et succenderunt eam.* Ex hoc elicitur, quod elevationem clypei dedit eis Josue pro signo, ut scilicet surgerent de insidiis, urbemque ingrederentur atque incenderent, clypeo viso. Sed quæri potest, qualiter a loco tam remoto poterant clypeum cernere. Ad quod aliqui dicunt, quod elevavit eum in hasta seu lancea. Imo Hebræi dicunt, quod hastam pro signo levavit. *Viri autem*
D *qui persequebantur Josue, respicientes, et videntes fumum urbis Hai ad cœlum usque conscendere,* id est valde alte in cœlum aereum, *non potuerunt huc illucque diffugere.*

Digitized by Google

Itaque filii Israel succenderunt *urbem,* et fecerunt *eam tumulum sempiternum,* id est, penitus destruxerunt, quasi nunquam reædificandam, quod fuit eorum propositum, quemadmodum et de Jericho intenderunt. Postea tamen utraque urbs fuit reædificata. *Regem quoque ejus suspendit* Josue *in patibulo usque ad vesperam et solis occasum; præcepitque Josue sociis,* id est pugnatoribus suis, *et deposuerunt cadaver ejus de cruce* post solis occasum : quia in Deuteronomio jussum fuit, ne post solis occasum remaneret cadaver suspensi in cruce : Qui adjudicatus morti, suspensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed eodem die sepelietur, quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno: hoc est, sufficit ei pro pœna ignominiosa crucifixio sua. *Projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum:* et hoc fuit sepelitio ejus. Ideo autem projecerunt et taliter sepelierunt eum in ipso urbis suæ ingressu, ut esset aliis in exemplum, et memoriale divinæ justitiæ ac justæ vindictæ.

Deut. XXI, 22, 23.

Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel per manus ministrorum sive artificum, *in monte Hebal,* constituto in campo, *sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel.* Unde in Deuteronomio scriptum est : Præcepit Moyses populo, dicens: Quum transieris Jordanem, eriges ingentes lapides et calce lævigabis eos, ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus in monte Hebal; et ædificabis ibi altare Domino de lapidibus, quos ferrum non tetigit, et de saxis informibus, impolitis : cujus litteralis ratio, fuit ad discernendum Israelem a gentibus, quæ de lapidibus pretiosis politis construxerunt altaria idolis suis. *Et immolavit* * *super eo holocausta Domino,* id est, per manus sacerdotum offerri jussit, *immolavitque pacificas victimas* per manus (ut tactum est) sacerdotum : et forte pro qualibet tribu offerebatur speciale holocaustum, specialis quoque pacifica hostia. Dicebaturque holocaustum, quod ad divinæ reverentiam majestatis totaliter comburebatur, in signum quod homo se totum debet Deo, ejusque cultui se totaliter offerre. Porro hostia pacifica vocabatur, quæ pro salute seu reconciliatione offerebatur. Hæc tamen filii Israel offerebant hac vice, etiam pro gratiarum actione de victoriis sibi datis.

Ibid. XXVII, 1-6.

* obtulit

Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysis. Deuteronomium, pro lege seu norma accipi solet. Unde quod dicitur, Deuteronomium legis hujus, est intransitiva constructio, sicut quum dicitur, Virtus Dei, et quum ait Apostolus, In exspoliatione corporis carnis. Verumtamen Deuteronomium proprie dicitur lex secunda, ἀπὸ τοῦ δεύτερον, quod est secundum, et νόμος, quod est lex. Itaque scripsit Josue per manus scriptorum in lapidibus illis per sculpturam, Deuteronomii normam seu continentiam, vel tenorem legis Moysis. *Quod ille digesserat coram filiis Israel.* Moyses quippe adhuc vivens, filiis Israel proposuit, exposuit, et in scriptis redegit Deuteronomium legis Moysis, sicut et Deuteronomii primo innuitur. Circa hoc aliqui dicunt, quod Josue non scripsit in illis lapidibus, nisi decem præcepta, prout in Deuteronomio habentur. Quibus obviare videtur, quia (ut allegatum est) Moyses in Deuteronomio loquitur : Eriges ingentes lapides, ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus. Josephus quoque asserit ibi scripta fuisse multo plura quam decem præcepta, videlicet benedictiones et maledictiones, de quibus in isto capitulo infra habetur. Augustinus etiam quærit, quomodo potuit tantum scribere in illis lapidibus. Verumtamen quoniam littera apertissime dicit, quod erant ingentia saxa lævigata, poterant multo plura quam decem præcepta exarari in eis.

Matth. XXVI, 64. *Coloss.* II, 11.

Deut. I, 3, 5; XXXI, 24.

Ibid. XXVII, 2, 3.

Omnis autem populus Israel, videlicet plebs communis, *et majores natu, ducesque,* puta principes tribuum, *et judices,* scilicet tribuni, centuriones, quinquagenarii, et decani, de quibus in Exodo habetur, *stabant ex utraque parte arcæ in*

Exod. XVIII, 21, 25.

Digitized by Google

conspectu sacerdotum qui portabant arcam Domini : id est, una ac media pars prædictorum stabat ex uno latere arcæ, alia vero medietas ex alio latere. Ideo subditur : *Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses* in Deuteronomio, *famulus Domini.* Hi enim duo montes parum distabant ab invicem, inter quos fuit campus seu vallis, in qua stabant sacerdotes cum arca. *Et primum quidem benedixit* Josue *populo Israel,* id est, imprecatus est eis bona, tanquam eorum princeps et rector, quemadmodum tertio Regum habetur : Stetit Salomon, et benedixit omni ecclesiæ Israel. Benedictio tamen magis proprie pertinebat ad sacerdotum officium, sicut et consimilia spiritualia opera.

(*Deut.* XXVII, 12, 13.) (III *Reg.* VIII, 55; II *Par.* VI, 3.)

Post hæc legit Josue *omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine.* Hoc in Deuteronomio evidenter præceptum fuit, ut Levitæ, id est sacerdotes, hæc legerent. Idcirco dicendum, quod Josue ista legit, id est legi fecit per Levitas. Quod autem subjunctum est, Et cuncta quæ scripta erant in legis volumine, intelligendum est de cunctis quæ præfato capitulo et deinceps præceperat Moyses legi in loco isto. At vero quæ fuerint verba illa maledictionis et benedictionis, aperitur ibidem, quum habetur : Pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce : Maledictus qui facit sculptile ; et respondebit omnis populus, Amen. Maledictus homo qui non honorat patrem suum et matrem ; et dicet omnis populus, Amen. In eodem quoque capitulo Dominus exprimit, quæ tribus debebant stare in uno horum montium ad benedicendum, et quæ ad maledicendum. Nec repugnat, quod ibi dicuntur stare supra montes hos, hic vero juxta eos, quando stabant in mediis montium locis atque partibus, et aliqui stabant altius, aliqui bassius. Dicitur autem in textu, *ut advena, ita et indigena,* id est, una pars advenarum stabit cum una medietate ex filiis Israel in uno monte, et alia pars

(*Deut.* XXVII, 14.) (*Ibid.* 14-16.) (*Ibid.* 12, 13.)

A advenarum stabit in alio monte cum alia parte Israelitarum. Quod si quæratur, qui fuerint advenæ illi : dici potest, quod vel quidam ex gentilitate conversi, vel ministrantes filiis Israel ex nationibus, aut reliquiæ Ægyptiorum egressorum cum patribus Israelitarum.

Nihil ex his quæ Moyses jusserat credi aut fieri, *reliquit* Josue *intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel,* instruendo et hortando eos ad fidem et obedientiam omnium præceptorum

B [ac] documentorum Altissimi ; nec sprevit inferiores, quia subjungitur, *mulieribus ac parvulis et advenis qui inter eos morabantur :* in quo etiam innotescit fidelitas ejus et diligentia sui officii.

Præterea advertendum, quod aliqui dicunt istam historiam de ædificatione altaris, oblatione et benedictione ac maledictione, hic recitari per anticipationem, et post illam victoriam quæ infra enarratur, esse impletam. Hinc Magister in historiis scribit, Hic præoccupat historia de altari

C facto inter Garizim et Hebal, etc.

(*Josue* X et XI, passim.)

Circa præhabita tria quæruntur : Primum est, an liceat insidiis uti in bellis. Secundum, quæ requirantur ad hoc quod bellum sit justum. Tertium, an liceat hominibus maledicere. Ad primum istorum respondet sanctus Doctor in secunda secundæ, quæstione 40 : Insidiæ ordinantur ad hostium deceptionem. Potest autem unus alterum fallere dicto aut facto dupliciter. Primo, falsum dicendo, aut promissa non observando : quod exstat illicitum, quia secun-

D dum Ambrosium, libro de Officiis, etiam inter hostes servanda sunt pacta. Secundo, propositum seu conceptum suum ei non manifestando : quod licitum est. Nam sicut in doctrina fidei quædam secretiora hostibus fidei occultantur, ne sanctum canibus detur ; ita in documentis rei militaris præcipuum est, ne consilia hostibus revelentur, ut patet per Vegetium libro de Re militari. Et idem Tullius ait. Hinc secundo Machabæorum narratur : Revelavit autem mysteria hostibus Rhodochus quidam, qui

(*Matth.* VII, 6.) (II *Mach.* XIII, 21.)

Digitized by Google

requisitus, conclusus est. Sicque in bellis A justis, non in bellis injustis, licet pugnatoribus uti insidiis. Propterea Augustinus ait circa hunc passum : Quum quis bellum justum accepit, nihil ad justitiam interest, an aperta congressione, an insidiis vincat.

Ad secundum eadem quæstione Thomas respondet : Tria exiguntur ad hoc, quod bellum sit justum : Primum est, auctoritas principis, quia personis privatis non licet bellum movere, quum possint jus suum in superioris sui judicio prosequi. Hinc in libro contra Manichæum asserit B Augustinus : Ille accipit gladium, qui sine legitima et superiori potestate hoc agit. Quum ergo principibus commissa sit cura rei publicæ, compescere habent hostes intestinos atque extraneos. Secundum est, justa causa. Tertium, recta bellantium intentio : quia nocendi cupiditas, vindicandi crudelitas, implacabilis animus, dominandi libido, repugnandi atrocitas, juste culpantur. Hinc circa hunc locum dicit Augustinus : Non omnibus fas est pugnare. Justa autem bella dici solent, quæ ulciscuntur C injurias : si gens aut civitas quæ bello est impetenda, emendare negligit quæ a se aut a suis improbe facta sunt, vel reddere quod injuriose ablatum est. Sed hoc belli genus justum est, quod imperat Deus, in quo non est iniquitas, et qui novit quid *Ps.* XCI, 16. cuique fieri debeat : in quo bello non tam auctor belli, quam minister, judicandus est princeps exercitus vel populus ejus.

Ad tertium breviter respondendum, quod non licet alicui maledicere alteri ex rancore aut zelo injustitiæ, neque ex ira aut impatientia, sed interdum id licet ex caritate et zelo justitiæ. Maledicere namque est, alicui malum dicere vel optare : quod præfato modo est licitum, ita ut malum illud alteri optetur, vel in quantum est ei expediens ad salutem, vel in quantum est malum pœnæ; quandoque etiam fiunt hujusmodi maledictiones a viris justis per modum propheticæ prænuntiationis.

Postremo, in consideratione historiæ hujus capituli admiratio oritur, quod in isto capitulo non fit mentio de vastatione et percussione urbis Bethaven, quum et ejus habitatores, urbe sua aperta relicta, sequebantur filios Israel, insecuti cum habitatoribus Hai : nisi forte ex dispositione unius, alterum detur intelligi.

ARTICULUS XV

DE HUJUS CAPITULI OCTAVI SENSU MYSTICO.

DIXIT *Dominus ad Josue : Ne timeas, neque formides.* D Sic et Christus in *Matth.* X, 28. Evangelio : Nolite, inquit, timere eos qui corpus occidunt, sed eum timete, qui potest corpus et animam perdere in gehennam. Denique unicuique virtuoso prælato, pro subditorum suorum ruina afflicto ac flenti, Dominus præstat consolationem atque fiduciam, admonens ne immoderate propter præterita vereatur, sed spe sua in Deo fixa, viriliter se opponat invisibilibus inimicis, atque cum toto commissi sibi gregis exercitu opponat se aciei vitiorum ac dæmonum : quod est in oppidum Hai ascendere, quoniam Hai interpretatur chaos, per quod obtenebratorum spirituum malignorum congregatio designatur seu locus. Ad quorum debellationem plurimum valet concors connexio, mutuumque subsidium, et generalis instantia circa virtutes servorum commilitonumque Dei, quum dicat Salvator : Ubi fuerint duo vel tres in nomine *Matth.* meo congregati, ibi in medio sum eorum. XVIII, 20. Et rursus testatur Scriptura : Frater qui *Prov.* XVIII, 19.

Digitized by Google

adjuvatur a fratre, quasi civitas munita. Imo in tali conflictu valet potissime ardens diligentia præsidentis, pro sibi commissis fortiter contra peccata ac dæmones præliantis. Insuper, per Josue intelligitur Christus, quem Deus Pater confortavit ac misit ad expugnandum aereas potestates, quas cum rege earum principe tenebrarum, Christo subjecit plenissime. *Ephes.* II, 2.

Pone insidias civitati. Insidias civitati diaboli ponimus, quum per secreta virtutum exercitia, supererogationisque opera, imo per occultissimas et soli Deo cognitas mentis cogitationes puras ac humiles, atque per affectiones sanctas ac fervidas, tentationes ac laqueos dæmonum superamus : et talem conflictum adversus eos, Christus et ejus vicarius sæpe edocent subditos suos. Porro Salvator aperte congressus est contra eos cum suis discipulis. Verumtamen quasi fugam simulavit, dum deitatis suæ omnipotentiam illis abscondit, seque a membris et satellitibus dæmonum in Ægyptum fugari, irrideri, ac multipliciter tribulari permisit. Quumque longius protraxisset eos post se, ita quod usque ad crucis patibulum insecuti sunt eum, tunc statim post resurrectionem et Spiritus Sancti missionem, per suos Apostolos aliosque discipulos prostravit eos omnino, in multis suorum millibus electorum : propter quod passione instante, professus est : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Hinc Pater pollicitus ei est per Isaiam : Dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam. *Joann.* XII, 31, 32. *Is.* LIII, 12.

Josue autem nocte illa in medio mansit populi. Sic prælatus tempore tentationis et adversitatis inseparabiliter debet adsistere suo gregi, et unicuique quantum potest. *Et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum.* Hoc plane ad omnem spectat pastorem, ut in cunctis se præbeat exemplarem, et sibi commissos in omni præcedat virtute, atque in tentationum conflictu formam resistendi ac triumphandi exhibeat semetipsum. Valletur quoque auxilio pugnatorum, id est virtuosorum fratrum militum Dei orationibus et meritis, imo vicissim et exhortationibus et exemplis juvetur, quia Aaron ac Hur manus Moysis sustentabant. *Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio.* Sic prælatus, imo et omnis Christifidelis debet a suggestione iniqua per mentis dissensum recedere, et stare in humilitate, quæ inter præsumptionem (seu elationem) et pusillanimitatem est media. Nam quanto quis major est, tanto profundius humiliare se debet : imo quo præsidens, præ aliis, donis gratiæ eget majoribus, et gratiosiori directione Spiritus Sancti, eo perfectior humilitas sibi est necessaria. *Exod.* XVII, 12.

Quod quum vidisset rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu suo. Per regem Hai, ut dictum est, princeps accipitur tenebrarum. Quamvis autem primus ille apostata, sit generalis omnium malignorum princeps spirituum sub eo, tamen est inter impios illos multiplex ordo superioritatis. Quo autem prælati Ecclesiæ et fideles ardentius ad virtutes se applicant, viriliusque se opponunt tentationibus et peccatis, eo dæmones et aliqui inter eos eminentiores, acrius et celerius illos impugnare ac dejicere moliuntur. *Direxitque aciem contra desertum :* quia iniquus ille apostata eos gravius insectatur, qui relicto sæculo, ad eremiticam vitam seu monasticam conversationem confugiunt, contra quos præliatur, quasi manu ad manum : propter quod solitaria vita periculosa censetur et ardua. *Josue vero et omnis* multitudo *Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam.* Sic multi electi fideles, videntes se inter sæculares homines vix posse salvari, ad secreta et solitaria atque monastica properant loca, in quibus non habent tanta peccandi incitamenta, nec tam fortia concupiscentiarum objecta ; et quoniam metuunt inter mundanos homines supplantari, et cum perversis perverti, ad vitam abstractam nituntur pertingere. *Ps.* XVII, 27.

Digitized by Google

Dixit Dominus ad Josue : Leva clypeum qui in manu tua est, contra urbem Hai. Sic Dominus præfatis dimicatoribus suis, præsertim superiori eorum jubet, ut clypeum quem tenent in manu, id est fidem quam habent in suis operibus, levent ad Dominum, considerando quam paratus sit Omnipotens eis auxiliari, et quantæ mercedis ac gloriæ sit, contra vitiorum ac dæmonum aciem prævalere; sicque potenter et infatigabiliter prælientur. Hinc Paulus: (*Ephes.* VI, 16.) In omnibus, inquit, sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Joannes quoque in sua (I *Joann.* V, 4.) prima Canonica : Hæc est, ait, victoria quæ vincit mundum, fides nostra : imo Christo (*Matth.* XXI, 21, 22; *Marc.* IX, 22.) testante, Omnia possibilia sunt credenti. Quum ergo fideles cum suis prælatis, ita concorditer resistunt diabolo et angelis ejus, ipsi maligni spiritus undique prosternuntur, et eorum dissipatur collectio; incenduntur quoque et gravissime affliguntur fervore caritatis, flamma devotionis, igne ferventis orationis servorum Dei: (*Ps.* XC, 7.) sicque impletur quod ait Scriptura, Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.

Regem quoque Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue. Hoc spiritualiter adimpletur, dum virtuosi et humiles subditi exponunt humiliter suo superiori, quomodo tentationibus ejus prævaluerunt (*Job* XLI, 25.) qui est rex super omnes filios superbiæ. Josue vero suspendit regem illum in patibulo, id est, subditos docet, ut victoriam suam adscribant virtuti crucis Christi, et meritis suæ salvificæ passionis. Denique Christus moriendo in cruce, diabolum spiritualiter crucifixit, dicente Apostolo ad Colossenses : Christus delens quod adver- (*Coloss.* II, 14, 15.) sus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci : exspolians potestates et principatus, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso, vel, ut in Græco habetur, secundum Origenem, In ligno crucis. *Josue autem non contraxit manum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Sic spiritualis pugnator cessare non debet ab oratione et fidei elevatione exercitiisque virtutum, quousque universas vicerit tentationes.

Tunc ædificavit Josue altare Domino. Sic Christifideles quum in tentatione prævaluerint, sacrificium laudis debent Deo offerre, et omnem triumphum suum ejus pietati auxilioque adscribere. Denique Christus post suam passionem et resurrectionem, ædificavit templum atque altare Deo Patri ex impolitis lapidibus, quoniam ex hominibus simplicibus et ante carentibus omni decore virtutum, congregavit Ecclesiam : in quorum cordibus scripsit per gratiam Spiritus Sancti documenta et præcepta evangelicæ legis. Sacerdotes quoque, id est Apostoli, obedientibus Christo benedictiones, inobedientibus vero maledictiones seu excommunicationes prænuntiaverunt aut etiam inflixerunt. Nam et princeps Apostolorum Simoni Mago maledixit : Pecu- (*Act.* VIII, 20.) nia, inquiens, tua sit tecum in perditionem. Paulus quoque Corinthium incestuosum tradi decrevit Satanæ in interitum car- (I *Cor.* V, 5.) nis : attamen reus ille, per pœnitentiam suam excommunicationis illius exsecutionem prævenit.

Digitized by Google

ARTICULUS XVI

EXPLANATIO CAPITULI NONI : QUIBUS AUDITIS, ETC.

QUID duarum urbium præfatarum combustionem secutum sit, subditur. *Quibus auditis,* qualiter scilicet Jericho et Hai sint vastatæ, *cuncti reges trans Jordanem,* trans quem etiam filii Israel nunc fuerunt, *qui versabantur,* id est morabantur, *in montanis et* in *campestribus, in maritimis,* id est locis et urbibus circa mare Genesareth et mare Mortuum, *ac littore maris Magni,*
Josue I, 4. puta Mediterranei : de quibus maribus, et cur ita nominentur, dictum est in superiorum explanatione; *hi quoque qui habitabant juxta Libanum,* id est montem Libani : scilicet *Hethæus et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus et Hevæus et Jebusæus,* id est gentes sic appellatæ, *congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo eademque sententia.* Concordaverunt namque in malo, tamque excæcati et indurati fuerunt, quod ex tot mirabilibus jam præscriptis, non fuerunt ad fidem et timorem Dei Israel moti. Præterea illis ita se congregantibus, gestum est quod subditur.

At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue Jericho et Hai : unde videtur quod quosdam miserunt occulte ad explorandum quid filii Israel agerent, et qualiter prævalerent ; *callide,* id est sagaciter quidem pro se, tamen aliqualiter dolose quantum ad Hebræos, *cogitantes* et inter se conferentes, qualiter imminens periculum possent evadere. Nec solum Gabaonitæ, sed et habitatores trium urbium eis subjectarum quæ infra exprimuntur, istud cogitaverunt, secundum quod infra in textu habetur. Unde elicitur, quod venerunt ad Gabaon tanquam ad suam metropolim, ad habendum consilium de ista materia. *Tulerunt*
A *sibi cibaria, saccos veteres,* in quibus panes positi erant, *asinis imponentes,* id est superponentes ad portandum in via, quasi primo accepissent tam multos panes ob longitudinem viæ, quod eos personaliter portare non potuissent ; *et utres vinarios scissos atque consutos :* quia de corio facti erant, et quasi repetiati ; *calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis, pittaciis consuta erant,* id est parvis frustis corii reparata ; *induti veteribus vestimentis ; panes quoque quos portabant ob*
B *viaticum, duri erant, et in frusta comminuti. Perrexeruntque ad Josue qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei : De terra longinqua venimus.* Hoc fuit mendacium officiosum et veniale peccatum. *Pacem vobiscum facere cupientes.* Hoc verum erat.

Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt, scilicet superiores : *Ne forte in terra quæ nobis sorte debetur, habitetis :* id est, videndum est, atque inquirimus, an ne sitis de territorio nobis promisso a
C Domino Deo nostro, *et non possimus* sine peccato *fœdus,* id est pacis et amicitiæ conventionem, *inire vobiscum.* In Deuteronomio namque frequenter eis prohibitum fuit, cum habitatoribus terræ Chanaan trans Jordanem fœdus inire, et hoc pro- Deut. VII,
pter nimiam Chananæorum illorum ma- 2-4.
lignitatem, et ne inter filios Israel habitando, allicerent eos ad suorum culturam deorum. *At illi ad Josue* tanquam ad principem, *Servi, inquiunt, tui sumus,* id est, nos ipsos sponte subjicimus tuo do-
D minio. *Quibus Josue dixit : Quinam estis vos ? aut unde venistis ? Responderunt : De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui,* id est in

Digitized by Google

fide ipsius, et ad ejus honorem. Quamvis A enim timor servilis induxit eos ad hæc, tamen jam aliquam cœperunt fidem, saltem suasam, habere in Deo ex mirabilibus ejus, ut infra in littera continetur. Nam subditur : *Audivimus enim famam potentiæ ejus,* id est rumorem de ejus omnipotentia, *et cuncta quæ fecit in Ægypto* pro vobis, *et duobus regibus Amorrhæorum, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan. Dixeruntque nobis seniores terræ nostræ : Tollite in manibus vestris cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et* B *dicite : Servi vestri sumus, inite fœdus nobiscum,* etc. *Susceperunt ergo* filii Israel *de cibariis eorum* in signum fœderis initi aut ineundi, et forte inde aliquid comederunt, *et os Domini non interrogaverunt,* id est, a Deo seu a sapientia ejus qua omnia profert, vel ab angelo qui in persona Dei eis denuntiare consuevit agenda, non petierunt consilium.

Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est, ut non occiderentur. Principes quoque multitudinis juraverunt C *eis. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt* filii Israel, *quod* viri illi et hi a quibus fuerant missi, *in vicino habitarent,* id est locis urbibusque propinquis, *et inter eos futuri essent. Moveruntque castra filii Israel, et venerunt in civitates eorum die tertio.* Si post diem tertium initi fœderis, nuntiatum est filiis Israel, quod illi prope eos habitarent, quomodo tertio die venerunt in urbes illorum ? Itaque sensus esse videtur, quod post tertium diem, id est post tertii diei initium, nuntiatum est D eis, et eodem die cœperunt ire ad civitates illorum, et forte pervenerunt usque ad eas. *Quarum hæc vocabula sunt, Gabaon et Caphira et Beroth et Cariathiarim :* quarum habitatores statim aperuerunt et obviaverunt Josue et Hebræis, tanquam dominis et amicis ; *et non percusserunt eos* filii Israel, *eo quod jurassent eis principes multitudinis,* scilicet Josue communis omnium princeps, et duodecim tribuum duces, et forte etiam Eleazar pontifex, *in nomine Domini Dei Israel,* id est per Deum suum, quod non occiderent ipsos. *Murmuravit itaque omne vulgus contra principes Israel,* imponendo eis quod incaute inissent fœdus cum illis, a quorum fœdere erant prohibiti, et quod os Domini non interrogaverunt, id est Dominum per pontificem seu sacerdotem, quum tamen in magnis causis debuerint ad Dei consultationem confugere, qui in Isaia loquitur : Væ filii *Is.* xxx, 1, 2. desertores, ut faceretis consilium, et non ex me, et os meum non interrogastis. Murmuraverunt quoque contra principes, eo quod parcebant habitatoribus urbium harum, et acclamabant standum non esse juramento per subreptionem et fraudem facto.

Qui, scilicet principes, *responderunt eis,* scilicet vulgo : *Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel* servare cum eis pacem, *idcirco non possumus eos contingere,* id est lædere violenter, propter reverentiam increatæ veritatis et jurisjurandi religionem, ne inveniamur perjuri, quia vere juravimus rem in se licitam, quamvis sagaciter circumventi ; *sed hoc faciemus eis : reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur,* ne rigor divinæ justitiæ puniat nos, *si perjuraverimus* violando juramentum quod illis præstitimus ; *sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis* Israel *ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus* ad vulgus Israeliticum, *vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis : Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis, Procul valde habitamus a vobis, quum in medio nostri sitis ? Itaque sub maledictione eritis,* id est, pro vestris mendaciis et ceteris culpis temporali pœnæ eritis subjecti, et civilem sustinebitis mortem, videlicet servitutem communem ac diuturnam, *et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei :* id est, tam vos quam posteri vestri per universum tempus quo viguerit cultus Dei secundum legem Moysis, in hac terra eritis obligati ligna cædere et afferre, aquas etiam comportare ad

Digitized by Google

locum cultus divini pro necessariis in eodem, scilicet ad incendendum holocausta ac hostias abluendas.

Itaque Josue tanquam supremus in populo suo, dictavit et tulit sententiam, ac sapientissime mediavit inter mortem corporalem et liberam vitam, infligens Gabaonitis mortem civilem ; nec hoc fuit contra justitiam, quod et posteros eorum tam perpetuæ servituti addixit, ut patet ex dictis in expositione capituli septimi. Nempe et posteris Gabaonitarum multo melius fuit, in tali servitute gravari, quam patribus eorum occisis, non gravari. Fuit quoque eis salubre, ita in templo servire. Hi etenim sunt, qui in libris Regum et Paralipomenon, Nathinæi vocantur. Sed quæri potest, qualiter sententia Josue concordet judicio principum, qui dixerunt Gabaonitas servandos in communem totius populi Israel usum. Respondetur, quod servitus ista in templo, fuit pro communi usu utilitateque populi, qui alias obligatus fuisset servitutem hanc exhibere : et forsan sanctus vir Josue emendavit judicium principum, tanquam altior et sapientior eis. Sed et dici posset, quod Gabaonitæ forte ad tempus et interdum adduxerunt pro communi usu populi ligna aquasque, quum infra dicatur : Decrevit Josue in illo die, esse eos in ministerium cuncti populi et altaris Domini.

Josue VII. — I *Esdr.* VII, 7, 24; VIII, 17, 20; I *Par.* IX, 2.

Qui, scilicet Gabaonitæ, *responderunt eis : Nuntiatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Moysi servo suo, ut traderet vobis omnem terram* hanc, scilicet terram Chanaan istam, *et disperderet cunctos habitatores ejus.* Si Gabaonitæ credebant Dominum hoc promisisse, quomodo ipsi putaverunt aliter fieri posse, videlicet se posse mortem illam evadere ? Et respondendum, quod forte credebant verba Dei sub conditione esse intelligenda, videlicet nisi habitatores illi se humiliarent, atque ad filios Israel et ad cultum Dei eorum confugerent. Nam et verba Dei sic erant veraciter intelligenda. *Timuimus igitur valde :* iste fuit timor servilis, qui est principium sapientiæ et salutis, retrahens a peccato, et disponens ad gratiam ; *et providimus animabus nostris,* id est vitæ nostræ corporali et animali, illam hoc modo præservando a morte ; providimus quoque saluti animarum nostrarum, confugiendo ad Deum vestrum, *vestro timore* * *compulsi,* id est vehementer inducti, non tamen absolute coacti. Servitia autem quæ ex coactione quadam habent originem, et deinde libere exhibentur Altissimo, placent ei. *Nunc autem in manu tua sumus : quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis. Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manibus filiorum Israel, ut non occiderentur. Decrevitque eos in illo die, esse in ministerio cuncti populi et altaris Domini, cædentes ligna et aquas comportantes usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.* Videntur Gabaonitæ isti et eis associati, non fuisse tam malitiosi, excæcati et obstinati, ut alii Chananæi : ideo Dominus eis misertus est, atque modo prætacto ad salutem perduxit eosdem. Nempe de aliis infra fertur : Domini sententia fuit, ut indurarentur, et non mererentur ullam clementiam.

Ps. CX, 10. — * *terrore* — *Josue* XI, 20.

Quæritur, an Josue et duces populi tenebantur servare juramentum præfatum. Videtur quod non, quoniam fraude mendaciisque decepti sic juraverunt. Fraus autem et dolus non debent alicui suffragari. Item non intendebant Chananæis propinquis, sed remotis et extraneis, juramentum facere ac promissum. Ad quod dicendum, quod sicut ex præhabitis innotescit, Deo disponente, accidit ista historia ; et quoniam Gabaonitæ jam inceperunt ad Deum Israel se convertere, eumque de cetero colere intenderunt, fuit eis fides ista in promissione et juramento servanda. Nec exemplare fuisset aut decens, quod filii Israel statim in suo ingressu promissionem suam ac juramentum fuissent transgressi. Hinc circa hoc loquitur Augustinus : Noluerunt frangere jurationem, quamvis perceperunt Gabaonitas esse mentitos ; et parcere maluerunt, quamvis dicere potuissent se illis

jurasse, quos de longinquo crediderant esse. Deus autem approbavit, quod illis pepercerunt, quia et tempore David graviter vindicavit in semine Saul, quod Gabaonitas injuste oppresserat, ut secundo Regum describitur; et quamvis crediderunt Gabaonitas esse de terra remota, tamen juraverunt personis quæ sua emendatione venia erant dignæ.

II *Reg.* xxi, 1, 5-9.

Sensus mysticus.

Juxta mysticum intellectum, per reges Amorrhæorum in montanis et campestribus morantes, designantur tyranni cum perfidis satellitibus suis, qui Christi Evangelio coruscante ac cœlitus per diversa prodigia confirmato, nequaquam compuncti sunt, sed pari impietate conjuraverunt exstinguere legem plebemque Salvatoris. Porro per Gabaonitas figurantur pusilli et imperfecti, qui ex timore resipiscunt a vitiis, metuuntque damnari: idcirco cupiunt pro se orari, atque obsequia quædam præstant Ecclesiæ, et eleemosynas faciunt, et offerunt munera Dei ministris; sed in suis vetustatibus perseverant, mores sæculares et

A vitia carnis non deserunt, maluntque mentiri et fallere, quam pro justitia mori. Hinc inter electos non computantur, quamdiu sunt tales; nec tamen omnino separantur ab eis: nam fide et pia quadam inclinatione, imo per exteriora quædam opera, ex suo genere bona, appropinquant veraciter virtuosis. Quod si quæratur, cur Rahab cum sua cognatione statim adjuncta est filiis Israel, et in societatem plenam accepta magis quam Gabaonitæ: Origenes respondet, quod Rahab magis perfecte cum

B suis credebat in Deum, et exploratoribus plena devotione beneficia impendebat. Docemur quoque ex isto capitulo, quam diligenter ac fideliter juramenta et promissa sint adimplenda, præsertim quæ ex proposito absque circumventione atque fallacia emittuntur. Rursus ex dictis instruimur, in magnis ac dubiis causis ac casibus ex abrupto nil agere, sed superiores ac sapientiores consulere, atque divinam directionem, illuminationem, et opem cum omni fiducia perseveranter invocare et exorare.

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : QUÆ QUUM AUDISSET REX JERUSALEM.

PROCESSUS præliorum Israeliticæ plebis nunc recitatur. *Quæ quum audisset rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Hai, et subvertisset eam*, etc., *et quod transfugissent Gabaonitæ ad Israel, et essent fœderati eorum, timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una regalium civitatum, et major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi.* Et ita apparet, quod specialem habuit regem, qui etiam præerat tribus urbibus præcedenti capitulo nominatis, quæ erant Gabaonitis subjectæ. *Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem, ad Oham regem Hebron,* et ad alios reges tres qui in littera exprimuntur, *di-*

Josue ix, 17.

C *cens: Ascendite ad me, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon,* id est urbem et populum illum, *quare transfugerit,* id est ob hoc, quod contra voluntatem nostram transfugit, *ad Josue et ad filios Israel,* infideliter agens in hoc cum suis finitimis. *Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum.* Amorrhæus hic sumitur non determinate pro una de septem gentibus, quarum terras Israeli Deus promisit, sed communiter pro quacumque illarum gentium seu pro omnibus, aut pluri-

D bus earum, quemadmodum et Chananæus accipi solet. Habitatores autem Jerusalem dicebantur proprie Jebusæi. *Simul cum*

Digitized by Google

exercitibus suis, et castrametati sunt, id est, tentoria sua et turmas fixerunt, *circa Gabaon, oppugnantes eam. Habitatores autem Gabaon obsessi, miserunt ad Josue, et dixerunt,* per internuntios : *Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum. Ascende cito et libera nos,* tanquam tibi confœderatos ac subditos. *Convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi.*

Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos, videlicet quinque reges illos, eorumque populos. *In manus enim tuas tradidi illos. Nullus resistere tibi poterit.* Quemadmodum circa hæc loquitur Augustinus, Dominus non consultus, nec interrogatus a Josue, ultro offert se ei, et pergenti ad subveniendum confœderatis, prædicit et promittit victoriam. Ex quo etiam trahitur, quod Deo complacuit, filios Israel servasse Gabaonitis promissa. *Irruit itaque Josue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis. Et conturbavit eos Dominus a facie Israel :* id est, mox ut reges illi et eorum ministri viderunt filios Israel super se venientes, Deus omnipotens perterruit, stupefecit, et quasi amentia fecit corda ipsorum ; *contrivitque plaga magna in Gabaon,* id est, filiis Israel dedit potestatem interficiendi plurimos illorum circa oppidum Gabaon, *et persecutus est eos per viam ascensus Bethoron, et percussit usque Azeca et Maceda :* id est, per manus filiorum Israel ita persecutus est fugientes, et multos in ipsa fuga occidit in locis et urbibus jam expressis. *Quumque fugerent filios Israel, et essent in descensu Bethoron,* qui nondum occisi erant, *Dominus misit super eos lapides grandes de cœlo* aereo, id est grandinem tantæ quantitatis atque duritiæ, quod etiam armatos occidit ; *et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserunt filii Israel.* Per quod evidentissimum fuit, totum istud fuisse opus Omnipotentis, tantam videlicet stragem es-

A se factam in fortissimis illis pugnatoribus Chananæis, quibus ante nulla gens quivit resistere.

Tunc locutus est Josue Domino, id est ad Dei honorem et gloriam, cui et gratias egit de beneficiis tantis, *in die qua tradidit Amorrhæum,* id est præfatos reges ac populos Amorrhæorum, *in conspectu filiorum Israel,* in quorum adspectu tradidit illos morti et fugæ. *Dixitque coram eis,* id est præsentibus ac audientibus filiis Israel, ut instans miraculum innotesceret B magis, et filii Israel principi suo subjectiores exsisterent, videntes quod Deus altissimus propter eum tanta efficeret : *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon.* Ex hoc videtur, quod istud factum sit in plenilunio aut circiter, die jam advesperascente, hora qua luna circa orientem apparuit, et ascendit, suoque motu tendebat ex adverso vallis, quæ erat circa locum aut oppidum Aialon, sol vero cœpit occumbere, et descendendo quasi ex opposito Gabaon declinare, secundum C quod apparebat a loco, in quo Josue stetit quando hæc dixit. Direxit autem sermonem ad solem et lunam, non quod planetæ illi verba ejus intellexerint, nisi forte cum Judæis quis dicat, quod sint animati et intellectualis naturæ ; sed direxit verbum ad eos, ad insinuandum quod universa creata obediunt Deo, et quasi audiunt ejus imperium. Itemque ad excitandum propriam devotionem et contemplationem ex appellatione harum cœlestium creaturarum, sicut et nos quotidie psallimus : Laudate *Ps.* CXLVIII. 3.
D eum, sol et luna, etc. Sed cur Josue dixit ad lunam, ne moveretur, quum ejus statio non profuerit ad debellandum adversarios Dei ac Israelis ? Dici potest, quod ideo, ut ordo cœlestium motuum minus immutaretur, vel ut omnipotentia Creatoris præclarius commendaretur in isto miraculo, ad sui ipsius honorem, et hominum informationem.

Steteruntque sol et luna : quod fuit miraculum, soli omnipotenti Creatori possibile : quoniam, ut divinus protestatur Dionysius

Digitized by Google

in epistola ad Polycarpum, Motus cœlestium A corporum immutare, Deo est proprium; *donec ulcisceretur se gens de inimicis,* id est usque ad finem prælii hujus, in quo Israelitica plebs vindictam exercuit in Chananæos, qui Israelitarum interfectionem optabant et machinabantur, terramque filiis Israel divinitus repromissam, possidebant injuste. *Nonne scriptum est hoc in libro Justorum?* quasi dicat, Utique. Per quod insinuat auctor magnitudinem hujus miraculi, certitudinem quoque veritatis historiæ de eodem: tanquam dicat, Prodi- B gium istud tale ac tantum atque tam vere est factum, ut in libro contineatur Justorum. Porro, quid per librum Justorum intelligendum sit, infra tangetur. *Stetit itaque sol in medio cœli.* Ex hoc quidam concludunt, quod sol tunc erat in summo motus sui ascensu et puncto meridionali: quod stare non potest, tum quia (ut aliqui dicunt) factum est signum istud in plenilunio seu tempore oppositionis, in quo luna non apparet super terram hora meridiei, sed circa vesperam; tum quoniam C non est verisimile, quod Josue petierit solem stare, diemque prolongari, nisi sole ad occasum propinquo; tum quia Magister in historiis contestatur, Videns Josue solem descendentem ad occasum, et lunam ascendentem, timens ne beneficio noctis evaderent hostes, clamavit ad Dominum, Sol contra Gabaon ne movearis; tum quia in textu subjungitur, Et non festinavit occumbere: quo constat, quod erat circa occasum. Medium ergo cœli nunc appellatur, pars orbis seu sphæræ solis supra no- D strum horizontem apparens, contenta inter hemisphærii puncta. *Et non festinavit occumbere,* id est, immobilis stetit, *spatio unius diei* artificialis, qui habet duodecim horas, præsertim in æquinoctio.

Non fuit ante et postea tam longa dies, loquendo de die qui dicitur latio seu motio solis super nostrum horizontem: tamen de horum intellectu verborum infra magis dicetur; *obediente Domino voci hominis,* id est, Deo altissimo in exhibitione hujus miraculi se habente per vocem * obedientis. Nam Josue procurando istud prodigium, locutus est imperative magis quam exorative, dicendo, Sol ne movearis: quod imperium quamvis sit factum soli et lunæ, non Deo, Deus tamen hoc ipsum implendo dicitur etiam voci hominis, id est verbis his Josue, obedisse: quia quod soli et lunæ præcipiebatur a Josue, Deus effecit, faciens solem et lunam stare. Denique quod ait, Stetit itaque sol in medio cœli, de luna quoque est intelligendum, quoniam æque diu steterunt. Dicitur etiam Deus voci hominis obedisse, sumendo obedientiam extense pro quadam condescensione. Sic enim superior dicitur inferiori obedire, dum ejus voluntati acquiescit et condescendit. Proprie autem, obedire respicit pro objecto præceptum superioris. Sed et valde congruenter Deus sic obedivit voci Josue, quoniam ipse Josue obedientissimus fuit Deo: quia (ut dictum est) non recessit ab omnibus Dei præceptis, nec ad dexteram nec ad sinistram, nec dimisit quidquam intactum ex omnibus quæ Moyses jussit. Hanc autem obedientiam, seu condescendentiam Dei, homo suo modo meretur Deo plenarie obediendo. *Et pugnante pro Israel,* id est, ipso Domino ista mirabilia faciente in subsidium filiorum Israel, ad expugnandum hostes eorum. Pro eo autem quod nostra translatio habet, Obediente Deo voci hominis, Septuaginta interpretes transtulerunt, Nunquam sic exaudivit Dominus. Per quod insinuari videntur duo: Primum, quod ante Josue non contigit tale in corporibus cœlestibus signum. Secundum, quod nullus hominum ante Josue fecit tam grande miraculum, neque tam imperialiter.

* modum

Josue I, 7; VIII, 35.

Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ. Hoc idem in fine hujus capituli scriptum est: unde nunc per anticipationem videtur dictum. *Fugerant enim quinque reges, et se absconderant in spelunca urbis Maceda. Nuntiatumque est Josue* ab aliquibus de populo suo, *quod inventi essent quinque reges,* de quibus in

Digitized by Google

principio hujus capituli dictum est, *latentes in spelunca Maceda.* Quæ spelunca fuit non remote ab urbe sic nominata, et in ea reges illi post fugam se absconderunt, ignorantibus filiis Israel, qui undique perquirendo tandem invenerunt reges illos ibidem. *Qui præcepit sociis, et ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant. Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite. Nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras. Cæsis ergo adversariis, et usque ad internecionem pene consumptis, hi qui Israel,* id est populum Israeliticum, *effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas.* Ut enim recitat Josephus, et in Scholastica habetur historia, Chananæi fecerunt sibi plures munitiones pervalidas, a die qua perceperunt filios Israel de Ægypto egressos ad terram Chanaan obtinendam; et illas munitiones non obtinuerunt filii Israel, nisi longo tempore et magno labore, sed omnem circa regionem interim vastaverunt. *Reversusque est omnis exercitus* Israel, qui hinc inde fugientes fuerat persecutus, *ad Josue in Maceda,* id est prope urbem illam tunc nondum captam, *sani et integro numero:* quod fuit prorsus mirabile, quod nullus eorum læsus fuit aut interfectus a tot millibus hostium. *Nullusque contra filios Israel mutire ausus est.* Quomodo verum est hoc, quum sequenti capitulo legantur tam multi reges ac populi contra eos venisse ad prælium? Et respondendum, quod nullus eorum qui in præfato fuerunt exercitu, et adhuc superstites erant, contra filios Israel loqui audebant, vel die illo quo contigit prælium istud. Deinde in textu describitur, qualiter Josue jussit quinque reges de specu educi, eorumque colla a principibus Israel conculcari, deinde occidi, patibulisque affigi. *Eodem die Macedam quoque cepit Josue, et percussit in ore,* id est acumine læsioneque, *gladii, regemque illius interfecit, omnesque habitatores ejus.*

A Deinceps in textu narratur, qualiter cepit Hebron, et regem ejus occidit: quod potest intelligi de rege Hebron, quem cum aliis regibus jam prætactis suspendit, vel de rege quem urbs illa interim sibi constituit, puta de filio, aut alio successore regis illius: siquidem inter quinque regum illorum suspensionem, et hanc Hebron captionem, notabile fluxit tempus. Hanc tamen urbem legitur Caleb vastasse, et quosdam delevisse ex ea, ut patet infra, et in libro Judicum: et forte nunc factum est, (*Josue* xv, 14. *Judic.* I, 20.)
B quod tunc factum narratur, vel vastavit eam magis quam ante erat vastata. *Percussit itaque Josue omnem terram montanam, et meridianam atque campestrem,* id est habitatores terræ, *et Asedoth cum regibus suis. Non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat, interfecit,* id est omnes homines ibi viventes, non parcens ætati nec sexui; jumenta vero acceperunt filii Israel sibi in spolia; *a Cadesbarne usque Gazam,* videlicet ab extremo in extremum, quantum ad longitu-
C dinem terræ promissionis ab oriente versus occasum. *Omnem terram Gosen usque Gabaon, universosque reges et regiones eorum uno impetu cepit atque vastavit.* Non simpliciter uno impetu numero atque continuo, aut una die, sed uno impetu per temporum intervalla continuato, protracto seu consummato: quoniam ut sequenti fertur capitulo, Multo tempore contra istos pugnavit. (*Josue* xi, 18.) *Dominus autem Deus Israel pugnabat pro eo. Reversusque est cum omni Israel ad castra in Galgala.* Cur au-
D tem omnipotens Deus voluit bella illa sic protrahi, quum potuerit omnes una hora adversarios filiis Israel plenissime tradere, Moyses docuit, dicens: Ne crescant et multiplicentur contra te bestiæ agri. (*Deut.* vii, 22.)

Circa præhabita quæritur, quid intelligatur in Scriptura canonica per librum Justorum. Ad quod respondendo dico, prout nunc occurrit memoriæ, quod in Scripturis canonicis in duobus locis fit mentio de hoc libro: secundo Regum, et item Josue dicit hic. (II *Reg.* I, 18.) Itaque de hoc in Scholastica hi-

storia circa exordium secundi Regum sic dicitur: Liber Justorum non habetur, sicut nec plurimi libri quorum fit mentio in veteri Testamento: quos a Babyloniis credimus esse combustos. Et circa eumdem locum recitat Lyra: Aliqui dicunt, quod liber Justorum sit specialis liber, qui non
I *Esdr.* v, 17: vi, 1. II *Mach.* ii, 13. habetur, quoniam Esdras reparans bibliothecam a Chaldæis incensam, non reparavit omnes libros, ut patet de libris Salo-
III *Reg.* iv, 33. II *Par.* ix, 29. monis, quos fecit de naturis animalium et herbarum, et de libris Nathan prophetæ et Abiæ Silonitis, qui secundo Paralipomenon allegantur libro, nec tamen habentur, quia non fuerunt reparati. Recitat quoque in expositione hujus capituli: Aliqui doctores catholici dicunt, quod iste liber non pervenit ad nos, quia non est translatus in Latinum. Quod reprobat, addens, Hoc non videtur convenienter dictum, quia saltem esset vel fuisset apud Hebræos: quod expositores eorum non dicunt, sed magis contrarium. Quidam vero per librum Justorum, intellexerunt librum Regum, in quo de multis justis fit mentio: quod non videtur idonee dictum, quia in secundo
II *Reg.* i, 18. Regum allegatur liber Justorum tanquam distinctus a libro Regum, nec apparet quod idem liber alleget se ipsum. Denique liber Regum editus est post Josue librum per centenaria multa annorum. Idcirco nec verum apparet, quod quidam librum Justorum dicunt librum duodecim Propheta-
Habac. iii, 11. rum, eo quod in Habacuc scriptum sit, Sol et luna steterunt in habitaculo suo; sed hic scribitur, Steteruntque sol et luna. Nonnulli per librum Justorum, intelligunt Moysis Pentateuchum. Quidam autem legunt Justorum neutraliter, dicentes, Librum justorum, quoniam agit de his quæ justa sunt: per quem librum quidam intelligunt Exodum, in quo judicia et præcepta traduntur.

Porro, ut refert Lyra, Rabbi Salomon et Hebræi librum Justorum dicunt esse Genesis librum, in quo virtutes et opera Abrahæ, Isaac et Jacob, qui fuerunt præcipue justi, scribuntur. Contra quod duplex occurrit objectio: Prima, quia si ideo liber ille vocatur liber Justorum, multo magis primus Paralipomenon dici posset liber Justorum, quia in libro illo fit mentio etiam de ipsis Abraham, Isaac et Jacob, Moyse et Aaron, et aliis innumerabilibus justis. Secunda, quia in Genesi non est scriptum istud de statione solis et lunæ sub Josue. Nec videtur valere, quod dicunt hoc scriptum esse in Genesi in verbis benedictionis Ephraim, in qua Jacob sic ait, Semen *Gen.* xlviii, 19.
ejus crescet in gentes, vel, ut in Hebræo dicunt haberi, Semen ejus congregabit gentes: quod dicunt impletum in Josue Ephratæo, quia quum dixit, Sol ne movearis, filii Israel fuerunt congregati ad audiendum hoc verbum, ut patet in littera. Sed istud videtur debiliter dictum, ut ideo statio solis et lunæ dicatur scripta in Genesi, quoniam ibi de Ephraim seu Josue Ephratæo prædictum est, quod crescet in gentes, vel congregabit gentes. Nam et Josue congregavit populum seu tribus Israel valde frequenter.

Itaque ad videndum quid sit liber Justorum, attendenda sunt verba Scripturæ, in quibus liber ille allegatur: de quo in isto capitulo continetur, Steteruntque sol et luna, etc. Nonne scriptum est hoc in libro Justorum? Per quod insinuari videtur, quod ista historia hic descripta de supernaturali statione solis et lunæ, scripta sit in libro Justorum. Secundo quoque Regum libro sic legitur: Planxit autem David planctum II *Reg.* i, 17, 18.
hujuscemodi super Saul et super Jonathan filium ejus, et præcepit ut docerent filios Juda planctum*, sicut scriptum est in libro * arcum
Justorum. Hinc apparet, quod liber Justorum posset intelligi tota Scriptura canonica, quæ sic appellatur unus liber totalis, quomodo appellatur una scriptura et una scientia seu doctrina, et in qua fit mentio copiosa de justis hominibus, justisque rebus. Nec obstat quod specialis locus Scripturæ alleget generalem Scripturam: quasi dicat, Istud tam verum est, ut in canonica contineatur Scriptura, et ad eam pertineat. Attamen potest defendi, quod liber Gene-

Digitized by Google

seos dicatur liber Justorum, quia in eo A antiquissimorum et priorum ac præcipuorum justorum vera facta, præcepta et documenta describuntur diffuse, non solum Abrahæ, Isaac et Jacob, sed et Melchisedech, Lot, Noe, Enoch, Enos, Seth et Adæ. Tamen in libro Geneseos nequaquam scriptum videtur, quod nunc ex secundo Regum est allegatum: ideo non apparet quod in Scripturis per librum Justorum intelligatur Genesis liber.

Consequenter quæritur de supernaturali hac statione solis et lunæ, quot horis fuerit prolongatus hic dies, et an fuerit longior die illo qui sub Ezechia rege, quarto Regum libro et in Isaia legitur prolongatus, non per solis stationem, sed retrocessionem et regressionem. Circa hanc quæstionem sunt variæ opiniones, præsertim quoad partem ejus secundam : siquidem quantum ad primam ejus partem, satis concorditer dicunt expositores, quod dies ista sub Josue, prolongata sit spatio diei unius artificialis. Non tamen est certum per quot horas, quia non scitur quo mense anni C facta sit prolongatio ista. Quamvis enim dicatur communiter, quod dies artificialis duodecim habeat horas, tamen secundum diversitatem locorum et temporum continet plures horas, loquendo de horis quibus sol nostrum illuminat horizontem.

IV *Reg.* xx, 9-11. *Is.* xxxviii, 8.

Præterea, quantum ad secundam quæstionis istius partem, diversa est doctorum et expositorum opinio, secundum quod super Isaiam narravi. Quidam enim, ut Andreas et eum sequentes, dicunt, in horologio Achaz, duas lineas unam horam fe- D cisse, et consequenter diem illum non nisi per decem horas esse protractum, videlicet quinque horis per solis retrocessionem, et totidem per solis regressum ad idem punctum a quo regredi cœpit. Alii dicunt, quod quælibet linea in horologio Achaz, designavit integram horam; tamen opinantur diem illum non esse ultra decem horas supernaturaliter prolongatum, quoniam dicunt solem retrocedendo et regrediendo, duplo celerius solito esse motum : et isti tenent quod dies ista sub Josue prolongata, fuit longior die prolongato sub Ezechia. Nam dies artificialis ista sub Josue, duravit ad minus per viginti quatuor horas. Sed prætactæ opiniones refelluntur auctoritate divini et magni Dionysii, a sanctis Apostolis ac apostolicis viris, præsertim a Paulo, imo potissimum a Spiritu Sancto instructi : qui in epistola ad Polycarpum, fatetur et protestatur diem illum sub Ezechia, pene triplicatum fuisse, hoc est, quasi tantam habuisse durationem, quanta est trium artificialium dierum duratio, quæ continent horas triginta sex. Ait quippe in illa epistola : Alia quædam dies secundum continuitatem fere triplicatur. Et sententialiter addit ibidem : Sol, quum esset decima hora diei, id est, quum dies artificialis per decem horas durasset, repedavit ad orientem decem horis, deinde denuo aliis decem horis ad occidentem recurrit, et residuis horis duabus diem conclusit. Ex quibus probatur, quod dies illa artificialis, sit per viginti horas prolongata, atque in toto continuit horas triginta duas. Hæc quidam pensantes, dicunt diem illum artificialem fuisse longiorem isto sub Josue prolongato ; et quod in textu hujus capituli scribitur, Non fuit ante et post tam longa dies, dicunt referendum ad tempus quo Josue librum hunc edidit. Nam ista est consuetudo Scripturæ, præsertim in libro isto, ut dicendo, Usque in præsentem diem, vel aliquid tale, notet tempus quo auctor scripsit hunc librum. Denique textus non dicit, Non fuit ante et post non erit ; sed, Non fuit ante et post *Josue* x, 14.
tam longa dies, scilicet a principio mundi usque ad tempus conscriptionis hujus voluminis. Tamen aliqui probabiliter dicunt, quod prolongatio facta sub Josue, contigit circa æstivale solstitium, quando dies prolixior in terra sancta, quatuordecim est horarum ; et diei sub Ezechia prolongatio, circa solstitium evenerit brumale, quando dies prolixior in tertio climate, in quo Jerusalem est situata, decem habet horas. Quo ex fundamento deinceps inferunt diei

Digitized by Google

prolongationem sub Josue, diuturniorem A fuisse quam sub Ezechia.

Sensus mysticus.

Insuper, juxta mysticum sensum, quemadmodum quinque reges oppugnare conati sunt Gabaonitas, eo quod ad Josue ac filios Israel confugerunt; sic homines vitiosi carnales, frequenter persequuntur eos quos vident ab ipsorum se societate abstrahere, atque ad Jesum Christum confugere, seque conjungere virtuosis : et ita qui convertuntur, qui veritatis zelo accenduntur et justitiam sitiunt, novos adversarios adipiscuntur, et perversorum incurrunt offen- B sam. Quid igitur restat eis, nisi ut nuntios mittant ad Jesum, dicentes, Ne retrahas manum ab auxilio servorum tuorum? Nuntii isti sunt orationes devotæ, aut angeli sancti custodes nostri, quos invocando ut orent pro nobis, ad Christum dirigimus. Iterum nuntii isti sunt homines virtuosi, quos rogant imperfecti, ut orent pro se. Amplius, per hos reges Amorrhæorum, intelliguntur principes et potestates invisibiles in hoc aere commorantes, qui eos atrociter tentare nituntur, qui eis in vitiis C erant subjecti, et deinceps ex corde adhærent virtutibus : qui tanto ferventius Dominum debent pro subsidio jugiter invocare, quanto se sentiunt plus tentari. Quibus Christus Dominus libenter fideliterque succurrit, sicut et Josue Gabaonitis, et hora sibi placente subito irruit super tentatores et persecutores justorum, super quos et lapides grandinis mittit, dum comminationibus, terroribus, allegationibus Scripturarum facit eos devinci.

At vero sicut Josue procuravit diem prolongari per solis stationem, ut visibiles hostes prosternerentur, sic Christus vitam prolongat, lucem gratiæ ac splendorem virtutum continuat suis electis, quousque aciem vitiorum ac rabiem dæmonum valeant expugnare; tempus quoque evangelicæ legis et gratiæ protrahit, quousque electorum numerus compleatur. Quemadmodum etiam reges victi ac fugientes, in spelunca se absconderunt, sic dæmones victi, latent confusi : et sicut super regum illorum colla fecit Josue principes belli suos ponere pedes, et colla calcare illorum, dicens, Sic faciet Dominus omnibus inimicis vestris ; sic Christus suis præstat virtutem et efficaciam calcandi super *Luc.* x, 19.
serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, prout in Evangelio contestatur. Postremo, sicut Josue urbes Chananæorum evertit, et nullas in eis dimisit reliquias, moxque easdem Israelitico subdidit populo; sic Dominus et Salvator congregationes et societates carnalium impiorumque hominum frequenter convertit, in eis destruens omne esse peccati, passiones et vitia, dæmonumque effectus : quo facto, mox subjicit atque incorporat eas sibi ac suæ Ecclesiæ, et gratiose demoratur in eis.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : QUÆ QUUM AUDISSET JABIN REX ASOR.

QUANTO Josue plures vicit, tanto famosior factus est, et tanto residui Chananæorum magis exterriti sunt, et fortius nisi sunt ei resistere, congregantes se ad præliandum concorditer contra eum. Ideo cognito qualiter superasset quinque reges D in prælio uno, ut patuit præcedenti capitulo, superstites sunt collecti adversus eum, sicut capitulum istud nunc recitat. *Quæ quum audisset Jabin rex Asor,* id est urbis sic dictæ, quæ fuit metropolis regia inter regna multa, *misit ad Jobab regem*

Digitized by Google

Madon, et ad regem Semeron, id est loci seu oppidi sic vocati, atque ad ceteros qui exprimuntur in littera. Rex etenim Asor habuit principatum super hæc regna, ideo ad ejus imperium convenerunt. *Egressique sunt omnes cum turmis suis,* id est unusquisque eorum cum suo exercitu, *populus multus nimis, sicut arena quæ est in littore maris. Sicut,* dicit hic similitudinem aliqualem, non æqualitatem, ad insinuandum multitudinem illorum nimium magnam. *Equi quoque et currus immensæ multitudinis.* Hic est hyperbolicus sermo, ad innuendum quod ultra modum erant ibi multi equi currusque. Porro in Scholastica fertur historia, quod erant duo millia curruum. *Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom,* id est ad locum sic dictum, per quem (ut legitur) transit Jordanis, *ut pugnarent contra Israel.* Ecce quanta est defectuositas, imo malitia, excæcatio et obstinatio cordis humani! Impii isti paulo ante viderunt superadmirabilem stationem solis et lunæ in cœlo per unius diei spatium, quod a solo omnipotente Deo fieri potuit; nec tamen compuncti sunt, nec moti ad fidem, sed Deo ac populo Israel adhuc se opponere præsumpserunt. Nabuchodonosor, visa incorruptione trium puerorum in fornace ardente, Deum Israel est confessus; similiter Darius rex Persarum, viso quod Daniel a leonibus mansit illæsus. Hi autem, visis seu cognitis tot et tantis mirabilibus, non sunt moti nisi ad resistendum.

Dan. III, 91-100. Ibid. VI, 23-27.

Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos. Cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel, id est, universos hos faciam vobis succumbere, ita quod occidentur, aut lædentur, aut fugient. Vel ideo ait, Tradam omnes istos vulnerandos, quia pro majori et principaliori parte, vulnerati fuerunt aut trucidati. Dicunt autem expositores, quod ibi fuerunt collecti viginti quatuor reges. *Equos eorum subnervabis.* Equi illi per subnervationem illam, secundum Origenem, occisi sunt. Est autem subnervatio ingarletatio* per incisionem tibialium nervorum, seu succisio poplitis, id est genuum. *Et currus igne combures.* Cur pius Deus præcepit hoc opus, quod videtur inutile et crudele, id est nocivum? Equi namque poterant filiis Israel esse accommodi, similiter currus; nec equi erant culpæ obnoxii. Ad quod dicendum, quod in detestationem impietatum Chananæorum, Deus hæc jussit, et ad majorem præsumptionis eorum, qui in equis et curribus confidebant, confusionem, atque ut ipsi suis rebus et possessionibus punirentur; ut etiam rigor divinæ justitiæ, cujus providentia tunc a pluribus ignorabatur, clarius ac terribilius manifestaretur, et homines Deum tam justum ac rigorosum metuerent. Circa hoc pulchre loquitur Origenes, cujus verba infra tangentur.

* ingarletatio

Venitque Josue et omnis exercitus ejus cum eo, adversus illos ad aquas Merom subito, et irruerunt super illos, tradiditque Dominus illos in manus Israel. Itaque percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias. Fecitque sicut præceperat ei Dominus. Equos eorum subnervavit, currusque combussit igni. Verumtamen, sicut infra habetur, quidam illorum fugerunt, et evaserunt ingrediendo munitissima loca: quomodo ergo non reliquit ex eis ullas reliquias? Ad quod dici potest, quod sit hyperbolicus sermo, ad innuendum multitudinem occisorum; vel potest intelligi de his, quos apprehendere quivit; vel qui evaserunt erant tam pauci, quod aliorum respectu quasi pro nihilo reputantur.

Reversusque Josue victor de bello, *statim cepit Asor,* et ut infra habetur, succendit, *et regem ejus percussit gladio.* Cur non affixit eum patibulo, quemadmodum reges de quibus præhabitum est? Forsan ex aliqua miseratione dimisit hoc, vel præ festinantia et occupatione in aliis. Dicunt quoque aliqui, quod rex ille ex prælio fugiens, civitatem suam ingressus fuit, et in ea occisus. *Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc primatum tenebat.* Ideo Josue facta pugna, primo vastavit hanc

Josue x, 26.

Digitized by Google

urbem, quatenus ea destructa, ceterarum A urbium cives diffiderent se posse resistere, et victos se darent. *Percussitque omnes animas quæ ibidem morabantur,* id est omnes homines, non jumenta, nisi quod equos jam subnervavit. *Non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem vastavit universa, ipsamque urbem peremit incendio, et omnes per circuitum civitates succendit. Reges quoque earum cepit,* Deut. vii, 2. *percussit atque delevit, sicut præceperat ei Moyses famulus Domini, absque urbibus quæ erant in collibus et in tumulis,* id est B montibus majoribus, *sitæ :* quarum quasdam cepit, sed non destruxit, volens eas pro commodo filiorum Israel reservare; quasdam vero non cepit, ut infra habetur. *Unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit,* id est, urbs illa fortissima, continuato incendio est combusta. Nam rex Asor ceteros contra filios Israel concitavit. *Omnemque prædam istarum urbium atque jumenta diviserunt sibi filii Israel, cunctis hominibus interfectis. Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præ-* C *cepit Moyses Josue, et ille universa complevit. Non præteriit* Josue *de universis mandatis ne unum quidem verbum quod jusserat Dominus Moysi.* In hoc patet mira et magna virtuositas Josue, qui in tot ac tantis pugnis et occupationibus cum tam incessabili diligentia Deo in omnibus obedivit.

Cepit Josue omnem terram montanam et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et occidentalem plagam, montemque Israel, et campestria ejus et partem montis, quæ ascendit Seir, usque Baalgad D *per planitiem Libani subter montem Hermon; omnes reges eorum cepit, percussit et occidit. Multo tempore pugnavit contra reges istos :* quia per sex annos, cujus Josue x; causa assignata est ante, et ex verbis Caxiv, 7, 10. leb infra habendis, patet sic esse. Unde Magister in historiis sic scribit : Quintus annus jam transierat, et sustulit Josue locum castrorum in Silo, transtulitque ibidem tabernaculum Moysis cum omni ornatu suo ob loci opportunitatem. *Non fuit civitas quæ se non traderet filiis Israel.* Hoc intelligi potest, secundum Augustinum, de urbibus quas accessit Josue cum exercitu Israel : quæ, cognito exscidio Asor, non audebant resistere. Aliquæ tamen manserunt eis non subditæ. Vel dicitur hoc, ad denotandum multitudinem urbium quæ se tradiderunt. *Præter Hevæum qui habitabat in Gabaon,* id est præter Hevæos habitatores civitatis Gabaon et trium urbium ei associatarum, ut supe- Josue ix, 17. rius patuit. *Omnes bellando cepit :* id est, virtute armorum ad hoc compulit habitatores oppidorum illorum, quod tradiderunt se Israeli. *Domini enim sententia fuerat,* id est, Deus justo judicio sic permisit, *ut indurarentur corda eorum,* ita quod ex præfatis miraculis et aliorum dejectionibus non sunt ad aliquam emendationem vel pœnitentiam emolliti, *et pugnarent contra Israel,* id est, pugnare conati sunt, et quamdiu potuerunt, restiterunt, donec tandem timore prostrati, se subdiderunt; *ut non mererentur ullam clementiam,* sicut Gabaonitæ, qui licet ex timore inducti sint ad quærendum pacem cum filiis Israel, tamen ad Deum se converterunt, et extra urbes suas, antequam obsiderentur, miserunt ad Josue.

In illo tempore venit Josue, et interfecit Enacim, id est gigantes natos ex semine Enacim, habitantes in locis urbibusque montanis in textu expressis. Qualiter istud sit intelligendum, in expositione præce- Ibid. x, 42. dentis capituli tactum est. *Non reliquit ullum de semine Enacim in terra filiorum Israel, absque civitatibus Gaza et Geth et Azoto,* id est absque illis qui habitabant in tribus urbibus illis Philistinorum, *in quibus solis relicti sunt* quidam de illo genere giganteo. Tamen (sicut præallegatum est) Judicum libro legitur Caleb delevisse tres filios Enac seu Enacim de Judic. i, 20. Hebron : quod vel factum est Josue adhuc vivente atque præsente, propter quod nunc ei adscribitur; vel dicitur hic per anticipationem, quoniam Caleb ex dispositione Josue, a quo sibi data est Hebron, illos

delevit, propter quod modo attribuitur Josue. A Constat autem quod in libro Judicum quædam scribuntur, quæ contigerunt sub Josue, quamvis liber ille incipiat a gestis post mortem ipsius, quum in Judicum libro *Judic.* II, 6. dicatur : Dimisit ergo Josue populum. Idcirco quod alio loco Judicum narratur de expugnatione Hebron, filiorumque Enac facta per Caleb, non videtur necesse per recapitulationem accipere, quamvis quidam hoc dicant.

Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen. Supra habetur, B quod civitates Philistinorum non obtinuit Josue ; sed et Judicum tertio legi- *Ibid.* III, 1, 3. tur, Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, id est filiis Israel non tradidit, nec subjecit in toto : Quinque satrapas Philistinorum, omnemque Chananæum et Sidonium atque Hevæum qui habitabat in monte Libano, etc. Quomodo ergo Josue cepit omnem terram filiis Israel repromissam ? Respondetur, quod omnem terram dicitur cepisse per synecdochen, vel dispositive, seu propter magnitudinem terræ quam cepit ; vel omnem quam filii Israel inhabitare, occupareque poterant ; aut omnem quam personaliter ad capiendum accessit. *Quievitque terra a præliis* post annos sex, quibus prælia viguerunt, ita quod postea non fuerunt prælia tam communia atque assidua, sicut antea. Fuerunt tamen postea quædam particularia bella tribuum aliquarum contra quosdam Chananæorum, ut infra in libro hoc et in multis locis libri Judicum recitatur.

ARTICULUS XIX

DE SPIRITUALI INTELLIGENTIA HUJUS CAPITULI UNDECIMI.

QUEMADMODUM recitat Origenes, has C Scripturas quum ante Christi adventum legeret Israel secundum carnem, nihil in his nisi bella et effusionem sanguinis intelligebat : unde etiam ad nimiam ferocitatem animæ eorum maculabantur, semperque bellis et seditionibus pascebantur. Postquam vero præsentia Domini nostri Jesu Christi humanis cordibus placidum scientiæ lumen infudit, sequi pacem nos decet ex lectione bellorum. Pax etenim redditur animæ, dum hostes ejus, puta vitia et peccata, expelluntur ab ea. Itaque, D quemadmodum multo plures reges ac turmæ Chananæorum contra filios Israel consurrexerunt, quum ipsi Israelitæ vicissent simul quinque reges in præliis; sic contra Christifideles multo plures invisibilium hostium principes et catervæ insurgunt, dum quidam eorum ab ipsis fuerunt fidelibus victi ; et spiritus superbiæ vocat ad se spiritus diversorum utique vitiorum, spiritum fornicationis, spiritum avaritiæ, spiritum vanæ gloriæ, spiritum gulæ : qui conveniunt *ad aquas Merom*, ad aquas concupiscentiæ et illecebrarum, quæ amaritudines habent annexas, atque ad æternam acerbitatem perducunt. Verumtamen Jabin interpretatur sensus seu prudentia : per quod nunc intelligitur immansio seu pertinacia proprii sensus, quæ regnare solet in his qui magni et sapientes sunt in propriis oculis. Ex hoc vitio alia multa gignuntur, et attrahit sibi immansio ista capitalia vitia quasi reges. Similiter per hunc sensum potest intelligi prudentia carnalis et sæcularis, de qua Apostolus, Prudentia, inquit, carnis, mors est. Hæc *Rom.* VIII quippe prudentia non est prudentia vera, sed quædam versutia, qua aliqui vigent ad disponendum sic facta sua ac media, quod desideratos mundi honores, aut carnis il-

Digitized by Google

lecebras, vel temporales divitias adipiscuntur : sicque ex ea generantur multa et magna peccata, quæ contra milites Christi pugnant. De qua Jacobus ait apostolus : Non est sapientia ista a Deo, sed terrena, animalis, diabolica. *Jacob.* III, 15.

Denique, ista prudentia et peccata quæ ex ea nascuntur, equos habent et currus multitudinis infinitæ, quia innumerabiles sunt, in quorum cordibus resident et vehuntur : qui omnes sunt subnervandi, quia eorum corpora castiganda sunt et domanda, imo cum vitiis et concupiscentiis crucifigenda, ut peccato ultra non serviant. *Gal.* V, 24. *Rom.* VI, 6. Quocirca loquitur Origenes : In libro Numerorum leguntur filii Israel asinos Madianitarum quos occiderunt, suis usibus reservasse, nec subnervasse ; *Num.* XXXI, 28, 30, 34. equi vero Chananæorum, a Deo subnervari jubentur. Putamus hæc fortuitu accidisse, et in præceptis divinis fortuita aliqua arbitramur incidere ? An dignius videtur, ut potius æstimemus Scripturam in his aliquid mysticum indicare ? Præsertim quoniam filii Israel nunquam legantur equis usi fuisse, et lex nihil de equis, sed de asinis mandat, tanquam de animalibus quæ ad onera hominum deportanda, et ad humanos labores juvandos necessaria videntur exsistere ; equi vero, qui magis ad hominum perditionem quæ in bellis geritur, assumuntur, sunt animalia lascivi motus et superbæ cervicis. Hinc asini videntur mihi servare figuram eorum qui ex gentibus crediderunt : super quos Dominus sedisse describitur, qui et discipulos misit ut sibi pullum asinamque adducerent. *Joann.* XII, 14. *Matth.* XXI, 2. Per equos vero, lascivi designantur atque superbi, qui Christum in cordibus suis non portant. Hæc Origenes.

Cras hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu tuo. Quidam converti et religionem ingredi contremiscunt, quia diffidunt se posse consueta relinquere vitia, et quasi impossibile arbitrantur a voluptatibus penitus abstinere. Sed isti non jactant cogitatum suum in Domino, nec sperant in eo apud quem *Ps.* LIV, 23. omnia possibilia, imo facillima sunt, quæ apud homines impossibilia reputantur. *Matth.* XIX, 26 ; *Luc.* I, 37 ; XVIII, 27 ; *Marc.* X, 27. Ipse namque per gratiæ et virtutum infusionem sic roborat hominem, ut simul et semel universa peccata, quibus servivit, dejiciat et expellat, vitiorumque principes dæmones vulneret sive debilitet : quia dum per caritatem unum peccatum mortale expellitur, omnia simul labuntur ; spiritusque maligni, qui paulo ante dominabantur in anima, fugiunt jam ab ea. Propter quod ait Scriptura : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. *Jacob.* IV, 7. Itemque : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. *Rom.* XVI, 20. Quod dum fit, percutimus invisibiles hostes nostros : percutimus plane, quando ferventer oramus, quando in Deo indeficienter confidimus, dum corda nostra in humilitate stabiliter profundamus, et carnem spiritui servire compellimus, et tanto instantius tentationi omni resistimus, exercitiisque virtutum insistimus, quo acrius impugnamur.

Reversus Josue, *cepit Asor, et regem ejus percussit gladio, ipsamque urbem peremit incendio, et omnes per circuitum civitates.* Possent hæc omnia de Christo per allegoriam faciliter ac diffuse exponi, quoniam ipse in Evangelio protestatur : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ? *Luc.* XII, 49. Denique, ipse Dominus Deus noster ignis consumens est. *Deut.* IV, 24 ; *Hebr.* XII, 29. Ipse iniquorum et infidelium mentes et congregationes saluberrime inflammavit, et opera inimici dissipavit in eis, non relinquens in eis ullas reliquias, quia principem hujus mundi ejecit foras, et vasa ejus diripuit, consecrans ea in habitacula Spiritus Sancti. *Joann.* XII, 31. *Marc.* III, 27. *Absque urbibus quæ erant in collibus et in tumulis.* Quoniam eos qui in suis superbiis et rebellionibus fuerunt et manserunt penitus obstinati sicut tyranni, reprobique Judæi, et plurimi sapientium hujus sæculi, justo reliquit judicio. Ceterum omnem terram cepit ac debellavit Dominus Jesus per paucos Apostolos suos. Debellavit, inquam, non eloquentia Tulliana, non philosophicali scientia, non per armorum

Digitized by Google

violentiam, nec per humanam potentiam, A neque per magicas artes; sed per signa, prodigia atque miracula, per Scripturas veteris Testamenti, per evidentissimas et exemplarissimas virtutum excellentias universarum, per summa ac supernaturalia prorsus charismata Spiritus Sancti. Insuper filios Enacim, puta gigantes, de terra promissionis delevit. Qui sunt isti gigantes, nisi imperatores et reges superbissimi atque sævissimi, potissimum Romanorum et Persarum, qui multis annorum curriculis, imo per centenaria quædam annorum, Ec- B clesiam inhumaniter vastaverunt, et innumerabilia martyrum millia exstinxerunt, conantes fidem, nomen, cultum, memoriam Christi omnino exstirpare de terra? Sed ecce deleti sunt et æternaliter perierunt, et quo intentius sategerunt plebem Christi et fidem ac legem ejus opprimere, eo (operante Altissimo) gloriosius prævaluerunt plebs fidelis et lex Christi.

Postremo, circa hæc loquitur Origenes : Ideo Deus permittit, et propemodum incitat adversarias virtutes exire in prælium C contra nos, ut nos victoriam capiamus, et illi interitum consequantur. Unde mihi videtur infinitus quodammodo esse numerus contrariarum virtutum, videlicet dæmonum, pro eo quod per singulos pene homines sunt spiritus aliqui, diversa peccatorum genera molientes in eis. Verbi causa : est aliquis spiritus fornicationis, sic et avaritiæ alius spiritus est, et alius superbiæ; et si quis hominum omnibus his peccatis aut etiam pluribus agitetur, putandus est in se habere omnes spiritus hos malignos : unde per singulos, plures esse credendi sunt. Unde puto principem fornicationis esse unum, innumeros vero spiritus ei parere in hoc; similiter iracundiæ principem spiritum puto unum, innumeros vero sub ipso agentes. Quorum exercitum (ut puto) sancti dirimunt : superant eos, ita ut is qui ab aliquo sancto est victus, non ultra possit impugnare alium hominem; consequensque videtur, quod singuli quique spiritus nequam, quum vincuntur a sanctis, abducantur in abyssum, aut in tenebras exteriores, aut alium in locum debitum eis. Hæc quæ ex Origenis homilia breviter introduxi, plenius continentur in Glossa. Verumtamen ultimum istud, quod ait, dæmonem scilicet semel victum, ultra non posse aliquem impugnare, incertum est, præsertim quum de Christo Evangelista testetur, quia consummata omni tentatione, diabolus recessit *Luc. IV, 13.* ab eo ad tempus. De hoc alibi plenius scripsi.

ARTICULUS XX

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : HI SUNT REGES QUOS PERCUSSERUNT FILII ISRAEL.

ENUMERANTUR hic reges quorum re- D gna obtinuerunt filii Israel, et primo enumerantur duo reges, quorum regiones obtinuerunt sub Moyse. *Hi sunt reges quos percusserunt filii Israel, et possederunt terram eorum.* Qualiter autem filii Israel occiderunt hos duos reges, eorumque populos, scriptum est in Numeris et in Deuteronomio. (*Num. XXI, 21-25; 33-35; Deut. II, 26-37; III, 1-11.*) In Deuteronomio tamen habetur, quod Moyses percussit unum istorum, scilicet Og regem. Sed sive propria manu hoc fecit, sive per manus filiorum Israel, percussio horum regum adscribi potest tam Moysi, tanquam principi, quam filiis Israel, tanquam exercitui, quia se invicem adjuverunt, et percusserunt terram eorum. *Trans Jordanem ad solis ortum,* quoniam territoria regum illorum, sunt in parte

Digitized by Google

orientali respectu terræ Chanaan. Jordanis quippe est terminus terræ promissionis seu Chanaan versus orientem. *A torrente Arnon :* qui torrens vocatur Arnon, de quo Josephus ait : Arnon est fluvius a montibus Arabiæ descendens, et per desertum fluens, atque in stagnum Asphaltiten erumpens. Verumtamen quidam dicunt, quod Arnon nomen sit civitatis in deserto, et aliqui putant quod sit nomen æquivocum ad utrumque. Unde in Numeris inducitur, Num. xxi, 13. Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos. *Usque ad montem Hermon :* qui mons vocatur Hermon, de Cant. iv, 8. quo in Canticis legitur, De vertice Sanir et Hermon ; et fuit in terra duarum tribuum ; *et omnem orientalem plagam* duorum regum illorum, videlicet Sehon et Og, *quæ respicit solitudinem,* quæ est inter Ægyptum et terram illam.

Sehon rex Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, id est urbe sic appellata, Num. xxi, 26. juxta illud Numerorum, Urbs Hesebon fuit regis Sehon, *dominatus est ab Aroer* inclusive, id est ab urbe sic dicta, *quæ sita est super ripam torrentis Arnon.* Unde in Deut. ii, 36. Deuteronomio habetur : Ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est. *Et dimidiæ partis in valle,* id est, Sehon rex dominatus est mediæ partis in valle præfata, cujus alia pars fuit Og regis, secundum Glossam ; *dimidiæque Galaad,* id est dimidiæ terræ Galaad. *Usque ad torrentem Jaboc :* de quo in Genesi narratur, quod Jacob Gen. xxxii, 22, 24. transivit vadum Jaboc, et non longe ab illo luctabatur cum angelo ; *qui est terminus filiorum Ammon,* id est, regnum Ammonitarum ab una parte finitur juxta torrentem illum. *Et a solitudine* jam prædicta, quæ fuit unus terminus territorii sui, *usque ad mare Ceneroth contra orientem,* id est ex opposito plagæ orientalis, *et usque ad mare Deserti, quod est mare Salsissimum,* Josue iii, 16. de quo supra fertur : Quæ inferiores erant, in mare Solitudinis, quod nunc vocatur Mortuum, descenderunt : quod ibi expositum est ; *ad orientalem plagam, per viam*

A *quæ ducit Bethsimoth,* id est ad locum sic dictum. Dominatus est quoque *ab australi parte quæ subjacet Asedoth,* puta hujusmodi loco, qui forte altior fuit situ, respectu partis australis regni illius, *usque Phasga,* id est usque ad montem sic dictum, qui erat in terra Moab. Unde in Numeris scriptum est : Quumque duxisset eum super verticem montis Phasga. Num. xxiii, 14.

Consequenter describitur magnitudo regni Og. *Terminus Og regis Basan de reliquiis Raphaim,* id est, qui Og fuit de B posteritate gigantum, juxta illud Deuteronomii : Solus Og restiterat de stirpe gigantum ; Deut. iii, 11. *qui habitavit in Astaroth et Edrai,* id est urbibus, locis seu terris sic appellatis, *et dominatus est in monte Hermon,* id est in populo qui circa montem hunc morabatur, *et in Salecha,* id est terra sic dicta, *atque in universa* terra *Basan usque ad terminos Gessuri et Machati,* quæ erant aliæ regiones, et usque ad eas pertingebat regio hujus Og. Dominatus est quoque *et dimidiæ partis Galaad,* quia terra Galaad pro me- C dia parte fuit sub ejus ditione, *et terminum Sehon regis Hesebon,* quia medietas illa fuit finis regni Sehon ex una parte. Nam una pars Galaad, fuit ipsius Sehon, alia hujus Og. *Moyses famulus Domini et filii Israel percusserunt eos, tradiditque terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse.*

Consequenter exprimuntur et nominantur reges a filiis Israel interfecti in terra promissionis sub Josue. *Hi sunt reges terræ, quos percussit Josue et filii Israel* D *trans Jordanem ad occidentalem plagam,* id est versus occidentem respectu præfatarum regionum, quæ erant ab alia parte Jordanis, *a Baalgad,* id est loco sic dicto, *in campo Libani,* id est in quo mons Libani situs fertur, *usque ad montem cujus pars ascendit in Seir,* id est usque in Idumæam, ita quod mons ille tam remote protenditur. *Tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas, tam in montanis, quam in planis atque campestribus. In Asedoth,* id est lo-

Digitized by Google

co sic dicto, *et in solitudine ac meridie*, A *Hethæus fuit et Amorrhæus, Chananæus et Pherezæus, Hevæus et Jebusæus*, id est, in locis quibusdam deserti terræ istius, vel circa ea et in parte ejus meridiana commorabantur Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, etc. *Rex Jericho, unus*, id est, rex civitatis Jericho, fuit unus regum illorum ; *rex Hai*, id est civitatis sic dictæ, *quæ est ex latere Bethel, unus; rex Jerusalem, unus; rex Hebron, unus; rex Jerimoth, unus; rex Lachis, unus; rex Eglon, unus; rex Gazer, unus; rex Dabir, unus; rex Gader*, B *unus; rex Herma, unus; rex Hered, unus; rex Lebna, unus; rex Odollam, unus; rex Maceda, unus; rex Bethel, unus; rex Taphua, unus; rex Opher, unus; rex Aphec, unus; rex Saron, unus; rex Madon, unus; rex Asor, unus; rex Semeron, unus; rex Achsaph unus; rex Thenac, unus; rex Mageddo, unus; rex Cades, unus; rex Jachanan Carmeli, unus*. Cognominantur autem hi omnes reges, unusquisque eorum a civitate regni sui principali, et civitatibus illis principalibus erant adjunctæ aliquæ urbes C et villæ, regi principalis urbis subjectæ: et, ut videtur ex textu elici posse, nominantur hic non secundum ordinem dignitatis, quia rex Asor inter omnes hos reges gessit primatum, ut patuit capitulo præcedenti ; sed *Josue* XI, 10 potius secundum ordinem suæ percussionis a filiis Israel, saltem pro parte. *Rex Dor et provinciæ Dor, unus*. Ex hoc videtur, quod iste præfuit urbibus multis, et quod urbs sua principalis, vocata sit Dor ; quod item Dor fuit nomen suæ provinciæ, sicut in multis terris idem est nomen unius oppidi, totiusque patriæ. *Rex gentium Galgal, unus*. Iste fuit rex gentium habitantium in Galgal. Unde vocatur rex gentium, propter multitudinem populi sibi subjecti habitantis ibidem, ita quod Galgal fuit urbs populosa ; vel propter diversitatem gentium commorantium ibi. *Rex Thersa, unus. Omnes reges* jam præfati et percussi in terra promissionis, *triginta unus* fuerunt, præter duos prædictos, videlicet Sehon et Og. Verumtamen reges isti triginta unus non fuerunt tam magni reges, ut Sehon et Og, excepto fortassis rege Asor, qui inter omnia regna ista primatum tenebat antiquitus.

ARTICULUS XXI

EXPLANATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : JOSUE SENEX PROVECTÆQUE ÆTATIS ERAT.

NUNC de terræ divisione fit mentio. *Josue senex provectæque ætatis erat*. D Non est superfluitas in his verbis, quamvis esse senem, et esse provectæ ætatis, soleat accipi pro eodem. Fuit igitur senex prolixitate suæ durationis in vita hac. Fuit quoque provectæ ætatis, quantum ad morum maturitatem et profectum virtutum, in quibus, non obstante inquietudine tanta pugnarum, profecit quotidie. *Et dixit Dominus ad eum* per angelum : *Senuisti, et longævus es*. Quasi dicat, Tempus est ut impleas quod tibi præcepi de terræ divisione ac distributione filiis Israel facienda. *Terraque latissima derelicta est, quæ nondum est sorte divisa* tribubus Israel, *omnis videlicet Galilæa, Philistiim*, id est terra Philistinorum, *et universa Gessuri*, id est regio sic vocata. *A fluvio turbido qui rigat Ægyptum*, id est a Nilo rigante terram Ægyptiorum : qui fluvius ex terræ admixtione hinc inde fit turbidus; *usque ad terminos Accaron* civitatis Philistinorum inclusive, *contra aquilonem*, id est versus partem aquilonarem respectu terræ promissæ ; *terra Chanaan quæ in quinque*

Digitized by Google

regulos Philistiim dividitur, id est in quinque partes et urbes principales, ad quinque regulos seu satrapas Philistinorum spectantes. Itaque Philistæa vocatur terra Chanaan, quoniam pertinebat ad terram filiis Israel repromissam, et posteri Cham habitaverunt in ea. *Gazæos,* id est regulos seu populos habitantes in Gaza urbe Philistiim, *et Azotios,* qui habitabant in Azoto, *Ascalonitas,* qui habitabant in Ascalone, *Gethæos,* qui morabantur in Geth, *et Accaronitas,* qui manebant in Accaron. Istæ fuerunt quinque urbes Philistinorum præcipuæ.

Ad meridiem vero sunt Hevæi, qui in parte meridionali degebant, *omnis terra Chanaan,* id est residuum totius terræ hujus nondum obtentum, cujus jam magna pars fuit filiis Israel subjugata, *et Maara,* id est terra seu regio *Sidoniorum* sic appellata, *usque Apheca,* id est usque ad locum sic dictum, *et usque ad terminos Amorrhæi, ejusque confinia,* quæ erant ab alia parte Jordanis, et data jam erant tribubus Ruben et Gad. *Libani quoque regio contra orientem a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath,* id est extenta et durans usque iter vel introitum Antiochiæ. *Omnium qui habitant in monte a Libano usque ad aquas Maserephot, universique Sidonii.*

Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israel, id est, omnes has nationes et gentes filiis Israel subjiciam, aut per eos occidam, seu de terra eorum expellam. Verumtamen in toto veteris Testamenti tempore non fuerunt gentes istæ in toto deletæ a terris jam dictis. Nec ante tempora David et Salomonis fuerunt omnino subjectæ filiis Israel. Cur autem omnipotens Deus non statim ac simul expulit et delevit eas, præhabitum est, et in Judicum libro tangitur. (Deut. VII, 22; Judic. III, 1, 2.) *Veniat ergo in partem hereditatis Israel, sicut præcepi tibi:* id est, terra ista nondum adepta, dividatur tribubus Israel, ac si nunc esset obtenta, ut et filii Israel sic studeant se habere, quod me auxiliante eam acquirant. *Et nunc divide terram istam* Chanaan quæ partim acquisita est, et partim acquirenda, *in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse, cum qua,* id est cum cujus tribus altera medietate, *Ruben et Gad,* id est tribus Ruben et tribus Gad, *possederunt terram quam tradidit eis Moyses,* etc. *Ipse fuit de reliquiis Raphaim,* id est, Og rex fuit de posteris gigantum, ut dictum est in expositione præcedentis capituli, quia solus restiterat de stirpe gigantum: non quod nulli superessent præter eum gigantes, imo adhuc erant aliqui gigantes in Hebron et Azoto ac Gaza; sed solus supererat de giganteis reliquiis Raphaim commorantibus in Astaroth et Edrai. (Josue XII, 4; Deut. III, 11.) *Percussitque eos Moyses atque delevit. Noluerun tque disperdere filii Israel Gessuri et Machati,* id est, gentes in terris illis commorantes, non occiderunt Israelitæ in toto, et in hoc peccaverunt, nec fuit pietas vera, quia contra præceptum Dei, *et habitaverunt in medio Israel,* id est in terra et populo duarum tribuum, *usque in præsentem diem. Tribui autem Levi non dedit possessionem,* id est, Moyses non dedit Levitis hereditariam portionem quemadmodum aliis tribubus, nec etiam Josue; attamen dederunt eis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad pecora sustentanda; *sed sacrificia et victimæ Domini Dei Israel,* id est, quæ Deo offerebantur ab aliis tribubus, *ipsa est ejus hereditas, sicut locutus est illi.* Decuit enim, ut ea quæ Deo offerebantur, venirent in sustentationem et usum ministrantium ei in templo.

Consequenter in speciali describitur, qualiter Moyses divisit regna duorum regum tribubus Ruben et Gad, atque dimidiæ tribui Manasse: et primo, quantum et quas urbes, villas et viculos dederit tribui Ruben, secundum quod in textu exprimitur, ubi inter cetera dicitur: *Universaque regna Sehon regis,* quia videlicet aliqua regna sibi subjecit. Porro de divisione facta mediæ tribui Manasse, fertur in textu: *Dedit et dimidiæ tribui Manasse filiisque ejus possessionem, cujus hoc principium est*

Digitized by Google

Amahanaim, id est locus sic dictus, *et* A *universam Basan*, id est regionem sic nominatam, *et cuncta regna Og regis Basan*. Ex quo videtur, quod ultra principale regnum Og regis, ipse adhuc vi prælii obtinuerit aliqua regna minora; vel regna dicuntur, partes regni diversæ. Interdum etiam ponitur plurale pro singulari, sicut et econverso. In descriptione quoque hereditatis collatæ tribui Gad, inter alia dicitur, quod Moyses dedit eis dimidiam partem terræ filiorum Ammon. Contra quod objici potest, quod in Deuteronomio Domi- B
Deut. II, 19. nus ait ad Moysen : Accedes ad vicina filiorum Ammon. Cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium; non enim dabo tibi de terra eorum. In Judicum quoque li-
Judic. XI, 12, 13, 15. bro legitur : Misit Jephte nuntios ad regem filiorum Ammon, dicens : Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me? Quibus ille respondit : Quia tulit Israel terram meam quando ascendit de Ægypto. Ad quod Jephte : Non tulit Israel terram filiorum Ammon. Ad istud patet responsio ex Scriptura. Legitur namque in Numeris, quod C
Num. XXI, 26. Sehon rex Hesebon pugnavit contra regem Moab, et tulit omnem terram illius usque ad Arnon. Hinc probabiliter dicitur, quod etiam partem regni Ammonitarum vastavit, et terra illa ab eo obtenta, quæ ante pertinebat ad filios Ammon, nunc appellatur, Media pars terræ filiorum Ammon, quam filii Israel obtinuerunt, ipso Sehon occiso ab eis. *Tribui autem Levi non dedit* Moyses *possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus :* id est, sacrificia Dei data et reputata sunt D Levitis pro hereditaria possessione; *ut locutus est illi :* quia frequenter per Moysen
Deut. X, 9. dixit, Ego possessio eorum.

Sensus mysticus. Juxta mysticum sensum, per Josue senem et ætate provectum, intelligitur Christus, cujus numerus annorum, secundum deitatem, est inæstimabilis, dicente Apo-
Hebr. XIII, 8. stolo : Jesus heri et hodie, ipse et in sæcu-
Joann. VIII, 58. la. Qui testatur : Antequam Abraham fieret,
Sap. IV, 8, 9. ego sum. Denique, Senectus venerabilis est, non annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et senectus mentis vita immaculata. Hic verus Jesus et summus Salvator, in primo suo adventu partem Judææ obtinuit, Judæorum aliquos convertendo; sed latior pars Judææ mansit incredula, quam postea per sanctos Apostolos, aliosque discipulos totam convertit. Verumtamen nondum totus orbis terrarum fidem accepit catholicam; sed ante finem sæculi hoc creditur adimplendum, præsertim Antichristo occiso : cujus tamen quidam satellites in obstinatione sua persistent. Quibus quum dixerint, Pax et securitas, I Thess. V, 3.
repentinus superveniet interitus : et sic Christus veris Israelitis totum concedet orbem in hereditatem. Porro prima et minor divisio, facta per Moysen duabus tribubus ac mediæ, designat primam illam mundi conversionem ad Dominum incompletam. Secunda autem et major divisio facta per Josue, præfiguravit finalem totius mundi ad Christum conversionem, seu etiam universorum sub pedibus ejus subjectionem : Ps. VIII, 8.
quod fiet præcipue in secundo ejus adventu et generali judicio.

At vero per Levitas, quibus non est data terrena possessio, sed Dominus Deus eorum fuit hereditas, præsignabantur religiosi et viri perfecti in evangelica lege, qui despiciunt transitoria et caduca, et omnia propter Deum relinquunt, sequentes Salvatorem in vera paupertate, sancta obedientia, atque omnimoda puritate; et qui studio sapientiæ ac virtutum, verboque prædicationis tota mentis diligentia sunt intenti : quorum tota affectio est recollecta in Deo, cujus contemplationi et actuali dilectioni tam fervide atque assidue vacant, ut ex sententia dicere queant, Dominus pars Ps. XV, 5.
hereditatis meæ et calicis mei. Itemque, Pars mea Dominus, dixit anima mea. Et Thren. III, 24.
denuo, Deus cordis mei, et pars mea Deus Ps. LXXII, 26.
in æternum. Isti comparatione aliorum sunt pauci, et frequenter sustentantur fidelium eleemosynis Deo oblatis, sicut eis prædixit. Statuit enim Dominus, ut qui altari deser- I Cor. IX, 13.
viunt, de altari vivant; et seminantibus Ibid. 11;
spiritualia, vult temporalia ministrari. Per Rom. XV, 27.

Digitized by Google

hoc quoque quod Levitis non est possessio data, Dominus designavit, quod sacerdotes et clerici evangelicæ legis nequaquam debent avaritiæ locum dare, nec beneficia ecclesiastica sibi vitiosissime multi- A plicare, sed simplici victu ac vestitu esse contenti, quatenus terram parvipendendo ostendant veraciter se amare cœlestia, ac futuram inquirere vitam, sicque ædificent populum. I *Tim.* VI, 8.

ARTICULUS XXII

DECLARATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : HOC EST QUOD POSSEDERUNT FILII ISRAEL.

QUALITER et per quos facta sit divisio terræ promissionis tribubus novem atque dimidiæ, nunc refertur. *Hoc est quod posséderunt filii Israel in terra Chanaan,* id est, territorium, quod in sequentibus capitulis recitatur divisum, possederunt tribus præfatæ in terra promissionis, quæ Chanaan nominatur, *quam dederunt,* id est, a Deo datam assignaverunt *eis* per sortium missionem, *Eleazar sacerdos,* qui patri suo Aaroni in pontificatu successit, *et Josue filius Nun, et principes familiarum per tribus Israel,* id est aliqui principales C in suis familiis, et in qualibet tribu fuit unus hujusmodi princeps; *sorte omnia* territoria illa particularia *dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysis,* id est per ministerium atque eloquium Moysis. Unde in libro Numerorum habetur : Et ait Dominus ad Moysen : Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis divident, Eleazar sacerdos, et Josue, et singuli principes de singulis tribubus : quod exponitur de decem tribubus, quibus terra Chanaan fuerat dividenda, puta de principibus novem tri- D buum atque dimidiæ. Sed et principes isti, alii erant ab illis, quos Moyses Deo jubente constituit principes tribuum Israel. Imo illi jam erant mortui in deserto.

Num. XXXIV, 16-18.

Ibid. I, 4-16.

Duabus enim tribubus et dimidiæ tribui dederat Moyses trans Jordanem possessionem, absque Levitis. Ista est impropria exceptio : quia Levitæ non erant de numero duarum tribuum ac mediæ tribus. B Ideo sensus est, quod Moyses dedit illis tribubus præfatam possessionem, sic tamen, quod Levitis non dedit hereditariam portionem. *Qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos :* hoc est, inter ceteros filios Israel non sunt hereditatem sortiti; *sed in eorum successerunt locum filii Joseph, in duas tribus divisi,* id est, filii Joseph, videlicet *Manasses et Ephraim,* a quibus ortæ et nominatæ sunt duæ tribus, successerunt in locum filiorum Levi, quantum ad hoc quod compleverunt duodenarium numerum tribuum Israeliticarum. Nempe Jacob patriarcha duodecim filios habuit, a quibus natæ ac appellatæ sunt duodecim tribus Israel : a quibus Deus subtraxit tribum Levi, applicans eam cultui suo in templo, et prohibens eam numerari ac dotari inter ceteras Israel tribus : et ita remanserant solum undecim tribus dotandæ in terra illa. Ut ergo duodenarius tribuum numerus compleretur, divisa est tribus Joseph in duas, duplicemque funiculum ac portionem accepit : et quantum ad hoc, successit ipsi Ruben et tribui ejus in jure primogenituræ, quia in tempore illo primogeniti habuerunt duplicem rerum omnium portionem. Porro tribus Juda successit tribui Ruben in jure primogenituræ, quantum ad superioritatem, quia ad eam est devoluta regia dignitas. Hoc etenim jus primogenituræ Ruben amisit ob suum incestum, propter quod Jacob dixit ad eum in Genesi : Non crescas, quia ascendisti cu- *Gen.* XLIX, 4.

Digitized by Google

bile patris tui. Hinc quoque scriptum est A
I *Par.* v, 1. primo Paralipomenon : Ruben fuit primogenitus Israel, sed quum violasset torum patris sui, data sunt primogenita filiis Joseph.
Ibid. 2. De stirpe autem Judæ principes generati sunt.

Accesserunt itaque filii Juda ad Josue in Galgala. Locutusque est ad eum Caleb filius Jephone Cenezæus. Caleb iste, fuit unus eorum qui terram diviserunt cum Josue, eratque magnus in tribu Juda : ideo majores de tribu illa, accesserunt cum eo ad Josue. Dicitur autem Cenezæus a Cenez, B quem aliqui dicunt accepisse matrem ipsius Caleb in conjugem, patre Caleb defuncto : quia sequenti habetur capitulo,
Josue xv, 17. quod Othoniel frater Caleb junior, filius Cenez, accepit Axam filiam Caleb uxorem. Sicque Caleb vocatus est Cenezæus, quia post mortem sui patris, a Cenez illo nutritus est. Alii opinantur quod Cenez fuit frater ipsius Caleb, senior eo, et quod curam habuit hujus Caleb; et ideo, vel ob aliquid tale, Cenezæus vocatus sit, sicut in novo Testamento Judas apostolus frater Jacobi C
Luc. vi, 16; *Act.* i, 13. minoris, Judas Jacobi nuncupatur. Sciendum præterea, quod Caleb iste primo Pa-
I *Par.* ii, 9, 18. ralipomenon dicitur filius Hesron. Ideo creditur quod pater ejus fuit binomius.

Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbar-
Num. xiii, 4-34; *Deut.* i, 19-25. *ne.* Ab illo equidem loco misit Moyses duodecim exploratores ad considerandum terram Chanaan : qui ad eumdem locum regressi sunt. Quumque decem ex eis subverterent corda filiorum Israel, dicendo, quod terram illam obtinere non possent D
Num. xiv, 6-9. propter fortitudinem civitatum et habitatorum ipsius, Josue et Caleb conati sunt filios Israel animare et confortare in Domino. Propter quod Dominus dixit ad Moy-
Ibid. 29, 30. sen, quod ceteris pereuntibus, Josue et Caleb ingressuri et possessuri essent terram quam exploraverunt. Hoc est quod tangitur nunc in textu. *Quadraginta annorum eram quando me misit Moyses famulus Domini Dei de Cadesbarne, ut considerarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur. Fratres autem mei,* hoc est alii exploratores, qui dicuntur fratres ipsius Caleb, quoniam ad eumdem Israeliticum populum pertinebant, et ejusdem erant religionis, atque ex eodem Jacob patriarcha exorti, *qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi,* incutiendo eis timorem inordinatum, ut tactum est. *Nihilo minus ego secutus sum Dominum Deum meum,* id est, divinæ mentis judicio me conformavi, et credendo in Deum, sperando in eo, diligendoque ipsum, adhæsi ei. *Juravitque Moyses,* id est, firmiter asseruit, vel etiam juramento firmavit : quod tamen in libro Numerorum non legitur, ubi hæc recitatur historia. Attamen credendum est, propter hæc verba, quod Moyses istud juravit, quia nec omnia scripta sunt. *In die illo, dicens : Terra quam calcavit pes tuus, erit possessio tua et filiorum tuorum in æternum, quia secutus es Dominum Deum tuum.* Aliqui dicunt, quod Caleb considerans decem exploratores diffidentes de Dei subsidio, declinavit ad tempus ab eis, et ivit solus in Hebron, atque ibidem ad sepulcrum Patriarcharum oravit, ne et ipse subverteretur ab exploratoribus vitiosis; ideoque Dominus promiserit ei dare hunc locum. Sed videtur istud incertum, nec ad salvandum veritatem hujus historiæ, hoc dicere est necesse : quoniam dicere possumus istud per synecdochen esse intelligendum, quia Dominus promisit ei partem terræ illius, præsertim partem quam fuerat electurus et petiturus. Porro quod ait, Erit possessio tua in æternum, sub conditione intelligendum erat, videlicet nisi posteri Caleb peccando mererentur terra illa privari. Vel, Æternum sumitur hic pro sæculo seu tempore longo.

Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, usque in præsentem diem. Ex hoc sequitur, quod homo virtuose agendo meretur etiam sæpe temporalem prosperitatem, prolongationemque vitæ, quamvis hoc non sit præmium principale : atque in veteri Testamento hoc magis habuit locum, quia in illo temporalia erant

promissa, et nondum aperta tunc fuit janua regni cœlestis. De hac autem Domini pollicitatione, et de ista materia scribitur in Numeris. *Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem.* Exploratores namque missi fuerant a Moyse anno secundo egressionis Israel ex Ægypto, et post dies quadraginta redierunt, tuncque dicta sunt verba hæc. Filii quoque Israel in deserto quadraginta annis morati sunt, deinde in terra Chanaan sex annis præliati sunt contra Chananæos : sicque quadraginta quinque fluxerunt anni a tempore illius promissionis ad Caleb factæ. *Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum. Illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.* Hoc supernaturale videtur fuisse. Homines tamen tunc communiter vixerunt diutius, quam nunc : idcirco nec erat tunc ita mirabile, sicut nunc esset, in homine octoginta quinque annorum tantam fortitudinem esse, quanta erat in eo quadragenario.

Num. XIV, 24. 30. — Ibid. XIII, 26. — Ibid. XIV, 33. 34.

Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente. Quidam per montem intelligunt urbem nomine Hebron : cui expositioni non videtur consonare quod subditur, *in quo Enacim sunt, et urbes magnæ atque munitæ.* In Hebron quippe non erant hujusmodi urbes. Petiit ergo sibi dari montem, id est locum illum montanum, quantum ad partem, in qua steterat Hebron. Verumtamen in libro Numerorum non legitur, quod Dominus promisit ipsi Caleb hunc montem aut Hebron distincte, sed in generali dixit ad eum per Moysen : Terra quam calcavit pes tuus, erit possessio tua : per quod Dominus innuebat, quod daretur ei terra, locus seu pars terræ, quam magis eligeret. Vel si facta est in speciali promissio ista, dicendum est, quod Caleb in sua exploratione perambulavit hunc locum. Non tamen dicendum est, sicut quidam ait, solum Caleb venisse in Hebron; nec in hoc credendum est Rabbi Salomoni, quoniam Numerorum tertiodecimo de duodecim exploratoribus generaliter legitur : Ascenderunt ad meridiem, et venerunt in Hebron. Porro in monte hoc erant Enacim, id est gigantes nati de stirpe Enac. *Si forte sit Dominus mecum, et potuero delere eos, sicut promisit mihi.* Si Dominus istud promiserat huic Caleb, cur ait, Si forte, quasi de veritate dubitans divini promissi? Respondetur, quod ait, Si forte, ad insinuandum flexibilitatem liberi arbitrii, per quod obicem ponere poterat impletioni promissionis divinæ; item ad innuendum quod Deus omnia libere operatur, et ejus occulta judicia homines latent. Recte etiam dixit, Si forte Dominus sit mecum, id est supernaturaliter juvet me, quoniam viros illos gigantes naturali virtute nequibat devincere. Habitabant quoque gigantes in monte hoc, id est in urbibus et fortalitiis sitis in monte isto.

Num. XIII, 23.

Benedixitque ei Josue, id est, commendavit hunc Caleb, et bona imprecatus est ei : quia vir erat magnæ gratiæ ac virtutis, ac fuit eis ambobus grandis ratio amandi se invicem familiari præcipuoque amore, tum propter virtutum similitudinem, tum quia de tot millibus hominum pariter numeratis, ipsi duo dumtaxat superstites erant; *et tradidit ei Hebron in possessionem.* Verumtamen juxta præhabita, Hebron tunc fuit destructa per Josue, quamvis aliqui dicant, quod non in toto. *Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usque in præsentem diem, quia secutus est Dominum Deum Israel. Nomen Hebron, antea vocabatur Cariatharbe,* quod interpretatur, civitas quatuor, eo quod ibi in spelunca duplici, in agro prope urbem Hebron, sepulti sint quatuor Patriarchæ cum suis uxoribus : quod de tribus Patriarchis, videlicet Abraham, Isaac et Jacob, uxoribusque eorum, Sara, Rebecca et Lia, dubitationem non habet, quum in Genesi hoc legatur. De primo autem, puta de Adam et Eva, quid sentiendum sit, mox tangetur. Quidam vero affirmant, quod di-

Gen. XXV, 9. 10; XXXV, 27-29; XLIX, 29-31; XXIII, 19.

Digitized by Google

cta sit ita, eo quod ibi gigantes quatuor A sint sepulti, videlicet Tholmai, Sisai, Achiman, eorumque pater Enac, de quibus in Numeris legitur. (*Num.* XIII, 23.) Sunt qui opinantur, quod vocata sit Cariath Arbe, id est civitas Arbe, qui fuit gigas, et principatum gessit ibidem; unde in sequenti fertur capitulo, Cariath Arbe patris Enac (*Josue* XV, 13.): quasi dicat, Civitas Arbe, qui fuit pater Enac gigantis.

Adam maximus ibi inter Enacim situs est. Per Adam, communiter intelligunt expositores hoc loco hominem protoplastum, B qui maximus fuit in sapientia atque virtutibus, præsertim ante suam in paradiso transgressionem; postmodum quoque sancte vixit, fuitque valde magnus auctoritate apud posteros suos, potissime apud bonos quos docuit; fuit et maximus paterna fecunditate, et prima ac generali propagatione. Hic igitur fuit in spelunca illa sepultus : quod etiam inde apparentiam sumit, quia circa locum hunc post suam a paradiso expulsionem, dicitur habitasse interdum, quamvis de hoc parva sit certitudo. Origenes C tamen dixit, Adam in monte Calvariæ fuisse sepultum, atque ab osse capitis ejus, locum illum vocatum montem Calvariæ : quod Hieronymus reprobat ex eo quod dicitur hic, Adam maximus, etc. Denique Lyra refert, quod secundum Hebræos, Adam sit hic nomen commune, significans hominem; et quod per Adam maximum, intelligatur hic Abraham, qui fuit præcipuus Patriarcha. At vero magnus ille theologus et sanctus pater noster Athanasius, refert magistros Judæorum asserere, quod Adam sepultus sit in monte Calvariæ, et S. Thomas hoc recitat super Lucam. Augustinus etiam in homilia dicit, quod Adam in monte Calvariæ sit sepultus. Quidam autem dixerunt, quod Adam hic sumitur pro homine illo gigante nomine Tarbe *; sed non reor quod illius sepulturam Scriptura ista hic curavit describere, et cum Hieronymo potius arbitror, quod per Adam jam intelligatur primus ille parens et Protoplastus.

* Arbe

Et cessavit terra a prœliis. Hoc idem in fine undecimi capituli scriptum est, et ibi expositum. Dicitur autem terra cessasse a prœliis, quoniam habitantes in terra, a prœliis cessaverunt.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : IGITUR SORS FILIORUM JUDÆ PER COGNATIONES SUAS, ISTA FUIT.

SORS seu distributio terræ concessa tri- D bui Juda, nunc recitatur. *Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas,* id est terra posteritati atque familiis Judæ patriarchæ per missionem sortis concessa, *ista fuit : A termino Edom usque ad desertum Sin,* id est, a finibus terræ Idumæorum ex una parte, incepit et tendebat usque desertum quod est inter terram promissionis et Ægyptum : quod pro una parte sua vocatur desertum Sin, quia in diversis partibus suis diversa sortitur vocabula, ut plenius in expositione Exodi scripsi; *contra meridiem,* id est plagam meridianam; protenditur quoque *et usque ad extremam partem australis plagæ :* quia portio seu funiculus tribus Juda, fuit in plaga australi seu meridionali terræ promissionis versus Ægyptum. Primo autem describitur distributio tribus Juda, quoniam principalior fuit et numero major atque audacior. Idcirco in una extremitate terræ promissionis est collocata et versus Ægyptios, quorum impugnationem filii Israel potuerunt

Digitized by Google

timere : quatenus ipsa tribus esset munimen totius terræ promissæ, et tanquam bellicosior, reprimeret insurgentes contra filios Israel hostes.

Initium ejus a summitate maris Salsissimi, id est maris Mortui, de quo jam dictum est sæpe : a quo ex una parte fuit exordium terræ Juda ; *et a lingua ejus*, videlicet maris Salsissimi, *quæ respicit meridiem*, id est plagam australem. Erat autem hoc mare in loco latus australe et orientale jungente. *Egrediturque contra ascensum Scorpionis*. Per Scorpionem intelligitur hic mons quidam, in quo scorpiones plurimum abundabant, et usque ad pedem montis illius protendebatur linea descriptionis terræ tribus istius. *Et pertransit in Sina*, id est usque in partem deserti, in quo est mons Sinai, et hoc est idem cum deserto Sin, *ascenditque in Cadesbarne, et pervenit in Esron, ascendens ad Addar, et circumiens Carcaa, atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti*, puta ad Nilum, secundum quosdam, quantum ad aliquam Nili partem. Potius tamen per hunc torrentem, puto intelligendum quemdam rivum, qui erat in parte australi terræ promissæ, qui vocatur Rhinocolura ; vocaturque rivus Ægypti, vel quia inde scaturiens, aut quoniam illuc currens sive respiciens. *Eruntque termini ejus mare Magnum*. Hoc non est intelligendum de mari Oceano, sed Mediterraneo, terram promissionis terminante ab occidente : quod respectu quorumdam particularium fluviorum, qui juxta Hebrææ linguæ proprietatem, maria nuncupantur, mare Magnum vocatur. *Hic erit finis meridianæ plagæ* : id est, mare hoc erit terminus sortis Judæ, quantum ad plagam australem.

Ab oriente vero erit initium mare Salsissimum, id est, ex parte orientali inchoabitur sors tribus Juda a mari Mortuo jam præfato, *usque ad extrema Jordanis*, ubi videlicet Jordanis intrat Mortuum mare, *et* ad *ea quæ respiciunt*, id est sita sunt, *ad aquilonem, a lingua maris*, forsan Salsissimi, *usque ad eumdem Jordanem. Ascenditque terminus in Beth agla*, id est, sors ista protenditur in locum sic dictum, *ascendens* * *ab aquilone in Betharaba, ascendens ad lapidem Boen filii Ruben* : qui ad quemdam de tribu Ruben natum pertinuit ; *et tendens usque ad terminos Debera de valle Achor, contra aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis, transitque ad aquas quæ vocantur fons Solis* : quæ aquæ fons erant, et vocatæ sunt ita ratione alicujus proprietatis sive effectus, aut similitudinis, aut situs sive originis ; *et erunt exitus ejus ad fontem Rogel*, qui est prope Jerusalem, ut dicitur tertio Regum : ubi Adonias obtulit hostias. *Ascenditque per convallem filii Ennom* ; quæ vallis etiam juxta Jerusalem erat, ut patet in Jeremia et quarto Regum. Ideo subditur : *ex latere Jebusæi ad meridiem, hæc est Jerusalem*, id est, civitas ibi situata, in qua Jebusæi commorabantur, Jerusalem nuncupatur ; *et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom*, etc. Multa nomina urbium et locorum, fontium et montium, in isto sequentibusque ponuntur capitulis, in quibus non est difficultas in se, nec magna vis, quamvis res significatæ per nomina ista, pro parte nos lateant : idcirco ab expositoribus transiliuntur. *Inclinaturque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est urbs silvarum*, forsan sic dicta a silvis circumjacentibus. Tamen quod dicitur, Id est urbs silvarum, translator apposuit. Cariath quippe interpretatur civitas ; Iarim, silvæ. *Et circuit de Baala contra occidentem usque ad montem Seir*, id est Edom, ita quod usque pedem montis illius aut circiter tenditur ; *transitque juxta latus montis Jarim ad aquilonem in Cheslon, et descendit in Bethsames. Transitque in Thamna* urbem Philistinorum, *et pervenit contra aquilonem partis Accaron* : quæ etiam fuit urbs Palæstinorum ; *inclinaturque Sechrona, et transit montem Baala, pervenitque in Jebneel, et maris Magni contra occidentem fi-*

* et transit

III Reg. I, 9.

Jer. VII, 31. IV Reg. XXIII, 10.

Digitized by Google

ne concluditur, id est terminatur extremitate Mediterranei maris. *Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis.*

Caleb vero, id est ipsi Caleb, *filio Jephone dedit* ipse Josue *partem in medio filiorum Juda,* quia et Caleb erat de tribu Juda; et quod hic dicitur, præcedenti capitulo continetur, atque ibidem expositum est. *Atque inde,* puta de Hebron, *conscendens* ipse Caleb, *venit ad habitatores Dabir,* id est urbis sic nominatæ, *quæ prius vocabatur Cariathsepher :* quod quid interpretetur seu signet, translator exposuit, addens, *id est civitas litterarum.* Quæ forte sic dicebatur, eo quod fuerunt ibidem aliqui specialiter litterati aut sapientes secundum legem eorum; vel quod litteræ, quibus utebantur populi Chananæorum, erant ibi excogitatæ; aut quod studium scientiarum viguit ibi; vel, ut in Scholastica habetur historia, quoniam cives ejus erant scriptores. *Dixitque Caleb : Qui percusserit Cariathsepher, et ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. Cepitque eam,* scilicet urbem illam, *Othoniel,* qui post mortem Josue fuit primus judicum Israel, *filius Cenez,* id est viri sic appellati, de quo in præcedenti est dictum articulo, *frater Caleb junior. Deditque ei Axam filiam suam uxorem.* Circa quod oritur quæstio, quomodo Caleb vir justus, dedit filiam suam uxorem fratri suo, avunculo filiæ suæ. Ad quod in fine articuli hujus responsio erit.

Josue XIV, 12-14.

Ibid. 6.

Quæ quum pergeret simul, id est, cum patre suo et marito iter faceret, non pedestris, sed super asinum sedens, *suasa est a viro suo* secrete, *ut peteret a patre suo agrum,* id est terram fertilem cultui aptam, ultra ea quæ pater suus ei jam assignavit pro dote et hereditate. *Suspiravitque ut sedebat in asino,* id est super asinum. Ideo autem ingemuit, ut quasi ex vehementia desiderii videretur multum affligenda, nisi obtineret intentum. *Cui Caleb, Quid habes? inquit. At illa respondit : Da mihi benedictionem,* id est beneficium seu donum quod peto. *Terram australem et arentem,* id est infecundam propter aquarum defectum, *dedisti mihi, junge et irriguam,* quæ scilicet aquis irrigetur. *Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et irriguum inferius,* id est agros sic situatos, quod tam in superioribus suis partibus, quam in inferioribus irrigabantur sufficienter; vel agros irriguos circa civitatem ab oriente et occidente. Quocirca oritur quæstio, quoniam in Deuteronomio legitur : Terra ad quam ingrederis, scilicet terra promissionis, non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluviam : ex quo apparet, quod agri, de quibus nunc sermo, irrigabantur aquis pluviarum, non fluviorum aut fontium. Pluvia autem agris ejusdem territorii est communis. Respondetur, quod quamvis generaliter ita fuit, attamen aliqui agri terræ promissionis etiam aquis fluminum aut fontium poterant irrigari, quemadmodum et in Ægypto aliquando pluit.

Deut. XI, 10. 11.

Consequenter civitates tribus Juda nominantur in textu. Hic tamen sciendum, quod eædem civitates interdum in diversarum tribuum sortibus nominantur : quia etsi primo deputatæ fuerunt ad unam tribum, postea tamen ex aliqua causa sunt alteri tribui assignatæ; et forte diversæ civitates quandoque idem nomen sortitæ sunt, sicut et aliquæ urbes plura habent vocabula. Unde infra habetur : *Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum :* quæ vocata est Cariathbaal, quoniam habitatores ejus coluerunt idolum nomine Baal. Enumerantur quoque in sorte tribus Juda, civitates et villæ Philistinorum, videlicet Accaron, Azotus et Gaza, multæque aliæ urbes, quas tunc nondum obtinuerunt. *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere, habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.*

Circa hoc dubitationes occurrunt. Prima est, quia ut infra habetur, Jerusalem per-

Josue XVIII, 28.

Digitized by Google

tinebat ad tribum sortemque Benjamin, quomodo ergo filii Juda in Jerusalem commanserunt? et quare non potius ait Scriptura, quod filii Benjamin non potuerunt Jebusæum illum delere? Secunda est, quomodo verum sit istud? Quemadmodum enim filii Juda alias plures urbes cum suis habitatoribus deleverunt non propriis viribus, sed supernaturali et gratioso Dei auxilio, ita et Jebusæum vincere potuerunt.

Ad primum quidam respondent, quod Jerusalem pro parte fuit pertinens ad tribum Juda, et pro parte ad Benjamin tribum, ita quod pars in qua postea constructum est templum, fuit in funiculo Benjamin. Porro Magister in historiis ita concordat prædicta ad invicem, quod Jerusalem pertinebat ad tribum Juda, quantum ad concessionem; ad Benjamin vero, quantum ad traditionem factam per sortem. Hinc filii Juda dicuntur non potuisse Jebusæum dejicere. Ad secundum dicunt expositores catholici, quod per Jebusæum nunc intelligatur populus Jebusæorum, et quod filii Juda non potuerunt eos delere ex quodam fortalitio, quod in urbe Jerusalem tenuerunt, non ex defectu omnipotentiæ Dei, sed quia fortassis non impugnaverunt fortalitium illud cum tanta fide et spe in Deo, quod prævalere meruerint; vel ex alia causa occulta Deus non contulit eis triumphum illum, sicut nec Philistæos delevit ex causis prætactis. Verum ut refert Lyra, Hebræi dicunt, quod Jebusæi isti non erant de stirpe Jebusæorum, sed dicti sunt Jebusæi quoniam habitabant in Jerusalem, quæ alio nomine Jebus vocata est; et quod erant de stirpe Abimelech regis Geraræ, cum quo Abraham fœdus percussit et juramento firmavit; et quod duravit hoc fœdus ad certum tempus, quod tempore Josue nondum effluxerat. Propter quod, juramento illo obstante, non potuerunt filii Juda Jebusæos illos licite impugnare. Postea vero David expugnavit Jebusæos, eo quod tempus dicti fœderis tunc effluxit.

Gen. XXI, 27, 31.

II *Reg.* V, 6-9.

Nunc solvenda est quæstio superius mota, quomodo licuit ipsi Caleb, tradere filiam suam Othonieli fratri suo in conjugem. Ad quod aliqui dicunt, quod Othoniel dicitur frater ipsius eo modo, quo Abraham vocavit Lot fratrem suum, et Joab dixit ad Amasam, Salve, mi frater: quia consanguinei erant. Et isti dicunt, quod Cenez fuit frater ipsius Caleb. In Scholastica autem historia fertur, quod Caleb et Othoniel fuerunt fratres uterini tantum, id est ex matre dumtaxat: quoniam Caleb fuit filius Jephone, Othoniel vero filius fuit Cenez, nisi forte pater eorum binomius fuerit. Et additur ibi: Caleb maluit servare votum suum, quam legem quæ interdicit matrimonium cum filia fratris, nisi forte lex intelligatur de filia fratris ex patre. Hæc ibi. At vero Lyra respondet: Probabiliter potest dici, quod licet Othoniel frater esset Caleb, non tamen peccavit accipiendo neptem suam. Non enim hoc erat contra legem naturæ, quoniam Abraham accepit Saram filiam fratris sui, nec contra legem Moysis. Circa quod dici potest, quod non sit explicite contra ea, quæ de personis a mutua contractione conjugali in Levitico prohibitis, describuntur. Aliqui tamen dicunt, quod implicite exstet prohibitum, sicut ibidem plenius habetur expositum. Quamvis autem tale matrimonium non sit contra immediata præcepta legis naturæ, tamen contra secundaria ejus præcepta, quæ ex primis illis principiis tanquam conclusiones deducuntur, esse censetur a multis.

Gen. XIII, 8. II *Reg.* XX, 9.

Gen. XI, 29; XX, 12.

Lev. XVIII, 6-18; XX, passim.

Sensus mysticus.

Juxta mysticum sensum, per sortem et tribum Juda, quæ primo hereditatem accepit latiorem et ditiorem, intelliguntur sancti Apostoli electissimi discipuli Christi de tribu Juda exorti: qui primitias Sancti Spiritus acceperunt, et pluribus per totum mundum præfecti sunt, latiusque spiritualiter dominati; qui et in regno cœlesti præclariores sortiti sunt mansiones. Insuper, per Caleb æque robustum in juventute sua ac senio, potest intelligi Deus Pater, cujus est fortitudo invariabilis et æterna. Per filiam Caleb, quæcumque anima fidelis devota, quæ super asinum sedet, dum

Rom. VIII, 23.

Digitized by Google

propriæ carnis concupiscentiis passionumque motibus dominatur. Per Othoniel, Christus, cui talis anima desponsatur, dum per fidem et caritatem ei unitur. Hanc sponsam suam Christus hortatur, ut a Patre cœlesti agrum, id est spiritualem fecunditatem, consolationem internam, fontem lacrimarum, sapientiæ flumen, gratiarum fluenta, charismatum affluentiam supernorum cum prostratione ac gemitu petat, dicens : *Terram arentem,* id est fragilem
Rom. vii, 18. carnem, in qua non habitat bonum, et quæ
Sap. ix, 15. aggravat animam, *dedisti mihi.* Rursus terra hæc arida, est conversatio bona, tamen in carne et in terra ista exhibita. *Junge et irriguam,* id est, da corpus rationis judicio per omnia prompte subjectum, con-
Philipp. iii, 20. cede conversationem in hac terra cœlestem, donum lacrimarum impende, virtuosæ fertilitatis exuberantiam elargire. Quum itaque anima istud postulaverit incessabiliter et ferventer, dat ei Pater æternus *irriguum superius,* id est gratiam compunctionis et affluentiam fletus, ubertatemque mentis ex desiderio regni cœlestis, ex suavissima complacentia Creatoris, ex compassione dominicæ passionis, ex plenitudine devotionis, ex ardore fruendi dilecto plenarie. Dat quoque *irriguum inferius,* id est spiritum contritionis et fletus, ex consideratione propriarum et alienarum culparum, ex timore divini judicii, ex imaginatione infernalis supplicii, ex attentione multiplicis miseriæ hujus vitæ, imperfectionis defectuositatisque propriæ: et quia non I Cor. xv, 46.
prius quod spirituale, sed quod animale, idcirco per irriguum istud inferius, perducitur anima ad irriguum illud superius.

ARTICULUS XXIV

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : CECIDIT QUOQUE SORS FILIORUM JOSEPH.

PARS terræ filiis Joseph distributa, nunc recitatur. *Cecidit quoque sors filiorum Joseph,* id est tribuum Ephraim et Manasse: non quod tribus illæ habuerint sortem unam, aut duas sortes confuse permixtas; nec istud intelligendum est de integra tribu Manasse, sed de media ejus parte, quia pars alia ab altera parte Jordanis suam jam sumpserat sortem. Itaque quod ait, Cecidit quoque sors filiorum Joseph, dicitur hic in generali et indeterminate; postea autem in speciali describitur. Cecidit ergo *ab Jordane contra Jericho,* quia ab una ripa Jordanis incepit ex opposito urbis Jericho, *et aquas ejus.* Unde quarto Re-
IV Reg. ii, 21. gum legitur Eliseus sanasse aquas Jericho, mittendo in eas sal. *Ab oriente solitudo,* a plaga orientali fuit seu cœpit hæc sors a solitudine, *quæ ascendit de Jericho ad*
* montem *montuosa* * *Bethel,* id est loca montana quæ sunt circa oppidum Bethel. Hinc in Evangelio legitur, quod homo descendens de Luc. x, 30.
Jerusalem in Jericho, incidit in latrones, qui scilicet erant in solitudine illa : in qua et Christus jejunavit atque tentatus est. *Et* Matth. iv, 1 et seq.
egreditur de Bethel Luza. Plures fuerunt urbes in terra sancta, vocatæ Bethel et Luza. Aliqui tamen dicunt, quod Bethel et Luza accipiantur nunc pro urbe Jerusalem ; quod item sors ista dicatur egressa de Bethel in Luza, propter diversas partes urbis ejusdem, ita quod civitas illa totalis Jerusalem, continebat in se hæc duo oppidula, sicut et nunc sunt aliquæ magnæ urbes habentes et continentes plura oppida parva tanquam proprias partes. *Transitque terminum Archi, Ataroth, et descendit ad occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Bethoron inferioris.* Fuit autem urbs Bethoron duplex, una superior

Digitized by Google

III *Reg.* IX, 17. et inferior alia, ut patet tertio libro Re- A
Josue XXI, 21. gum. *Et Gazer*, id est oppidi sic vocati, de quo legitur infra. *Finiunturque regiones ejus mari Magno*, id est Mediterraneo. *Possederuntque filii Joseph Manasses et Ephraim*, id est tribus natæ ex Manasse et Ephraim. Porro per regiones, intelligendæ sunt diversæ urbes quas possederunt, quæ et ante ad diversa particularia regna spectabant. Occiderunt namque filii
Ibid. XII, 24. Israel in terra promissionis reges triginta unum, sicut jam patuit.

Consequenter in speciali describitur sors B et hereditas Ephraim. *Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas, et possessio eorum ad orientem Ataroth Addar usque Bethoron superiorem; egrediunturque confinia in mare*, quia hæ urbes assignatæ sunt tribui Ephraim. *Machmethath vero*, id est locus sic dictus, *aquilonem respicit, et circumit terminos contra orientem in Thanathselo, et per-*
* ab oriente *transit a torrente* Janoe, descenditque de Janoe in Ataroth et Naaratha, et pervenit in Jericho, egrediturque ad Jordanem de* C *Taphua. Pertransitque contra mare in vallem Arundineti*: quæ vallis forsan sic appellatur propter arundines in ea abundanter crescentes; *suntque egressus ejus in mare Salsissimum*, id est in mare Mortuum, de quo dictum est sæpe. *Hæc est possessio tribus filiorum Ephraim; urbesque separatæ sunt*, id est specialiter et seorsum deputatæ, *filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manassæ, et villæ earum*. Quamvis enim quælibet tribus habuit propriam partem et sortem, tamen interdum urbes quædam unius tribus, quantum ad aliquem situm, interlocatæ erant infra terminos alterius sortis: quia et linea, per quam fiebat terræ sortiumque divisio, non poterat semper protrahi in directum, sed interdum hinc inde flectebatur propter interposita loca impertransibilia.

Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, id est populum Chananæorum, *qui habitabat in Gazer*, id est in urbe sic nominata: de qua legitur tertio Regum,
quod Pharao rex Ægypti, ascendit, et per- III *Reg.* IX, 16, 17.
cussit Chananæos qui habitabant in Gazer, et urbem succendit, deditque eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis, et tunc Salomon urbem illam reædificavit. *Habitavitque Chananæus in medio Ephraim tributarius.* Ex hoc apparet, quod Ephratæi habuerunt facultatem interficiendi illos, sed ex ambitione et cupiditate ad quas erant proclives, permiserunt vivere illos contra Dei præceptum, a quo eis erat præ-
ceptum ut Chananæos omnino delerent, ut *Num.* XXXIII, 51-56.
Numerorum liber clare monstrat. Verumtamen istud non videtur omnibus Ephratæis, sed eis qui urbem Gazer obtinuerant, imputandum, qui et graviter ac multipliciter peccaverunt in isto.

ARTICULUS XXV

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : CECIDIT AUTEM SORS TRIBUI MANASSE.

DESCRIBITUR nunc distributio terræ D facta filiis Manassæ, et primo repetitur sors distributa mediæ parti tribus ejus, quum dicitur : *Cecidit autem sors tribui*
Gen. XLI, 51. *Manasse. Ipse enim Manasses est primogenitus Joseph*, secundum ordinem temporis, prout in Genesi habetur. Attamen Jacob patriarcha benedicendo filiis Joseph,
prætulit Ephraim ipsi Manassæ, quemad- *Gen.* XLVIII, 13-20.
modum Geneseos codex narrat. *Machir primogenito Manassæ*, id est, sors illa primo venit ac data est ipsi Machir primoge-

Digitized by Google

nito Manassæ, hoc est posteritati atque familiis natis ex Machir, qui obiit in Ægypto, *patri Galaad :* habuit enim filium nomine Galaad; *qui fuit vir pugnator.* Quod ait, *qui,* videtur posse referri, sive ad Machir, sive ad Galaad ; sed ad Machir referendum censetur, quia et alibi legitur idem de ipso. Dicitur quoque vir pugnator, non quod fuerit bellator injustus aut contentiosus rixator, sed quoniam fortis et strenuus pugnando pro causis justis : et ita sonat in laudem, quod dicitur vir pugnator. *Habuitque possessionem Galaad et Basan,* id est, posteritas Machir partim possedit terram Galaad, terramque Basan. Unde constat, quod Galaad quandoque sit nomen viri, quandoque patriæ. *Et reliquis filiorum Manassæ juxta familias suas* cecidit sors, quemadmodum filiis Machir, videlicet *filiis Abiezer, et filiis Helec, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis Hepher, et filiis Semida. Isti sunt filii Manassæ filii Joseph per cognationes suas.* Ista distributio a Moyse facta est eis in campestribus Jericho super et circa Jordanem, quemadmodum in Numeris et in Deuteronomio legitur.

Num. XXVII, 1. — Num. XXXII, 33, 39-42; Deut. III, 13-15.

Consequenter describitur distributio facta mediæ tribui Manasse in terra promissionis a Josue. *Salphaad vero filio Hepher,* etc., *non fuerunt filii, sed solæ filiæ* quinque, quarum nomina exprimuntur in littera. *Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis,* qui fuit summus sacerdos seu pontifex post Aaron patrem suum, *et Josue et principum, dicentes : Dominus præcepit per manum Moysis, ut daretur nobis possessio in medio fratrum suorum* *, id est cognatorum qui de Manasse exorti sunt. De hac re legitur in Numeris : Accesserunt filiæ Salphaad, steteruntque coram Moyse atque dixerunt : Pater noster non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini, qui dixit : Justam rem postulant filiæ Salphaad. Da eis possessionem inter cognatos patris sui. *Deditque eis Josue juxta imperium Domini, possessionem in medio fratrum patris earum.* Regulariter autem terra dividebatur secundum viros, qui erant capita familiarum. *Et ceciderunt funiculi Manasse decem, absque terra Galaad et Basan trans Jordanem,* id est, decem partes per sortes distinctæ, assignatæ sunt mediæ tribui Manasse in terra promissa, juxta decem capita cognationum seu familiarum ipsius : sicque funiculus sumitur hic pro parte terræ funiculo mensurata, videlicet mensura pro mensurato, quia funiculus est metiendi instrumentum, juxta illud Zachariæ, Ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum. *Filiæ enim Manassæ,* videlicet præfatæ filiæ Salphaad genitæ ex stirpe Manassæ, *possederunt hereditatem in medio filiorum ejus,* id est inter mares genitos ex Manasse, sicut jam dictum est. *Terra autem Galaad, cecidit in sortem filiorum Manassæ qui reliqui erant,* id est in hereditatem mediæ tribus Manasse trans Jordanem sub Moyse, sicut nunc patuit.

* nostrorum — Num. XXVII, 1-6. — Zach. II, 1.

Fuitque terminus Manasse ab Aser, id est, sors ejus ex una parte cœpit a sorte tribus Aser, *Machmethath,* id est locus ille seu urbs spectans ad sortem tribus Manasse, *quæ respicit Sichem,* id est terram seu civitatem sic nominatam ; *et egreditur ad dexteram juxta habitatores fontis Taphuæ. Etenim in sortem Manasse ceciderat terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim :* id est, terra vicina civitati nomine Taphuæ, ex una parte pertinuit ad tribum Manasse, quamvis ipsa civitas cum terra sibi vicina ad tribum pertinuerit Juda*, ut supra claruit. *Descenditque terminus vallis Arundineti,* in qua crescunt et abundant arundines, *in meridiem torrentis civitatum Ephraim,* id est ad plagam australem, cui conjungitur torrens ad civitates Ephraim pertinens sive respiciens, *quæ* civitates Ephraim *in medio sunt urbium Manasse :* quod in præcedenti articulo expositum est. *Terminus Manasse ab aquilone torrentis, et exitus,*

* Ephraim — Josue XVI, 8, 9. — Ibid. 9.

Digitized by Google

id est progressio *ejus, pergit ad mare* Mediterraneum : *ita ut ab austro,* id est versus partem australem terræ promissionis, in qua parte fuit sors Judæ, *sit possessio Ephraim,* quæ fuit propinquior sorti ac tribui Juda, quam sors Manasse : ideo subditur, *et ab aquilone Manasse,* id est, ad plagam aquilonarem, sit possessio mediæ tribus Manasse. *Et utramque claudit mare,* id est, ambas has sortes seu possessiones Ephraim et Manasse, terminat ab una parte Mediterraneum mare.

Fuitque hereditas Manasse in Issachar, et in Aser, id est propinqua atque contigua sortibus tribuum Aser ac Issachar, et alicubi angulariter eas subintrans, *Bethsan,* id est civitas illa, *et viculi ejus, et Jeblaam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis,* id est habitationes seu habitacula atque divitiæ urbis Dor et oppidorum ei subditorum aut annexorum, *habitatores quoque Endor cum viculis suis, similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Nopheth. Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere :* quod non fuit ex defectu omnipotentiæ Dei, sed ex defectu fidei et virtutum eorum, ob quem non meruerunt tam copiosum a Deo subsidium, quod potuissent delere has urbes. *Postquam autem convaluerunt filii Israel, subjecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos :* quos ex præcepto Dei debuerunt occidere, sicque peccaverunt in isto, ut dicebatur præcedenti articulo. Josue XVI, 10.

Locutique sunt filii Joseph, id est tribus Manasse et Ephraim, *ad Josue, et dixerunt : Quare dedisti mihi terram in possessionem sortis et funiculi unius, quum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus ?* Hæ duæ tribus habuerunt utique duas sortes, utpote quælibet suam, et nunc dictum est, quod filiis Joseph ceciderunt decem funiculi : quomodo ergo jam conqueruntur, quod eis data sit tantum sors una et unus funiculus ? Et quomodo singulariter dicunt, Quare dedisti mihi ? Respondetur, quod quælibet earum conquesta est de tam exigua sibi hereditate collata, respectu multitudinis suppositorum suorum ac jumentorum et divitiarum; per unum quoque funiculum, intellexerunt totalem hereditatem eis concessam. Locuti sunt quoque de se invicem singulariter, quia ex uno Patriarcha filio Jacob, puta ex Joseph, nati fuerunt. Petierunt itaque terminos suos dilatari, non per subtractionem partis de sortibus tribuum aliarum, sed alio modo. Videtur autem eorum querela fuisse injusta, quoniam debuerunt esse contenti distributione, quam eis sors a Deo directa ac moderata donavit. *Ad quos Josue ait : Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim :* quasi dicat, Si gloriaris de multitudine et fortitudine tua, ostende tuam virilitatem, et pugnando acquire residuum sortis tuæ quod nondum obtinuisti. In locis quoque silvestribus præpara tibi loca ad commorandum ; *quia angusta est tibi possessio montis Ephraim,* id est urbes sitæ in monte Ephraim et circumquaque : qui mons ab Ephraim novum nomen tunc sumpsit.

*Cui responderunt filii Joseph : Non poterimus ad montana conscendere, quum ferreis curribus utantur Chananæi qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, et Laaser** * Jezrael *mediam possidens vallem :* ad quos pertinebant montana, ideo restitissent. In hoc responso fassi sunt filii Joseph suam infirmitatem, et fidei suæ imperfectionem : quia si plene credidissent ac sperassent in Deo, scivissent quod Dei auxilio potuissent faciliter prævalere, non obstantibus ferreis curribus, qui in Judicum volumine dicuntur currus falcati, quoniam ferreis Judic. I, 19; uncis instar falcis factis erant muniti in IV, 3, 13. suis lateribus. Nam talibus curribus solebant antiquitus uti in bello. Hinc Josue rursus eos hortatur ut ante, ut scilicet in Deo sperantes, transeant ad montem, id est ad montana. *Et ait ad domum Joseph*

Digitized by Google

et Ephraim: Populus multus es, et magnæ fortitudinis. Non habebis sortem unam, sed transibis ad montem, et succides tibi atque purgabis ad habitandum spatia, et poteris ultra procedere quum subverteris Chananæum : id est, angustiis sortis tibi concessæ noli esse contentus, sed dilata et A amplia eam per modum prætactum. Quidam tamen exponunt sic, quod Josue dedit eis licentiam dilatandi terminos suos extra fines terræ promissionis, præsertim quia cognovit in spiritu, quod et gentiles quorum terra non fuit filiis Israel promissa, impugnaturi erant Israelitas.

ARTICULUS XXVI

DECLARATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : CONGREGATIQUE SUNT OMNES FILII ISRAEL IN SILO.

QUALITER ceteris tribubus Israel divisa ac distributa sit residua pars terræ promissionis, modo describitur. *Congregatique sunt omnes filii Israel in Silo,* quæ fuit urbs ad tribum Ephraim pertinens ; nec oportet asserere quod universi et singuli simul erant collecti intra mœnia urbis illius, sed erant ibi et circumquaque collecti ; *ibique fixerunt tabernaculum testimonii,* quia ex ordinatione Josue transtulerunt cum solennitate decenti tabernaculum Moysis factum in solitudine Sinai, de Galgala in Silo, ob loci opportunitatem, et quoniam Josue Ephratæus, vir in divino cultu præfervidus, libenter habuit illud in terra et sorte tribus suæ. *Et fuit eis terra subjecta :* quia (ut dictum est) qui reman-
Josue x, 21. serant, non audebant contra eos mutire, nec pugnam inire.

Remanserant autem filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas. Nam quinque tribus, videlicet Ruben, Gad, Juda, Ephraim et Manasse, jam acceperunt. *Ad quos Josue ait : Usquequo marcetis ignavia,* id est, torpore et negligentia contabescitis, *et non intratis ad possidendum terram quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis,* id est, dandam præcepit et obtulit? *Eligite de singulis tribubus ternos,* id est tres *viros.* An isti fuerunt electi dumtaxat de singulis tri- B bubus quæ nondum partem suam sortitæ fuerunt, an absolute de omnibus tribubus Israel, posset inquiri : et magis apparet, quod de omnibus tribubus. Denique Josue vir discretus et justus, dedit septem tribubus istam electionem, ne postea conqueri possent sibi factam esse fraudem sive injuriam. *Ut mittam eos, et pergant et circumeant terram* promissionis, quæ nondum divisa et data est, *et describant eam,* id est mensurent ac partiantur, *juxta numerum uniuscujusque multitudinis,* id est C in partes majores sive minores, secundum quod una tribus est populosior, alia autem minor in personis. Unde per Moysen dixerat Dominus : Pluribus dabitis majorem, et Num. xxvi. 54.
paucioribus minorem. *Referantque ad me quod scripserint.*

Dividite vobis terram in septem partes, non in toto æquales : imo non solum distinguebantur partes istæ secundum magnitudinem quantitatis, sed etiam secundum fertilitatem. Unde Magister in historiis protestatur : Josue mandavit eis, ne ter- D ram metirentur secundum quantitatem, sed secundum æstimationem fertilitatis. Nam sæpe pluris sunt decem jugera, quam centum. Præcepitque quod in scriptis redigerent terræ divisionem. Rursus in Scholastica fertur historia, quod prædictis viris sumptis ex singulis tribubus, Josue addi-

Digitized by Google

dit decem viros in arte metiendi peritos, A quos propter artem veritas non lateret. *Judas sit in terminis suis ab australi plaga,* id est, tribus Juda remaneat in sua sorte sibi jam præstita, quæ est in parte meridionali terræ promissionis ; *et domus Joseph,* videlicet tribus Ephraim atque dimidia tribus Manasse, persistant *ab aquilone* in sortibus suis, in parte terræ promissionis aquilonari. Hæ etenim tribus, tanquam ceteris præclariores, audaciores et potentiores, ad aliarum tribuum tuitionem constitutæ sunt in terminis terræ promissæ B extremis, per quos adversarii magis ingredi poterant : siquidem a parte occidentis, terra illa clauditur et munitur Mediterraneo mari ; Jordanis vero claudit et tutatur latus ejus orientale. *Mediam inter hos terram in septem partes describite, et huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam hic sortem vobis : quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hereditas. Gad autem et Ruben, et dimidia tribus Manasse, jam acceperant possessiones suas trans* C *Jordanem ad orientalem plagam, quas dedit eis Moyses famulus Domini.*

Quumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Josue, dicens : Circuite terram et describite eam, ac revertimini ad me, ut hic coram Domino Deo vestro in Silo mittam vobis sortem. Itaque perrexerunt, et lustrantes eam in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt in castra *ad Josue in* Silo :* et mense septimo redierunt. *Qui misit sortes coram Domino* D *in Silo.* Quamvis autem partes terræ fuerunt inæquales, non tamen fuit periculum in sortium missione, quasi sors major ac melior posset tribui evenire minori, quia ab infallibili providentia Dei, moderabatur eventus sortis. Verumtamen quidam dicunt, quod partes terræ erant æquales, et quod nihilo minus una tribus accepit partem majorem quam alia, in quantum continebat in se plures domos sive familias, unaque domus majorem partem quam alia, secundum quod plura capita continebat. Sed prætacta expositio verior reputatur. *Et divisit terram filiis Israel in septem partes.*

Et ascendit sors prima filiorum Benjamin, quæ prima fuit inter has septem. *Fuitque terminus eorum contra aquilonem.* Textus in se difficultatem parvam vel nullam habet, quamvis nobis qui loca illa non vidimus, obscuritatem producat. *A Jordane pergens juxta latus Jericho,* ita quod Jericho fuit in sorte Benjamin, *ad montana conscendens, et perveniens ad solitudinem Bethaven,* id est, quæ est juxta urbem nomine Bethaven, *atque pertransiens juxta Luzam ad meridiem, ipsa est Bethel.* Superius habitum est, quod Bethaven alio nomine dicta sit Bethel. Nunc quoque de Bethaven et Bethel, quasi de distinctis urbibus fit mentio, et dicitur hic, quod Luza ad meridiem sita, sit Bethel. Ideo ista Luza et Bethel videtur esse Jerusalem, quæ partim pertinebat ad tribum Juda, cujus sors ad meridiem fuit. Porro Bethel quæ infra distincte a Jerusalem nominatur, videtur alia esse ab ista. Quemadmodum autem plures homines, sic plures urbes ac villæ, eodem sæpe nomine designantur : quod potuit præcipue esse in terra promissionis, in qua antea erant tam multa parva regna, videlicet triginta et unum : inter quæ tamen regnum Asor exstitit magnum juxta præhabita. *Descenditque in Ataroth Addar, in montem qui est ad meridiem Bethoron inferioris, et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis qui respicit Bethoron contra Africum ; suntque exitus ejus in Cariathbaal, quæ vocatur Cariathiarim, urbem filiorum Juda. Hæc est plaga † magna,* id est major pars sortis Benjamin. Denique multa nomina in hoc passu ponuntur, quæ ante exposita sunt, videlicet Bethoron, Cariathiarim, Nephtoa, Ennom, Geennom, Rogel, etc., ex quorum expositione textus fit planior. *Descenditque ad lapidem Boen filii Ruben.* Secundum quosdam, per Ruben non intelligitur hic primogenitus Ja-

Josue XII. *Ibid.* XI, 10.

Digitized by Google

cob nomine Ruben, cujus tribus sortem accepit ab alia parte Jordanis, sed alter ejusdem nominis. Attamen dici posset, quod lapis ille ex aliquo eventu aut facto notabili, nomen susceperit ab aliquo nato ex Ruben primogenito Jacob. Interdum quoque aliqui unius tribus, habitabant in terra et sorte alterius tribus.

Deinde urbes ad tribum Benjamin pertinentes exprimuntur in textu, numero viginti sex, cum villis sibi adjunctis. Quomodo autem Jerusalem fuit in tribu Benjamin, et quomodo in tribu Juda, expressum est vicesimo quarto articulo. In Scholastica autem fertur historia, quod sors Benjamin angustissima fuit propter terræ fertilitatem. Verumtamen plures urbes et quasdam majores habebat, quam quædam aliæ tribus, ut infra patebit. *Josue* XVI, 9.

Sensus mysticus. At vero juxta mysticum sensum, quemadmodum per terram promissionis intelligitur regnum cœleste electis paratum ac repromissum, ita per terræ promissæ divisionem, et congruam variamque distributionem, intelliguntur diversæ mansiones regni cœlorum, in quo unusquisque juxta sua merita præmiatur. Rursus, sicut septem tribubus se negligenter habentibus locutus est Josue, *Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendum terram quam Dominus dedit vobis?* ita et multo plus possunt hæc dici negligentibus, pigris atque carnalibus Christianis, quibus promissum est regnum cœlorum, et tamen ad illud non adspirant, neque accelerant, imo potius retrocedunt : quorum unicuique clamat Apostolus : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis. Dominus quoque in Apocalypsi : Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Excutiamus ergo omnem ignaviam, universum torporem : quia non pigritantibus, nec otio et carnalitati vacantibus, sed vere timoratis ac fervidis cœlorum conceditur regnum : quod cum desidia quærere, est Deum altissimum ac supermunificentissimum in suis promissis dignissimis spernere. Postremo, quemadmodum in terra promissionis ad aliorum ac infirmiorum tutamen et propugnationem constitutæ sunt tribus robustiores in extremis terræ periculosioribus, sic in militante Ecclesia ad perfectiores spectat, pusillos pie sufferre, infirmos portare, tentatos ac fragiles orando, exhortando, ædificando jugiter sustentare, gravioribus quoque se opponere tentamentis, et contra invisibiles hostes defendere imperfectos. Propter quod ait Apostolus : Debemus nos firmiores, imbecillitatem infirmorum portare, et non nobis placere. *Ephes.* V, 14. *Apoc.* III, 16. *Rom.* XV, 1.

ARTICULUS XXVII

EXPLANATIO CAPITULI NONIDECIMI : ET EGRESSA EST SORS SECUNDA FILIORUM SIMEON.

MODO describuntur sortes sex tribuum. *Et egressa est sors secunda filiorum Simeon,* id est, tribui Simeon evenit sors immediate post Benjamin, *per cognationes suas. Fuitque hereditas eorum in medio possessionis filiorum Juda : Bersabee,* id est civitas sic vocata. Bersabee autem quandoque est nomen mulieris. *Et Sabee et Molada,* etc., id est oppida ista ; et ponuntur in littera decem et septem oppida tribui huic concessa, sicque habuit urbes pauciores quam Benjamin tribus. Denique, sicut præhabitum est, et expositores fatentur concorditer, tribus Juda, tanquam major, fortior atque pugnacior, habuit maximam sortem et terræ partem : quia non

Digitized by Google

solum per sortis casum partem suam accepit, sed item per concessionem, ita quod habuit ea loca quæ bellando acquirere potuit. Sicque quoniam exstitit bellicosa et fortis, ampliavit non modice terminos suos : ideo aliquæ urbes et villæ quas acquisivit, collatæ sunt tribui Simeon, et aliquæ tribui Dan : vel, quia tribus Juda non potuit omnia loca sua sufficienter occupare, implere et inhabitare ; vel, quia terra residua non erat pro aliis tribubus satis magna. Quæ causæ tangi videntur, quum subditur : *Hæc est hereditas filiorum Simeon in possessione et funiculo,* id est sorte seu terra funiculo mensurata, *filiorum Juda, quia major erat,* videlicet ipsa possessio tribus Juda. *Et idcirco filii Simeon possederunt in medio hereditatis ejus**.

* *eorum*

Præterea in Scholastica recitatur historia, quod tribus Juda et tribus Ephraim, tanquam privilegiatæ ac principales, habuerunt terram absque sorte: quod præinductis non consonat, quum et in præhabitis ipsius mentio facta sit, Sors filiorum Juda per cognationes suas ista fuit ; et alias, Ceciditque sors filiorum Joseph. Et Dominus jusserat totam terram promissionis, sortibus dividi. Nisi forte intelligatur per verbum prætactum, quod obtinuerunt terram, non tantum per sortem. Rursus in eadem Historia legitur : Projectis sortibus, prima sors Judæ egressa est, secunda Simeoni, tertia Benjamin, quarta Ephraim, quinta medietati tribus Manasse, sexta Issachar. Quocirca miror quod sic refert, quum in textu manifeste habeatur oppositum. Siquidem præcedenti habetur capitulo, quod inter septem tribus primo egressa est sors Benjamin, nuncque asseritur in isto capitulo, quod Simeon accepit sortem post Benjamin. In alio capitulo quoque dicitur, Josue reprehendit septem tribus de ignavia, quod non introierunt in terram eis a Deo donatam : quod fuit postquam tribus Juda et Ephraim tribusque Manasse suas acceperunt hereditates. Nec dici potest, quod in istis capitulis non servetur ordo historiæ.

(*Josue* XV, 1. — *Ibid.* XVI, 1. — *Ibid.* XVIII, 11. — *Ibid.* 3.)

Consequenter describitur sors tribui Zabulon data. *Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas. Et factus est terminus possessionis eorum usque Sarid,* quia usque ad locum seu oppidum sic vocatum extenditur. *Ascenditque de mari,* forsan Mediterraneo. Unde in Genesi Jacob prædixit : Zabulon in littore maris habitabit et in statione navium, pertingens usque ad Sidonem. Fuerunt autem duodecim urbes tribui huic concessæ. Circa quod quæstio potest moveri, quomodo in isto observata sit et impleta jussio Dei, qui præcepit pluribus dare partem majorem, paucioribusque minorem. Porro tribus Zabulon multo major fuit, quam tribus Simeonis aut etiam Benjamin. Nempe, ut in Numerorum libro habetur, in secunda populi enumeratione fuerunt in tribu Zabulon sexaginta millia quingenti ; in tribu autem Simeonis viginti duo millia ducenti, atque in tribu Benjamin quadraginta quinque millia sexcenti. Ad istud poterit responderi, quod forsan urbes tribus Zabulon erant majores, vel terra ejus fertilior, aut utilior, viculisque abundantior, aut spatiosior, quamvis minus ædificata et inhabitata. Similis quoque responsio ad consimiles potest quæstiones evolvi. Amplius, inter urbes Zabulon nominatur et Bethlehem, quæ alia est ab illa, in qua natus est Christus, quæ ad tribum pertinuit Juda.

(*Gen.* XLIX, 13. — *Num.* XXVI, 27, 14, 41.)

Sequitur descriptio sortis Issachar. *Issachar,* id est tribui Issachar, *egressa est sors quarta per cognationes suas. Fuitque ejus hereditas Jezrael,* etc. Et exprimuntur in littera sedecim urbes ejus, inter quas una est Bethsames. Fuit autem terra hæc Issachar opulenta, pulchra, agriculturæque apta ; propter quod Jacob prædixit in Genesi : Issachar, asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum. Unde, ut sanctus ait Hieronymus, tribus Issachar possedit pulcherrimam in Galilæa provinciam, inter mare Mediterraneum et Jordanem, et inter montes atque maritima. De-

(*Gen.* XLIX, 14, 15.)

Digitized by Google

inceps ponitur distributio facta tribui Aser. A *Cecidit que sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas*. In cujus funiculo erant civitates viginti duæ cum villis suis; et inter cetera fertur, quod pertingebat *usque ad civitatem munitissimam Tyrum*, et *usque ad Sidonem magnam :* quo constat quod ex antiquis temporibus fuerunt urbes illæ præcipuæ. Fuit autem hæc terra Aser fecunda, producens delicata cibaria.
Gen. XLIX, 20. Unde Jacob prædixit: Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. Consequenter describitur possessio tribus Nephthali. B *Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per cognationes suas :* in qua erant civitates decem et novem. Fuitque terra Nephthali contigua seu propinqua terræ Zabulon contra meridiem, et terræ Aser ad occidentem, terræque Juda ad orientem.
Tob. I, 1. De hac Nephthali tribu fuit Tobias, et de prope Naasson, quæ in littera (ut videtur) Enhasor vocatur.

Sequitur descriptio sortis Dan. *Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima, et fuit terminus possessionis eorum Saraa et Esthaol :* C quæ duæ
Josue XV, 33. urbes ex sorte tribus Juda, datæ sunt eis, ut tactum est, et pertinebant ad tribum
Judic. XVIII, 11. Dan, ut etiam in Judicum libro ostenditur, quamvis aliqui aliter opinentur. Nam et de ceteris urbibus Dan sub eadem connexione subjungitur, *et Hirsemes, id est civitas Solis, Selebin et Aialon*, etc. Porro Hirsemes dicitur civitas Solis, ob aliquam ejus eminentiam, proprietatem sive eventum ; aut quia idololatræ solem coluerunt ibidem. In Ægypto quoque fuit civitas Solis, juxta il- D
Is. XIX, 18. lud Isaiæ, Civitas Solis vocabitur una. *Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem*, id est urbem sic appellatam, *ceperuntque eam, et percusserunt eam in ore gladii, et possederunt et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem Dan, ex nomine patris sui Dan :* quia videlicet antiquo illi vocabulo Lesem, addiderunt nomen Dan filii Jacob, ad innuendum quod civitas jam spectaret ad filios Dan. Circa hæc recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod ista est civitas, quæ in Judicum libro vo- Judic. XVIII, 7-31.
catur Lais, quam ibi leguntur expugnasse sexcenti viri de tribu Dan, et eamdem Dan nuncupasse. Sed contra hoc objici posset, quoniam expugnatio illa fuit Josue jam defuncto : siquidem in fine illius capituli legitur, In diebus illis non erat rex in Israel. Josue autem auctor est hujus libri, et hic narratur historia : nisi forte dicatur, quod per spiritum prophetiæ hæc præcognovit, et de futuris per modum præteriti prophetice sit locutus. *Hæc est possessio filiorum Dan per cognationes suas, urbes et viculi earum.*

Cumque complesset terram sorte dividere singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Josue in medio sui, juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit, Thamnath Saraa in monte Ephraim. Illam etenim urbem petivit, quia et ipse exstitit Ephratæus. Idcirco in tribu sua voluit commorari. Dederunt autem ei urbem juxta placitum suum, scilicet quam elegit. Sed quum ipse fuerit princeps et judex totius Israelitici populi, cur petiit urbem ab illis? Dici potest, quod ex humilitate hoc fecit. Vel per filios Israel nunc specialiter intelliguntur non quicumque de populo, sed Eleazar pontifex, Caleb, et Num.
ceteri principes in tribubus Israel, qui ex XXXIV, 17-29.
mandato Dei terram diviserunt filiis Israel, quorum nomina in Numeris sunt scripta : et ita ex divina ordinatione pertinebat ad eos dare ipsi Josue partem suam. Atque, ut Josephus loquitur, dederunt ei etiam Sichem. Insuper dici potest, quod tota communitas simul sumpta, est aliquo modo supra principem suum, in quantum est res quædam communitatis ordinata ad bonum ipsius. Unde, secundum Philosophum in libro Politicorum, spectat ad eam destituere seu deponere eum communi consensu, si tyrannizet aut prorsus inutilis sit. *Et ædificavit civitatem, habitavitque in ea. — Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum ac tribuum filiorum Israel in Silo coram Domino, ad*

Digitized by Google

ostium tabernaculi testimonii, partitique A *sunt terram.*

Postremo ex his patet virtuositas Josue, qui quamvis primus esset in populo et principalis divisor, non tamen præripuit partem præstantiorem; sed tanquam dis-
Luc. xii, 42. pensator fidelis et prudens, ultimo sibi providit, et nulli præjudicavit, nec extulit semetipsum : in quo præsidentibus ac dispensatoribus grande et fructuosum dedit exemplum, ut amplius quærant bonum commune, quam proprium. Hinc Glossa ait, et sumptum est ex Origene : Vide man- B suetudinem et humilitatem Jesu, id est Josue, qui nomen Salvatoris digne præferebat. Ipse aliis dedit hereditatem, et terram jussit describi, ac descriptam sibi ostendi, et se ipsum in novissimis reservavit. Voluit omnium esse novissimus, ut esset omnium primus. Non sibi hereditatem assumit neque præsumit, sed accipit a populo cui dedit. Hæc tunc exemplariter facta, nobis imitanda proponuntur, ut impleamus quod scriptum est, quod Josue adimplevit:
Quanto major es, humilia te in omnibus, et Eccli. iii, 20.
invenies gratiam coram Deo. Et alibi : Re- Ibid. xxxii, 1.
ctorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis. Hæc Origenes. Denique verus Jesus per Josue figuratus, petit a populo suo sibi locum in monte
Ephraim dari. Stat namque ad ostium men- Apoc. iii, 20.
tis et pulsat, ut in apice mentis suscipiatur et commoretur, ita ut intellectus ipsum sinceriter contempletur, et voluntas eum amet ferventer, ipsa quoque memoria stabiliatur in ipso.

ARTICULUS XXVIII

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI : ET LOCUTUS EST DOMINUS AD JOSUE.

DESCRIPTIONE divisionis terræ com- C pleta, nunc agitur de assignatione civitatum refugii. *Et locutus est Dominus ad Josue, dicens : Loquere filiis Israel, et dic eis : Separate urbes fugitivorum,* id est, aliquas urbes seorsum ac specialiter deputate, quæ sint in refugium eorum qui sanguinem effuderunt, seu homicidium commiserunt absque peccato, videlicet omnino excusabiliter atque fortuitu, et sine pro-
Num. xxxv, 9 et seq. posito ; *de quibus locutus sum ad vos per manum Moysis :* quia in Numeris Dominus jussit istud per Moysen ; *ut confugiat ad* D *eas,* id est aliquam earum, *quicumque animam percusserit nescius,* id est, hominem nescienter excusabiliterque occidit, *et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis,* id est vindictam consanguineorum, qui parati sunt effusionem sanguinis seu mortem occisi ulcisci, *quum ad unam,* id est aliquam, *harum confugerit civitatum. Stabitque ante portam civitatis,* id est, judices civitatis faciet convocari ad portam, vel dum ibi fuerint, præsentabit se eis. Antiquitus quippe judices in portis civitatum sedebant, ut citius ac facilius haberetur ad eos recursus. *Et loquetur senioribus,* id est majoribus atque judicibus, *urbis illius, ea quæ se comprobent,* id est, per quæ probet se, *innocentem,* ita quod in illo homicidio non consistat culpabilis. *Sicque suscipient eum,* id est, intrare urbem permittent, *et dabunt ei locum ad habitandum,* si excusatio illa apparuerit rationabilis.

Quumque sanguinis ultor, puta propinquus occisi, paratus ulcisci (et jus habens ad hoc, si homicida fuerit inexcusabilis, sententia inde lata) *eum fuerit persecutus, non tradent* fugitivum *in manus ejus,* id est

Digitized by Google

propinqui ejus qui occisus est, *quia ignorans percussit proximum ejus,* id est sine proposito et intentione lædendi, nec fuit negligens in adhibendo cautelam. *Nec ante biduum vel triduum ejus esse probatur inimicus,* id est, probari non potest, quod antea fuerit hostis illius, quem nunc improvise inculpabiliterque occidit. *Et habitabit in civitate illa,* nisi aliunde obstaculum oriatur, seu mors interveniat, *donec stet ante judicium,* id est, ad tribunal illius urbis ducatur, in cujus dominio seu terminis homicidium perpetravit, *causam reddens* B *facti sui,* id est, opus suum pro posse excusans, et qualiter contigerit manifestans. Finalis quippe sententia de sua innocentia aut reatu, non dabatur per judices civitatis refugii, nisi in ejus dominio accidisset homicidium, sed ad * judices jam præfatos, et ad eos pacifice ducebatur de urbe refugii. Quod si innocens judicabatur, ad urbem refugii reducebatur, mansurus ibi secure; si vero reus inveniebatur, mox dabatur cognatis occisi interimendus. *Et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo* C *tempore :* id est, tamdiu in civitate refugii habitabit, quousque pontifex tunc præsidens moriatur, vel etiam quousque reconcilietur amicis occisi. *Tunc,* scilicet mortuo pontifice, *revertetur homicida, et ingredietur civitatem* seu villam, *et domum suam de qua fugerat.*

* per

Decreveruntque, id est, pro civitatibus refugii assignare proposuerunt, imo et assignaverunt, *Cedes,* id est urbem sic nominatam, *in Galilæa montis Nephthali,* id est, in qua Galilæa est mons ad sortem D tribus Nephthali pertinens; *et Sichem,* id est oppidum illud, *in monte Ephraim, et Cariatharbe, ipsa est Hebron, in monte Juda.* Hæ tres fuerunt citra Jordanem in terra promissionis. Aliæ tres fuerunt trans Jordanem in terra Amorrhæorum, ut patet in littera : quæ quum plana sit, expositionem non exigit.

Circa hæc multa possunt inquiri. Primum, cur æque multæ erant civitates refugii in terra duarum ac mediæ tribuum, atque in A terra tribuum novem ac mediæ. Secundum est, cur occisor omnino excusabilis, cogebatur tam diu esse profugus a propria domo et oppido. Tertium, cur post mortem summi pontificis revertebatur ad propria. Possent et alia multa hic quæri, quæ super librum Numerorum et alibi potius habent locum, puta de homicidio casuali, et quando ac qualiter homicidium totaliter excusetur. Ad primum dici potest, quod terra duarum tribuum ac mediæ erat latissima, et multum a templo ac tabernaculo distans : idcirco erant et ibi tres civitates refugii. Ad secundum dicendum, quod profugus erat talis occisor tam diu, ne ejus præsentia concitaret propinquos occisi ad iram et ultionem. Ad tertium respondetur, quod defuncto pontifice, erat quasi quædam innovatio status in populo, et quoniam summo pontifice (qui erat omnium spiritualis pater) sublato, sic affici debuerunt pio mœrore et luctu, quod proprias obliviscerentur injurias.

Præterea, juxta intelligentiam spiritualem, per civitates refugii intelliguntur materiales ecclesiæ consecratæ, ad quas rei et homicidæ confugientes, non capiuntur : imo non solum excusabiles, sed et inexcusabiles injuriatores et homicidæ assecurantur in eis : quia lex evangelica, lex pietatis censetur, idcirco in ea superabundat misericordia. Figura quoque distat a figurato, et major est dignitas sacrorum locorum, quam urbium erat illarum. In novo etiam Testamento cum novo pontifice ac principe intrant rei. Rursus, per civitates refugii designantur principes et prælati, ad quos refugium habent innocentes, et omnes qui habent causam. Unde, secundum Philosophum, ad judicem tanquam ad vivam legem et animatam justitiam confugiunt homines. Item, per civitates refugii exprimuntur loca pœnitentiæ et monasteriorum, ad quæ confugiunt multi, ne ab invisibilibus hostibus ad carceres infernales trahantur. Generalius autem loquendo, per civitates refugii intelliguntur remedia contra peccata ; per

Sensus spiritualis.

Digitized by Google

Jordanem vero designatur Baptismus. Quemadmodum ergo trans Jordanem et citra eumdem, fuerunt tres urbes refugii : sic ante institutionem sacramenti Baptismi fuerunt tria peccatorum remedia, scilicet fides parentum, immolatio hostiarum, et circumcisio ; ita et post institutionem Baptismi sunt tria remedia vitiorum, unum est Pœnitentia, alterum Eucharistia, tertium Matrimonium, quod non solum officium est naturæ, sed et remedium contra concupiscentiam carnis et actum ejus illicitum. Porro jejunium, oratio et eleemosyna, tam ante Baptismum, quam postea, fuerunt culparum remedia : similiter contritio cordis, emendatio vitæ, satisfactio pro offensa. Denique, omnes sex civitates A refugii ad sacerdotes et Levitas spectabant, quoniam bona clericorum debent esse communia, secundum Hieronymum. Atque ad clerum totus populus debet habere refugium, specialiter etiam homicidæ ad sacerdotes ad confitendum. Postremo, et hoc notandum, quod tres civitates refugii trans Jordanem, dicuntur fuisse in montibus : quia præfata remedia post Baptismum, per eas signata, magnæ et sublimis sunt gratiæ sacramenta. Ecclesiæ quoque fundantur in monte altissimo Domino B Jesu Christo : similiter prælati, principes ac judices debent in sublimitate prudentiæ ac virtutum consistere, ceterisque fama, conversatione, et gubernatione fulgere.

ARTICULUS XXIX

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : ACCESSERUNT AUTEM PRINCIPES FAMILIARUM LEVI.

Completa descriptione civitatum refugii, nunc recitatur distributio urbium facta Levitis. Levitæ autem quandoque generaliter accipiuntur pro filiis Levi, tam sacerdotibus, quam ministris templi, inferioribus illis : et ita nunc capiuntur. Interdum vero, prout a sacerdotibus distinguuntur. *Accesserunt autem principes familiarum Levi,* quæ familiæ paulo post exprimuntur, *ad Eleazarum sacerdotem :* non quod ipse solus tunc fuit sacerdos, sed princeps exstitit sacerdotum ; *et ad Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel,* id est principes tribuum; *locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque*
Num. xxxv, 1-8. *dixerunt : Dominus præcepit per manum Moysis,* in Numeris scilicet et alibi, *ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum,* scilicet spatia extra urbium mœnia constituta, *ad alenda jumen-* C *ta.* Erant autem suburbana illa magna, quorum quantitas in Numeris exprimitur. Num. xxxv, 4, 5.
Dederuntque filii Israel, id est, petitioni Levitarum satisfecerunt, *de possessionibus suis, juxta imperium Domini, civitates et suburbana earum.*

Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis, de tribubus Juda et Simeon et Benjamin civitates tredecim. Littera ista est aliqualiter intricata. Itaque ordo verborum et sensus est : primo cecidit sors familiæ Caath, scilicet filiis D Aaron : quorum sors comprehendebat tredecim urbes, quæ datæ sunt illis Aaronitis a tribubus tribus, hoc est a tribu Juda, tribuque Simeon, ac Benjamin. *Et reliquis filiorum Caath, id est Levitis qui superfuerant,* datæ sunt *civitates decem, de tribubus Ephraim et Dan, et dimidia tribu Manasse.* Quocirca pensandum, quia, ut legitur in Exodo, Levi patriarcha tres ha- Exod. vi, 16, 18, 20.

Digitized by Google

buit filios, scilicet Gerson et Caath et Merari ; Caath genuit Amram, patrem Moysis et Aaron. Ex Aaron nati sunt pontifices et ceteri sacerdotes, qui nunc vocantur Aaronitæ, seu familia Caath filiorum Aaron. Reliqui autem filiorum Caath, puta Levitæ qui supersunt, nati sunt ex Caath per alios filios ejus, qui fuerunt Isaar et Hebron et Oziel. *Porro filiis Gerson,* id est Levitis natis ex Levi per filium suum Gerson, *egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar et Aser et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan :* quæ fuit regio ultra Jordanem, et pertinebat ad mediam tribum Manasse, ut patuit. Unde quod ait, In Basan, referendum est ad dimidiam tribum Manasse dumtaxat, quæ habitavit in Basan, quoniam tribus Issachar et Aser et Nephthali citra Jordanem manebant. *Civitates numero tredecim :* quarum quædam erant in Basan, ut infra habetur. *Et filiis Merari per cognationes suas,* id est Levitis natis ex Levi per Merari, datæ [sunt] *de tribubus Ruben et Gad et Zabulon urbes duodecim :* quarum major pars fuit trans Jordanem, ubi tribus Ruben et Gad morabantur, et minor pars fuit citra Jordanem, in funiculo Zabulon.

Josue XVII, 1.

Dederuntque filii Israel Levitis civitates et suburbana earum juxta præceptum Domini per manum Moysis, singulis sorte tribuentes. De tribubus filiorum Juda et Simeon, dedit Josue, etc. Hic exprimuntur urbes datæ Aaronitis in speciali : inter quas primo nominatur Hebron, quæ fuit refugii civitas, ut dictum est capitulo præcedenti. *Quarum ista sunt nomina : filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est) Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum. Agros vero et villas ejus dederat* Josue ipsi *Caleb filio Jephone ad possidendum :* ita quod agri et villæ annexi civitati Hebron, erant hereditaria possessio hujus Caleb, qui etiam fuit dominus urbis Hebron, et mansit inter Levitas ibidem. *De tribu autem filiorum Benjamin,* dedit Josue

Ibid. XX, 7.

A Aaronitis *Gabaon,* etc. Littera plana est. Itaque universæ civitates Levitarum fuerunt quadraginta octo, quarum decem fuerunt trans Jordanem in tribubus Ruben et Gad et media tribu Manasse. In illis autem urbibus etiam alii multi cum Levitis manebant.

Deditque Dominus Israeli omnem terram, quam traditurum se eis, patribus eorum juraverat, et possederunt illam, atque habitaverunt in ea. Istud videtur contrariari dictis jam sæpe, quod scilicet filii

B Israel tempore Josue non obtinuerunt omnem terram eis promissam, imo nec tempore Judicum, sed tempore David et Salomonis. Respondetur, quod verbum jam præinductum, posset per modum hyperbolicæ locutionis intelligi, vel loquitur hæc scriptura de futuro per modum præteriti, quasi prophetale oraculum proferens. Promissio quoque Dei fuit intelligenda, quod terra daretur filiis Israel successive, secundum quod poterant eam populare, id est sufficienter inhabitare, ne bestiæ con- *Deut.* VII, 22.

C tra eos in terra non habitata multiplicarentur : sicque promissio illa est successive impleta. *Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes,* id est, filiis Israel dedit Dominus quietem et pacem, circa gentes in eorum circuitu demorantes, ita quod nulla earum audebat se contra Israelitas erigere longo tempore, quousque filii Israel, Deo relicto, ad idololatriam sunt prolapsi. *Nullusque eis hostium resistere ausus est :* id est, nullus eorum qui adhuc erant residui ex gentibus, quarum terras

D Dominus Israeli promisit, audebat bellum eis movere ; *sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt,* id est perfecte subjecti et tributarii facti : quod ex Dei auxilio factum est. Attamen filii Israel, qui ex cupiditate ceperunt illos ad habitandum inter se sub tributo, contra Dei præceptum fecerunt, præsertim quando satis copiosi fuerunt ad terræ populationem. *Ne unum quidem verbum, quod illis præstaturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.*

Digitized by Google

Circa præhabita advertendum, quod Levitæ fuerunt per omnes tribus Israel hinc inde dispersi, quatenus undique instruerent filios Israel, et eos ab idololatria revocarent. Et item, quia communi tribuum stipendio sustentabantur, ideo ne qua tribus ex hoc gravaretur, per omnes dispersi sunt tribus; atque ne cultus Dei videretur ad unam tantum tribum spectare.

Sensus spiritualis. Insuper spiritualiter per civitates Levitarum, collegia clericorum, cœnobia religiosorum, et cetera sacra loca signantur, in A quibus spirituales homines commorantur: quorum loca atque stipendia, a sæcularibus eis exstant collata, ut fundatoribus suis ac ceteris spiritualia bona communicent et impendant. Sunt quoque hi homines spirituales et clerici ac religiosæ personæ per omnem Christianitatem diffusi, ut undique instruant plebem. Christianis quoque contulit Deus exuberantissima munera gratiarum, et invisibiles atque visibiles hostes frequenter subjecit Ecclesiæ, quam et ubique diffudit terrarum.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : EODEM TEMPORE VOCAVIT JOSUE RUBENITAS.

JAM enarratur, qualiter duæ et media tribus ad loca sua reversæ sint. *Eodem tempore* quo completa sunt quæ in fine præcedentis recitantur capituli, *vocavit Josue Rubenitas et Gaditas et dimidiam tribum Manasse, dixitque eis: Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini,* id est, juxta ejus imperium præcessistis ceteras Israel tribus, et pugnastis pro eis, quousque terram obtinuerunt. *Mihi quoque in omnibus obedistis,* eundo et redeundo ac præliando, secundum quod vobis jussi; *nec reliquistis fratres vestros longo tempore usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri.* In his verbis obedientia commendatur, suntque beati qui suis superioribus taliter secundum Deum obediunt, et quibus, qui præsunt, tale testimonium perhibent. *Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem et pacem, sicut pollicitus est, revertimini in tabernacula vestra, ita dumtaxat,* id est, sub hac conditione et forma vos ad redeundum licentio, *ut custodiatis attente* per diligentem memoriam, *et opere compleatis mandatum* illud B præcipuum de diligendo Dominum Deum, *et legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini,* id est Deus per Moysen, scilicet cetera præcepta moralia, judicialia, ac cærimonialia. Hinc subditur : *ut diligatis Dominum Deum vestrum* amore supernaturali, infuso, gratuito, potissime propter puram et infinitam bonitatem ipsius, et quoniam prior dilexit vos, deinde I Joann. IV, 10.
propter universa beneficia et promissa ipsius, *et ambuletis in omnibus viis ejus,* id est, ad beatificum finem tendendo, observetis omne opus virtutum necessarium C ad hujusmodi finem. Qui enim in uno offendit, omnium reus efficitur. Jacob. II, 10.
Et observetis mandata ejus, adhæreatisque ei per fidem, spem et caritatem, per quas potissime et interne colitur Deus, *ac serviatis ei in omni corde,* toto intellectu et integra voluntate, ne cor vestrum divisum sit, adhærendo partim Creatori partimque creaturæ, *et in omni anima vestra,* id est ceteris animæ viribus, per quas Deo serviri potest.

D *Benedixitque eis* bona imprecando, *et dimisit eos. Qui reversi sunt in taberna-*

Digitized by Google

cula sua, etc. *Quumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis, dixit ad eos : In multa substantia,* id est copiosa possessione, *revertimini,* etc., *dividite prædam hostium,* quam scilicet ab hostibus vestris Chananæis jure prælii, imo ex Dei (cujus sunt omnia) donatione obtinuistis, *cum fratribus vestris,* illis videlicet, qui interim quod vos hic fuistis, remanserunt in urbibus et villis vestris ad custodiendum ea quæ vestra sunt. Hic tamen non dicitur, quantum illis dare deberent. Legitur autem primo Regum, quod David statuit legem, ut æqua esset portio pugnatorum, et eorum qui ad sarcinas remanserant, custodiendo pertinentia ad pugnantes. Verumtamen ante illud tempus servabatur lex illa, saltem quantum ad aliqualem divisionem cum illis. Nam et Abraham in Genesi, et Josue in hoc loco illud servari jusserunt. Porro, ut Josephus refert, populus Israel deduxit has tribus non sine lacrimis, et vix semetipsos ab invicem diviserunt.

I Reg. XXX. 24.

Reversique sunt et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse, a filiis Israel de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysis. Quumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan, videlicet circa terminos ejus, *ædificaverunt juxta Jordanem,* in terra promissionis ac novem tribuum, non ab alia parte Jordanis, *altare infinitæ magnitudinis.* Infinitum multipliciter sumitur : uno modo, pro eo cujus nullus est finis, nec in duratione, nec in essentia, nec in perfectione, sicque competit soli Deo ; alio modo, pro re ultra modum ac solitum magna, et ita accipitur modo. Unde alia translatio habet, Aram ingentem. Atque ut fertur, in Hebræo habetur, Altare magnæ visionis, quod scilicet a longe poterat conspici. Potest quoque per hyperbolen accipi.

Quod quum audissent filii Israel, et ad eos certi nuntii detulissent, ædificasse filios Ruben et Gad et dimidiam tribum

A *Manasse, altare contra filios Israel,* id est ex opposito habitationis novem tribuum. Vel ideo dicitur, Contra filios Israel, quia sic eis fuit relatum, quod illi construxissent altare hoc in malum atque perniciem ceterarum tribuum Israel. *Convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent et dimicarent contra illos* ex zelo divini honoris ad ulciscendum injuriam Dei, et ne Deus eos plagaret, nisi ipsius vindicarent injuriam, quemadmodum propter excessum Achan erant puniti. Denique frequenter contin-

B git, quod hi qui contra alios diu concorditer præliantur, sopitis extraneis bellis, intestina incipiant gerere prælia. *Et interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus,* id est unum specialem de qualibet tribuum decem, computando tamen mediam tribum Manasse pro una tribu. Hos ergo miserunt ad inquirendum certius veritatem, quoniam non ex relatu volatili, nec ex levi injustave causa ineundum est bellum, potissime ma-

C gnum, periculosum et intestinum.

Qui venerunt ad filios Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manasse in terram Galaad, dixeruntque Phinees et sui *ad eos : Hæc mandat omnis populus Domini,* id est, filii Israel in Dei cultu manentes, jubent vobis dici, et sciscitantur per nos, vos qui jam indigni estis populus Dei vocari : *Quæ est ista transgressio ?* id est, cur peccastis tam graviter ? *Cur dereliquistis Dominum,* per mentis aversionem et inobedientiam, *ædificantes altare sacrilegum,* id

D est abusivum in Dei obsequio, *et a cultu ejus recedentes ?* Sic enim isti putabant, quod illi fecissent illud altare ad offerendum super illud sacrificia, quæ tunc offerri non poterant, nisi in Silo in tabernaculo Domini, et super altare ejus ibidem : ideo altare ab illis alibi factum ad sacrificandum, fuisset sacrilegum seu abusivum rei sacræ, puta altaris seu immolationis, quæ secundum se, dicunt quid sacrum. Vel, ut Josephus scribit, putabant eos construxisse illud altare ad sacrificandum diis alienis.

Digitized by Google

An parum vobis est, quod peccastis in A *Beelphegor?* adorando idolum Phogor, seu comedendo de immolatis eidem, quando ad suggestionem Balaam, Balac rex misit filias Madian, quæ filios Israel ad fornicationem illam spiritualem, videlicet idololatriam, et etiam carnalem provocarent ac traherent. *Et usque in præsentem diem macula hujus sceleris,* id est diffamia et vituperatio quædam, ex tanto scelere consecutæ, *in vobis permanet.* Quamvis autem crimen illud fuit commune et aliis tribubus, Phinees tamen et sui nunc specialiter B imputant illud his tribubus, quia putabant eos nunc rursus simile facinus commisisse. Propter quod illud quodammodo rediret, et de novo imputaretur, secundum quod in Evangelio debita dimissa repetuntur a servo nequam, qui conservo suo noluit misereri. Verumtamen hi, quibus Phinees et sui ista locuti sunt, non videntur crimen illud in Beelphegor commisisse, sed potius patres aut propinqui seu consortes eorum : imo et qui illud fecerunt, mox fuerunt occisi, ut Numerorum C liber habet. Sed et crimen illud præcessit secundam populi Israelitici dinumerationem, in qua isti fuerunt connumerati, ut in Numeris describitur. Dicuntur tamen peccasse in Beelphegor eo modo, quo peccatum aliquorum toti societati aut communitati solet adscribi. *Multique de populo corruerunt,* id est, propter crimen illud interfecti sunt. Circa quod aliqui dicunt, quod multi propter peccatum paucorum corruerunt. Ex quo sequeretur, quod non solum qui crimen illud commiserunt, D sed item qui consenserunt, aut non debite restiterunt, fuerunt occisi. Nam et principes jussi fuerunt suspendi, et viginti quatuor millia de populo ceciderunt. *Et vos hodie dereliquistis Dominum, et cras,* id est cito post hæc, *in universum Israel ira ejus desæviet,* id est, omnes puniemur a Domino pro vestro excessu. Porro, qua æquitate hoc fieri posset, supra diffuse expositum est.

Num. xxv, 1-3, 18; xxxi, 16.

Matth. xviii, 34.

Num. xxv, 5, xxvi, 1, 2.

Ibid. xxv, 4, 9.

Josue vii.

Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, id est indignam ut in ea poneretur tabernaculum Domini et altare, propter idololatrias et alias impietates ibi ante commissas, et ideo extra illam ad ripam Jordanis construxistis altare, in quo tanquam vobis viciniori quam est altare Domini situm ad ostium tabernaculi, hostias offeratis, quasi attædiati remotius ire ad immolandum ; *transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos :* quia potius volumus vobis terram nostram dividere, quam ut eam soli habentes, peccare vos permittamus. Ideo subditur : *tantum ut a Domino et a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei vestri :* id est, hoc solum optamus et petimus, atque sub hac conditione terram nostram vobis communicare parati sumus, ut Deum non offendatis, nec nostram communionem in Dei cultu derelinquatis, quod et nobis esset nocivum : quod patet exemplo quod sequitur. *Nonne Achan filius Zare, præteriit mandatum Domini,* usurpando de anathemate Jericho, *et super omnem populum Israel ira ejus incubuit?* quia in ultionem illius facinoris quidam fuerunt occisi, plures fugati, et omnes turbati. *Et ille* Achan *erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelere suo,* id est, quantum in nobis est, valde optaremus quod ipse solus fuisset occisus pro suo facinore. Istud supra plenius recitatur, et ibi expositum est. *Josue* vii.

Deinde describitur Rubenitarum et sociorum eorum rationabilis excusatio. *Responderuntque filii Ruben et Gad et dimidiæ tribus Manasse, principibus legationis Israel : Fortissimus Dominus Deus Israel ipse novit,* id est, scit vera esse quæ dicimus, *et Israel simul intelligat,* id est, populus Israel qui vos misit, ex nostra responsione veritatem cognoscat. *Si prævaricationis animo,* id est proposito seu intentione idololatrandi, *hoc altare,* de quo mentio est, *construximus, non custodiat nos Dominus* ab invisibilibus et visibilibus hostibus, *sed puniat in præsenti.* Istud

Digitized by Google

fuit quasi juramentum per exsecrationem seu imprecationem mali in se ipsum, sicut
II Cor. I, 23. et illud Apostoli : Ego testem invoco Deum in animam meam, etc. *Et si ea mente fecimus* hoc altare, *ut holocausta et sacrificia et pacificas victimas super eo imponeremus* ad immolandum vero Deo, *ipse quærat et judicet,* id est, debitam pœnam a nobis requirat, nosque dijudicet. Denique holocaustum est hostia quæ ad divinæ majestatis honorem tota comburitur ; sacrificium autem nunc sumitur pro hostia quæ pro remissione peccati offertur. Pacifica vero victima est hostia pro pace, salute aut gratia, impetranda aut conservanda, Domino immolata. *Et non ea magis cogitatione atque tractatu,* id est consilio seu deliberatione, *ut diceremus,* id est, inter nos probabiliter conjecimus ac contulimus; vel, Ut diceremus vobis, assignando causam ædificationis hujus altaris : *Cras dicent filii vestri filiis nostris,* id est, probabiliter suspicamur ac formidamus, quod tempore procedente posteri vestri dicturi sint posteris nostris : *Quid vobis et Domino Deo Israel?* id est, non pertinetis ad Dominum, nec estis de sorte et numero populi ejus. Cujus ratio subditur : *Terminum posuit Dominus inter vos et nos (o filii Ruben et Gad) Jordanem fluvium, et idcirco partem non habetis in Domino :* id est, non estis pars populi ejus, nec habetis jus offerendi in tabernaculo ejus, vel super altare ipsius, quum terra promissionis, populo Dei promissa, finiatur ad Jordanem. *Et idcirco per hanc occasionem,* id est calvam et falsam persuasionem, *avertent* fortassis, id est, avertere poterunt, *filii vestri filios nostros a timore Domini :* quia videntes se ita repelli a cultu Dei, ad idololatriam cadent.

Putavimus itaque melius, et diximus : Exstruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, etc. Textus est planus. Ad hoc quippe fecerunt altare istud, ut tam eis quam posteritati eorum esset in signum et memoriale ac argumentum, quod et ipsi essent populus Dei, et jus haberent sicut et ceteræ tribus Israel, ad offerendum super altare Dei. *Absit a nobis scelus hoc, ut recedamus a Domino, et ejus vestigia,* id est præcepta et effectus beneficos, scilicet arcam testimonii et altare, *relinquamus.* Quemadmodum enim vestigium repræsentat eum qui illud impressit, ita sapientia, omnipotentia, justitia, bonitas et eminentia Dei, in ejus præceptis effectibusque præfatis relucent. *Exstructo altari ad holocausta et sacrificia et victimas offerendas, præter altare Domini quod exstructum est ante tabernaculum ejus.* Unum enim altare fuit in atrio ante et extra ostium tabernaculi, super quod sacrificia populi offerebantur, et de illo jam sermo. Aliud in tabernaculo erat.

Quibus auditis, etc. Hic recitatur quemadmodum Phinees et qui cum eo erant, valde contentati fuerunt ex ista responsione. *Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos : Nunc scimus quod vobiscum sit Dominus, quia alieni estis a prævaricatione hac,* quia tam solliciti exstitistis et estis ad præcavendum, etiam in futurum, Dei offensam ; *et liberastis filios Israel de manu Domini :* id est, per anticipationem præservastis ceteras tribus Israel a pœna, quæ eis immineret, si commisissetis crimen quod imposuimus vobis. *Reversusque est cum principibus ad filios Israel, et retulit eis. Placuitque sermo cunctis audientibus. Vocaveruntque filii Ruben et filii Gad,* per quos et filii dimidiæ tribus Manasse dantur intelligi, *altare quod exstruxerant, Testimonium nostrum quod Dominus ipse sit Deus,* id est, quod veri Dei populus atque cultores sumus. Nam (ut Josephus protestatur) hunc titulum superscripserunt altari ad perpetuam veritatis memoriam.

Ex hac historia edocemur zelo divini honoris fervere, amore justitiæ inflammari, pro posterorum nostrorum sollici-

Digitized by Google

tari salute, parati esse pro justitia mori, A nec in derogationem veritatis quemquam palpare, neque peccantibus quantumlibet propinquis contra justitiam parcere, imo præceptum fraternæ correptionis strenue adimplere, rationabilem quoque excusationem libenter suscipere; sed et gaudere de innocentia proximorum, ac Deum cordialiter collaudare pro donis gratiæ quæ aliis confert.

ARTICULUS XXXI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : EVOLUTO AUTEM MULTO TEMPORE.

SANCTUS vir Josue de plebis sibi commissæ salute sollicitus, eam hortatus est ad perseverandum in Dei cultu, sicut nunc enarratur. *Evoluto autem multo tempore* a tempore illo, *postquam pacem dederat Dominus Israeli,* ita quod nemo filios Israel impugnare præsumpsit ut ante, *subjectis in gyro nationibus universis,* quarum terras promiserat Dominus Israelitis : quæ pro maxima parte erant occisæ, residuæ vero erant Israeli subjectæ ; *et Josue jam exsistente longævo et persenilis ætatis :* quando jam cœpit appropinquare C anno centesimo decimo ; *postquam diviserat terram filiis Israel, secundum quod Dominus imperaverat, vocavit Josue omnem Israelem,* id est communem plebem, *et majores natu et principes* familiarum, *ac duces* tribuum, *et magistros* in lege peritos, *dixitque ad eos.* Littera difficultatem non habet.

Ego senui, et progressioris ætatis sum, vosque cernitis omnia quæ fecit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, etc. *Multæque adhuc supersunt na-* D *tiones ; Dominus disperdet eas, et possidebitis terram. Tantum confortamini,* id est, hoc præcipue opto et hortor, ut confortentur corda vestra in Deo per gratiam et virtutes, per spem et fortitudinem ; *et estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysis, et non declinetis* ab eis quæ Deus præcepit, B *nec ad dexteram, nec ad sinistram :* utrumque vitiosum vitando extremum, ut via regia incedatis, nec per prospera neque adversa frangamini, sed semper in medio perseveretis, nec ultra vires quidpiam attentetis, nec per teporem et negligentiam tabescatis ; *ne, postquam intraveritis ad gentes quæ inter vos futuræ sunt,* matrimonia faciendo cum eis, aut familiaritates, aut periculosas societates, *juretis in nomine deorum earum,* contra illud in Deuteronomio scriptum, Per nomina externorum deorum ne juraveritis. Itemque : Dominum Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis. Qui enim jurat per deos gentilium, ostendit se colere eos, atque in veritatis testimonium eos assumit, sicque veneratur eosdem. *Et serviatis eis, et adoretis illos ; sed adhæreatis Domino Deo vestro. Et nunc auferet Dominus gentes magnas, et nullus vobis resistere poterit, quia Dominus pro vobis pugnabit, sicut pollicitus est. Hoc tantum diligentissime præcavete,* id est, cum omni cautela custodite, sive præfatum malum vitate, *ut diligatis Dominum Deum vestrum* toto corde usque in finem indesinenter.

Exod. XXIII, 13; *Deut.* VI, 13; X, 20.

Quod si volueritis cum eis, id est gentibus, quarum terras Dominus vobis dedit, *miscere connubia atque amicitias copulare :* quod de amicitiis socialibus, familiaribus et carnalibus intelligendum censetur, quoniam tales amicitiæ ad peccata solent alli-

Digitized by Google

cere. Non autem prohibuit Deus filiis Israel A spiritualem habere dilectionem ad illos : imo potius hoc præcepit. *Jam nunc scitote, quod Dominus non deleat eas ante faciem vestram, sed* gentes adversariæ *erunt vobis in foveam et laqueum ac offendiculum, et sudes in oculis vestris,* id est, multipliciter vos affligent, detrudent et capient, atque arctabunt et pungent, ad diversa etiam vitia trahent, *donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima. En ego hodie ingredior viam universæ terræ :* id est, cito subibo mortem corporalem, quæ cunctis in terra degentibus hominibus est via B ad monumentum, imo ad vitam futuram, seu ad æternam salutem aut condemnationem perpetuam. *Et toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis quæ se Dominus præstiturum pollicitus est, unum non præterierit incassum. Sicut ergo implevit opere quod promisit, et prospera cuncta venerunt, sic adducet super vos quidquid malorum* pœnalium *comminatus est vobis, donec vos auferat,* etc. *Cito atque velociter consurget in vos furor Domini,* si violaveritis ejus præcepta, præsertim si idola colueritis : de quibus comminationibus in Deuteronomio diffuse habetur. Quæ omnia quam vere in perversis, rebellibus atque idololatris filiis Israel sint impleta, liber Judicum, librique Regum clarissime referunt. *Deut. XXVIII. 15-68.*

Sensus mysticus. Juxta mysticum sensum, discant prælati et prædicatores verbi Dei ex isto capitulo, propriam fragilitatem et mortem humiliter intueri, doceantque subditos suos beneficia Dei recolere, ac majora bona eis in nomine Dei in futuro promittere, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens concepit. *I Cor. II. 9.* Deinde eos ad virtutes hortentur, divini rigorem judicii prædicent, æternam damnationem minentur, et quidquid ad salutem pertinet animarum, fideliter et constanter, jugiter et ardenter denuntient.

ARTICULUS XXXII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : CONGREGAVITQUE JOSUE OMNES TRIBUS ISRAEL.

NON suffecit fideli duci Josue, populum C sibi commissum semel admonuisse, sed quum videret sibi vitæ terminum imminere, rursus hortatus est eos, prout in isto narratur capitulo. *Congregavitque Josue,* id est, ad se venire fecit, *omnes tribus Israel,* etiam eas quæ trans Jordanem manebant, *in Sichem,* id est urbem seu locum sic appellatum, qui secundum Josephum ad Josue pertinebat. *Et vocavit majores natu ac principes* tribuum, *ac judices et magistros, steteruntque in conspectu Domini,* id est, divinæ majestati devote se D præsentaverunt, parati audire verbum Dei. Hos superiores specialiter convocavit, quoniam ex eorum virtuosa conversatione ac bono regimine, prosperitas, pax et salus populi communis magna ex parte pendebat, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; *Eccli. X. 2.* Jeremiasque dicat : Quoniam stulte egerunt pastores, ideo omnis grex eorum dissipatus est. *Jer. X. 21.* Per quod majores prælati, principesque Ecclesiæ instruuntur specialem ac diligentiorem habere respectum ad suos officiatos, qualiter se habeant, et an sua officia digne et efficaciter prosequantur : quos et specialiter exhortari debent, et si opus fuerit, increpare. *Et ad populum,* puta ad omnes simul tam majores quam minores, *sic locutus est,* commemorando eis diversa beneficia Dei, ut per

Digitized by Google

considerationem illorum accenderentur Dei amore, et grati esse satagerent, atque ad meliora provocarentur.

Hæc dicit Dominus : Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio generationis eorum, Gen. xi, 24, 26. *Thare pater Abraham, et Nachor* pater ipsius Thare, *servieruntque diis alienis.* Quemadmodum in Genesi legi- Ibid. 31, 32. tur, Thare pater Abrahæ primo habitavit in Chaldæa, deinde cum filio suo Abraham et Lot, ex Chaldæa venit in Mesopotamiam, obiitque ibidem. Itaque verba ista dupliciter possunt exponi. Primo sic : Trans flu- B vium, id est ultra Euphraten qui inter Chaldæos et terram promissionis decurrit, habitaverunt patres vestri. Secundo sic : Trans fluvium qui inter terram Chanaan et inter Mesopotamiam fluit, habitaverunt patres vestri. Ibi tamen non habitaverunt ab initio, nec ibi moratus legitur Nachor pater Thare ; nec Abraham alienis diis servivit, sed Nachor pater ejus et Thare, ut dicunt Hebræi, saltem ad tempus. *Tuli ergo,* id est, exire feci, et exeundi voluntatem infudi ; Tuli, inquam, *Abraham pa-* C *trem vestrum de Mesopotamiæ finibus, et adduxi eum in terram Chanaan,* ut eam darem posteris ejus. *Multiplicavique se-* Gen. xvi, 15. *men ejus :* quia ex Agar genuit Ismaelem, Ibid. xxv, 1. 2. et alios ex Cetura, quæ fertur fuisse Agar. Ibid. xxi, 2. *Et dedi ei Isaac,* supernaturaliter fecundando Saram, non obstante duplici causa suæ sterilitatis, videlicet senectute et naturali infecunditate ejus etiam in juventute. Ibid. xxv, 26. *Illi,* videlicet Isaac, *rursum dedi Jacob et Esau* ex Rebecca, quæ naturaliter exstitit infecunda. Porro quod ait, Rursum, refe- D rendum [est] ad verbum, Dedi, non ad Isaac, qui uno concubitu genuit ambos filios Ibid. xxxvi, 8. suos. *E quibus Esau dedi montem Seir ad possidendum,* id est, terram Idumæorum montuosam donavi Esau et posteris ejus. Ibid. xlvi, 6. *Jacob vero et filii ejus descenderunt in Ægyptum* necessitate famis coacti et amore Joseph.

Exod. xiv, 10. *Clamaverunt autem filii Israel ad Dominum* ex timore, quum post exitum de Ægypto vidissent Ægyptios se insequen- A tes ; *qui posuit tenebras inter vos et Ægyptios :* Exod. xiv, 19, 20. nam angelus posuit nubem densam et tenebrosam ex una parte inter Ægyptios et Hebræos, ita quod Ægyptii tota nocte nequibant Hebræos accedere, ut in Exodo legitur ; *et adduxit super eos mare, et* Ibid. 27, 28. *operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim :* non quod omnes quibus Josue ista locutus est, viderint mirabilia Dei in Ægypto, sed Eleazar, Josue, Caleb et multi de tribu Levi, et qui in pueritia sua exierunt Ægyptum, ita quod in prima numeratione populi numerati non erant, tamen in exitu suo rationis compotes erant. Sed quomodo poterant isti omnia illa signa et plagas Ægyptiorum videre, quum habitarent seorsum in terra Gessen ? Ad quod aliqui dicerent, quod etiam in terra Gessen habitaverunt multi Ægyptii ibi plagati. Potest etiam dici, quod interiori visu ea viderunt. *Et habitastis in solitudine multo tempore.*

Et induxi vos in terram Amorrhæi, qui Num. xxi, 21-35. *habitabat trans Jordanem,* id est in regiones Sehon regis Amorrhæorum, et Og regis Basan. *Quumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras :* hoc ipsum apertum monstratur in libro Numerorum. *Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit contra Israelem.* Non legitur alibi, quod Balac iniit pugnam corporalem contra filios Israel, sed insidiatus est eis ac restitit, inducendo eos ad magna facinora ex suggestione Balaam, ex cujus Ibid. xxxi, 16. consilio misit ad filios Israel speciosas puellas. Hinc subditur : *Misitque et voca-* Ibid. xxii, 5, 6. *vit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis,* mala vobis imprecando per incantationes suas et carmina ac maleficia, seu magicas artes, ex quibus, Deo permittente, fiunt alterationes et obstupefactiones ac debilitationes in hominibus ; *et ego nolui audire eum,* id est, a maledictione et ejus Ibid. 31, 38. effectu prohibui immutando cor ejus : ideo subditur, *sed econtrario per illum benedixi vobis* tribus vicibus, prout in Nu- Ibid. xxiii, xxiv. merorum historia enarratur. Omnipotens etenim Deus ad libitum suum immutat

Digitized by Google

Prov. xxi, 1. hominum mentes, et quocumque voluerit, vertit eorum voluntates, intentiones, *Josue iii, 17; vi, 1; xi, 3, 8,* proposita, ac verba disponit. *Transistisque Jordanem, et venistis ad Jericho, pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus* Jericho, *Amorrhæus et Pherezæus,* etc., qui confluxerant in urbem illam ad succurrendum eis adversum vos, sicut in expositione supradicta patuit plenius. *Exod. xxiii, 28; Deut. vii, 20.* *Misique ante vos crabrones,* id est hujusmodi muscas pungitivas, seu anxietatum et sollicitudinum ac timorum puncturas, ut supra expositum est; *et ejeci eos,* etc.

Nunc ergo timete Dominum timore casto et filiali, vel saltem initiali, *et servite ei corde perfecto atque verissimo.* Multiplex est perfectio. Una absoluta, et extra ac supra omne genus: quæ soli competit Deo. Alia in genere, quæ etiam multiplex est: Una, qua mens creata fertur in Deum per cognitionem et dilectionem secundum extremum posse suum indesinenter seu semper in actu: et hæc competit Sanctis in patria. Alia, qua Deo adhæret per virtutes heroicas in hac vita: quæ convenit personis in virtutibus consummatis. Alia, qua Deo adhæret per evangelicorum observationem consiliorum. Alia, qua omnia illa vitat, quæ caritati contrariantur divinæ, observando cuncta præcepta: et hæc est perfectio sufficientiæ, de qua verbum istud potest exponi. Porro cor verissimum est, in quo absque admixtione falsitatis, vanitatis et iniquitatis, est veritas vitæ, veritas justitiæ, veritasque doctrinæ. *Et auferte deos quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, et in Ægypto.* Non est verisimile quod filii Israel, quibus Josue loquebatur, habuerunt idola ad colendum, qui jam tot et tanta in Dei virtute prælia victoriose egerunt; et si forte aliqua idola reservaverunt sibi occulte, potuit esse propter pretiositatem materiæ. Idcirco quod ait, Auferte, potest exponi, Nolite admittere, neque recipere; et si quæ habetis, abjicite. Sic et Jacob, convocata omni *Gen. xxxv, 2.* domo sua: Auferte, inquit, deos alienos. Verumtamen quidam hic scribit: Potest dici, quod aliqui eorum habuerunt idola, quæ apportata fuerant de Ægypto. Sed B. Augustinus hoc reprobat, dicens: Non habebant adhuc simulacra gentium, quum supra, obedientiam eorum commendaverit Josue: et si post tantas legis comminationes ea habuissent, non essent consecuti tot prospera.

Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis: propter difficultatem viæ salutis, et arduitatem ac multitudinem præceptorum ipsius, seu propter expensas sacrificiorum. Quibusdam vero malum aut inutile, seu etiam stultum atque superfluum visum est Deo servire, quia non crediderunt eum habere cognitionem et providentiam inferiorum et actuum humanorum, vel quia viderunt quod justis et servientibus Deo frequenter contingunt adversa, et impiis prospera. Unde per Malachiam loquitur Dominus talibus: Invaluerunt super me verba vestra, et dixistis: Vanus est qui servit Domino, et quod *Malach. iii, 13, 14.* emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus? De quibus in Psalmo: Dixerunt, Quomodo scit Deus, et si est scientia in *Ps. lxxii, 11.* Excelso? Atque in libro Job: Dixerunt, Quis *Job xxi, 15.* est Omnipotens, ut serviamus ei? Sed hi quibus Josue loquebatur, tot et tanta Dei mirabilia conspexerunt, et ex ejus cultu tot prospera fuerunt consecuti, quod de ejus providentia et remuneratione non dubitaverunt. Itaque, Si malum vobis videtur Deo vero servire, *optio vobis datur,* id est, libera electio. *Eligite vobis hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis.* Istud sanctus Josue profert quasi ironice: quasi dicat, Quidquid horum elegeritis, stolidum erit, atque peribitis id agendo. Vel ideo ait, Optio vobis datur, quia non cogit Deus hominem ad suum obsequium, sed propriæ libertati eum relinquit, non ut licenter agat quidquid voluerit, sed ut libere agendo mereatur aut demereatur, juxta illud Ecclesia-

Digitized by Google

[*Eccli.* xv, 14, 15, 17.] stici : Deus ab initio constituit hominem, et A reliquit eum in manu consilii sui ; adjecit præcepta sua ; ad quod volueris, porrige manum tuam. *Ego autem et domus mea,* id est domestici mei, *serviemus Domino.* Quasi dicat : In hoc merito me principem vestrum sequi debetis.

Responditque populus et ait : Absit a nobis, ut relinquamus Dominum, qui ejecit universas gentes, id est, hostes quorum terras jam possidemus, pro maxima parte delevit, seu quosdam, imo et multos de omnibus illis occidit. *Serviemus ergo Domino, quia ipse est Deus noster,* id est creator et gubernator noster altissimus. Hæc est sufficiens copiosaque ratio serviendi Domino per latriæ cultum, quia creavit nos, et summus rector atque provisor est noster. *Dixitque Josue ad populum : Non poteritis servire Domino.* Hoc non dixit, insinuando absolutam impossibilitatem, sed difficultatem serviendi Altissimo perseveranter usque in finem, tum propter pronitatem istorum ad mala, tum propter divinorum arduitatem et multitudinem præceptorum, tum propter rigorem justitiæ. Unde subjungit : *Deus enim sanctus et fortis æmulator est,* id est, Deus essentialiter sanctus atque omnipotens, est detestator peccati, amator virtutum, osor peccantium. *Nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis,* si incideritis ea, nisi pœnitentiam veram egeritis. Non enim dimittit peccata inulta. Possunt autem per scelera, intelligi peccata in Deum, præsertim idololatria, superstitio, et species ejus ; per peccata vero, culpæ in proximum, ut furtum, rapina, etc. *Si dimiseritis Dominum* per inobedientiam, *et servieritis diis alienis,* qui a vera deitate deficiunt et distant in infinitum ; *convertet se,* non per aliquam mutationem sui ipsius, sed per effectum, quia a pietatis et liberalitatis suæ affluentia et dulcore ad rigorem procedet justitiæ, *et affliget vos atque subvertet.*

Dixitque populus ad Josue : Nequaquam ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus. Ex hoc videtur, quod vel Josue vel populus sit mentitus. Et respondendum, quod ea quæ Josue dixit, intelligenda sunt per modum cujusdam exercitationis et avisationis ac comminationis. Nempe et id quod ait, Non poteritis servire Domino, præter expositionem prætactam, potest adhuc dupliciter accipi. Primo sic, Non poteritis propriis viribus, et sine auxilio gratiæ Dei, Deo servire meritoria servitute. Secundo sic, Non poteritis Deo servire servitute tam magna et reverentiali, ut dignus est ipse, qui immensæ est majestatis, at- B que ob hoc infinita reverentia dignus. Sic ergo non erit ut loqueris, id est secundum quod verba tua videntur sonare, et ut minaris, et exercitando nos, faris. Sic religiosi eos qui instant pro ordine, exercere ac probare solent, dicendo : Non poteritis religionis hujus servare rigorem, nec perseverare in eo.

Et Josue ad populum : Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei. Responderunt, Testes sumus hujus rei. Sed quomodo iidem po- C terant esse auctores et testes ? Respondendum, quod testificatio ista non fuit nisi iterata professio aut recognitio proprii actus, et testimonium contra se ipsos, si verba propria non implerent. Ex hoc Josue infert : *Nunc ergo, ait, auferte,* id est, per anticipationem cavete ne suscipiatis, *deos alienos de medio vestri ; et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel,* id est, humiliter ea subjicite Deo, et ad gratiæ ejus susceptionem ac incrementum ea parate et applicate, sicut ait Psalmista : In- [*Ps.* cxviii, 112.] D clinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum. Unde in Proverbiis legitur : Hominis est animum præparare. [*Prov.* xvi, 1, 9.] Itemque : Cor hominis disponit viam suam. Verumtamen hoc ipsum efficere est aliquo modo a Deo, et donum ipsius, qui hominem ab impedimento hujus inclinationis ac præparationis, id est a proposito peccandi ac vitiis, retrahit et avertit. Propter quod tertio Regum Salomon deprecatur : Dominus [III *Reg.* viii, 58.] inclinet cor nostrum post se. Et Propheta in Psalmo : Inclina cor meum in testimo- [*Ps.* cxviii, 36.]

Digitized by Google

nia tua. *Dixitque populus : Domino Deo nostro serviemus, et erimus obedientes præceptis ejus.* Si hoc dixerunt innitendo gratiæ Dei, et de ejus auxilio confidentes, bona fuit responsio ; si autem præsumendo de viribus suis, incauta et præsumptuosa fuit locutio : sicque incepit in eis illud
Rom. x, 3. Apostoli, Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Magis tamen apparet, quod secundum primum sensum locuti sint hoc.

Percussit ergo Josue in die illo fœdus, id est, de novo obligavit populum ad Dei obsequium, fecitque pactum inter Deum et populum, ut populus Deo serviret. Unde Septuaginta transtulerunt, Disposuit Jesus testamentum ad populum : quæ dispositio fuit testamenti jam dati repetitio. *Et proposuit populo præcepta atque judicia,* id est, præcepta Dei moralia, cærimonialia ac judicialia populo commemoravit, et observanda admonuit, *in Sichem ; scripsitque omnia verba hæc in volumine legis Domini,* id est in libro hoc, in quo lex Dei commemoratur. Vel, In volumine legis Dei, id est in Scriptura canonica, quæ tota est quasi unum divinæ legis volumen, ad quod pertinet liber iste, quemadmodum pars ad totum. *Et tulit lapidem prægrandem,* id est valde magnum, quem ab aliis accipi fecit, vel cum aliorum adjutorio sumpsit ; *posuitque eum subter quercum,* videlicet sub ramis et frondibus quercus, *quæ erat in sanctuario Domini.*

Circa hoc occurrunt dubia duo. Primum, quomodo in sanctuario Domini potuit esse quercus aut aliqua arbor, quum in Deutero-
Deut. xvi, 21. nomio Dominus dixerit : Non plantabis lucum et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui. Secundo, quomodo dicatur Josue posuisse hunc lapidem subter quercum quæ erat in sanctuario Dei, quum ex textus serie et tenore videatur ista fecisse in Sichem, ubi percussit fœdus præfatum, in cujus memoria erexit hoc saxum. Sanctuarium autem Domini fuit in Silo, urbe multum a Sichem distante. Ad primum posset quis respondere, quod Josue seu populus Israel non plantavit hanc quercum juxta Dei sanctuarium seu altare, sed plantatam reperit ibi. Quod si objiciatur, non licuisse ut arbor plantata relinqueretur ibidem, quia ad hoc datum fuit a Deo illud præceptum, ne filii Israel assimilarentur idololatris, qui juxta suorum templa deorum habebant lucos et arbores ad exercendam libidinem : dici potest, quod arbor ista sic sita fuit, quod ratio præcepti illius non habebat locum in ea, quia non erat ad incitamentum libidinis, fuitque ante sanctuarium. Verumtamen quidam dicunt, in Hebræo haberi, Subter limen, eo quod verbum illud Hebraicum exstet æquivocum. Aliqui quoque fatentur, per sanctuarium hic intelligi, non tabernaculum Moysis, sed synagogam, in qua habitatores Sichem convenerunt ad audiendum verbum Dei, atque ad Dominum exorandum : et juxta hoc, pateret ad secundum solutio. Alii vero dicunt, quod postquam Josue percussit fœdus, ac populo judicia et præcepta in Sichem proposuit, ascendit cum populo ipso in Silo, ut simul coram Domino starent, et tunc ibi in tabernaculo posuit lapidem pro signo horum in futurum : sicut et transito Jordane, fecit duodecim saxa tolli de fun- Josue iv.
do Jordanis, et poni in tabernaculo pro memoriali miraculosæ desiccationis fundi Jordanis, ut dictum est. Porro Septuaginta sic transtulerunt : Disposuit Jesus testamentum ad populum in die illo, et dedit illi legem et judicium in Silo coram tabernaculo Dei Israel. Unde ex hac translatione monstratur, quod per sanctuarium intelligendum sit hic, non synagoga præfata, sed tabernaculum Moysis.

Et dixit Josue ad omnem populum Israel ibi adstantem : *En lapis iste erit vobis in testimonium,* id est materiale signum suo modo testificativum, quemadmodum in agrorum et provinciarum confinio lapides statuuntur, in signum et testimonium terminationis ac distinctionis illorum ; *ne forte postea negare velitis* audivisse vos verba Dei, et quod Dominum elegistis in Deum, atque ad ejus cultum vos adstrinxistis, *et*

Digitized by Google

mentiri Domino Deo vestro, id est ad injuriam et irreverentiam Dei, quod in vestram perniciem cederet. At vero in Scholastica fertur historia : In signum fœderis memorati, effudit Josue etiam aquam super terram. Mos erat gentilibus, in signum et robur initi fœderis, sanguinem suillum effundere : quasi dicerent, Sic effundetur sanguis illius qui violaverit fœdus istud. Hebræi vero aquam effundentes, atrociorem pœnam violatori signabant. Alii namque liquores non ita funduntur ex vase, quin aliquod sui vestigium in eo relinquant : solus aquæ liquor prorsus effunditur. Quod faciebant Hebræi in fœdere inito cum Domino : quasi dicerent, Non solum violator fœderis hujus peribit, sicut in aliis contingit fœderibus, sed tota progenies ejus peribit cum illo, ut nullum vestigium ejus appareat super terram. Solebant quoque veteres dura et diu durabilia, scilicet lapides, in signum eligere *, ut sua diuturnitate initum fœdus posteris ad memoriam revocarent. Hæc ibi. *Dimisitque populum, singulos in possessionem suam.*

[* erigere]

Et post hæc mortuus est Josue filius Nun, servus Domini, centum decem annorum. Circa quod Magister in historiis protestatur: Quadraginta quatuor annorum erat quum accessit ad Moysen, et quadraginta annis servivit ei in deserto. Ex quo colligitur, quod viginti sex annis rexit populum post transitum Jordanis. *Sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare,* id est urbe sic dicta, vel in agro aut aliquo loco prope urbem, ut moris tunc erat. *Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue,* ita quod sub ejus regimine idola non colebant, nec ipse hoc tolerasset, *et seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue, et qui noverant omnia opera Domini quæ fecerat in Israel,* id est beneficia, signa, prodigia, victorias ac varia gratiæ dona, quæ Israeliticæ plebi exhibuit in Ægypto, in eremo, et in terra promissionis, quorum aliqua propriis oculis conspexerunt, alia didicerunt relatu. Verumtamen istud non est universaliter intelligendum de omnibus filiis ac tribubus Israel : imo, ut infra in libro Judicum scriptum est, vivente adhuc Phinees filio Eleazari, et Othoniele marito filiæ Caleb, tribus Dan coluit idolum Michæ, et habitatores Gabaa commiserunt gravissimum scelus in uxorem Levitæ, imo et in ipsum virum impia voluntate. Sed intelligendum est, quod pro majori parte Domino servierunt; tamen et aliæ tribus in aliquibus, etiam vivente Josue, peccaverunt, quemadmodum de tribu Ephraim ac tribu Manasse præhabitum est, quod cupiditate ducti, fecerunt Chananæos tributarios, nec juxta Dei præceptum eos interfecerunt.

[Judic. XVIII, 30, 31.] [Ibid. XIX, 25, 22.] [Josue XVI, 10; XVII, 12, 13.]

Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, secundum quod in Exodo legitur, *sepelierunt in Sichem,* id est in terra sic dicta. *In parte agri quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem.* Nam Sichem quandoque ponitur pro territorio illo, quandoque pro urbe, interdum pro viro sic appellato. Scriptum est autem Genesis ultimo, quemadmodum Joseph in extremis positus, jussit ut filii Israel in exitu suo de Ægypto, ossa sua secum deferrent, ac sepelirent. *Quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem :* nam Hemor habuit filium nomine Sichem, qui violavit Dinam filiam Jacob ; *centum novellis ovibus.* Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Centum obolis. Sed potius reor in Hebræo haberi sicut Hieronymus transtulit, et forte dictio illa Hebraica exstat æquivoca. Antiqui quippe pecoribus pro pecunia utebantur. Unde et pecunia ab hoc nomine Pecus, nomen sortitur, quemadmodum in Decreto ex verbis inducitur Augustini. Qualiter autem Jacob emit agrum illum, in Genesi recitatur. Attamen ibi habetur, quod emit eum a filiis Hemor. Facta est enim emptio illa ex communi consensu Hemor, filiorumque ejus : idcirco ab utrisque legitur emptus ager ille. Et agrum illum contulit Jacob filio suo Joseph, prout in Genesi describitur. Verumtamen ibi habetur, quod tulit agrum illum de manu Amorrhæi in

[Exod. XIII, 19.] [Gen. XXXIII, 19.] [Ibid. L, 24.] [1, q. 3, c. Totum quidquid.] [Ibid. XLVIII, 22.]

Digitized by Google

arcu et gladio suo, quia videlicet aliquam ejus partem emit, et aliam ac majorem ejus partem jure prælii obtinuisse asseritur, prout in Genesi plenius omnia ista exposui. *Et fuit in possessione filiorum Joseph,* id est, in sorte et hereditate tribus Ephraim continebatur hic ager. Josue namque dedit tribui Ephraim agrum illum. Refert autem Hieronymus se vidisse in Sichem sepulcra aliorum undecim Patriarcharum. Nam quælibet tribus Ægyptum egrediens, fertur ossa sui Patriarchæ secum tulisse. Atque ut in Scholastica enarratur historia, credibile est quod postea unaquæque tribus suum Patriarcham in suam retulerit sortem, id est, in sua hereditate ac funiculo sepelivit.

Eleazar quoque filius Aaron mortuus est : cujus non describitur ætas ; *et sepelierunt eum in Gabaath,* id est urbe sic dicta, *Phinees et filii ejus,* id est Phinees filius Eleazari, et filii ipsius Phinees : *quæ* urbs *data est ei,* scilicet Eleazaro ad habitandum *in monte Ephraim.* Aliqui textus habent : Et sepelivit eum in Gabaath Phinees filius ejus, quia videlicet Phinees primogenitus Eleazari fuit principalis in patris sui sepelitione. Circa quod scribit quidam, quod Phinees successit in hereditate patris sui : quod non videtur idonee dictum, eo quod sacerdotes et Levitæ scribantur hereditatem non habuisse, sed Dominus et sacrificia ejus fuerunt eorum hereditas. (*Deut.* xviii, 1, 2.)

Circa præhabita Augustinus diligenter inquirit : Cur Josue, saltem in extremis suis, non corripuit tribus Ephraim et Manasse, eo quod Chananæos non occiderunt, quum super eos confortati fuerunt, sed tributarios statuerunt. Quocirca loquitur Augustinus : Mirum, quod saltem in novissimis verbis, quibus allocutus est populum, non eos objurgavit, quod his gentibus pepercerunt, quas Dominus omnino esse perdendas præcepit. Ad quod Augustinus respondet : An forte credendum sit, filios Israel timuisse, si Chananæos eis obedire paratos persequerentur, ne compellerent illos ex desperatione acrius repugnare, sicque illos superare non possent? Et ita in his filiis Israel fuit timor humanus et fidei quædam defectio : quoniam si in eis fuisset fides perfecta, consecuti essent triumphos quos Josue. Quia vero in eis non fuit tanta fides, etiam quum prævaluissent, ausi non sunt pugnare usque ad inimicorum internecionem, non de malitia vel de superbia, nec de contemptu divini præcepti, sed de infirmitate animi. Hæc Augustinus.

Insuper quæri posset, quum Josue sit editor hujus libri, quis alius compilavit et scripsit finem hujus capituli, scilicet, Et post hæc mortuus est Josue, usque ad terminum libri. Ad quod quidam respondet, quod Esdras apposuit hoc. Verumtamen circa istud esset diligentius inquirendum, an ne hoc fuit appositum ante Esdram. Forsan enim in bibliis Hebræorum in fine hujus libri adjecta erant hæc verba ante Babylonicam captivitatem. Unde quemadmodum in fine Deuteronomii ipse Josue addidit et conscripsit, qualiter defunctus et sepultus sit Moyses, (*Deut.* xxxiv, 5-12.) ita probabile puto, quod cito post mortem Josue aliquis vir sanctus aut vates adjecit in libro ejus verba prætacta, et forsan ille qui librum Judicum, dirigente Spiritu Sancto, conscripsit.

(Sensus spiritualis.) Postremo, ex isto capitulo instruuntur qui præsunt et prædicant, qualiter plebem Dei debeant informare, exhortari et avisare, recitando eis universa beneficia Dei et Domini Jesu Christi, quæ, quanta et qualia pro nostra assumpsit, fecit, pertulitque salute : quibus verbis adjicere debent, ut timeant Dominum indesinenter sancto et filiali timore, et jugiter serviant ei corde perfecto atque verissimo : quatenus sicut totum quod sunt, possunt et habent, a Deo sortiti sunt, ita ad ejus reverentiam, cultum, amorem, totum quod sunt, quod possunt, quod habent, ordinent, convertant expendant, omni simulatione, duplicitate, carnalitate, torpore exclusis. Proponere etiam populo debent, quam arcta sit via (*Matth.* vii, 14.) salutis, quam metuendus et ingens sit ri-

gor divinæ justitiæ, et quanta damnatorum supplicia. Per lapidem autem magnum a Josue erectum, intelligitur Christus altissimus, qui angularis est lapis in testimonium positus, et in signum cui contradictum est a multis, qui nunc usque est lapis offensionis et petra scandali incredulis ac perversis, et cunctis qui Domino mentiuntur, de quibus ait Scriptura : Inimici Domini mentiti sunt ei. Per quercum, quæ est arbor fortis et durativa ac nutritiva porco- A rum, designatur crux Christi fortissima, omnium hostium triumphatrix, perpetue durans, cujus fructus peccatores nutrit et reficit. Septuaginta autem pro Quercu transtulerunt, Terebinthus, cujus resina est medicinalis. Idcirco per eam quoque significatur crux Salvatoris, per quam curata sunt vulnera animarum, et sanitas æternæ salutis recuperata. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

I Petr. II, 6; *Ephes.* II, 20. *Luc.* II, 34. *I Petr.* II, 8. *Ps.* LXXX, 16.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI JOSUE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM JUDICUM

Digitized by Google

PROŒMIUM

JUDICES *singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non sunt aversi a Domino, ut sit memoria illorum in benedictione.* Eccli. XLVI, 13, 14.

Sicut ait Scriptura, Omnis potestas a Domino Deo est, qui juxta profundissimam *Rom.* XIII, 1.
sapientiæ suæ censuram, universa decenter gubernat, atque suaviter et connaturaliter *Sap.* VIII, 1.
cuncta disponit. Ipse suprema inter creata per se ipsum immediate est regens, et inferiora per superiora ad proprios dirigit fines. Denique juxta diversitatem et congruentiam temporum diversimode regit genus humanum, et populum ipsum Israeliticum sibi olim peculiarem, durante veteris Testamenti decursu, tripliciter legitur gubernasse. Primo per judices, secundo per reges, tertio per pontifices, prout communiter dici solet. Potest tamen addi et quartus modus. Primo etenim, si rite pensetur, rexit populum illum per legislatorem, qui præfuit toti populo illi, tanquam prælatus et princeps ac legifer. Judices autem (secundum doctores) non præerant, ut veri principes aut prælati plebis illius, aut per modum alicujus dominii, sed per modum exhortationis atque consilii, ut infra magis tangetur. Moysi vero successit Josue in principatu et jure dominii. Post Josue autem dati sunt judices secundum ordinem in hoc libro descriptum.

Primus itaque modus regiminis Israelitici populi, fuit principatus monarchicus, quo unus toti multitudini præsidebat, non tamen ut rex, sed ut princeps et dux : sicque Moyses et Josue præfuerunt. Secundus deinde regiminis modus fuit per modum consiliaris directionis : et ita judices gubernabant ; et duravit usque Saulem. Ex tunc usque ad transmigrationem plebis illius in Babylonem, duravit in ea regale dominium. Post reditum vero a captivitate illa, pro majori temporis parte, per pontifices rectus est populus ille. Nam et Joannes Hyrcanus filius Simonis fratris Judæ Machabæi, pontifex fuit, quamvis tandem imposuerit suo capiti regium diadema ipse aut filius ejus. Verumtamen
infra in isto describitur libro, quod Abimelech filius Gedeonis, fuit rex Sichimorum. *Judic.* IX, 6.
Sed ipse indignus est judex Israeliticæ plebis vocari, et habuit principatum usurpatum tyrannicum, nec præfuit toti territorio Hebræorum.

Porro judices Israel fuerunt viri virtutum ac justi, et si qui eorum aliquando peccaverunt, pœnituerunt tamen atque salvati sunt. Unde in themate præinducto quadrupliciter commendantur : Primo, a nominatione propria in libro vitæ conscripta, qua per approbationem a Deo sunt cogniti, quum dicitur, Judices singuli suo nomine, supple, vocati sunt. Secundo, ab interiori integritate, quum additur, Quorum non est corruptum cor. Hæc demum integritas, est virtuositas ipsa interna, quæ est immunitas a læsione peccati, et sanitas gratiæ ac virtutum, sicque includit virtutum congeriem. Tertio commendantur ex constantia perseverantiæ cultus divini, quod quamvis in præfata compre-

Digitized by Google

hendatur integritate, specialiter tamen exprimitur, ad designandum quod ceteris ad idololatriam corruentibus, judices Deo stabiliter adhæserunt. Unde subjunctum est, Qui non sunt aversi a Deo. Quarto, a suo commendabili fine, exemplarique fama, quia sic hujus vitæ curriculum finiverunt, quod in exemplum posteris sunt relicti, et facti sunt æterna memoria digni, magnisque laudibus extollendi. De quorum gestis tractat liber nunc exponendus, imo potius tractat de Deo, et ejus donis atque effectibus circa populum illum per judices seu eorum temporibus, ut jam in processu patebit.

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM JUDICUM
HEBRAICE SOPHETIM

AGITUR IN EO DE JUDICIBUS, PRINCIPIBUS, DEFENSIONEQUE POPULI ISRAEL, ET DE VICTORIIS AC TRIUMPHIS HABITIS CONTRA ADVERSARIOS.

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : POST MORTEM JOSUE, CONSULUERUNT FILII ISRAEL DOMINUM.

LIBER Judicum est continuatio et prosecutio historiæ libri Josue : quia, ut asserit Augustinus, historia libri Josue porrigitur usque ad tempora, quibus filii Israel ad idololatriam labi cœperunt : quod qualiter factum sit, in isto volumine recitatur. Unde in isto capitulo aliqua per recapitulationem dicuntur. Itaque, *Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : Quis ascendet ante nos contra Chananæum*, id est populum Chananæorum in hac terra superstitem, *et erit dux belli?* Consuluerunt autem Dominum per Phinees sacerdotem, qui patri suo Eleazaro in pontificatu successit : ideo sicut Josue et filii Israel tempore suo Dominum per Eleazarum consuluerunt, sic isti per Phinees. Fiebat quoque consultatio ista per hoc, quod summus sacerdos, scilicet Phinees, per orationes et sacrificium petebat revelationem a Deo de agendis aut omittendis. Circa hæc scribit quidam : Filii Israel
Josue VII. experti fuerunt male eis contigisse, dum Josue misit exercitum ad debellandum oppidum Hai, Domino inconsulto : ideo isti Dominum consuluerunt, quasi tunc male ipsis evenerit, quoniam Domino inconsulto, a Josue missi fuerunt, aut quasi non evenisset eis male, si tunc Dominum super hoc consuluissent. Verumtamen infra in isto narratur libro, quod filii Israel bis Judic. XX.
processerunt ad pugnam contra filios Benjamin, Deo consulto et annuente; et nihilo minus multo pejus accidit eis, quam dum contra Hai profecti sunt.

Dixitque Dominus, id est, angelus ex parte Dei respondit sacerdoti Dominum consulenti : *Judas ascendet. Ecce tradidi terram in manu ejus.* Quæritur, an hoc sit intelligendum de certa et particulari persona, an de tribu Juda. Videtur quod de persona, quoniam personæ, non tribui, esse competit ducem belli. Denique in exercitu necessarium fuit habere principem bellatorum, quem oportebat esse determinatam personam. Oppositum hujus probatur, quia expositores per Judam intelligunt communiter tribum Juda : quod etiam Au-

Digitized by Google

gustinus probat per hoc, quod Scriptura A non solet nominare ducem populi Israel, nisi exprimat ejus originem seu tribum, de qua ortus sit ; non autem nunc exprimit, de quo ortus sit Judas hic : idcirco per Judam, intelligitur hoc loco tribus Ju-
Judic. III. 9, 10. da. Infra quoque habetur, quod Othoniel filius Cenez, fuit primus dux seu judex populi Israel post Josue. Ad argumenta in oppositum Augustinus respondet, quod Dominus dixit tribum Juda debere esse ducem belli, ad innuendum, se velle quod totus populus Juda contra Chananæos pu- B gnaret. Habito autem isto responso, potuerunt filii Israel inter se communi consensu ordinare exercitum suum, et aliquem in eo constituere principalem. Porro in Scholastica fertur historia : Creditur Caleb post Josue populo præfuisse, sed propter temporis brevitatem quo præfuit, nec rectoribus neque judicibus annumeratur.

Insuper circa hæc scribit Lyra : Judas ascendet, id est tribus Juda. Hoc communiter exponitur sic, quod Judas instituebatur C dux in bellis filiorum Israel generaliter ; sed hoc non bene consonat sequentibus, quoniam Aod et Barac, Jephthe et Gedeon, fuerunt duces in magnis præliis, et tamen non erant de tribu Juda. Ideo aliter exponunt Hebræi, dicentes per verba illa, Judas ascendet, intelligi, quod tribus Juda prima expugnaret adversarios in sorte sua : propter quod subditur, Et ait Judas Simeoni fratri suo : Ascende mecum in sortem meam. Hæc Lyra. Circa hæc dico, quod nec Augustinus, nec Glossa, nec Magister D in historiis, nec aliquis expositor notabilis quem legerim, dicit quod Judas seu aliquis de tribu Juda, instituebatur generaliter dux in bellis filiorum Israel, eo scilicet tempore, quo judices plebem illam regebant. Augustinus quoque satis innuit, quod ille refert Hebræos asserere. Ait equidem Augustinus : A tribu Juda voluit Dominus incipere conteri Chananæos. Ideo expositores catholici non erant ita notandi, nec eis sic erant præferendi Hebræi.

Et ait Judas, id est tribus Juda, *Simeoni fratri suo,* id est tribui Simeon : quam nominat fratrem, quia de toto populo tribus illius loquitur collective, quasi de homine uno, et omnes erant de semine Jacob, quemadmodum in Numeris leguntur filii Israel dixisse per nuntios regi Edom : Hæc mandat frater tuus Israel. *Ascende* Num. XX. 14. *mecum in sortem meam,* id est in terram quæ per sortis missionem data est mihi, *et pugna contra Chananæum,* id est, adsiste et adjuva me ad expugnandum residuos Chananæos quos nondum devici. Nondum enim obtinuerunt filii Israel omnia oppida et fortalitia eis per Josue distributa, propter diversas causas in expositione libri Josue introductas. *Ut et ego pergam tecum in sortem tuam,* ad debellandum ibi adversarios tuos. *Et abiit cum eo Simeon.* Cur Judas potius postulavit auxilium Simeonis, quam tribuum aliarum, quarum aliquæ numero et robore excesserunt progeniem Simeonis ? Respondetur, quod ideo, quia (ut dictum est) per Josue hereditas Josue XIX. 9. seu sors filiorum Simeonis fuit in medio filiorum Juda, ideo congruebat ut invicem se juvarent. *Ascenditque Judas,* fultus auxilio Simeonis, *et tradidit Dominus Chananæum et Pherezæum in manus eorum.* Ante jam dictum est, quod filii Israel consuluerunt Dominum, quis ascenderet contra Chananæum ; et item quod Judas dixit ad Simeonem, Pugna mecum contra Chananæum. Nunc autem dicitur Dominus tradidisse in manus ipsorum, non Chananæum dumtaxat, sed etiam Pherezæum, id est quosdam de residuis Chananæis ac Pherezæis. Superius ergo per Chananæum designatæ sunt etiam ceteræ gentes de tribu Cham, habitantes ibidem. *Et percusserunt in Bezec,* id est in loco seu oppido sic dicto, aut prope, *decem millia virorum* Chananæorum.

Inveneruntque Adonibezec in Bezec. Adonibezec interpretatur Dominus Bezec, et præerat loco illi. Adonai quippe interpretatur Dominus. *Et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt. Fugit autem Ado-*

Digitized by Google

nibezec, multis de ejus exercitu cæsis, et A quibusdam fugientibus secum ; *quem persecuti, comprehenderunt* in via, *cæsis summitatibus,* id est extremis partibus, *manuum ejus ac pedum,* scilicet digitis vel potius pollicibus, secundum quod in Hebræo fertur haberi. Ideo autem absciderunt ei sic pollices, ut amplius esset ad bella ineptus, et forte ad irrisionem ipsius, quia fortassis audierunt eum aliis sic fecisse. Deo tamen sic ordinante id factum est. Propter quod subditur : *Dixitque Adonibezec : Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant* B *sub mensa mea ciborum reliquias.* Ex hoc patet, quod fuit magnæ potentiæ, imo et prosperitatis terrenæ. Attamen reges illi non fuerunt tam magni, ut modo sunt reges communiter. Unde in Josue habitum est, quod filii Israel percusserunt in terra
Josue XII, 24. Chanaan triginta unum reges. Ex isto etiam constat, quod Adonibezec fuit crudelis et arrogans, qui ad potestatis suæ ostentationem, ita tractavit tot reges ; nec æstimare oportet, quod eodem tempore tot reges C sub mensa ejus comederunt ciborum fragmenta, sed forsitan successive. *Sicut feci* aliis, *ita reddidit mihi Dominus.* Itaque recognovit justo Dei judicio se ita plagatum, et filios Israel divina virtute sibi prævaluisse. Jam enim ex tot mirabilibus Dei, quæ vidit aut percepit, habuit aliqualem veri et summi Dei notitiam. Quod si suam temporalem punitionem pro suis peccatis æquanimiter toleravit, atque in Deum Israel credendo, pœnituit, prout verba ejus aliqualiter sonare videntur, non esset dam- D natus. Est ergo impletum in eo, quod in
Sap. XI, 17. libro Sapientiæ legitur : Per quæ quis peccat, per hæc et punitur. Habacuc quoque :
Habac. II, 8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te reliqui.

Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est. Hoc dicitur hic per anticipationem. Nam subditur : *Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt eam :* quo facto, introduxerunt illuc Adonibezec regem, et ibi mortuus est ; non tamen ex sola illa abscisione summitatum pedum ejus ac manuum. In Scholastica autem historia dicitur, quod reliquerunt eum ibidem, et ita supervixit ad tempus. Præterea scriptum est in Josue, quemadmodum Adonibezec * rex Jerusalem, cum aliis regibus * Adonisedec
oppugnavit Gabaon, quia transfugerunt Josue X, 1-27. Gabaonitæ ad filios Israel, et illum Adonibezec cum ceteris regibus sibi adjunctis, filii Israel occiderunt. Hic ergo Adonibezec fuit alter ab illo. Nec constat, an fuerit ejus successor an filius. *Et percusserunt in ore gladii,* id est, habitantes in Jerusalem occiderunt filii Juda, *tradentes cunctam incendio civitatem,* id est, urbem pro majori ipsius parte combusserunt, ita quod istud per synecdochen atque hyperbolen intelligendum est. Fuit enim in quadam parte Jerusalem quoddam fortissimum fortalitium, in quo aliqui Jebusæi manebant, et usque ad tempus David mansit II Reg. V, 7.
invictum, ut secundo Regum habetur. Unde et in Josue legitur : Jebusæum habita- Josue XV, 63.
torem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere. Ex quo apparet, quod Josue vivente, filii Juda obtinuerunt Jerusalem præter fortalitium illud. Propter quod quidam dixerunt, totum quod dicitur hic, dici per recapitulationem, usque ibi, Surrexerunt alii qui non noverunt Dominum.

Et postea descendentes filii Juda, pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus. Terra etenim sortis Juda fuit magna præ ceteris sortibus, et erant in ea quædam loca montana, in quibus oppida erant sita, itemque loca campestria, quorum habitatores expugnaverunt filii Juda, sicut et eos qui ad meridianam plagam suæ sortis manebant. *Pergensque Judas contra Chananæum qui habitabat in Hebron.* Totum quod dicitur hic, quasi de verbo ad verbum in Josue continetur, Ibid. 13-19.
et ibi expositum est, usque ibi, Filii autem Cinæi. Unde quod dicitur hic, Pergensque Judas, intelligendum est de Caleb et adjutoribus ejus ex tribu Juda progenitis. Sicque passus iste per recapitulationem hoc

Digitized by Google

loco inducitur, ut aliqui opinantur. Verumtamen Augustinus probabilius reputat, ista post mortem Josue esse gesta, eo ordine quo hic narrantur, atque in libro Josue ea esse descripta per prolepsim, id est anticipationem sive præoccupationem.

Filii autem Cinæi cognati Moysis. Per Cinæum quidam intelligunt Hobab filium Jethro sacerdotis Madian : quem Hobab dicunt alio nomine Cin vocatum, qui, sicut Moyses exoravit, mansit et intravit cum filiis Israel terram promissionis ; fuitque cognatus Moysis, id est affinis, quia frater conjugis Moysis. Alii per Cinæum intelligunt ipsum Jethro, quia fuit cognatus, id est socer Moysis. Unde (ut dicitur) in Hebræo habetur, Filii Cinæi soceri Moysis. Sed sensus redit in idem. Isti namque fuerunt posteri ipsius Jethro ac filii ejus, ad Judaismum conversi. *Ascenderunt de civitate Palmarum,* hoc est urbe nomine Engaddi, vel (ut alii dicunt) de Jericho, quæ interdum vocatur urbs Palmarum : quæ tamen tunc erat omnino destructa, nec reædificata [est] nisi post tempora David diu, ut legitur tertio Regum. (III *Reg.* XVI, 34.) Si ergo ascenderunt de Jericho, intelligendum est quod ascenderunt de locis vicinis urbi præfatæ. Unde Magister in historiis ait : Forte de campestribus Jericho, ubi erant cum filiis Benjamin, transtulerunt se ad tribum Juda. Jericho autem ad tribum Benjamin pertinebat, ut in Josue libro habetur. (*Josue* XVIII, 21.) Ascenderunt ergo *cum filiis Juda in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad.* In sorte etenim Juda, fuit quoddam desertum ad plagam meridianam respectu loci aut oppidi nomine Arad. *Et habitaverunt cum eo,* id est inter filios Juda, quos ceteris principaliores et fortiores viderunt ; atque (ut fertur) Hebræi dicunt, quod ideo illuc profecti sunt ac demorati, ut addiscerent legem ab Othoniel, quem dicunt fuisse peritum in lege. Verumtamen a Levitis poterant legem addiscere, præsertim a Phinees.

Consequenter narratur, qualiter tribus Juda reddidit vicem tribui Simeon, eam juvando. *Abiit autem Judas cum Simeone fratre suo, et percusserunt simul Chananæum qui habitabat in Sephaath,* id est Chananæos in oppido seu territorio illo, ad sortem Simeonis spectante, morantes, *et interfecerunt eum, vocatumque est nomen urbis* illius *Horma, id est anathema,* quia funditus fuit destructa. *Cepitque Judas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem atque Accaron cum terminis suis.* Infra legitur : Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem : (*Judic.* III, 1, 3.) quinque satrapas Philistinorum. Porro Gaza, Ascalon et Accaron, erant urbes satraparum illorum. Ex quo videtur, quod urbes illæ manserunt sub illorum dominio satraparum. Quomodo ergo tribus Juda cepit eas ? Nisi forte dicatur, quod post rursus eas amisit, vel cepit eas non perfecte ex toto, aut permixtim habitaverunt in eis cum Philistæis. Unde et postea contra se invicem pugnaverunt. *Fuitque Dominus cum Juda, et montana possedit,* id est, Dei auxilio adsistente, loca montuosa et oppida ibi sita in suo funiculo, jure et vi belli obtinuit ; *nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Currus falcati, sunt ferrei currus instar falcis scindentes, seu ferreos uncos quasi falces habentes. Hinc et in Josue libro filii Joseph dixisse leguntur : Non poterimus ad montana conscendere, quum ferreis curribus utantur Chananæi qui habitant in terra campestri. (*Josue* XVII, 16.) Verumtamen, sicut filii Israel divina virtute obtinuerunt montana, ita et habitatores vallis ac campi potuissent eadem superare virtute, si tantam habuissent fidem, quod ex difficultate negotii per naturam, non hæsitassent de supernaturali adjutorio Dei, prout super Josue dictum est plenius. *Dederuntque Caleb Hebron, sicut dixerat Moyses ; qui delevit ex ea tres filios Enac.* (*Ibid.* XV, 13 ; XV, 14.)

Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin ; habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in præsentem diem. Jam dictum est, quod filii Juda ceperunt et

Digitized by Google

combusserunt Jerusalem, habitatoresque ejus in ore gladii percusserunt. Quomodo ergo filii Benjamin nunc dicuntur habitasse in urbe illa, nec delevisse eos qui habitabant ibidem ? Ad hoc B. Augustinus respondet, quod duæ tribus, scilicet tribus Juda et cognatio Benjamin, habuerunt urbem Jerusalem sibi communem. De hoc dictum est plenius super Josue, qualiter tribus Juda habuit urbes dupliciter, scilicet per concessionem et sortium divisionem ; tribui vero Benjamin deputata est Jerusalem solum per sortem, et ita habitaverunt in ea aliqualiter reparata. Nec universi Chananæi habitatores Jerusalem fuerunt occisi a filiis Juda, quia nec illi qui in fortalitio erant, nec illi qui fugerant, nec qui tempore devastationis Jerusalem extra eam fuerunt ; nec omnes hos potuit tribus Benjamin superare : et forsan ex cupiditate permisit quosdam illorum vivere, quos potuissent perimere, facientes in hoc contra Dei præceptum, ut in expositione Josue magis expressum est.

Domus quoque Joseph. Ex Joseph ortæ et computatæ sunt duæ tribus, videlicet Ephraim et Manasse. Sicque per domum seu familiam Joseph, potest intelligi utraque tribus, vel tribus Ephraim quæ principalior fuit. Itaque domus, id est filii ac posteri Joseph, *ascenderunt in Bethel,* quæ fuit urbs alia a Jerusalem, quæ etiam appellata est Bethel, quamvis et ista Bethel alio nomine vocata sit Luza, quemadmodum et Jerusalem. *Fuitque Dominus cum eis. Nam quum obsiderent urbem quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum : Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam.* Si viderunt virum illum exeuntem de Bethel, quare non consideraverunt qua via aut porta exierat ? Respondetur, quod viderunt eum venientem de urbe, non tamen locum quo exiit : imo viderunt quod non exierat per aliquam urbis publicam portam. Ex quo conjecerunt, quod per occultum egressus fuerat locum. Dicuntque aliqui, quod civitas illa habuit subterraneum locum ad exeundum atque intrandum. *Qui quum ostendisset eis* secretum introitum, *percusserunt urbem in ore gladii. Hominem autem illum et omnem cognationem ejus dimiserunt :* propter benevolentiam et beneficentiam ejus in ipsos, sicut et Josue ac filii Israel eripuerunt Rahab et ejus cognationem a morte. *Qui dimissus, abiit in terram Hetthim, et ædificavit ibi civitatem.* Cognatio ejus profecta est secum, et habuit eum ut principem, quoniam per eum evaserunt interitum, et eorum subsidio urbem construxit. *Vocavitque eam Luzam, quæ ita appellatur usque in præsentem diem.*

Consequenter in textu describitur, qualiter quinque tribus Israel, puta Manasse, Ephraim, Zabulon, Aser et Nephthali, non deleverunt ex urbibus suis Chananæos, sed sub tributo permiserunt eos inter se commorari, contra præceptum Dei : ideoque paulo post inciderunt facinora multa, secundum quod Dominus eis per Moysen prænuntiavit. Textus autem est planus, atque in libro Josue pro magna parte præhabitus atque expositus, ita quod ista dicuntur vel hic per recapitulationem, vel ibi per anticipationem. *Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent ; habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testatio*, in Aialon et Salebim :* id est, Amorrhæi sic invaluerunt, quod non permiserunt Dannitas ad campestria suam habitationem diffundere, sed in urbibus suis in locis sublimibus compulerunt eos manere : quod Dannitæ pati meruerunt per sua peccata. *Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius.* Hoc potest exponi, vel quod familia nata ex Joseph aggravata, id est oppressa est ab Amorrhæis, ita quod tandem facta est tributaria illis adversariis suis ; vel quod manus seu potestas filiorum Joseph, aggravata est super Amorrhæos, et fecit eos sibi tributarios : quod magis verum existimo, quia et hoc de aliis tribubus Israel

* testaceo

Digitized by Google

tunc legitur factum. *Fuit autem terminus* A *Amorrhæi,* id est habitatio Amorrhæorum illorum superstitum, *ab ascensu Scorpionis,* id est montis sic appellati, in quo abundaverant scorpiones, ut super Josue dictum est, *Petra,* id est locus sic dictus a lapide quodam vel eventu qui contigit ibi, *et superiora loca* circa petram eamdem sita.

ARTICULUS II

SOLUTIO QUÆSTIONUM DUARUM, ET DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI INTELLECTU.

QUÆRITUR quis sit auctor libri istius. B Respondetur, quod quum liber iste sit pars Scripturæ canonicæ, auctor ipsius principalis est utique Spiritus Sanctus, cujus inspiratione et directione volumen istud est editum. Porro de auctore et conscriptore ejus ministeriali, exsecutivo et immediato, non habetur certitudo. Sed aliqui opinantur, quod unusquisque judicum chronice propria gesta, et ea quæ in populo Israel suo tempore contigerunt, conscripserit; et tandem a Samuele vel Esdra, aut aliquo Prophetarum, omnia illa in C unum hunc codicem sint redacta. Magister vero in historiis dicit : Verisimilius videtur, quod Ezechias, qui et Parabolas Salomonis et libros Regum in unum redegit, etiam istum compegerit librum. Sed dictum hoc satis ambiguum est cum suis particulis, præsertim quod dicit libros Regum ab Ezechia in unum compositos. Puto quoque, quod liber iste diu ante Esdram, imo et ante Ezechiam fuerit apud Hebræos, præsertim quum ante duos illos fuerint tot docti et sancti viri, spiritu prophetiæ D fulgentes inter Judæos tempore Samuelis, David et Salomonis, a quibus aliquid poterat compilari. Est autem hic liber ornate et compendiosissime scriptus.

Quæritur item, an judices habuerunt prælaticam potestatem, seu jurisdictionem jusque dominii super populum Israel. Et apparet, quod imo. Judex namque judiciariam habet potestatem et coercivam super eos quorum est judex. Insuper multitudo carens principe et rectore, est inordinata, et quasi oves sine pastore. Propter quod Moyses morti propinquans, locutus est : Provideat Dominus hominem qui sit super *Num. xxvii, 16, 17.* multitudinem hanc, ne sit populus Domini sicut oves sine pastore. Si ergo non erant principes plebis, fuit plebs illa inordinata, et velut oves pastore carentes. Amplius, infra habetur : In diebus illis non erat rex *Judic. xvii, 6; xxi, 24.* in Israel, sed unusquisque quod sibi bonum et rectum videbatur, hoc faciebat : quod intelligendum videtur de tempore quo nec judex erat in populo illo. Rursus in principio libri Ruth habetur : In diebus *Ruth i, 1.* unius judicis, quando judices præerant. Sed qui præsunt, prælationem et jurisdictionem habent in eos quibus præsunt. Præterea infra legitur, quemadmodum Galaaditæ dixerunt ad Jephthe : Veni, et esto *Judic. xi, 6, 9.* princeps noster, et pugna contra filios Ammon. Quibus Jephthe respondit : Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis, et tradiderit eos Dominus in manus meas, ero princeps vester. Gedeon quoque legitur populo præfuisse. Denique Samuel judex erat, et de ipso ait Gregorius, quod ex principatu ejectus est. Adhuc autem judices erant vicarii Dei in directione atque regimine populi, et medii inter Deum et populum. In oppositum est doctorum auctoritas, quorum verba in proœmio sunt inducta.

Ad hanc quæstionem communiter respondetur, quod Deus omnipotens reservavit sibi specialiter dominativum regimen ple-

Digitized by Google

bis illius, ita quod judices præerant solum tanquam directores et consiliarii, quibus populus sponte obtemperavit. Sicque inter Deum et plebem medii erant. Unde quum ad Gedeonem dixissent, Dominare nostri tu et filius tuus : respondit, Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus Deus vester. Legitur quoque primo Regum quemadmodum Samuel dixit filiis Israel, quum sibi regem dari petissent : Vos hodie projecistis Dominum Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis tribulationibus vestris. Sed et Dominus dixit ad Samuelem : Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Ad argumenta breviter dici potest, quod potestatem et auctoritatem judiciariam, principatum ac præsidentiam judices habuerunt, extense loquendo, ratione prudentiæ, gratiæ et virtutum sibi desuper præstitarum, per quas Deus fecit eos ad judicandum, consulendum ac succurrendum idoneos ; et maxime, quoniam Dominus suscitavit eos in judices.

Judic. VIII, 22, 23. — I *Reg.* X, 19. — *Ibid.* VIII, 7.

Sensus mysticus. At vero juxta mysticum sensum, sicut per Josue intelligitur Christus, ita per judices designantur sancti Apostoli, qui Christo eis in ascensione, quantum ad præsentiam corporalem, ablato, cœperunt in omnibus assidue consulere Dominum, ejus directionem et illustrationem, per orationes atque jejunia devotissime implorando. Qui in die sacratissimæ Pentecostes misit eis Spiritum Sanctum, a quo deinceps in omnibus sunt directi, sicut eis prædixit Salvator : Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Insuper sicut Josue mortuo, filii Israel contra Chananæos gentesque alias pugnaverunt, Judam ducem belli habentes ; sic Christo in cœlum assumpto, gloriosissimi Apostoli contra infideles Judæos ac gentiles idololatras præliari cœperunt spiritualibus armis, videlicet per Scripturas atque miracula, per virtuosissimam vitam ac diversa supernaturalia Spiritus Sancti charismata : per quæ innumerabilia millia saluberrime convicerunt, converterunt, et ad spiritualem ac vivificam mortificationem traxerunt. *Et ait Judas Simeoni fratri suo : Ascende mecum in sortem meam.* Post missionem Spiritus Sancti, duodecim Apostolis divisa est terra, ut unusquisque in territoriis sibi deputatis sermocinaretur. Verumtamen adjuverunt se mutuo, et frequenter quidam eorum in eisdem locis prædicaverunt, sicut et Paulus in Italia ac Asia legitur prædicasse. Sicque unus ascendit in sortem alterius, et econtra. *Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii.* Sic benedicti Apostoli ipsam Jerusalem pro maxima parte converterunt ad Christum per gladium Spiritus Sancti, quod est verbum Dei : quam et spiritualiter accenderunt igne divini amoris. Sed fortalitium obtinere nequibant, id est, principes sacerdotum Annam et Caipham, Joannem et Alexandrum, non valuerunt, propter illorum obdurationem, convertere.

Joann. XIV, 26. — *Ephes.* VI, 17.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : ASCENDITQUE ANGELUS DOMINI DE GALGALIS.

PRÆVARICATIO filiorum Israel in fine præcedentis capituli recitata, nunc increpatur. *Ascenditque angelus Domini de Galgalis ad locum Flentium.* Angelus ille in similitudine corporis humani visibiliter apparebat, et primo in loco qui dicitur Galgala, in quo filii Israel erant sub Josue circumcisi. Quumque filii Israel concur-

Digitized by Google

rissent ad eum ibidem, quia vel unus alteri A nuntiavit ejus apparitionem, vel prænuntiata fuit ab aliquo viro sancto, tunc angelus transtulit se inde ad alium locum, qui appellatus est locus Flentium, ex eventu, ut infra habetur ; sed tunc ita non vocabatur. Attamen quando auctor hujus libri ista descripsit, sortitus fuit hoc nomen. Insecuti sunt autem filii Israel angelum. Quumque plures convenissent ad eum in illo loco, *ait* loquens ex Dei persona, a quo missus fuit ad populum increpandum, ut saltem ex angelica visione et increpa- B tione se emendarent, qui verbis Moysis ac Josue non obedierunt.

Eduxi vos de Ægypto. Jam pro maxima parte obierant ex Ægypto educti, imo om-
Num. i, 2, 3. nes pene qui primo numerati fuerunt; sed beneficia patribus exhibita, filiis quodammodo erant impensa, qui in patribus suis fuerunt de Ægypto educti. *Et introduxi vos in terram, pro qua juravi patribus vestris,* Abrahæ scilicet, Isaac et Jacob, *et pollicitus sum ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum,* C id est fœdus fidelitatis et amicitiæ ac familiaritatis, quod inii cum patribus vestris, quibus promisi quod semen eorum extollerem, defensarem, salvarem, per omne tempus veteris Testamenti; *ita dumtaxat,* id est sub hac conditione, et sic quod hoc tantum exegi ac jussi, *ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus,* id est, confœderationem pacis et periculosæ concordiæ non iniretis cum Chananæis, quos justo judicio occidi præcepi, *et aras eorum subverteretis,* id est fana atque al- D taria, in quibus sua idola coluerunt. Hoc in libro Numerorum et Deuteronomio sæpius jusserat Dominus. *Et noluistis audire* interiori et obedientiali auditu *vocem*
Act. vii, 38. *meam.* Ex his apparet, quod angelus iste
Exod. xix, 3. fuit qui Moysi legem ac præcepta Dei (ju-
Ibid. xiii, 21; xiv, 19. bente Domino) revelavit; vel, qui columnam nubis ante filios Israel movit. Verumtamen in datione legis et Hebræorum eductione, deductione et inductione, multi angeli ministerium exhibuerunt, quum et in Actis Apostolorum beatissimus Stephanus dicat Judæis : Accepistis legem in dis- Act. vii,
positione angelorum. Et forte angelus iste ex parte illorum omnium loquitur angelorum, secundum quod unus fatur ex parte communitatis aut plurium. *Cur hoc fecistis ?* quasi dicat, Per inobedientiam et ingratitudinem graviter peccastis. *Quamobrem nolui delere eos a facie vestra,* id est, residuos Chananæos, Philistæos ac alios, quorum terram vobis promisi, non abstuli, nec virtutem prævalendi illis totaliter contuli vobis, *ut habeatis hostes,* a quibus justo Dei judicio affligamini, *et dii eorum sint vobis in ruinam,* id est, paulatim ex consortio Chananæorum, ad eorum idololatriam corruatis, et pœnas incidatis condignas. Verumtamen istud malum culpæ Deus non fecit, nisi permissive, seu gratiam vitandi vitia subtrahendo. Nam unum peccatum est causa alterius, estque culpa et pœna culpæ. Sicque quod ait, *ut,* tenetur concomitanter, non directe causaliter, juxta quem modum Isaias loquitur Deo : Indurasti cor nostrum, ne timere- Is. lxiii, 17.
mus te.

Quumque loqueretur angelus verba hæc ad omnes filios Israel ibi præsentes, vel ad omnes, id est quosdam de omnibus, *elevaverunt vocem suam, et fleverunt.* Erant enim corda eorum grandi compunctione concussa et alterata, ideo in singultum et ululatum subito proruperunt. *Et vocatum est nomen loci illius, locus Flentium sive Lacrimarum :* id est, terra seu statio illa vocata est locus Flentium sive Lacrimarum ex illo eventu, et propter abundantiam tanti ploratus : quemadmodum locus in quo Joseph cum suis patrem suum deplanxit in Chanaan, vocatus est Planctus Gen. l, 11.
Ægypti, ut dicitur Genesis ultimo; sicut et Galgala, collis Præputiorum. Josue v, 3.
Immolaveruntque ibi hostias Domino, scilicet angelo disparente. Sciebant quippe angelum in Dei persona esse locutum, ideo non angelo, sed Deo et Domino angelorum sacrificia obtulerunt, videlicet hostiam pro peccato, ut eis ignosceretur, et hostiam pro gratia-

Digitized by Google

rum actione, propter beneficia Dei eis ab angelo commemorata. Sed quæri potest, qualiter licuit eis alibi, quam in tabernaculo Domini, sacrificia immolare. Respondetur, quod ex dispensatione divina quæ eis per revelationem illam angelicam satis innotuit. Obtulerunt autem hostias per manus sacerdotum, et forte Phinees pontifex fuit ibi, et obtulit. Nec enim putandum est, quod universi filii Israel fuerint in prædictis culpabiles, sed plures ex eis. Refert Lyra, quod Hebræi dicunt ipsum Phinees fuisse hunc angelum ; et item, quod Phinees fuit angelus, in corpore humano assumpto apparens. Quod quam fatuum sit, patet ex introductis. Non enim Phinees eduxit eos de terra Ægypti, nec competebat ei sic loqui ex persona Dei. Scriptura quoque clarissime docet, quod fuit verus homo, Eleazari filius, ejusdem speciei cum aliis, et naturali ordine natus.

Dimisit ergo Josue populum. Hoc sonat quasi Josue interfuisset increpationi præfatæ angelicæ, et ea facta, immolatisque hostiis, populum Israel licentiasset. Et quomodo dicitur nunc populum dimisisse, qui in exordio hujus libri defunctus asseritur? Et respondendum, quod passus iste apertissime per recapitulationem inseritur, ad continuandam ac prosequendam historiæ seriem, videlicet qualiter filii Israel ad tempus Domino servierunt, deinde ad idololatriam sunt prolapsi. Porro quod ait, Dimisit ergo Josue populum, non est intelligendum, quod populum dimisit propter verba et facta jam immediate descripta ;
Josue xxiv, 28. sed sensus est, quod populum dimisit, propter ea quæ suo loco sunt recitata, videlicet in Josue libro, ubi narratur, qualiter fœdus inter Deum ac populum renovavit. Quo facto, populum fecit abire : quod fuit per tempus notabile ante apparitionem et increpationem angeli nunc inductam. Quæ autem sequuntur, usque ad id, Omnisque illa generatio, habentur Josue ultimo, et ibi exposita sunt. Verum ubi nostra translatio continet, quod Josue sepultus est in Thamnathsare, refert Lyra in Hebræo ha-

A beri tale nomen, quod interpretatur Thamnathsolis : quoniam dicunt Hebræi, super sepulcrum Josue positam fuisse similitudinem solis pro memoriali, quod ad ejus imperium sol stetit tam diu immobilis. *Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos,* id est defuncta, sicut et patres eorum ; et animæ horum, qui boni fuerunt, aggregatæ fuerunt tempore opportuno animabus patrum electorum. Verumtamen quidam illorum adhuc vixerunt per tempus magnum post ea quæ consequenter
B narrantur, puta Othoniel primus judex, et Phinees, ac alii quidam, qui tamen comparatione aliorum paucissimi erant : idcirco in tanta pluralitate non computantur, nec Scriptura solet curare aut explicare numeri temporisque minutias.

Deinde reditur ad historiæ ordinem. *Et surrexerunt,* id est, nati sunt et creverunt, *alii, qui non noverant Dominum* per fidem formatam et actualem scientiam, *et opera quæ fecit cum Israel,* id est magnalia quæ eis exhibuit in Ægypto, in
C mari Rubro, in deserto, in terra Amorrhæorum et Chananæorum. *Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim et Astaroth* *, id est simulacris et diis idololatrarum, videlicet Baal, et deæ quæ Astaroth appellatur. Glossa autem per Baalim intelligit Jovem ; per Astaroth, seu (ut Septuaginta transtulerunt) Astarten, Junonem, quæ fuit soror et uxor Jovis incestuosi atque adulteri, qui et proprium patrem expulit regno, ac trucidare conatus est. *Ac dimiserunt Domi-*
D *num Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, deos quoque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos ; et ad iracundiam concitaverunt Dominum,* id est, suis peccatis promeruerunt, quod invariabilis, dulcis et supertranquillissimus Deus, rigorem justitiæ in eis exercuit. Nec enim incommutabilis Deus ad passionem aliquam potest moveri, qui per Jeremiam fatetur : Numquid me ad iracundiam provocant? nonne semetipsos *Jer.* vii, 19.

* alias non habetur, *et Astaroth.*

Digitized by Google

in confusionem vultus sui? *Dimittentes eum, et servientes Baal et Astaroth. Iratusque Dominus*, per similitudinem effectus, non per commotionem affectus, id est justam ultionem exercens, *tradidit eos in manus diripientium*, id est gentilium, qui bona Israelitarum rapuerunt, eosque pro parte interfecerunt; *qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus qui habitabant per gyrum, nec potuerunt resistere adversariis suis; sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, et juravit eis; et vehementer afflicti sunt.*

Denique in isto capitulo summarie et in communi breviter recitatur, quod in sequentibus capitulis in speciali prosequitur. *Suscitavitque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus*, id est, aliquibus viris electis gratiam, sapientiam, et virtutes fortitudinemque concessit ad exhortandum, dirigendum, ac eripiendum errantes, afflictos et captos. *Sed nec illos audire voluerunt*. Verumtamen, ut in processu patebit, interdum quidam, imo multi Hebræorum obtemperaverunt judicibus; multi vero non obtemperaverunt: de quibus subjungitur: *fornicantes cum diis alienis*, id est per mentis aversionem idololatriam exercentes: et quamvis omne mortale peccatum sit fornicatio spiritualis, hoc est aversio mentis creatæ a Sponso cœlesti, et constupratio ejus interior a diabolo, specialiter tamen et maxime
Osee IV, 12. idololatria, juxta illud Osee, Fornicati sunt
Ps. LXXII, 27. a Deo suo; juxtaque illud Psalmi, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. *Et adorantes eos. Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum*, id est observantiam legis divinæ, per quam patres eorum tendebant ad finem felicem. *Et audientes mandata Domini, omnia fecerunt contraria:* et ita non habuerunt excusationem de ignorantia, sed peccaverunt ex deliberatione et certa scientia. Unde probatur, quod et tunc fuerunt inter eos aliqui boni, proponentes eis verbum salutis ac divina præcepta.

Quumque Dominus suscitaret judices in diebus eorum, flectebatur misericordia: id est, ex propria et connaturali sibi pietate, post effectus suæ rigorosæ justitiæ, impendebat pœnitentibus effectus et opera suæ clementiæ: imo et non pœnitentes frequenter gratiose prævenit, et pœnitentes effecit, quos tamen communiter per adversa reduxit ad cor, et per vexationem Is. XXVIII, 19.
eis tribuit intellectum. Ideo subditur: *et audiebat afflictorum gemitus*, eis misericorditer ignoscendo ac pie subveniendo. Propterea sequitur: *et liberabat eos de cæde vastantium*, id est de læsione et oppressione adversariorum suorum. *Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur* ad pristina vitia, *et multo faciebant majora*, id est pejora, *quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientesque eis, et adorantes eos.* Ista non sunt intelligenda per omnia de eisdem numero. Loquitur enim Scriptura de toto populo illo quasi de uno seu eisdem. Sed diversa ad diversos sunt referenda. Nec omnes fecerunt hujusmodi mala, sed multi. *Non dimiserunt adinventiones suas*, id est excogitatas malitias, *et viam durissimam*, id est obstinatam pravitatem, præsertim idololatriam, quæ ad æternam ducit amaritudinem, *per quam ambulare consueverant.*
Unde dulcis Jeremias ait: Vide, inquiens, Jer. II, 19.
quia malum et amarum est, te reliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te. In cultu etiam idolorum sunt aliqui actus laboriosi et duri.

Iratusque est furor Domini in Israel, et ait Dominus: *Quia irritum fecit gens ista pactum meum*, id est, fœdus amicitiæ violavit, *quod pepigi cum patribus eorum, et vocem meam contempsit audire*, id est, legem meam transgressa est. Loquitur autem Dominus de impiis illis aspernanter, dicendo, Gens ista, ex zelo justitiæ, juxta illud: Sprevisti omnes discedentes a ju- Ps. CXVIII, 118.
stitiis tuis. *Et ego non delebo gentes quas dimisit Josue*, id est, non subjiciam eas filiis Israel vitiosis, nec de terra ista eas omnino expellam, *ut in ipsis experiar Is-*

Digitized by Google

rael, id est, per infideles hos faciam alios experiri ac noscere de Israelitica plebe, *utrum custodiant viam Domini, et ambulent in ea,* id est, legem meam observent : et loquitur Deus de se ipso quasi de alio ; *sicut custodierunt patres eorum, an non.* Nempe per hoc quod filii Israel averterunt se a familiaritate ac vitiis et idololatria illorum gentilium, atque ex consequenti eis prævaluerunt ac dominabantur, per experientiam innotuit cunctis, quod in via Dei ambulaverunt, et Deo fideles erant ; per hoc autem quod communicaverunt infidelibus illis in idololatria, connubiis, societate ac vitiis, et ex consequenti superabantur ab illis, experimentaliter patuit, quod circa Deum verum male et infideliter se habebant. *Dimisit ergo Dominus omnes has nationes,* id est quosdam ex omnibus illis, puta ex Chananæis, Pherezæis, Jebusæis, Philistæis, etc. *Et cito subvertere noluit* eas in toto, *nec tradidit in manus Josue,* propter causam prætactam : cujus rei et aliæ causæ fuerunt, ut in expositione Josue dictum est, et infra tangetur.

ARTICULUS IV

DE SPIRITUALI EJUSDEM SECUNDI CAPITULI INTELLIGENTIA.

JUXTA mysticum sensum, multa ex præsenti edocemur capitulo. Siquidem ex ejus exordio innotescit, quod unus actuum angelorum sanctorum circa homines, præsertim circa sibi commissos, sit, eosdem pie et caritative sive forinsecus sive interius increpare, et beneficia Dei eis ad memoriam revocare ; ea quoque improperare ingratis, et ipsos sic ad contritionem, fletum et emendationem inducere, inobedientibus etiam comminari. Rursus constat ex his, quod homines angelicis inspirationibus non acquiescendo, merentur eorum directione privari : sicque ab ipsis relicti, gravius ruunt. Non tamen ex toto relinquuntur ab ipsis durante hac vita. Iterum elucescit ex introductis, quod optimus modus provocandi aliquem ad meliora, sit, ei divina beneficia commemorare, et suam ingratitudinem demonstrare, atque futura et imminentia comminari adversa, præsertim æterna illa Acherontis tormenta. Studeamus ergo angelicis ac virtuosis inspirationibus obedire ; vereamur angelos sanctos animarum nostrarum custodes offendere ; beneficia nobis per Christum exhibita, assidue recolamus : qualiter de Ægypto, id est vitiorum caligine, et de præsenti sæculo nequam nos eduxit, atque in terram et regnum, imo in cœlum militantis Ecclesiæ introduxit ; regnum quoque promisit triumphantis Ecclesiæ : ita dumtaxat, ut non feriamus fœdus cum habitatoribus terræ, id est, carnalibus et iniquis non consentiamus hominibus in rebus illicitis ; et aras eorum subvertamus, id est, eorum sacrilegia, abusiones et superstitiones vitemus, soli Domino fideliter servientes. Insuper exemplo filiorum Israel, ex increpationibus angelorum ac prælatorum, imo quorumlibet devotorum, intime compungamur, pœniteamus, inflammemur, ita ut elevata voce abundanter salubriterque ploremus ; et hostias Domino immolemus, cui spiritus *Ps.* L, 19.
contribulatus est sacrificium gratum : hostiam (inquam) satisfactionis, et observantiam præceptorum : quia sacrificium sa- *Eccli.*
lutare est, attendere mandatis ; hostiam xxxv, 2. *Hebr.* xiii,
quoque laudis et gratiarum actionis. Sed 15.
et corpora nostra sic castigemus, ut juxta apostolica documenta, exhibeamus ea Deo *Rom.* xii, 1.
hostiam vivam, sanctam ac placitam.

Digitized by Google

Servieruntque filii Israel Domino cunctis diebus Josue, id est quamdiu præfuit eis. Sic et discipuli Christi, quamdiu cum eis fuit Dominus Jesus, Domino servierunt. Joann. XVII, 12. Propter quod dixit in Joanne : Quum essem cum eis, ego servabam eos. *Et seniorum qui longo post eum vixerunt tempore.* Per seniores illos, intelliguntur sancti Apostoli et eorum cooperatores, primi illi discipuli ac apostolici viri, qui post Christi ascensionem longo tempore in sæculo isto vixerunt, sub quorum regimine Christiani veri Israelitæ Deo ferventissime servierunt. Ex quibus probatur, quam fructuosus necessariusque consistat subditis bonus prælatus : Eccli. X, 2. quia secundum judicem populi, sic et ejus ministri ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. *Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos,* quoniam sanctis Patriarchis ac Prophetis in cœlesti sunt throno conjuncti.

Et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecit cum Israel, feceruntque malum in conspectu Domini. Hi alii, sunt hæretici, schismatici, et omnes ingrati ac reprobi Christiani, qui Deum incarnatum et ejus beneficia non agnoscunt vera et salutari notitia : quia etsi Tit. I, 16. dicant se ea cognoscere, attamen factis negant, tam vitiose agentes in conspectu Altissimi, quasi Deus non sit inspector et judex actuum humanorum. Denique serviunt diis alienis, id est idolis et simulacris suis, Job XXXI, 24. putantes aurum robur suum, et obrizo dicentes, Fiducia mea. Etenim ea

A quæ maxime diligunt, quærunt, colunt, exercent, hæc sunt dii eorum. Superborum namque et ambitiosorum deus est, honor, prælatio, dignitas, et quidquid hujusmodi est ; cupidorum deus est, nummus ; luxuriosorum, caro immunda seu fœda voluptas ; gulosorumque, venter. Sic sanctis prælatis et virtuosis rectoribus sublatis, cœpit Ecclesia tepere, deformari, corruere ; et tam invisibilibus quam visibilibus hostibus, Turcis, Sarracenis, Tartaris, ac aliis frequenter est tradita ; nunquam tamen B in toto a Domino derelicta, imo frequenter suscitavit ei judices virtuosos, præsules sanctos, reges et imperatores vere fideles ac strenuos, et alios viros egregios, per quos sæpe subvenit et reformavit Ecclesiam, et hostes ejus dejecit. Nihilo minus postea denuo redierunt multoties Christiani ad pristina, imo et graviora facinora : qui cursus sua vicissitudine duravit usque in præsens.

Postremo, quemadmodum Deus in infidelibus illis experiebatur Israelem, an viam C Domini veraciter custodiret ; ita in novo Testamento permisit esse hæreticos, Sarracenos, aliosque infideles, ut in eis experiatur populum christianum, an vere sit christifidelis, efficaciter dissentiendo, aut etiam repugnando illis iniquis usque ad sanguinem. Propter quod ait Apostolus : Oportet hæreses esse, ut et qui probati I Cor. XI, 19. sunt, manifesti fiant in vobis. Hinc dixit Gregorius : Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : HÆ SUNT GENTES QUAS DOMINUS DERELIQUIT.

NUNC in speciali incipit auctor describere tribulationes, servitutes et oppressiones filiorum Israel ab adversariis suis : quæ septem fuerunt, quarum jam D prima describitur. Aliqua tamen præmittuntur, continuando et declarando materiam. Dictum est namque in fine præcedentis capituli, quod Dominus non deleverit Judic. II, 21.

Digitized by Google

adversarios Hebræorum ex toto, propter ipsorum Hebræorum demerita. Nunc ergo exprimuntur adversarii illi in speciali, et plures causæ adduntur, cur Dominus eos dimisit.

Hæ sunt gentes, quæ paulo post nominabuntur, *quas Dominus dereliquit* superstites in terra Israelitis promissa, *ut erudiret in eis,* id est per eas seu per earum impugnationes et repugnationes, *Israelem,* id est Israeliticam plebem tunc exsistentem, eorumque posteros, de quibus subjungitur, *et omnes qui non noverant bella Chananæorum,* qui erant acres et periti in arte pugnandi. Unde in Deuteronomio legitur, quod nullus antea poterat eis resistere. *Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi,* id est, tam ipsi quam eorum posteritas, fierent exercitati, prompti, ac docti ad pugnam : in qua ars maxime valet, et armorum peritia plus quam corporum fortitudo, quum in libro de Re militari dicat Vegetius, quod multitudo imperita in arte bellica, nec bene disposita, non sit nisi hostium victima. De qua re plenius scribit Ægidius libro de Regimine principum. Unde et scriptum est : Melior est sapientia quam vires. Verumtamen, sicut hic loquitur Augustinus, Bellum non est per se appetibile ; sed pax, ad quam ordinandum est bellum. Sed quoniam tempore illo cultus Dei non vigebat communiter nisi in uno Israelitico populo, in medio gentilium commorante, quem noverat Dominus a gentilibus assidue et acriter impugnandum ; voluit Dominus, ut populus suus exercitaretur ad pugnam, non tamen ad crudelitatem. Unde super illud, Ut discerent filii eorum certare cum hostibus, Augustinus disseruit : Id est, ut tanta pietate et obedientia legis pugnarent, quanta patres eorum, qui et bellando placuerant Deo : non quod optandum sit bellum, sed quia pietas laudabilis est in bello. Hæc est alia causa, cur Dominus gentes illas dimisit, quam illa, quæ in fine præcedentis capituli tacta est.

Deut. IX, 2. — Eccle. IX, 16, 18.

Quinque satrapas Philistinorum : non solum reliquit satrapas illos, sed et Philistæos eis subjectos. Porro satrapa dicitur, quasi satis rapiens, vel quasi satis paratus : et erant hi satrapæ, quasi parvi reges seu reguli et principes quinque principalium civitatum Philistiim, puta Azoti, Gazæ, Ascalonis, Geth, et Accaron. *Omnemque Chananæum et Sidonium atque Hevæum :* in quibus verbis ponitur singulare pro plurali; *qui habitabat in monte Libano,* id est locis et oppidis illis montanis, *de monte Baal Hermon, usque ad introitum Emath,* id est Antiochiæ. *Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysis, an non.* Ista est alia causa, et istud in fine præcedentis capituli est elucidatum. Augustinus quoque et Glossa super hoc verbum, Experiretur, dicunt : Non ut Deus omnium cognitor, etiam futurorum, agnosceret, sed ut ipsimet scirent, et propria conscientia glorificarentur aut convincerentur. Insuper fuit et alia causa, cur Deus non ejecit nec delevit gentes illas totaliter et repente, ne scilicet terra illa pro magna parte maneret diu non habitata, sicque in solitudinem redigeretur, et bestiæ crescerent contra filios Israel. Hinc in Deuteronomio dixerat Dominus : Paulatim ejiciam eos, ne crescant contra te bestiæ, etc. Non enim erat tanta filiorum Israel multitudo, quod poterat in principio sui ingressus tantam terram satis populari et occupare ac colere, nec Deus vult omnia supernaturaliter operari.

Deut. VII, 22.

Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi, et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filii Israel, *filias suas filiis eorum,* scilicet Chananæorum, *tradiderunt* uxores, simul miscentes connubia. Quod fuit filiis Israel in lege frequenter prohibitum. Nec inter illos videtur matrimonium verum fuisse, quum dispar cultus impediat matrimonium contrahendum, dirimatque contractum. Pro-

Digitized by Google

I *Esdr.* x. pter quod tempore Esdræ ab invicem se- A parabantur taliter conjugati : nisi forte dicatur, quod isti Israelitæ fuerunt idololatræ, sicut et Chananæi. Nam subditur : *et servierunt diis eorum.* Erant equidem ad idololatriam valde proni. Femineæ quoque blanditiæ alliciebant animos maritorum, nolentium suas contristare delicias. Sed et convictus ille, et familiaritas tanta, mutuaque convivia, eos faciliter ad idololatriam pertrahebant. Idcirco Deus per Moysen prohibuit filiis Israel cum Chananæis inire conjugia ; eis quoque prædixit, B quod per connubia talia ad idololatriam III *Reg.* xi, 1-8. laberentur. Nam et Salomon tali erat occasione veneratus idola. *Feceruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Domini Dei sui.* Unde et Josephus : Converterunt se, inquit, ad agriculturam, et ad divitias dando se, per epulas atque libidinem imbelles effecti, in conversatione legis integri non fuerunt. *Servientes Baalim et Astaroth.*

Iratusque Dominus contra Israelem, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, id est, ab illo rege permisit C eos impugnari ac superari. Quemadmodum autem Aquilegia dicitur, quasi aquis ligata, quia in medio jacet aquarum ; sic Mesopotamia dicitur a μέσος, quod est medium, et ποταμός, quod est fluvius, quia in medio duorum sita est fluminum. Est autem Mesopotamia pars Syriæ. *Servieruntque ei octo annis,* dando tributa, seu exhibendo dura obsequia. *Et clamaverunt ad Dominum,* *Is.* xxviii, 19. vexatione dante eis intellectum, quod pro suis excessibus talia paterentur. *Qui suscitavit,* id est, gratiose concessit, *eis salva-* D *torem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem,* qui et Axam filiam Caleb habuit contoralem. *Josue* xv, 17. De isto Othoniele dictum est plenius in Josue libro. Hinc etiam constat, quod filii Israel nimis cito ad idololatriam sunt prolapsi, quum et Othoniel terram promissionis ingressus sit. Fuit autem Othoniel salvator et liberator Israelis solum ministerialis, et a tribulatione temporali, imo et a malis culpæ eos retraxit, ac in via le-

gis direxit. Propterea subditur : *Fuitque in eo Spiritus Domini,* id est auctoritas, virtus et gratia Spiritus Sancti, *et judicavit Israel,* dirigendo, hortando ac discernendo. Hunc Othonielem Josephus vocat Cenez, quasi æquivocum suo patri, id est eodem nomine æquivoce nuncupatum. *Egressusque est ad pugnam* cum aliquibus de populo Israel, *contra regem* præfatum. Et quoniam erat de tribu Juda, sicut et Caleb, probabile est quod filii Juda ierunt secum ad prælium.

Et tradidit Dominus in manus ejus Chusan Rasathaim regem Syriæ, id est Mesopotamiæ : in quo patet magnitudo pietatis divinæ, quod tam cito subvenit filiis Israel, qui tam enormiter excesserunt ; *et oppressit eum. Quievitque terra quadraginta annis,* id est, filii Israel in terra sua de cetero tamdiu pacifice habitaverunt, et bene vixisse creduntur sub judice illo. Et in hoc quoque innotescit dulcedo divinæ clementiæ, quia post tam brevem inquietudinem, contulit per unum virum justum toti populo tam longam quietem. Videtur præterea Glossa sentire, quod tanto tempore servierunt Baalim et Astaroth, quanto tempore servierunt regi Mesopotamiæ, scilicet octo annis. Itaque Dominus contemperavit et adæquavit in hoc pœnam culpæ, quantum ad tempus. Et sumpsit hoc Glossa ex Origene. Imo translatio Septuaginta interpretum continet sic : Quanto, inquiens, tempore servierunt Baalim, tanto tempore servierunt Chusan Rasathaim. Postremo, in hoc tempore quietis, quæ dicitur quadraginta annis durasse, includuntur octo anni servitutis : quod similiter intelligendum est in sequentibus, ubi numerus annorum quietis taxatur, in quo anni servitutis comprehenduntur secundum expositores. Et idem in Scholastica habetur historia. Nec aliter posset salvari historia ista, eo quod tertio Regum determinetur, quoto tempore ab exitu Israel de Ægypto cœperit Salomon templum ædificare, scilicet quadringentesimo octogesimo anno : III *Reg.* vi, 1. qui anni computantur pro magna parte

Digitized by Google

per tempora judicum, et multo plures anni fuissent, nisi (ut tactum est) anni servitutis, sub annis quietis includerentur. *Et mortuus est Othoniel filius Cenez, ætate* A *grandævus atque virtutibus plenus.* Circa quod tempus Dionysius Liber, pater unus deorum gentilium, natus est ex filia regis qui regnavit in Thebis.

ARTICULUS VI

DE INTELLIGENTIA HUJUS CAPITULI TERTII SPIRITUALI.

OMNIA in populo illo Israelitico figuraliter gesta sunt. Idcirco, quod Deus reliquit in terra promissionis gentes idololatras, *ut erudiret in eis Israelem,* quatenus disceret bella Chananæorum, consuetudinemque haberet pugnandi : quid aliud figuravit, nisi quod populum christianum vult esse exercitatum, peritum et promptum ad spiritualia contra invisibiles hostes certamina, et contra aciem vitiorum, imo et contra hostes fidei christianæ visibiles, et contra rei publicæ inimicos, quos omnes inter Christifideles venire permittit, ut in eis erudiat Christianos ad hujusmodi prælia virtuosa? Indigent igitur Christiani gratia discretionis spirituum, fortitudinis dono, et omni armorum spirituali apparatu, quemadmodum ad Ephesios hortatur Apostolus : Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei; et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei, orantes omni tempore in spiritu. Ecce quid ad unumquemque nostrum pertineat, qualiter debeamus jugiter supra custodiam nostram stare, et contra adversarios nostræ salutis pugnare, qui per satrapas Philistinorum et ceteras gentes incredulas designantur. Possunt quoque per quinque satrapas, intelligi quinque sensus exteriores, qui satis rapiunt oblectamenti in suis objectis contra imperium rationis, et mentis dominari conantur. Contra quorum abusum pugnare tenemur, quia per hoc Dominus experitur, quod mandata ejus obedienter audimus.

Ephes. VI, 13, 14, 16, 18.

Habac. II, 1.

Insuper, sicut filii Israel ex societate et convictu Chananæorum, ad profana connubia, deinde ad idololatriam sunt dilapsi, ac Deum verum obliti, et ingratissimi facti: sic religiosi claustra sua egrediendo, et inter sæculares manendo, vescendo ac conversando, ad diversa ac gravia vitia devolvuntur, mente infrigidantur; nec solum spirituales, sed et carnales interdum fornicationes noscuntur sceleratissime nimis incidere. Vitanda ergo sunt eis omnia ista, quantum fieri potest: in cujus rei figuram, Deus prohibuit Israeliticæ plebi societatem et convictum Chananæorum. Amplius, sicut filii Israel contra Deum superbe erecti, a rege Syriæ sunt oppressi, humiliati, et vili servituti subjecti; ita qui se in cornibus extollunt superbiæ, et de sæculari aut spirituali præsidentia intumescunt, relinquuntur a Domino, et ei qui est rex super omnes superbiæ filios, mox subduntur, atque vilissimæ servitutis jugo premuntur. Interdum quoque humiliantur in vita præsenti a visibilibus inimicis, aut certe viris justis. Siquidem sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis, qui deponit potentes de sede, humilesque exaltat. *Et clamaverunt ad Dominum.* Sic et nos in omni necessitate, tribulatione, angustia, non cessemus toto affectu clamare ad Dominum, ut suc-

Job XLI, 25.

Eccli. X, 17.

Luc. I, 52.

Digitized by Google

currat, eripiat et conservet nos : imo et antequam juste affligamur pro nostris piaculis, pœnitere et veniam obtinere nitamur. Discamus quoque exemplo filiorum Israel Dominum efficaciter exorare, ut judicem suscitet nobis, id est, prælatum nobis donet idoneum, et prædicatorem condignum, cujus directioni, increpationi, judicio, cum omni gratiarum actione jugiter acquiescamus. Præterea, sicut Othoniel processit ad pugnam contra adversarios populi, cui præerat ipse; sic omnis qui præest, satagat pro grege sibi commisso efficaciter præliari, orando, exemplariter conversando, docendo, et omni modo sibi possibili subditorum procurando salutem.

Postremo, per Othoniel intelligi potest Christus verus salvator, quem Pater misit in redemptionem Israelitarum et gentium universarum : de quo Isaias prædixit : Requiescet super eum Spiritus Domini; et judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis. Rursus, per Othoniel potest bonus prælatus, seu quicumque justus judex ac princeps signari, qui bonum rei publicæ toto exquirit corde, et illud tuetur, ac pro ereptione plebis sibi commissæ, omni qua potest virtute laborat. Origenes demum, per Othoniel intelligit triumphantis Ecclesiæ Angelum sanctum, ad custodiam et subventionem hominum desuper missum. Et super illud, *Mortuus est Othoniel,* ait : Quare defunctus est? Quia jam indignus erat populus habere judicem talem, id est tam bonum. Nam et eo defuncto, ut subdit Scriptura, adjecerunt filii Israel facere malum. Super illud quoque, Quanto tempore servierunt Baalim, quod in Septuaginta habetur, disseruit : Disce, o tu qui peccasti, tanto tempore te humiliare, pœnitere et satisfacere coram Deo, quanto tempore te errasse et peccasse cognoscis. Non exspectes ut humiliet te adversarius, et necessitas pœnitentiam invito extorqueat, sed pœnitendo præveni manus illius : quia si te tu ipse correxeris, pius est Dominus qui vindictam suam temperet ei, qui pœnitendo illam prævenit. Tu ergo in confessione præoccupa faciem Judicis summi, et veniam consequeris.

Is. xi, 2, 4. — Ps. xciv, 2.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : ADDIDERUNT AUTEM FILII ISRAEL FACERE MALUM IN CONSPECTU DOMINI.

Biblia pleraque alia hic continuant capitulum tertium.

MODO describitur secunda filiorum Israel oppressio generalis in terra promissionis. *Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini* omnia intuentis : in quo patet magna eorum pronitas ad peccandum, quoniam Othoniel mortuo, statim redierunt ad solita crimina. Porro malum quod facere præsumpserunt, fuit præcipue idololatria. Et ponitur hic malum, pro malorum (id est culparum) congerie, quoniam multa atque enormia patrabant facinora. *Qui confortavit adversus eos Eglon regem Moab, quia fecerunt malum in conspectu ejus.* Circa quod loquitur Origenes : Nostris vitiis vires hostium augentur ac nutriuntur, id est, vitiorum nostrorum demeritis, Deus auxilium suum abstrahit nobis, et hostes confortat, prævalereque sinit, imo et facit. *Et copulavit ei filios Ammon et Amalec,* id est, permisit, aut etiam instigavit Ammonitas ac Amalecitas ad auxiliandum Moabitis. Amalecitæ autem erant valde atroces Israelis hostes ab eo tempore, quo sub Moyse cæsi fuerunt a Josue. Circa hoc quæri posset : si Deus confortavit Moabitas contra Hebræos, et Ammonitas Ama-

Digitized by Google

lecitasque instigavit, ut ferrent auxilium regi Moab, ergo non peccaverunt Israelem vastando. Et respondendum, quod potestas hostium fuit a Deo, non autem potestatis abusio. Deus quoque confortavit et instigavit illos ad invadendum Hebræos, ad puniendum Hebræorum peccata, in quantum illa punitio fiebat justo judicio. Sed illi non prosequebantur confortationem, instigationemque illam ea intentione, nec justo judicio, sed ex crudelitate, cupiditate et odio. Sic per Jeremiam et Ezechielem Deus frequenter testatus est, se convocare et confortare regem Babylonis adversus Jerusalem ac ceteras nationes, sicut de hoc super Prophetas plenius scripsi. (*Jer.* I, 15 : *Ezech.* XXX, 24, 25.)

Abiitque Eglon cum auxiliariis suis, recedendo de terra sua ad terram Israelitarum, *et percussit Israel,* occidendo multos Hebræos, *et possedit urbem Palmarum,* id est Jericho : quæ tamen (ut patuit) nondum fuit reædificata. Sed, ut in Ecclesiastica fertur historia, Fecit sibi domum in loco quo antea Jericho stetit : quod, ut reor, fecit in contemptum Israel, eo quod post transitum Jordanis, filii Israel primo urbem illam obtinuerunt ac destruxerunt; et terram circumjacentem possedit rex Eglon. *Servieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis,* solvendo tributa, et exhibendo dura obsequia, ut moris est victis. Et videtur Origenes sentire, quod tot annis servierunt vitiis jam præfatis, idcirco tot annis pœnam luerunt. Nam ait : Certum est, secundum modum peccati, conversionisque dilationem, castigationis tempora terminari seu definiri.

Et postea clamaverunt ad Dominum, id est, de suis peccatis pœnitentes, veniam et auxilium petierunt a Deo, videntes sibi idolorum cultum obesse, non prodesse. Et mirum, quod infra tot annos non clamaverunt ad Dominum, sed post eos : quo constat, quam excæcati erant et indurati, propter quod acerrima disciplina indiguerunt. *Qui suscitavit eis salvatorem, vocabulo Aod, filium Gera filii Jemini.* Per Jemini quidam intelligunt Benjamin, quidam aliquem vilem et malitiosum de Benjamin tribu. Unde Magister in historiis scribit : Jemini quidam dicunt fuisse quemdam vilem de Benjamin, qui posteris suis legitur ob ignominiam suam sæpe improperatus. Unde primo Regum habetur : Audite me, filii Jemini. Hebræi vero tradunt hunc fuisse Benjamin, et per aphæresim, id est talem figuram, ubi nos ponimus, Jemini, ponunt, Jamin, quod sonat dextrarium vel dextralem. Benjamin autem, filius dexteræ interpretatur. *Qui utraque manu pro dextera utebatur :* quia tam prompte ac potenter utebatur sinistra, ut dextera, imo et fortius, secundum Hebræos : propter quod dicunt, quod fuit debilis dextera manu, non simpliciter, sed comparative. Etenim tales solent in sinistræ usu esse potentiores. Septuaginta tamen, Ambidextrum transtulerunt. (I *Reg.* XXII, 7. — *Gen.* XXXV, 18.)

Miseruntque filii Israel per illum munera, id est tributa, aut etiam quædam jocalia aut encænia ad impetrandum clementiam, *regi Moab. Qui Aod fecit sibi gladium ancipitem,* id est, ensem ab utraque parte acutum fecit sibi parari, *habentem in medio capulum,* id est manubrium, *longitudinis palmæ manus,* videlicet breve, ut minus consideraretur ; *et accinctus est eo subter sagum,* id est infra pallium militare formæ quadratæ, *in dextero femore :* quia sic sibi magis conveniebat, si erat fortior in sinistra, quemadmodum fortiores in dextera suspendunt ensem suum in sinistro latere. Porro si in usu utriusque manus fuit æque robustus, dici potest, quod ideo gladium in dextero posuit femore, ut minus notaretur ense accinctus, et eum improvisius posset extrahere. Sic et secundo Regum legitur Joab vestitus tunica stricta, et desuper accinctus gladio dependente usque ad ilia, etc. Ex his apparet, quod Aod intendebat, si posset, mittere manum in Eglon. *Obtulitque munera Eglon regi,* id est, præsentavit et dedit ei ex parte filiorum Israel. *Erat autem Eglon crassus nimis.* Septuaginta transtulerunt, Erat Eglon exilis valde : quod secundum Augu- (II *Reg.* XX, 8.)

Digitized by Google

stinum, intelligendum est a contrario sensu, seu per antiphrasin, secundum quod mons dicitur a movendo, et lucus a lucendo.
III *Reg.* xxi, 10, 13.
Et tertio Regum : Benedixit Naboth Deo et regi, id est maledixit.

Quumque obtulisset regi munera, prosecutus est socios qui cum eo venerant, id est, cum sociis sui itineris Israelitis rediit usque ad Galgalam. *Et reversus de Galgalis ubi erant idola.* Eglon quippe posuerat deos suos seu eorum simulacra in Galgalis, in contemptum et irrisionem filiorum Israel, qui locum illum reputabant specia- B liter sanctum : quoniam transito Jordane,
Josue iv, 19; v, 3, 10.
fixerunt ibi tabernaculum Dei cum arca, celebraveruntque Pascha, et circumcisi fuerunt ibidem. Quemadmodum Hadrianus imperator in christianæ religionis contemptum, statuit simulacra Veneris atque Adonidis in loco ubi natus est Christus ; An-
I *Mach.* i, 57.
tiochus quoque statuam Jovis in templo Dei in Jerosolymis, ut primo Machabæorum describitur. Itaque Aod viso tanto sacri loci contemptu, zelo Dei accensus, ad Eglon mox rediit, et *dixit ad regem : Verbum se-* C *cretum habeo ad te, o rex,* id est, occultum et mysteriale quid habeo tibi insinuare sermone aut facto. Dicuntque aliqui, quod verbum accipitur hic pro facto, secundum quod quarto Regum loquitur Ezechias :
IV *Reg.* xx, 15; *Is.* xxxix, 2.
Non fuit verbum in domo mea, quod non ostenderim eis. *Et ille,* scilicet rex, *imperavit silentium ;* et ut esset major opportunitas audiendi verbum secretum, jussit adsistentes exire. Ideo subditur : *Egressisque omnibus qui circa eum erant, ingressus est Aod ad eum,* propius accedendo. D *Sedebat autem in æstivo cœnaculo solus* post aliorum egressum.

Dixitque Aod : Verbum Domini habeo ad te.* Et sumitur hic verbum pro somnio seu visione, secundum Petrum Comestorem, ut sit sensus : Revelationem ex parte Dei tibi habeo indicare. Quo audito, rex quasi ad reverentiam revelantis Dei surrexit, sicut subjungitur : *Qui statim surrexit de throno,* id est sede regali. Aliqui dicunt, quod non oporteat in his excusare

* *Dei*

A ipsum Aod de mendacio, præsertim quia mendacium istud fuit officiosum, scilicet ad liberationem filiorum Israel ordinatum ; nec Aod commendatur de isto mendacio, sed de zelo Dei et pietate ad populum suum : quemadmodum Judith et obstetrices non de suis mendaciis, sed de pietate et sollicitudine pro populi et infantium Israel liberatione laudantur.
Judith xv, xvi : *Exod.* i, 20, 21.
Augustinus vero et Glossa ac alii multi dicunt, quod Aod non mentiebatur in his, quia secretum opus et occultum sermonem habebat ad regem, quoniam ex divina inspiratione dixit et fecit ista : imo secundum Augustinum, Deus præcepit ei hæc facere, quem populo suo suscitavit in salvatorem. Et istud melius sonat.

Extenditque Aod sinistram manum, et tulit, id est extraxit, *sicam de dextero femore suo.* Sica vocatur gladius brevis. Unde in Actibus Apostolorum imponitur Paulo, quod eduxerit in desertum quatuor millia virorum sicariorum, qui scilicet talibus gladiis utebantur.
Act. xxi, 38.
Infixitque eam in ventrem ejus tam valide, ut capulus, id est manubrium ferreum, *sequeretur in vulnere :* sicque et capulus videtur ventrem intrasse ; *atque pinguissimo adipe stringeretur ; nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore :* quoniam properavit recedere, atque ut ministri regis, viso tam horribili genere mortis proprii regis, gravius terrerentur. Licuit autem huic Aod, ita circumvenire et occidere regem, tanquam publicum plebis Dei tyrannum, et sicut licuit* in præliis justis uti insidiis. *Statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt,* sicut in mortibus tam violentis et repentinis fieri solet, ut et in suspensis urinam emittentibus cernitur. *Aod autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi, et obfirmatis sera,* ne servi subito introeuntes, viderent quid esset actum, *per posticum,* id est secretum locum et exitum, *egressus est,* ne quis eum conspiceret exeuntem. Tamen, ut quidam ait, in Hebræo habetur, Per porticum ; sed credibilius videtur, quod per secretum exierit

* licet

Digitized by Google

locum. Et forte dictio illa Hebraica, est ad A utrumque æquivoca.

Servique regis ingressi, forte aliquam domum aut cameram stantem ante cœnaculum, *viderunt clausas fores,* id est januas, *cœnaculi. Exspectantesque diu donec erubescerent,* quod rex tam diu occuparetur purgando alvum, ut ipsi suspicabantur, *et videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem.* Circa hoc loquitur Augustinus : Quomodo servi clave aperuerunt, quod Aod clave non clauserat? aut si Aod clave clauserat, quomodo eam secum non asporta- B vit? Ad quod respondet, quia alia clavis allata est, aut tale fuit genus clausuræ, quod sine clave poterat claudi, non tamen sine clave aperiri, ut videmus in januis quæ impulsione clauduntur. *Et aperientes, invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum :* quo viso, turbati ac territi sunt, quemadmodum servi Holofernis, quum audissent quod occisus esset a Judith. Judith XIV. 7.

Aod autem, dum illi turbarentur, effugit et pertransiit locum idolorum, videli- C cet Galgalam, ubi rex sua posuerat idola, *unde reversus fuerat; venitque in Seirath,* id est in urbem sic dictam, in tribu et monte Ephraim sitam; *statimque insonuit buccina in monte Ephraim,* tanquam jam victor, aut de victoria certus. *Descenderuntque cum eo filii Israel,* quibus per nuntios aut et proprio ore significavit qualiter regem occiderit: ideo animati, descenderunt cum eo de monte; *ipso in fronte,* id est principio exercitus, *gradiente,* tanquam audace ac strenuo duce ad pugnandum in D primis parato, quemadmodum de Juda legitur Machabæo et Jonatha ejus fratre. *Qui dixit ad eos: Sequimini me, tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum, et occupaverunt vada Jordanis, quæ transmittunt in Moab,* id est, circa aquas Jordanis se posuerunt, ubi poterat Moabitis esse regressus ad terram suam. *Et non permiserunt* * *transire quemquam* de Moabitis, qui ita erant turbati ex inopinato regis I Mach. V. 3; Cf. Ibid. VI. 6.

* dimiserunt

sui interitu, quod mens atque consilium fugit ab eis; *sed percusserunt Moabitas tempore illo circiter decem millia, omnes robustos et fortes viros. Nullus eorum evadere potuit; humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel. Et quievit terra octoginta annis,* in quibus comprehenduntur decem et octo anni servitutis, ut dictum est, *a præliis.*

Post hunc fuit Samgar filius Anath, id est, post Aod præfuit judex nomine Samgar, de quo non exprimitur de qua tribu exstiterit, *qui percussit de Philistæis sexcentos viros vomere:* quia Philistæi isti voluerunt terram Israel introire et impugnare. Aliqui autem dicunt non esse verisimile, quod solus percussit tot viros, quum tamen Deo auxiliante id fecerit. David quoque legitur octingentos viros occidisse impetu uno, et Samson mille, mandibula asini. In Scholastica autem fertur historia, quod Samgar eodem obiit anno: ideo tempus præsidentiæ suæ non computatur. *Et ipse quoque defendit Israel* ab impugnatione hostili. Et videtur fuisse rusticanus agricola, sicut et Glossa ex verbis innuit Origenis. II Reg. XXIII, 8. Judic. XV, 15.

Deinde describitur tertia Israelitarum tribulatio generalis. * *Addideruntque filii Israel facere malum post mortem Aod.* Quare non ait, Post mortem Samgar? Quia, ut dictum est, valde modico tempore præfuit. *Et tradidit illos in manus Jabin regis Chanaan.* Ex hoc elicitur, quod Chananæi desierunt jam esse tributarii Israelis, et regem sibi fecerunt. *Qui regnavit in Asor,* quæ fuit urbs metropolis, de qua in Josue libro legitur : Quæ antiquitus primatum tenebat inter omnia regna illa. Legitur quoque ibi, quod Josue eam combussit, sed interim fertur a Chananæis reædificata. Vel dicitur Jabin iste regnasse in Asor, id est in territorio, in quo Asor antea stetit, quemadmodum Eglon asseritur possedisse urbem Palmarum. Denique Josue scribit, quod Jabin rex Asor misit ad Jobab; sed ille alius fuit ab isto. Estque probabile, quod iste de illius semine fuit : propter Josue XI, 10. Ibid. 13. Judic. III, 13. Josue XI, 1.

* Biblia alia hic suum exordiuntur capitulum quartum.

quod rursus sibi usurpavit regnum terræ illius. *Habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram. Ipse autem* Jabin *habitavit in Haroseth Gentium,* id est in urbe sic dicta, vel propter multitudinem habitatorum suorum, vel quoniam diversarum linguarum aut nationum gentes morabantur in ea.

Erat autem Debora prophetis uxor Lapidoth, id est viri sic dicti, qui infra vocatur Barac, ut communiter dicunt expositores. Et quid contra hoc objici posset, infra tangetur. Denique, ut asserit Origenes, de nullo judicum ait Scriptura, quod fuit propheta, sed de sola Debora hoc testatur, ne eam quis ob sexus fragilitatem contemneret, tanquam ad judicandi officium minus idoneam. *Quæ judicabat populum in illo tempore.* Quamvis secundum communem legem deceat feminas regi et judicari a viris, omnipotens tamen Deus qui supra omnem est legem, aliter potest disponere. Est equidem sexus femineus, sexus subjectionis, non superpositionis, et feminæ communiter sunt debilis rationis. Sed Creator omnipotens per dona gratiæ potest eas viris virtuosiores et sapientiores efficere : et forte ad humiliandum superbos ac rebelles Israelitas, feminam eis præfecit in judicem. *Et sedebat sub palma quæ illius nomine vocabatur,* videlicet palma Deboræ, *inter Rama et Bethel in monte Ephraim:* ibi, inquam, sedebat tempore opportuno, ut unicuique indigenti consilio aut judicio pateret ad eam accessus. Propter quod subditur : *Ascendebantque ad eam filii Israel :* sedit enim in monte Ephraim ; *in omne judicium,* id est, pro obtinendo justo judicio seu sano consilio in causa quacumque.

Quæ misit et vocavit per nuntium ad se, *Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali.* Ex hoc argui posset, quod non erat idem vir Lapidoth et Barac, vel quod non fuit Deboræ hujus maritus, quia tam remote ab invicem habitabant, et in terra tribuum diversarum. Cedes etenim fuit urbs tribus Nephthali, Debora vero in terra

A tribus Ephraim morabatur. Hinc, ut refert Lyra, quidam Hebræi dicunt, quod Lapidoth sit nomen commune, significans, lichinariam : ideo dicunt eam sic appellatam, quoniam pro lucernis in tabernaculo Domini lucentibus, lichinia faciebat. At vero qui dicunt Lapidoth et Barac fuisse virum eumdem binomium, probant hoc, quia utrumque nomen eamdem habet interpretationem : quia utrumque coruscatio interpretatur ; et hi dicere possunt, quod Barac forte pro tunc, quando sic vocabatur,

B ex aliqua causa ad tempus erat in Cedes Nephthali, quamvis alias habitaret cum Debora. *Dixitque ad eum : Præcepit tibi Dominus Deus Israel,* id est, mihi revelavit se velle, et ejus præceptum mihi jam notificatum, tibi denuntio, videlicet : *Vade, descende, et educ exercitum in montem Thabor :* in quo Christus coram tribus Apostolis fuit transfiguratus, estque mons ille in Galilæa ; *tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, et de filiis Zabulon,* insinuando eis qualiter tibi Matth. xvii, 1, 2.

C revelavi præceptum Dei de his agendis, ut sint de victoria certi. *Ego autem adducam ad te.* Hoc dicitur ex persona Dei, non Deboræ : ut sit sensus, Ego Dominus adducam ad te, *in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin, et currus ejus, et omnem multitudinem ejus :* id est, sic disponam, quod venient contra te ad pugnandum in loco torrentis Cison, hoc est, permittam ut ex instigatione angelorum malorum atque ex propria animositate tibi occurrant. *Et tradam eos in*

D *manu tua.*

Dixitque ad eam Barac : Si venis mecum, vadam quo Dominus jussit ; *si nolueris venire mecum, non pergam.* Tanquam dicat : Indigeo tua præsentia, ut per te, quæ prophetissa es, Dominus mihi revelet quid agere debeam. Videtur Barac aliqualiter pusillanimis exstitisse, aut non satis de adjutorio Dei sperasse ; vel ex humilitate hæc dixit. Et præceptum Dei putavit sic posse intelligi. Si autem culpabilis fuit, postea inde pœnituit. Vel forsitan

Digitized by Google

æstimavit, quod filii Israel verbis suis non crederent, nisi Debora secum veniret. *Quæ dixit ad eum : Ibo quidem tecum, sed in hac vice tibi victoria non reputabitur, quia in manu mulieris tradetur Sisara,* id est, a femina occidetur, non a te, secundum quod infra narratur : quod factum videtur propter imperfectionem ipsius Barac in spe, qui tamen postea crevit in virum sanctum, quum in epistola ad Hebræos
Hebr. xi, 32. inter sanctos ab Apostolo numeretur. *Surrexit itaque Debora, et perrexit cum Barac in Cedes,* id est oppidum illud : ex quo apparet, quod Barac habitavit ibidem. *Qui accitis Zabulon et Nephthali,* id est, Zabulonitis et Nephthalitis ad se convocatis, *ascendit cum decem millibus,* quæ erant de duabus his tribubus, *habens Deboram in comitatu suo,* ut sanctæ feminæ meritis, precibus, consilio, revelatione adjuvaretur.

Haber autem Cinæus, id est vir ille sic dictus, quoniam erat de semine Jethro, qui et Cin nominatur, *recesserat quondam a ceteris Cinæis fratribus,* id est consanguineis *suis,* qui habitabant inter filios Juda, ut dictum est, *filiis Hobab cognati Moysis,* quia fuerunt posteri ipsius Hobab, qui fuit filius Jethro et frater Sephoræ uxoris Moysis : sicque cognatus hic sumitur pro affine. Aliqui tamen dicunt, quod ipsemet Jethro vocatus sit Hobab. *Et tetenderat tabernacula usque ad convallem quæ vocabatur Sennim, et erat juxta Cedes.* Fuit quippe vir dives, et pecora multa habens : propter quod tabernacula sua late tetendit in locis pascualibus extra oppidum Cedes.

Nuntiatumque est Sisaræ, quod ascendisset Barac filius Abinoem in montem Thabor cum Debora, et congregavit nongentos currus falcatos, qui instar falcis cædebant, *et omnem exercitum ad torrentem Cison,* sicut Debora prophetavit. *Dixitque Debora ad Barac : Surge, hæc est enim dies in qua tradidit,* id est, dare decrevit et nunc tradet *Dominus Sisaram in manus tuas.* Itaque more prophetico loquitur de futuro per modum præteriti propter

A certitudinem prophetiæ. Sed qualiter ait nunc Debora, Tradidit Dominus Sisaram in manus tuas, quum paulo ante locuta sit, Tibi non reputabitur victoria, quia in manus feminæ tradetur Sisara ? Respondetur, quod finaliter datus fuit in manus mulieris, ut interficeretur ab ea. Datus est quoque in manus Barac, ita quod eum fugavit, et exercitum ejus prostravit.

Descendit itaque Barac de monte Thabor, decemque millia cum eo; perterruitque Dominus Sisaram et omnes currus ejus,
B id est exsistentes in curribus, *et universam multitudinem,* scilicet totum exercitum, *in ore gladii ad adspectum* gladiorum ipsius *Barac* et sui exercitus. Perterruit autem Dominus Sisaram et ejus exercitum intus et extra. Nam corda eorum immutavit ab audacia ad pavorem, eaque stupida et imbecillia fecit. Hoc etenim competit Creatori omnipotenti, ad omne libitum suum alterare, afficere atque disponere cor omne creatum. Unde et Augustinus hic ait : Ecce quomodo commendat Scriptura Deum
C agere in cordibus hominum, ut det exitum quem decrevit. Pavere etenim fecerat Sisaram, ut adversario traderet eum. Insuper perterruit illos ab extra : quia, ut Josephus scribit, Ventus maximus et grando ac imber super eorum facies irruebant, arcus et fundæ fiebant inutiles, multi de equis suis curribusque excussi, conterebantur. *In tantum ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, et Barac persequeretur fugientes currus et exercitum usque ad Haroseth Gentium, et omnis hostium mul-*
D *titudo ad internecionem caderet,* vel occisi ab exercitu Barac, vel modo prætacto. Recitat Josephus, quod in exercitu Sisaræ erant trecenta millia armatorum, et decem millia equitum, et ultra nongentos currus falcatos, et adhuc duo millia et centum.

Sisara autem fugiens, pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Asor, et domum Haber Cinæi, id est ipsum Haber et ejus domesticos. Forte enim rex ille non ita odivit Cinæos sicut Hebræos, quia non

Digitized by Google

erant ex semine filiorum Israel, quos maxime odiebat. *Egressa ergo Jahel in occursum Sisaræ,* quem audivit venisse, *dixit ad eum : Intra ad me,* id est, in domum meam; *intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, et opertus ab ea pallio.* Septuaginta transtulerunt, Pellibus. Fuit enim lassatus, et volebat quiescere. *Dixit : Da mihi, obsecro, paululum aquæ.* Per aquam solet Scriptura quemcumque potum significare, sicut per panem, quemlibet cibum. *Quia valde sitio. Quæ aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere.* Lactis enim potatio, somnum profundum et gravia somnia inducit, ac gravat. *Et operuit illum. Dixitque Sisara ad eam : Sta ante ostium tabernaculi, et quum venerit aliquis, interrogans te, et dicens : Numquid hic est aliquis? respondebis, Nullus est. Tulit itaque Jahel uxor Haber, clavum tabernaculi,* scilicet grandem clavum, quo in tabernaculo suo aliquando utebatur, *assumens pariter et malleum. Et egressa absconse,* vel ab ostio tabernaculi, vel a camera in qua Sisara jacuit, quam forte rursus intravit ad considerandum, an fortiter jam dormiret, *posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo, defixit in cerebrum usque ad terram,* id est valde profunde, ut sit hyperbolicus sermo. Vel, Usque ad terram, id est
Judic. v, 27. tam valide, quod Sisara in terram de lecto prolapsus est, ut patet sequenti capitulo. Tempus autem, pars capitis est : pro quo Septuaginta transtulerunt, γνάθον, id est maxillam. *Qui soporem morti socians, defecit et mortuus est.* Circa quod quidam dicit, quod inter soporem et mortem Sisaræ non fuit temporis intervallum : quod non videtur. Sisara namque ex percussione evigilavit, quamvis magnitudine pœnæ oppressus, loqui et reniti nequiverit; nec sine actuali dolore ac pœnæ perceptione animam exhalavit. *Et ecce Barac sequens Sisaram,* quem adhuc vivere existimavit, ideo secundum suam reputationem eum insequebatur, *veniebat.* Residuum hujus capituli planum est.

Sed quæri potest, an Jahel bene egit interficiendo sic Sisaram : et quod imo, manifeste habetur sequenti capitulo. Oppositum vero probatur, quoniam afflicto non est addenda afflictio. Item fallaciter ac simulatorie se habebat ad Sisaram, dicens : Intra, Domine, ne timeas. Crudelissimum quoque videtur, hominem in somno occidere. Insuper pax fuit inter regem Sisaræ, et per consequens etiam inter Sisaram, et inter maritum Jahel ac ejus domesticos : et ita videtur Jahel fœdus pacis et amicitiæ violasse. Et respondendum, quod secundum legem communem loquendo, Jahel in facto isto fuisset reprehensibilis in quibusdam, tam in verbis quam in signis et facto; sed divino instinctu ex speciali moderamine Dei creditur sic fecisse, saltem quantum ad principale quo eum occidit. Unde Debora prophetavit, quod Sisara in manum feminæ erat tradendus, haud dubium quin a Deo, qui superbissimum principem illum voluit ita per feminam humiliare, sicut et Holofernem arrogantissimum Judith xiii, 1 et seq.
justo judicio dejecit per Judith. Non tamen oportet hanc Jahel excusare in toto : nam et operi virtuoso frequenter venialia miscentur peccata. Præterea, dato quod inter Jabin et Haber Cinæum, ejusque domum, fuisset amicitiæ pacisque fœdus, illud tamen non fuit observandum in derogationem et detrimentum boni communis, cujus hostis fuit hic Sisara. Tres quoque sunt comites juramenti ac voti seu fœderis : idcirco dum observatio horum esset contra discretionem, justitiam aut veritatem, non esset laudabilis. Quidam vero hic scribit, quod quamvis inter Jabin et Haber fuisset fœdus sub juramento, tamen Jahel non tenebatur hoc observare, quia in talibus fœderibus feminæ non vocantur. Sed huic dicto obviare videtur, quod ait Glossa : Mulier ista prius amicitiæ fœdus habebat cum Sisara. Denique textus fatetur, quod pax erat inter Jabin et domum Haber Cinæi. Vir autem et uxor duo sunt in carne Gen. ii, 24.
una, nec licet uxori nocere ei, cui maritus suus est pacificatus.

Digitized by Google

Amplius quæri potest, an liceat unicuique occidere publicum hostem rei publicæ ac tyrannum. De hac re loquitur S. Thomas in scripto suo super secundum Sententiarum, distinctione 4, ubi inter cetera allegat Tullium, qui in libro de Officiis eos commendat, qui occiderunt Julium Cæsarem, quamvis suum amicum et familiarem, quoniam quasi tyrannus jus usurpavit imperii. Et addit Thomas ibidem : Tullius loquitur in casu quo aliquis per violentiam subripit sibi dominium, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, et quando recursus haberi non potest ad superiorem, per quem de invasore queat judicium fieri. Tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur et præmium accipit. Hæc Thomas ibidem.

Porro in libro de Regimine regum, diffusius de hac ipsa scribit materia, inter reliqua loquens : Si non fuerit excessus tyrannidis, utilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quam contra tyrannum agendo, multis implicari periculis, quæ sunt ipsa tyrannide graviora. Si vero sit intolerabilis excessus tyrannidis, visum fuit quibusdam ad virtutem virorum fortium pertinere, tyrannum perimere, seque pro communitatis liberatione exponere mortis periculis, quemadmodum Aod legi-
A tur Eglon regem Moab necasse. Sed hoc apostolicæ doctrinæ non congruit. Docet enim nos S. Petrus, non solum bonis et 1 *Petr.* II,
modestis, sed etiam dyscolis dominis re- 18, 19.
verenter subdi debere : Hæc est, inquiens, gratia, si propter conscientiam Dei sustineat quis tristitias, patiens injuste. Unde quum multi Romanorum Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannice, et magna multitudo tam nobilium quam populi esset ad fidem conversa, non resistendo, sed mortem patienter et ardenter sustinendo,
B laudabiles facti sunt. Esset quoque hoc multitudini et ejus rectoribus periculosum, si privata præsumptione aliqui attentarent præsidentium necem, etiam tyrannorum. Plerumque enim hujusmodi periculis magis exponunt se mali, quam boni. Malis autem grave solet esse dominium regum, non minus quam tyrannorum : quia secundum sententiam Salomonis, Dissipat impios rex sapiens. Magis ergo *Prov.* XX,
ex hujusmodi præsumptione immineret 26.
periculum multitudini de boni regis amis-
C sione, quam remedium de tyranni subtractione. Ideo contra tyrannorum sævitiam procedendum videtur publica auctoritate, non præsumptione aliquorum privata. Hæc Thomas, qui in libro præallegato conscribit et alia multa de ista materia.

ARTICULUS VIII

DE SENSU EJUSDEM QUARTI CAPITULI MYSTICO.

SICUT præhabitum est, Judaicus populus figura fuit populi christiani, et quidquid in filiis Israel corporaliter ac litteraliter gestum est, in Christianis spiritualiter, imo et sæpe corporaliter adimpletur ; et quia per septenarium universitas designatur, possunt per septem illas Israeliticæ plebis oppressiones et servitu-
D tes, intelligi universæ persecutiones quæ Christianis propter eorum peccata illatæ sunt, inferuntur aut infligentur. Præterea, sicut filii Israel ab una tribulatoria et hostili servitute erepti, paulo post recidivaverunt, ita in Christianis multoties actum est. Quemadmodum etiam populus ille post ruinam et deformationem sæpe est

Digitized by Google

reformatus, sic Dominus et Salvator suam frequenter reformavit Ecclesiam. Amplius, quoniam judices illi erant viri mirabiles, virtuosi, prudentes, in salutem plebis Israel suscitati a Domino; idcirco per unumquemque eorum potest allegorice Christus intelligi secundum aliquam proprietatem, virtutem et actionem quæ in singulis illis fuit ac fulsit virtutibus. Nam quidquid perfectionis et eminentiæ erat in illis divisim et incomplete, totum simul et perfecte fuit in Christo. Potest quoque per unumquemque illorum judicum, angelicus aliquis spiritus designari, in ministerium missus eorum qui hereditatem sortiuntur æternæ salutis : similiter virtuosi prælati, ac principes prudentes et strenui, imo et ceteri boni Christifideles qui semetipsos efficaciter judicant, examinant et castigant, contra invisibiles hostes vitiorumque aciem pugnant idonee.

Hebr. I, 14.

Denique, per Eglon pinguissimum regem Moabitarum, cui Dominus Ammonitas et Amalecitas adjunxit, rite accipitur carnalissimus atque turpissimus ille impius Mahometus, legifer vel potius fæcifer et seductor Sarracenorum : per quem omnipotens Deus occulto ac imperscrutabili judicio varias gentes falli permisit; qui carnalium voluptatum immoderatissimus exstitit doctor, amator et exsecutor, imo instar Epicuri, in illis felicitatem constituit ; qui quindecim simul habebat uxores, duasque concubinas. Nec his contentus, finxit sibi a Deo permissum etiam aliorum uxores cognoscere, cognatas quoque et quascumque propinquas : sicque incestuosus fuit et adulter nequissimus. Porro, per Aod ambidextrum, intelligitur Christus, in quo nil erat sinistrum, obliquum, perversum, et omnia quæcumque fecit ac pertulit, prospera noscuntur; qui in omni eventu mansit animo constans. Hic gladio oris sui in die judicii, damnatum jam Mahometum in anima, amplius condemnabit in corpore simul et anima.

Mahometi depictio.

Deinde, per Jabin regem Chanaan, designatur princeps terrenus iniquus, justos infestans. Per Sisaram vero principem militiæ Jabin, quicumque minister præcipuus, domino suo in malitia se conformans : quia, ut Salomon contestatur, Rex injustus omnes ministros habet iniquos. Per Deboram vero prophetissam, et per Jahel, intelligitur vel ipsa Ecclesia cœlesti Sponso unita, in qua plurimi spiritu claruerunt prophetico ; vel ipsa sacratissima virgo Maria, unigeniti Filii Dei Mater, singularisque Sponsa, præ cunctis gratia prophetiæ ornata. Ecclesia ergo quemcumque de filiis suis fidelem et strenuum principem frequenter admonuit, et nunc usque hortatur, ut inimicis fidei christianæ viriliter reluctetur : cui et divinum promittit auxilium. Sed ille respondet se hoc aggredi non audere, nisi Ecclesia pergat secum, id est, orationibus et sanctis suis suffragiis eum prosequatur ac tueatur : cui libenter Ecclesia annuit, attamen ei prænuntiat, quod victoria non reputabitur ei, quia in manus feminæ tradetur Sisara talis. Precibus namque et meritis Ecclesiæ, et præsertim Virginis gloriosæ, confertur contra infideles triumphus. Quemadmodum etiam Deus perterruit Sisaram et omnem ejus exercitum ad occursum Barac, ita frequenter per apparitiones cœlestes et angelicas opes, exterruit et dejecit Sarracenos contra fideles prælia ineuntes. Rursus, per Sisaram designatur diabolus, cui Dominus ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem, id est Christiferam Virginem ; ipsa conteret caput tuum. Hæc etenim clavo et malleo, id est acutissima sua humilitate cœlos penetrante, ac Verbi cœlestis virtute prorsus devicit diabolum. Denique, Deus ex Virgine volens suo tempore incarnari, sexum honoravit femineum, dans Deboræ gratiam prophetiæ et judicandi prudentiam, et ipsi Jahel tradens Sisaram occidendum, ut et feminæ non diffidant se ad divinorum posse pertingere perfectionem charismatum.

Prov. XXIX, 12.

Gen. III, 15.

Amplius, exemplo Aod studeamus zelo boni communis fervere, et contra hostes Ecclesiæ continuis affectuosisque precibus compugnare ; sed et ambidextri esse cone-

Digitized by Google

mur, quatenus tam in prosperis quam adversis, maneamus constantes ; temporalia quoque ad spiritualia efficaciter ordine-
A mus. Quemadmodum enim prospera et spiritualia per dexteram, sic temporalia et adversa per sinistram signantur.

ARTICULUS IX

DECLARATIO CAPITULI QUINTI : CECINERUNTQUE DEBORA ET BARAC FILIUS ABINOEM.

CONSUETUDO fuit sanctis hominibus utriusque sexus, post beneficia magna Deo devotissime regratiari : quod utique omnes fecerunt, corde et ore Deum laudando, et ejus beneficia recolendo. Sed quædam personæ super hoc specialia cantica ediderunt, et ea reliquerunt in scriptis, sicut et Debora ista prophetis. *Cecineruntque,* id est, Deum intime laudaverunt *Debora et Barac filius Abinoem, in die illo dicentes.* Debora sola ex tactu Spiritus Sancti creditur canticum istud composuisse ; Barac vero cecinit illud cum ea. Sic et apostolus Paulus in quarumdam suarum
I Thess. I, 1. II Thess. I, 1. epistolarum exordiis sibi annumerat Timotheum atque Silvanum, quum tamen ipse solus epistolas illas dictaverit.

Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum : id est, o vos, viri de numero tribuum Israel, qui voluntarie, non coacte, venistis ad bellum contra Sisaram, quod erat secundum humanum judicium, et quantum ad causas naturales, ac ea quæ forinsecus apparebant, valde periculosum : quia paucissimi erant Israelitæ respectu illorum Chananæorum tam fortiter armatorum, totque falcatos currus habentium, ut dictum est præcedenti capitulo ; *benedicite Domino,* gratias referendo, non in vobis ipsis inaniter gloriando, quia non vestris viribus prævaluistis. Et hoc ipsum exstitit donum Dei, quod tam confidenter venistis ad prælium istud. Verumtamen, quoniam Debora prænuntiavit et promisit eis ex parte Dei victoriam, non erat filiis Israel in illo congressu periculum
B per respectum ad causas supernaturales, videlicet habendo respectum ad certitudinem propheticæ promissionis ac divini auxilii. Denique, duplex est benedictio : Una consecrationis, et auctoritativæ est collationis : sicque superior benedicit inferiori, et Creator creaturæ, dicente Apostolo, Sine ulla contradictione, quod minus Hebr. VII, 7. est, a meliore benedicitur. Alia est benedictio gratiarum actionis et laudis : sicque inferior benedicit superiori, et homo Deo. Porro, per animas intelligi possunt
C ipsimet homines, secundum quod totum significatur per partem, præsertim per partem principalem ; vel animalis vita illorum, quæ corpori et animæ est communis.

Audite, reges, auribus percipite, principes : id est, o universi magnates tam majores quam inferiores, audite hæc verba Dei, ut discatis omnipotentiam ejus, cui nullus potest resistere ; et sciatis, non in multitudine bellatorum, sed in adjutorio Altissimi vim bellorum consistere. *Ego*
D *sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.* Repetitio, est confirmatio dicti, et seriositatis ac devotionis indicium. Et congrue ait, Ego sum : quasi dicat, Tanto amplius ac specialius habeo Deum pro isto miraculoso laudare triumpho, quanto plus ceteris revelatio mihi facta est de exitu hujus belli ; et quanto mihi confusibilius exstitisset, si adversum quid contigisset populo meo ; et quanto plus plebem hanc diligo, cujus mater et judex, ac directrix sum constitu-

Digitized by Google

ta a Domino. Itaque canam Domino ore, psallam ei et mente. (I Cor. xiv, 15.)

Domine, quum exires de Seir, et pertransires per regiones Edom, terra mota est. Istud consonat ei, quod in Deuteronomio Moyses loquitur : Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis; apparuit in monte Pharan. (Deut. xxxiii, 2.) Circa quod recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod Dominus primo obtulit legem filiis Esau habitantibus in monte Seir, sed ipsi noluerunt eam recipere, et tunc dedit eam filiis Israel in monte Sinai. Sicque exponunt litteram istam, Quum exires de Seir, eo quod recusassent legem sibi oblatam. Magister quoque in historiis narrat : Tradunt Hebræi, quod Dominus misit angelos suos ad Idumæos in Seir, et ad Ismaelitas in Pharan, et obtulit eis legem : quam quum nollent accipere, venit ad Judæos in Sinai cum multis millibus angelorum, et legem contulit ibi Hebræis. Istud secundum Lyram, videtur esse ficticium : quia secundum veteris Testamenti Scripturas, populus Hebræorum fuit specialiter a Deo electus, ut Christus nasceretur ex eo : propter quod speciali sanctitate debebat pollere. Unde a ceteris sunt segregati per fidem et cultum unius Dei, deinde per circumcisionem et legis susceptionem. Hinc expositores catholici sic exponunt : Domine, quum exires de Seir, Idumæos in suis erroribus ac idololatriis juste derelinquendo. Verumtamen præfato dicto Hebræorum consonare videtur quod ait Glossa : Exisse dicitur Dominus de Seir, et transisse per regiones Edom, quoniam Idumæis legem recipere nolentibus, dedit eam Judæis in monte Sinai. Cur autem dicuntur Idumæi eam recipere noluisse, nisi quia eis offerebatur ? Hoc quoque videtur littera ista prætendere, dicendo : Et transires per regiones Edom. Siquidem propter præfatam relictionem, non apparet quod diceretur transisse per regiones Edom. Itaque probabiliter dici potest, quod Deus ex sua pietate per merita sanctorum patriarcharum Abrahæ et Isaac, obtulit Idumæis et Ismaelitis legem, saltem per inspirationes angelicas et divinos instinctus, exhortando illos interius ad fidem et cultum unius veri Dei. Propter quod dicitur transisse per regiones Edom, taliter visitando corda habitantium ibi; sed quia non erant electi, ut filii Israel, non dedit eis gratiam recipiendi legem tam sanctam : nihilo minus fecit quod fuit in se. Porro Seir quandoque est nomen montis in terra Idumæorum, quandoque pro terra illa accipitur. Edom quoque est proprium Esau nomen ; interdum pro Idumæa suscipitur. Et quamvis Idumæa fuit regio una, nunc tamen pluraliter dicitur, Per regiones : vel propter diversas regni illius partes, vel quia plurale pro singulari est positum.

Tunc itaque terra mota est, juxta illud in Psalmo : A facie Domini mota est terra. (Ps. cxiii, 7.) Quum equidem Dominus legem erat daturus, totus mons Sinai fuit igne opertus, et nubes densissima operuit illum. Ex qua clangor buccinæ, fulgura atque tonitrua procedebant, ex quibus mons Sinai contremuit, vel secundum apparentiam, aut vere realiter. (Exod. xix, 16-19; xx, 18.) Sed et filii Israel in circuitu ejus stantes, vehementer contremuerunt : sicque de eis potest intelligi, quod terra dicitur mota. *Cœlique ac nubes distillaverunt aquis :* quia ex nube illa densissima diffundebatur tunc aqua, qua cœli aerei, id est partes aeris, ibi madebant. Vel ideo ait, Cœli, quoniam ad generationem nubis illius, influentia cœlestis forsan cooperabatur : imo Cœli, id est, angeli sancti habitantes in cœlis, nubem illam produxisse creduntur, sicut et cetera mira quæ ibi fiebant.

Montes fluxerunt a facie Domini, id est, ex præsentia majestatis divinæ, montes in quibus Deus mirabilia fecit, et per suos effectus apparuit, quasi defecisse a sua naturali vi ac dispositione videntur, prout de monte Pharan et Seir prætactum est. Interdum etiam, Deo jubente, translati et comminuti ac complanati sunt montes, juxta illud Job : Qui transtulit montes de locis suis. (Job ix, 5.) Et in Numerorum libro : Scopuli torrentium inclinati sunt. (Num. xxi, 15.) *Et Sinai*

Digitized by Google

a facie Domini Dei Israel, id est, mons Sinai, in legislatione specialiter fluxit modo jam dicto, et aliqua pars ejus forte consumebatur ex actione ignis et pluviæ. Sic igitur fluxit a facie Dei, qui super montem illum descendit per subjectam creaturam, puta per angelos sanctos ac metuendos effectus, ita quod mons ille maximo igne atque densissima nube opertus, vix apparebat : propter quod fluxisse asseritur. Sic quoque spiritualiter creatura Deum sublimiter contemplando, dum per raptum in ipsum demergitur, deficere et quasi in nihilum redigi perhibetur. Non quod sit totus in pulverem resolutus, secundum quod impiissimus et stolidissimus Mahometus in suo recitat Alcorano, quod Moysè in montem Sinai ascendente, mons ipse totus in pulverem est redactus, ita quod Moyses cecidit quasi mortuus, atque in terra jacens læsus, clamavit : O Domine, ego sum primus credentium in te.

In diebus Samgar filii Anath, qui post Aod fuit judex Israel tempore modico, ut supra patuit, *in diebus Jahel* uxoris Haber Cinæi, *quieverunt semitæ.* Quod dupliciter potest exponi : Primo, quod hostes quieverunt a semitis Israel, eas non ingrediendo ad impugnandum ut ante, præsertim postquam Samgar percussit de Philistæis sexcentos viros vomere uno, et postquam Jahel Sisaram interfecit ; tempore autem intermedio intraverunt et prævaluerunt. Secundo, quod in diebus Samgar et Jahel quieverunt semitæ, ita quod filii Israel non audebant secure transire per consueta suæ terræ itinera, timore Philistinorum et Chananæorum terram Israel deprædantium, latrocinantiumque in ea. Nec enim Samgar potuit Philistæos plene compescere ; et usque ad tempus quo Jahel Sisaram interemit, filii Israel fuerunt multis annis a Chananæis oppressi, ut præcedenti narratur capitulo. *Et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios :* quia adversariorum timore, declinabant ab itineribus rectis, ne inciderent hostium manus. Vel sensus est, quod adversarii filiorum

(Judic. III, 31.) (Ibid. IV, 3.)

A Israel jam præfati, diverterunt frequenter a callibus rectis, ut magis secretiusque nocerent, ut latrunculis atque prædonibus moris est. *Cessaverunt fortes in Israel,* id est, per decem et octo annos, quibus filii Israel servierunt Jabin regi Chanaan, pauci aut nulli viri virtutum ac fortes fuerunt in populo Israel. Nec adversariis suis audebant resistere, ideo subditur : *et quieverunt* a præliis ; sed erant formidolosi et corde infirmi. *Donec surgeret Debora, surgeret mater in Israel,* id est, quousque B Deus per Deboram prophetissam, judicem ac matrem spiritualem Israeliticæ plebis, hortaretur et confortaret filios Israel.

Nova bella elegit Dominus, id est, insolito modo devicit hostes, quia per feminas triumphavit. Nam Deboram suscitavit ad vocandum et confortandum Barac ac alios filios Israel, atque in manus Jahel tradidit Sisaram. *Et portas hostium ipse subvertit,* id est, filiis Israel dedit potestatem vastandi urbes eorum, a quibus paulo ante opprimebantur, quum tamen filii Israel essent C inermes. Unde subjungitur : *Clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel :* id est, nec clypeus nec hasta inventi sunt in exercitu Israel, in quo primo erant decem millia ; deinde, quum prævalere cœpissent, multi ex tribubus Israel accurrerunt, ita quod usque ad quadraginta millia aut circiter excreverunt. Quemadmodum vero Glossa testatur, Jabin rex Chanaan abstulit filiis Israel arma, sicut et Philistæi primo Regum eis fecisse leguntur. (I Reg. XIII, 19.)

D *Cor meum diligit principes Israel.* Hoc secundum Glossam, ex persona Dei inducitur, qui fideles duces ac judices Israel diligebat, præsertim prædestinatos. Potest tamen ex persona Deboræ accipi, quia et ipsa spiritualiter ac cordialiter seu intime diligebat principales hujus exercitus. *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini,* id est periculo corporali, *benedicite Domino,* sicut expositum est. Porro spirituali discrimini, puta periculo peccati mortalis, nullus debet se exponere seu offer-

Digitized by Google

re, imo hoc esset peccatum mortale. *Qui* A *ascenditis super nitentes asinas* *, id est, o vos, filii Israel, qui super pulchras et validas asinas de præda hostium acquisitas ascenditis, *et sedetis in judicio,* id est, aliis præestis ad judicandum, *et ambulatis in via.* Quamvis enim Debora et alii fuerint judices principales, tamen sub eis minores aliqui judices erant. In Hebræo, ut ait Glossa, habetur : Sedentes super judicium, et ambulatis in via, id est, qui nunc secure pergitis per itinera terræ Israel, per quæ paulo ante non audebatis transire præ ad- B versariorum formidine. *Loquimini,* id est, sequentia verba proferte : *Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus,* id est in terra hac Israel, in qua divina virtute confracti sunt miraculose currus Chananæorum, et ipsi Chananæi miraculose occisi sunt secundum modum in præcedentis capituli expositione inductum ; *ibi narrentur justitiæ Domini,* id est justa judicia Dei, et justi effectus suæ justitiæ, quibus hostes Israel trucidavit, quia tyrannice et prava intentione filios Israel con- C culcabant ; *et clementiæ* * *in fortes Israel,* id est miserationes et beneficia Dei quæ impendit Israelitis, quorum peccatis ignovit, et eos insuper fecit triumphatores. *Tunc descendit populus Domini ad portas,* id est, populus Israel accessit urbes adversariorum, *et obtinuit principatum* super eosdem.

* asinos

Judic. IV, 15, 16.

* clementia

Surge, surge, Debora ; surge, surge, et loquere canticum. His verbis sancta mulier præ abundantia spiritualis lætitiæ de exaltatione divinæ justitiæ et pia sui po- D puli ereptione, se ipsam hortatur ad laudandum et regratiandum Domino Deo. Itaque, surge, id est, mente ad Deum te erige, atque ad ejus honorem erecto sta corpore, et loquere canticum. Verumtamen in Hebræo non habetur, Surge, surge, Debora, ut asserit Glossa ; sed, Expergiscere spiritu, scilicet prophetiæ. *Surge, Barac, et apprehende captivos tuos, fili Abinoem,* id est, eos qui in bello occisi non sunt, cape ac tene.

Salvatæ sunt reliquiæ populi, id est, residui ex Israel prævaluerunt in prælio. *Dominus in fortibus dimicavit,* id est, per fortes Israel viros contra Chananæos pugnavit ; vel, Dimicavit in fortibus, id est contra robustos adversarios nostros. In Hebræo, secundum Glossam, habetur : Dominus propter me in fortibus dimicavit : et est vox totius populi Israel, Deo gratias referentis. *Ex Ephraim delevit eos in Amalec :* id est, per Josue Ephratæum Dominus debellavit fortes filiorum Israel inimicos in Amalecitis, ita quod adversarii illi fuerunt ipsimet Amalecitæ. Quemadmodum enim in Exodo legitur, Josue fugavit Amalec et populum ejus in ore gladii. Deinde Debora prophetavit de expugnatione Amalecitarum tunc futura per Saul. *Et post eum ex Benjamin in populos tuos, o Amalec,* id est, o tu, princeps seu popule Amalecitarum, Deus dimicabit contra populos tuos ex Benjamin, id est per Saul regem ortum ex Benjamin tribu, post Josue Ephraitam.

Exod. XVII, 13.

De Machir principes descenderunt et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum, id est, duces hujus nostri exercitus, partim nati fuerunt de stirpe Machir filii Manassæ, et partim de tribu Zabulon. *Duces Issachar fuerunt cum Debora,* id est, aliqui aliorum ductores nati ex tribu Issachar, associaverunt se Deboræ, *et Barac vestigia sunt secuti,* id est, cum eo processerunt ad pugnam. Circa quod ait Glossa : Quædam pars illorum mansit cum Debora ad laudandum Deum ac deprecandum, pars autem alia est secuta Barac ad populum Israel exhortandum, et ad Sisaram debellandum. *Qui* Barac *quasi in præceps et barathrum, se discrimini dedit,* id est, secundum humanum judicium et apparentiam exteriorem, apertissimo et ingenti periculo se commisit, cum paucis inermibus eundo ad pugnam contra tantum Chananæorum exercitum. Vel, Dedit se discrimini, quasi in præceps et barathrum, id est, adversarios insecutus est per loca aspera, in quibus præcipitia erant et valles profundæ ac foveæ : imo secundum Glos-

Digitized by Google

sam, præcipitavit se in torrentem Cison, A adversarios persequendo.

Itaque commendatis Israeliticis qui venerunt ad pugnam, increpantur qui non venerunt. *Diviso contra se Ruben*, id est tribu Ruben separante se ab his qui transierunt ad pugnam, vel potius tribu illa inter se per intestinam dissensionem discordiamque divisa, quoniam quidam in ea hortabantur ire ad prælium, alii dehortabantur, *magnanimorum reperta contentio est*, id est, qui vere magnanimes erant in tribu illa, et parati ad pugnam, contra B imparatos ac timidos contenderunt. *Quare habitas inter* duos *terminos, ut audias sibilos gregum?* id est, cur tu, tribus Ruben, commoraris circa Jordanem inter filios Israel qui in terra promissionis morantur, et inter tribum Gad mediamque tribum Manasse trans Jordanem manentes, ut intendas vociferationibus jumentorum tuorum? quasi dicat : Tantum desideras pecora tua servare ac multiplicare, atque in eorum balatu sic gloriaris, quod negligis cum aliis tribubus ire ad prælium jux- C Galaad ta Dei præceptum. *Gad* * *trans Jordanem quiescebat*, id est, tribus Gad trans Jordanem a labore subveniendi se subtrahebat, *et Dan vacabat navibus*, id est, tribus Dan erat circa mercimonias suas et lucra, quæ per exercitium navium acquiruntur, tam occupata, quod non curavit succurrere. *Aser habitabat in littore maris, et in portubus morabatur*, id est, tribus Aser degebat circa littus Mediterranei maris, et in locis portuum maris ejusdem, in cujus littore morabatur et tribus Dan. Sicque si- D milis causa retraxit has tribus ab auxilio fratrum. *Zabulon vero et Nephthali obtulerunt animas suas morti*, id est arduis Judic. IV, 6. mortis periculis. Nam decem millia quæ primo sibi collegit Barac, erant de tribubus Zabulon ac Nephthali, prout præcedenti habetur capitulo. *In regione Merome*, id est excelsi, videlicet in territorio Ibidem. illo, in quo erat mons Thabor, in quem Barac duxit suum exercitum, ut præcedenti capitulo continetur.

Venerunt reges subjecti Jabin regi, aut ei confœderati, *et pugnaverunt* contra Israel. *Pugnaverunt reges Chanaan*, id est Chananæorum, inter quos Jabin rex Asor Josue XI, 10. tenebat primatum, prout in libro Josue legitur ; *in Thanach juxta aquas Mageddo*, id est in provincia in qua erat torrens Cison, qui præterfluit Mageddo. Hebræus, secundum Petrum Comestorem, habet, In Ramazache : quod significat altitudinem campi, et denotat quod in campo ubi præliatum est, filii Israel facti sunt superiores. *Et tamen nihil tulere prædantes*. Subsannatio est adversariorum : quasi dicat, Frustra contra Israel pugnaverunt, quia pugnando nil profecerunt, prædando aut prævalendo, imo vita sua privati sunt. *De cœlo dimicatum est contra eos*, id est, Deus creator supernaturaliter restitit eis, corda ipsorum terrendo, atque per ventum, imbrem, coruscationes, tonitrua eos dejiciendo. *Stellæ manentes in ordine et cursu suo, contra Sisaram pugnaverunt*. Hoc primo intelligi potest de corporibus cœlestibus, in quantum ad generationem impressionum prætactarum forsitan aliquo modo cooperabantur, quæ tamen præter cursum naturæ potius generatæ censentur. Glossa, per stellas in suo cursu et ordine permanentes, intelligit angelos sanctos ordinate dispositos, et sua ministeria exercentes, qui filios Israel adjuverunt saltem orando. Potest rursus de stellis et planetis intelligi, qui contra Sisaram pugnasse dicuntur, in suo cursu ac ordine permanendo, id est solitum cursum ac dispositionem suam naturalem servando, in quantum diem causando, seu naturale obsequium exhibendo, aut aliquam influentiam imprimendo, cooperati sunt filiis Israel ad triumphum, juxta quod in libro Sapientiæ scriptum est : Pu- Sap. V, 21. gnabit pro Deo orbis terrarum contra insensatos. Sicque per verba ista innuitur differentia hujus victoriæ, ab ea quæ sub Josue desuper est concessa, per hoc, quod sol et luna steterunt in cœlo immobiles Josue X, 13. spatio unius diei, ut legitur in Josue libro. Itaque, sic Magister in historiis loquitur :

Digitized by Google

Quod ait, Stellæ pugnaverunt contra Sisaram, nequaquam est mathematice intelligendum, quasi fatali constellatione hoc gestum sit, sed quoniam coruscationes et fulgura de sublimi sic ferebantur in hostes, quasi sidera laberentur. Estque hyperbolicus sermo.

Torrens Cison traxit cadavera eorum, videlicet Chananæorum occisorum, seu in illo torrente mersorum aut projectorum. *Torrens Cadumim, torrens Cison,* id est, torrens ille Cison, assimilatus est torrenti Cadumim, scilicet mari Rubro : quoniam sicut mare Rubrum traxit cadavera Ægyptiorum in se mersorum, sic torrens Cison cadavera Chananæorum. Cadumim autem interpretatur, antiquorum, et sumitur pro
Exod. XIV. mari Rubro, in quo sub Moyse antiqua miracula sunt peracta; istud vero bellum factum est juxta torrentem Cison. *Conculca, anima mea, robustos.* Hoc potest esse vox populi, cohortantis se ad conculcandum
Josue X, 24. hostium colla, secundum quod Josue jussit principibus Israel ponere pedes suos super colla regum Chananæorum. Vel Debora ait hoc in sua persona, ut sit sensus: Conculca, anima mea, robustos, id est, zelo justitiæ vilipende hos Chananæos olim fortes. *Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium :* id est, dum potentiores in exercitu Sisaræ festinantissime fugerent, fugiendoque præcipitanter corruerent, etiam ungulæ equorum ipsorum contritæ sunt ictibus grandinis, coruscatione, et asperitate locorum. Quasi dicat : Quid in tanta tempestate putas equitibus accidisse ?

Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini. Meroz, ut in Scholastica fertur historia, fuit unus de principibus Chanaan. Et interpretatur Meroz, arcanum, sicque per Meroz Glossa et alii multi intelligunt adversariam potestatem, quæ præerat Chananæis, et eos contra filios Israel incitavit. Per angelum vero quidam intelligunt Deboram prophetissam, vel Barac missum a Deo pro liberatione Israelis ; alii, Michaelem qui præerat Synagogæ. Et potius puto per angelum esse intelligendum spiritum illum angelicum, per quem fiebant Deboræ revelationes propheticæ. Itaque angelus jussit per Deboram maledici diabolo, qui præerat Chananæis, ceterisque apostatis angelis qui erant cum illo. Unde subjungitur : *maledicite habitatoribus ejus,* id est angelis malis principi suo cohærentibus in ipso, quasi in terra manentibus ; *quia non venerunt ad auxilium Domini,* id est ad auxiliandum populo Dei, *in adjutorium fortissimorum ejus,* id est ad subveniendum ducibus Israel, sed magis ad resistendum. Verumtamen litteralius dici potest, quod angelus jussit maledici præfato viro potenti nomine Meroz, et terræ ac subditis ejus, quia succurrere noluerunt filiis Israel.

Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, id est laude digna et virtuosa, quasi una laudabilium feminarum, non tamen omnibus aliis sanctior, quemadmodum Christifera Virgo dicitur benedicta *Luc.* I, 42.
inter mulieres; *et benedicatur in tabernaculo suo,* id est a suis domesticis, majorique gratia impleatur a Domino, quoniam hostem populi Dei occidit. *Aquam petenti, lac dedit :* id est, Sisaræ postulanti sibi *Judic.* IV, 19.
dari aquam ad potandum, dedit lac bibere, ut fortius obdormiret, ut dictum est in expositione præcedentis capituli; *et in phiala principum obtulit ei butyrum,* id est, in tali repositorio quo principes uti solent, obtulit ei pinguedinem lactis, forte ad comedendum ut super cibum adhuc potaret de lacte : quod non fuit præcedenti expressum capitulo. *Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos. Percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum ; et tempus valide perforans, inter pedes ejus ruit.* Quum enim clavum ejus capiti infigeret, præ dolore expergefactus est, et primo impetu nondum victa natura, ejecit se de lecto in terram. *Defecit et mortuus est.* Et tunc *ante pedes ejus volvebatur,* quousque animam exhalavit ; *et jacebat exanimis et miserabilis,* id est, corpus ejus exstinctum jacuit ut cadaver.

Digitized by Google

Per fenestram respiciens ululabat mater ejus, sollicita pro filio suo, eo quod ultra constitutum tardaret reverti : idcirco pertimuit quod evenisset ei, quemadmodum noverat et aliis contra filios Israel prælíantibus evenisse. Noverat quippe vetula illa, qualiter Deus filiorum Israel frequenter pugnasset pro eis, et forsan vidit aut percepit tempestates illas in aere subito factas : propter quod formidavit, filium suum cum suis eo esse percussum, aut aliter interisse. *Et de cœnaculo loquebatur : Cur moratur regredi currus ejus? quare* B *tardaverunt pedes quadrigarum illius? Una sapientior ceteris uxoribus ejus,* etc. Deinde recitatur qualiter nurus sua, scilicet una uxorum Sisaræ, socrui suæ consolatoria verba respondit, et plana est littera.

Postremo Debora convertit sermonem suum ad Dominum, et canticum suum devote concludit. *Sic pereant inimici tui,* A *Domine,* id est indurati tyranni et persecutores plebis tuæ fidelis : quod zelo justitiæ et ex amore boni communis profertur, non ex rancore, imo potius ex spirituali amore, quatenus scilicet impii in vita hac puniantur, ne in futuro gravius condemnentur, et ne vivendo diutius, gravius peccent, atque damnationem mereantur majorem. *Qui autem diligunt te* spirituali et infusa dilectione, *sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent,* id est, donis gratiæ in præsenti copiose clarificentur, et in patria Beatorum, donis gloriæ præclarissime decorentur, imo glorificentur in corpore *Matth.* XIII, 43. et anima, et fulgeant sicut sol in regno Patris cœlestis. Unde (ut fertur) in Hebræo habetur, Sicut sol in fortitudine sua, id est tam clare ut sol, quando lux solis erit *Is.* XXX, 26. septempliciter, id est septies major quam nunc est, ut Isaias ait : quod in futura mundi innovatione complebitur. *Quievitque terra per quadraginta annos.*

ARTICULUS X

MYSTICA EJUSDEM CANTICI EXPOSITIO.

DEBORA designat Ecclesiam, seu unamquamque animam vere devotam; Barac, vere virtuosum principem seu prælatum. Ecclesia ergo cum filiis suis contemplans beneficia Salvatoris, et qualiter visibilibus ac invisibilibus hostibus sæpe divina virtute prævaluit, assidue et grata ac devotissima mente Dominum laudat, et fideles qui vere sunt milites Christi, hortatur : *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino :* id est, vos, Christifideles, veri Israelitæ per contemplationem, qui spiritualem militiam D voluntarie assumpsistis, et contra adversarios fidei seu invisibiles adversarios fortiter dimicatis aut dimicastis, Deo grates rependite, et omne bonum ei adscribite : C quoniam datum est vobis a Deo, non solum *Philipp.* I, 29. ut credatis in Christum, verum etiam ut patiamini pro illo. *Audite, reges, auribus percipite, principes,* id est universi majores atque minores, qui efficaciter vos ipsos aut alios gubernatis, qui estis genus ele- I *Petr.* II, 9. ctum, regale sacerdotium. *Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.* Ecclesia namque est sponsa Dei carissima, cui potissime competit Deo cantare ac psallere. Sed et unaquæque devota persona Deo jugiter psallat, juxta illud Psalmi : Benedicam Dominum in omni *Ps.* XXXIII, 2. tempore, semper laus ejus in ore meo. Unde Apostolus exhortatur : Cantantes et psal- *Ephes.* V, 19. lentes in cordibus vestris Domino. Quocirca loquitur Origenes : Beati qui possunt can-

Digitized by Google

tare canticum Domino. Quis, putas, ita canoræ vocis est, et ita sinceræ mentis, ut cantilena ejus divinum possit oblectare auditum? Ille profecto, qui nullum in se habet raucum peccati sonum, qui nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis, id est carnalis affectionis, in spiritu gerit.

Domine, quum exires de Seir. Dominus et Salvator suos misit Apostolos atque discipulos ubique terrarum, et evangelicam legem sine personæ exceptione obtulit universis : quam multi in primis suscipere renuerunt, et tandem pene ab omnibus est recepta. Tunc *terra mota est,* id est habitantes in terra, visis mirabilibus quæ per Christi discipulos gerebantur. Et quidam tunc moti sunt ad credendum, alii ad persequendum credentes : estque impletum
Ps. LXIV, 8, 9. quod prædixit Psalmista, Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos, a signis tuis. *Cœlique ac nubes distillaverunt aquis,* id est sancti Apostoli et eorum cooperatores, de quibus prædictum est :
Ps. XVIII, 2. Cœli enarrant gloriam Dei. Et : Qui sunt
Is. LX, 8. Eccli. XV, 3. isti qui ut nubes volant? Aquam sapientiæ salutaris audientium cordibus infuderunt. *Montes fluxerunt a facie Domini.* Per montes interdum intelliguntur superbi, qui instar montium magni et alti sunt in oculis suis; quandoque virtuosi, qui vere sunt magni et alti per gloriosa charismata Spiritus Sancti; aliquando vero principes et prælati, propter præsidentiæ dignitatem et altitudinem sui officii. Quidam autem superbi, ad Christum se convertendo, pristinam altitudinem humiliter abjecerunt; alii in sua arrogantia perierunt.

In diebus Samgar quieverunt semitæ. Frequenter in Ecclesia semitæ, seu observantiæ mandatorum, cessaverunt in multis : et loca sacra in solitudinem sunt redacta, et Christiani vehementer oppressi sunt ab Hunnis, Vandalis, Gothis, Turcis et Sarracenis, aliisque tyrannis; *donec surgeret Debora,* id est, quousque Ecclesia desuper reformata, rursus prævaluit. *Nova bella elegit Dominus.* Vere nova et inaudita bella elegit in novo Dominus Testamento : qui
A per paucos simplices inopesque Apostolos, mundum fidei christianæ subjecit, idololatriam dissipavit, Romanum sibi imperium subdidit non armorum potentia, non magica arte, quam veri Christiani summe abhorrent, non dialectica subtilitate, nec eloquentia Tulliana, neque per blandimenta carnalia; sed per supernaturalia, solique Deo possibilia infinita miracula, per allegationes Scripturæ, per exemplarissimam et virtuosissimam vitam, per apparitiones angelicas et revelationes cœlestes : imo
B usque in præsens, fidem catholicam per eadem conservavit in esse, non obstante quod Judæi, hæretici, philosophi, tyranni toties et tam acriter eam exstinguere sint conati. Hinc subditur : *Clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel.* In sanctis nempe martyribus, qui per fidem et patientiam contra persecutores constantissime pugnaverunt, nulla exstitit armatura corporea, nulla resistentia bellica : et tamen præfatis modis in tantum prævaluerunt, quod quanto plus tyranni
C nitebantur fidem exstinguere, tanto plus crevit, et ipsa persecutio tandem cessavit.

Cor meum diligit principes Israel. Vere valde nobis amandi sunt sancti Apostoli, doctores, patres, et principes nostri, de quibus prædictum est : Constitues eos prin- Ps. XLIV, 17.
cipes super omnem terram. *Qui ascenditis super nitentes asinas,* id est, corpora vestra in se irrationabilia, pigra et stolida, habetis in servitutem mentis redacta, et spiritui pulchre subjecta. *Et sedetis in judicio,* id est, aliis præestis, *et ambulatis in*
D *via* virtutum. *Loquimini : Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus,* id est in terris olim infidelium, ubi infideles conversi sunt, et saluberrime defecerunt, juxta illud : Verte impios, et non Prov. XII, 7.
erunt; *ibi narrentur justitiæ Domini,* id est beneficia Dei, et opera suæ justitiæ, in vasis iræ ostensa; actus quoque suæ cle- Rom. IX, 22, 23.
mentiæ, vasis misericordiæ exhibiti. Hoc ubique terrarum impletum est. *Tunc descendit populus Domini ad portas,* id est virtutum exsecutiones, quæ sunt portæ in-

Digitized by Google

trandi regnum cœlorum, quemadmodum vitia portæ sunt inferi. Unde dixit Salvator : Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam ! *Matth.* vii, 14. *Et obtinuit principatum* promerendo paradisum cœlestem ; in præsenti quoque, conversi ad Christum, dominium multiplex sunt sortiti.

Surge, Barac, et apprehende captivos tuos : id est, tu, prælate, eos custodi, quos jugo Christi jam subdidisti, et quorum intellectum in captivitatem redegisti in obsequium Dei. II *Cor.* x, 5. *Dominus in fortibus dimicavit :* quia per fortissimos Christi Apostolos et alios virtuosos Christi discipulos, robustissimas infidelium nationes convertit, et contra earum reges ac principes victoriose pugnavit.

Præterea, per tribus et personas Israel, quæ contra Sisaram ascenderunt ad pugnam, designati sunt electi Judæi, qui crediderunt in Christum, et contra dæmonum aciem præliati sunt inclyte ; electi quoque Christiani, ex paganismo conversi, qui contra hostes humanæ salutis ac perfidos digne luctantur. Sed et quidam Apostoli et primi discipuli Christi, ex diversis tribubus Israel erant nati : de quibus cantamus : Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu ; principes Juda, duces eorum, principes Zabulon, et principes Nephthali. *Ps.* lxvii, 28. Porro, per tribus Israel ignavas, seu contra se invicem divisas, intelliguntur obstinati Judæi, qui ad Christum noluerunt converti ; et item vitiosi Christiani, qui contra adversarios Dei ac fidei negligunt præliari, et suis commodis, honoribus, contentionibusve intenti sunt, ita quod malunt se invicem devastare, quam adversus perfidos ac tyrannos vitiorumque turbas concorditer dimicare. Postremo, qualiter contra inimicos christianæ religionis dimicatum sit ubertim de cœlo, ita quod perfidi diffugerunt ; qualiter etiam per Jahel benedictissima virgo Dei Mater Maria, per Sisaram autem diabolus designentur, præhabitum est. Angelus quoque Michael princeps Ecclesiæ, præcipit maledici zelo æquitatis multitudini principum ac gentium discredentium, adversantium ac reluctantium prospero statui ac saluti militantis Ecclesiæ, nisi resipiscant.

ARTICULUS XI

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : FECERUNT AUTEM FILII ISRAEL MALUM IN CONSPECTU DOMINI.

JUXTA ordinem rei gestæ, nunc recitatur quarta Israelitarum oppressio generalis. *Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini.* Quotidie omnes peccamus, atque in Dei præsentia facimus mala, quum et justus septies in die cadat ; *Prov.* xxiv, 16. sed dum filii Israel dicuntur malum fecisse, et ob hoc hostibus traditi, intelligendum est præsertim de maximo illo malo, videlicet idololatria ac multis criminibus ei annexis. *Qui tradidit eos in manus Madian,* id est Madianitarum : qui nati fuerunt ex filio Abrahæ ac Ceturæ, nomine Madian, ut patet in Genesi ; *Gen.* xxv, 1, 2. *septem annis, et oppressi sunt valde ab eis ; feceruntque sibi antra et speluncas in montibus,* ut ibi laterent, ne occiderentur aut caperentur. Hoc impotentiores et timidiores fecerunt, audaciores vero et fortiores fecerunt quod subditur : *et munitissima ad repugnandum loca,* id est fortalitia, ex quibus repugnarent, si obsiderentur. *Quumque sevisset Israel,* id est, agros seminasset, *ascendebat Madian et Amalec,* id est Ama-

Digitized by Google

lecitæ, *ceterique orientalium nationum,* A *et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant:* siquidem tempore veris et deinceps terræ nascentia consumebant, et jumenta filiorum Israel diripiebant sive mactabant; *usque ad introitum Gazæ; nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes.* B *Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian.*

Et clamavit populus Israel ad Dominum, non tamen sinceriter, neque omnes, ut ex sequentibus innotescit, *postulans auxilium contra Madianitas. Qui misit ad eos virum prophetam :* quem Hebræi dicunt fuisse Phinees, non quod adhuc viveret a tempore Josue, imo et Moysis, sed quod in alio apparuerit corpore. Etenim asserunt angelum eum fuisse: quod totum est falsum. C *Et locutus est : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi vos de domo servitutis, et liberavi de manu Ægyptiorum et omnium inimicorum qui affligebant vos,* etc., *et tradidi vobis terram eorum, et dixi : Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum.* Itaque Deus per virum illum exprobravit ingratis illis beneficia sua.

Venit autem angelus Domini. Glossa et Scholastica historia, multique alii dicunt, angelum istum fuisse virum, qui jam ante D fertur missus a Deo ad populum increpandum. Angeli etenim in Scripturis sæpe viri vocantur, præsertim quia apparent in forma virili. Sed huic dicto objiciunt alii, quod vir iste vocatur propheta. Angeli vero non consueverunt in Scripturis prophetæ vocari. Denique scriptura ista loquitur de angelo isto et de viro illo, tanquam de distinctis personis. Verumtamen Augustinus hic ait : Cur non exprimatur nomen hujus Prophetæ, occulta est causa. Sed quia post verba Prophetæ statim subjungitur, Et venit angelus, non absurde intelligitur angelus iste nomine viri significatus. Nomine enim virorum sæpe dicuntur *Gen. xix.*
angeli. Sed angelos prophetas dici, non *Dan. ix.*
occurrit; quamvis eum qui propheta est, *Matth.* 10.
occurrat angelum appellari. Sed si angelorum dicta prophetica, nota fiunt his quibus futura prænuntiant, cur non potest dici angelus et propheta? Hæc Augustinus. Attamen potius reor, quod vir ille propheta, fuerit verus homo.

Venit ergo angelus, *et sedit sub quercu :* apparuit enim in forma humana ; *quæ erat in Ephra,* id est urbe sic dicta, vel in agro vicino, *et pertinebat,* quercus illa et ager ac lapis super quem angelus sedit, *ad Joas patrem familiæ Ezri,* id est honorabiliorem in illa familia, ita quod dicitur pater ejus non generatione, sed potentatu et honorabilitate. *Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari* per suos ministros, nam multos habuit servos. Ideo autem excussit blada, quia fugere intendebat, et frumenta secum in aliquo loco munito reponere pro necessario victu in longum. Excussit autem in torculari, *ut fugeret Madian.* Sed quare non magis in horreo? Forte quia secretius fiebat in torculari. Circa hoc Josephus ait: Hoc fuit maxime propitiationis divinæ indicium, quod utebatur torculari pro area, quia futurum erat per eum, ut areæ implerentur ac torcularia. *Apparuit ei angelus Domini cum salutans, et ait : Dominus tecum, virorum fortissime.* Ecce quam solennis salutatio, imo et laus. Nec recolo aliquem in veteri Testamento tam solenniter desuper salutatum. Sed quomodo fuit virorum fortissimus, qui fugere disponebat? Dicunt quidam, quod taliter salutabatur ac laudabatur propter gesta ejus futura. Attamen dici potest, quod sicut ceteri judices erant viri in virtute præclari quando mittebantur ad populum liberandum, ita et Gedeon. Et quod fugere voluit, prudentiæ fuit, non vitii : quia conspexit se non posse viribus suis resistere hosti-

Digitized by Google

bus ; nec fuit ad idololatriam lapsus ; sed A et corporali fortitudine præpollebat.

Dixitque ei Gedeon : Obsecro, domine mi. Gedeon angelum nominat dominum, quamvis nondum cognoverit quod angelus esset, quia in specie honorabilis atque authentici viri angelus apparuit sibi. *Si Dominus nobiscum est.* Angelus dixerat, Dominus tecum, non autem, Dominus vobiscum ; Gedeon vero sic repetit, imo et replicat, Si Dominus nobiscum est. Erat quippe Gedeon vir humilis : ideo sibi videbatur, quod si Dominus esset secum, esset B quoque cum aliis Israelitis quos reputavit se meliores. Itaque, quasi contra verba illa arguens, dicit : Si Dominus nobiscum est, *cur ergo apprehenderunt nos omnia ista,* id est tot et tanta adversa? quasi dicat, Non apparet quod Dominus sit nobiscum. *Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt, De Ægypto eduxit nos Dominus ? Nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian.* Tanquam dicat, In tantum reliquit nos modo, ac si non fecisset tot et C tanta mirabilia pro liberatione patrum nostrorum. Vel, Ubi sunt mirabilia ejus ? quasi dicat, Utinam et modo ageret talia pro nostra ereptione.

Respexitque ad eum Dominus, id est angelus in Dei persona apparens, ac loquens ad eum, quasi compatiens ei, et approbans eum. Deus quoque respexit eum suæ intuitu pietatis, et interiora ejus confortavit per gratiam. *Et ait : Vade in hac fortitudine tua,* id est in hac fide et gratia tibi concessa. *Et liberabis Israel de manu* D *Madian. Scito quod miserim te,* et de hac visione et prænuntiatione non ambigas. *Qui ait : Obsecro, mi domine, in quo,* id est qua virtute atque manerie, *liberabo Israel* de Madianitis me potentioribus? Deinde suam inidoneitatem probat, adjiciendo : *Ecce familia mea infima est in Manasse,* id est, in tribu Manasse, familia de qua sum est valde parva et una de minimis, *et ego minimus,* id est, valde modicus sum, *in domo patris mei.* Ex humilitate hæc dicit, ad excellentiores se comparans : quemadmodum Saul adhuc bonus, quum audisset quædam verba a Samuele, respondit : Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin ? ut legitur primo Regum libro. [I *Reg.* IX, 21.] Quemadmodum autem super Josue dictum est, tribus Israel dividebantur in familias, familiæ in domos, domus in capita virorum. [*Josue* VII, 14.] *Dixitque ei Dominus : Ego ero tecum* per opem et adsistentiam gratiosam. *Et percuties Madian quasi unum virum :* id est, faciliter me auxiliante prævalebis, quasi unum dumtaxat hominem impugnares.

Denique ex his verbis Gedeon cœpit pensare, quod angelus esset qui sibi colloquebatur, præsertim ex tam magnifica promissione. Verumtamen nondum fuit certus de hoc, nec volebat incauta facilitate credere apparitioni. Unde subjungitur : *Et ille, Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loquaris ad me,* id est, quod tu vere sis missus a Deo, seu angelus sanctus : quasi jam implens quod docet Joannes apostolus, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint. [I *Joann.* IV, 1.] Hinc loquitur Origenes : Gedeon, vir eruditus, habens exemplum Josue præcessoris sui, cautius agit. Sciebat enim angelos tenebrarum posse transfigurare se in angelos lucis : ideo examinat spiritum si a Deo sit. [II *Cor.* XI, 14.] Quemadmodum Josue quum principem militiæ cœlestis vidisset, inquirit : Noster es, an adversariorum? [*Josue* V, 13.] Hinc Gedeon discutit angelicam visionem diversitate et admiratione signorum. *Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium et offerens tibi,* non tanquam Deo, cui soli sacrificium immolatur, sed offerens tibi, id est, coram te illud præsentans, quatenus tu offeras illud Deo, et per aliquod signum in ista sacrificatione fiendum intelligere queam certive, quod tu sis missus a Deo, seu angelus ejus. Hinc Augustinus : Intelligendum est, non eum angelo, sed per angelum sacrificium obtu-

Digitized by Google

lisse. *Qui respondit : Ego præstolabor adventum tuum.*

Ingressus est itaque Gedeon, et coxit hædum, et de farinæ modio azymos panes non fermentatos : nam panes Deo offerendi, azymi erant, secundum legem ; *carnesque ponens in canistro, et jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercum, et obtulit ei,* videlicet angelo, juxta sensum nunc introductum, non quasi sacrificans creaturæ. *Cui dixit angelus Domini : Tolle carnes* hœdi, *et azymos panes, et pone supra petram illam, et jus desuper funde. Quumque fecisset ita, extendit angelus summitatem virgæ quam tenebat in manu,* in signum auctoritatis divinæ sibi commissæ, *et tetigit carnes et azymos panes,* quasi sacrificans ea Deo. *Ascenditque ignis de petra :* quem ignem angelus supernaturaliter fecit de petra exire ; vel naturali virtute hoc egit, quum et nos excutiamus ignem saxo et chalybe. Et per hoc angelus se ostendit non hominem esse, quia si homo fuisset, ligna et ignem sacrificio supposuisset. *Et carnes azymosque panes consumpsit.* Sicque sacrificium illud factum est holocaustum. Circa hæc quærit Glossa : Quomodo Gedeon ausus est sacrificium offerre alibi quam in tabernaculo Domini ? Et respondet, quod Gedeon primo putavit illum esse prophetam, et de sacrificio offerendo consuluit ipsum, et ejus responsionem secutus est. *Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus,* corpus assumptum subito deponendo, vel illud invisibile aliis faciendo, aut etiam evolando.

Vidensque Gedeon quod angelus Domini esset, quod ex tot et tantis mirabilibus satis advertit, *dixit : Heu ! mi Domine Deus, quia vidi angelum Domini facie ad faciem,* id est clare ad oculum. Cur viso angelo non potius est gavisus, quam ita perterritus ? Respondetur, quia (ut ex verbis quæ sequuntur elicitur) formidavit se protinus moriturum, quia ad Moysen dixerat Dominus : Non videbit me homo, et (*Exod.* xxxiii, 20.) vivet. Et angelus iste in Dei persona erat

A locutus. Unde et Manue, viso angelo, est locutus : Morte moriemur, quia vidimus Dominum. (*Judic.* xiii, 22.) *Dixitque ei Dominus.* An idem angelus statim apparuerit ei rursus ad oculum, et ista locutus sit ei, an per interiorem allocutionem dixerit ei hæc, potest esse ambiguum ; sed potius arbitror quod per angelum. *Pax tecum, ne timeas* inordinate, *non morieris* nunc ut formidas. *Ædificavit ergo Gedeon altare Domino* ex devotione. Infra tamen habetur, qua auctoritate hoc fecit. Unde et istud nunc B dicitur per anticipationem. *Vocavitque illud, Domini pax,* quia angelus dixit ad eum, Pax tecum ; et ibi prænuntiavit ei liberationem filiorum Israel de Madianitis. Hebræis autem consuetudo fuit, imponere nomina rebus ab eventu seu aliqua proprietate vel actione, etc.

Quumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri, id est in loco seu oppido illo, ad illam familiam pertinente, *nocte illa dixit Dominus ad eum* per angelum, sive in somno sive in vigilia : *Tolle tau-* C *rum patris tui,* id est, taurum quem pater tuus Joas intendit idolo Baal sacrificare, amove et occide, ne idolo immoletur ; *et alium taurum annorum septem* etiam tolle. Illum alium taurum cives urbis illius impinguarunt, ut sacrificaretur Baal, ut in Scholastica fertur historia : ideo Dominus jussit ut taurum inde auferret. *Destruesque aram Baal, quæ est patris tui.* Quo constat, quod pater Gedeonis fuit ad idololatriam lapsus. *Et nemus, quod circa aram est,* scilicet arbores ibi consitas, *succide,* D in contemptum idololatriæ, et zelo cultus divini, atque in signum quod per te idololatria destruetur in populo Israel. *Et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ hujus,* id est magni saxi, *super quam ante sacrificium posuisti.* Ex consessione enim, apparitione et sacrificatione angeli ibi factis, consecratus fuit locus ille, ut in eo construeretur altare. *Tollesque taurum secundum,* puta taurum illum septennem, *et offeres* Deo *holocaustum super struem,* id est compositionem materiam-

Digitized by Google

que, *lignorum, quæ de nemore,* quod est A circa aram Baal, *succideris,* ut sic in Dei obsequium convertantur, quæ erant idololatriæ deputata, ad ampliorem idolorum et idololatrarum confusionem. Deinde in textu describitur, qualiter Gedeon exsecutus est ista. Et plana est littera. Porro, altare extra tabernaculum Dei construere, et in illo sacrificare non licuit, nisi ex dispensatione divina. Nec Gedeoni aliter licuisset sacrificare, quia non erat Levita, si tamen per se et non potius per manus sacerdotis sacrificavit.

Quumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum et taurum alterum impositum super altare quod tunc ædificatum erat. Dixeruntque ad invicem : Quis hoc fecit? Quumque perquirerent auctorem facti, dictum est : Gedeon filius Joas fecit hæc omnia. Et dixerunt viri civitatis illius *ad Joas : Produc filium tuum huc, ut moriatur,* id est, Gedeonem da nobis ad occidendum, *quia destruxit aram Baal, et succidit nemus.* Itaque constat, quod C nondum omnes filii Israel de sua idololatria recesserunt, nec omnes clamaverunt ad Dominum ex vera contritione. *Quibus ille,* scilicet Joas, *respondit : Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo?* quasi dicat, Si Baal est deus, potest personaliter suam ulcisci injuriam. *Qui adversarius ejus est, moriatur antequam lux crastina veniat. Si deus est, vindicet se de eo qui suffodit aram ejus,* id est, hodie occidatur ab ipso Baal, non a vobis. Hinc patet, quod Joas non tantum erat cultui Baal deditus, D quod propter contemptum Baal voluerit suum filium trucidari : et forte jam aliqualiter noverat ex Gedeonis relatu, qualiter ex divina commissione talia fecit, quum probabile sit, quod super hoc interrogaverit Joas suum filium Gedeonem. *Ex illo die vocatus est Gedeon Jerobaal,* id est fortitudo Baal, quasi fortis contra Baal, qui non vindicavit se de Gedeone; *eo quod Joas* pater Gedeonis *dixisset : Si* Baal *deus est, vindicet se,* etc.

Spiritus autem Domini induit Gedeon, id est, gratia Spiritus Sancti impletus est ad prosequendum ea quæ sibi erant desuper jussa. Itaque Spiritus Domini, Spiritus Sanctus, seu Dei voluntas induit Gedeonem, assumendo eum quasi instrumentum atque ministrum, ut prosequeretur per eum rigorem suæ justitiæ in adversarios Israelis, et suæ pietatis effectum in ipso Israelitico populo. *Qui clangens buccina, convocavit domum Abiezer,* id est progeniem viri sic dicti : de qua domo fuit et Gedeon, B ideo tanquam cognatos vocavit eos in primis ; *ut sequeretur se. Misitque nuntios in universum Manassen,* id est ad tribum Manasse, *qui et ipse secutus est eum ; et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephthali, qui occurrerunt ei* ad auxiliandum. Insinuaverat enim illis quæ manifestata et commissa sibi erant a Domino.

Dixitque Gedeon ad Dominum, ipsum orando : *Si salvum facies per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam vellus hoc lanæ,* id est laneum vellus, *in area,* id est horreo. *Si ros in solo vellere fuerit,* id est, vellus dumtaxat fuerit rore complutum seu madefactum hac nocte, *et in omni terra siccitas,* id est, per totam areæ terram circumpositam siccitas manserit, *sciam* per hoc signum, *quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel..Et factum est ita. Et de nocte consurgens,* id est valde mane, quia sollicitus fuit in isto negotio, *expresso vellere, concham rore implevit.* Qui in signum veritatis ac signi, et pro declaratione divinæ pietatis ac omnipotentiæ ejus, rorem ex vellere extorsit, et currere fecit in vasculum. *Dixitque rursus ad Dominum : Ne irascatur furor tuus,* id est rigor tuæ justitiæ, *contra me, si adhuc semel tentavero,* id est, experiri quæsiero veritatem tuæ promissionis, *quærens signum in vellere* aliud a prædicto, et quasi contrarium illi signo. *Oro ut solum vellus siccum sit,* id est, hac nocte in area maneat siccum, *et omnis terra rore madens,* id est, totum spatium areæ humectetur rore. *Fecitque*

Digitized by Google

Dominus nocte illa ut postulaverat, et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra. In quo patet benignitas et dignatio ac condescendentia Dei.

Circa hoc quæritur, an Gedeon peccavit, hæc signa quærendo. Videtur quod imo, quia dubitasse videtur de veritate promissionis divinæ, et pro majori certificatione signa petisse, ut patet ex suo modo loquendi. Nam ait, Si salvum facies, etc. Et rursus, Si hoc feceris, sciam. Ad istud Origenes respondet in homilia, et idem habetur in Glossa, quod non peccavit in isto : quod exitus rei probavit ; nam exauditus fuit a Domino. Nec exaudisset eum Dominus in his signis, si ea contra mandatum legis petisset. Isidorus quoque testatur, quod non quasi incredulus postulavit hæc signa, sed propter mysteria quæ scivit futura, hoc est ex instinctu Spiritus Sancti, ad præfigurandum quædam mysteria : de quibus in sequenti erit articulo

A sermo. Hinc alii dicunt, quod petiit signa non ex diffidentia, sed ex familiaritate divina et desiderio divini honoris, quatenus scilicet Deus in signis illis magis glorificaretur. Verumtamen S. Thomas in secunda secundæ, quæstione 97, ait : Gedeon ex debilitate fidei signum petisse videtur, unde nec excusatur, sicut nec Zacharias pater beatissimi Joannis Baptistæ. Et istud videtur magis consonum superficiei litteræ hujus. Unde pro concordantia aliquantula dici posset, quod in hac petitione non B mortaliter, sed venialiter fuit culpabilis : nec ex incredulitate, sed fidei aliquali debilitate petivit hæc signa, quia fortassis aliqualiter verebatur, ne propter peccata populi Israel, quem scivit adhuc pro magna parte esse idololatram, divina promissio non sortiretur effectum. Gedeon quoque videtur timuisse, ne offenderet Deum, signum secundum petendo : propter quod dixit, Ne irascatur furor tuus, etc.

Luc. I. 20.

ARTICULUS XII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SEXTI INTELLECTU.

QUEMADMODUM Origenes testatur, Quiescit terra, dum quiescit peccatum, id est, habitatores terræ ab infestationibus et impugnationibus conquiescunt, dum cessant peccare. Moveri autem dicitur terra, id est habitantes in ea, quando animas hominum movere cœperint ac perturbare peccata. Verumtamen istud intelligendum est de ea hominum tribulatione, persecutione et pœna, quæ eis propter eorum demerita infligitur et contingit. Sunt autem aliæ causæ diversæ, propter quas etiam justi interdum in vita hac affliguntur, ut scilicet exerceantur, et aliis in exemplum proponantur virtutum, et gloriosius coronentur, nuncque probatiores fiant et crescant in omni virtute ac gratia. Sic etenim

C passi sunt martyres sancti, et Christi Ecclesia a Romanis Imperatoribus, aliisque tyrannis generales et acerbissimas persecutiones frequenter perpessa est. Denique electi in hac vita pro suis peccatis affligi, sicque purgari consueverunt. Reprobi vero etiam in pessimis actibus multoties prosperantur, nec super eos est virga Dei. Insuper, sicut filii Israel pro suis excessibus in manus Madianitarum, Amalecitarum, et aliarum orientalium nationum sunt traditi et vehementer ab illis afflicti ; sic Christi D fideles qui sunt Israel Dei, pro suis culpis interdum ab invisibilibus hostibus impugnari ac superari sinuntur. Et quo amplius Deum offendunt, eo majorem super eos potestatem accipiunt hostes nequissimi, ita

Job XV.

Galat. VI. 16.

Digitized by Google

quod eos vincunt facilius, atque ad plura A ac enormiora trahunt peccata. Specialiter quoque per orientales justorum persecutores, intelliguntur hæretici, qui Christi nomine gloriantur, et Catholicos quasi perfidos persequuntur.

Præterea, sicut præfati filiorum Israel inimici, terram promissionis ingrediebantur, dum Israelitæ seminaverunt, et terra fructificare incepit, tuncque omnia terræ nascentia voraverunt, nec aliquid ad vitam pertinens in Israel relinquebant; sic atrocissimi ac callidissimi nostrarum ad- B versarii animarum, tunc potissimum nos impugnant, dum viderint nos per veram contritionem seu religionis ingressum converti ad Dominum, et fructum proferre virtutum, terramque corporis nostri vomere scindere disciplinæ, ut spiritui fiat subjecta, et semen suscipiat vitæ: quod fit
Rom. VI, 13. dum de cetero non exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. Tunc itaque summe conantur bona inchoata a fructuoso processu et felici consummatione totaliter impedire. Verum- C tamen per transgressores illos Judæos, quorum fructum adversarii consumpserunt, proprie designantur Christiani indigni, qui
Galat. VI, 8. (juxta Apostolum) seminant in carne, et ideo de carne metunt corruptionem: quorum fructus et opera a dæmonibus possidentur. Qui autem metunt in spiritu, non vincuntur ab illis, nisi per propriam ne-
Ephes. IV, 27. gligentiam cœperint locum dare diabolo.

Porro, sicut filii Israel *fecerunt sibi antra et speluncas in montibus, munitissima* quoque *loca ad repugnandum,* ita et nos D spiritualiter faciamus. Montes quippe sunt Sancti, et Christus ipse est mons montium: in quo antra, in quibus saluberrime abscondamur telaque hostium evadamus, sunt sacratissima vulnera ejus. Rursus, speluncæ istæ et antra, sunt corda Sanctorum, et occultæ ac piæ affectiones eorum ad nos, per quas et in quibus nos recipere ac protegere sunt parati, dummodo tota mente humiliter confugiamus ad eos, et eorum virtutes utcumque sectari nitamur. Munitissima demum ad repugnandum loca, sunt sanctæ virtutes, fides, timor, humilitas, sed et exempla Sanctorum, ac religiosa cœnobia, et congregationes devotæ, sacramentaque Christi, et in primis contritio, confessio et satisfactio perseverans, consideratio dominicæ passionis intenta, meditatio novissimorum. Ad hæc igitur et consimilia loca, remedia, confugia, in omni tentatione, tribulatione et adversitate mox confugiamus.

Amplius, Gedeon in aliquibus verbis et actibus suis, figura est Christi. Quemadmodum enim Gedeon in torculari excussit et purgavit frumenta, sic Christus in primo suo adventu inter reprobos et electos discrevit, quos vita et merito ab invicem separavit, sicut palea separatur a tritico. Unde et quosdam ex Synagoga in Apostolos ac discipulos sibi assumpsit, per quos et alia multa Judæorum millia post suam resurrectionem et ascensionem, misso Spiritu Sancto, convertit. In secundo vero suo adventu permundabit plenarie aream Matth. III, 12.
suam, congregabitque triticum in horreum cœlestis palatii, paleas vero incendet inexstinguibili igne. Insuper, sicut Gedeon fugere voluit Madianitas, sic Christus in sua infantia in Ægyptum a facie Herodis trans- Ibid. II, 13, 14.
latus est, et tempore Passionis appropinquante, a facie obstinatorum Judæorum divertit, quemadmodum Evangelista testatur, dicendo: Jesus ergo jam non in palam Joann. XI, 54.
ambulabat apud Judæos, etc. Sed et salutatio Gedeoni ab angelo facta, qua dictum est, *Dominus tecum, virorum fortissime,* competit excellentissime Christo, qui (ut princeps Apostolorum fatetur) erat vir po- Cf. Act. II, 22; Luc. XXIV, 19.
tens in opere et sermone; de quo Propheta prædixit: Accingere gladio tuo super Ps. XLIV, 4.
femur tuum, potentissime. At vero, sicut Gedeoni Israelem liberaturo, et suam insufficientiam humiliter confitenti, apparuit angelus eum confortans, consolans, adsistentiamque promittens atque triumphum; sic Christo sua sacratissima passione mundum redempturo, et sponte paventi, ac humanæ naturæ assumptæ naturalem

Digitized by Google

Luc. xxii, 43. infirmitatem monstranti, angelus de cœlo A apparuit, consolatoria verba protulit, et suæ passionis ineffabilem et incomparabilem fructum commemoravit.

Sacrificium quoque Gedeonis, qui carnes et azymos obtulit panes, nonne sacrificium Christi præfigurasse videtur, eo quod Christus in specie panis, novæ et evangelicæ legis instituit Sacramentum, et paulo post propriam carnem obtulit Deo Patri in *Ephes.* v, 2. ara crucis oblationem et hostiam in odorem suavitatis? Sicque lapis super quem posuit suum sacrificium Gedeon, typus est B crucis; et ignis de lapide illo egrediens, sacrificiumque consumens, præfiguravit ardentissimam Christi caritatem, ex qua se ipsum pro humani generis immolavit salute. Adhuc autem, sicut Gedeon Deo jubente ædificavit altare in summitate petræ, quod etiam Salvatoris crucem præfiguravit; sic Dominus noster Unigenitus Patris, unum et verum templum æterno Patri construxit super petram, sicut fate- *Matth.* xvi, 18. tur : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Rursus, per hoc quod Gedeon C aram Baal est demolitus, et taurum idololatriæ consignatum exstinxit, quid præsignatum censetur, nisi quod Christus per universum orbem idololatriam dissipavit, universisque gentium diis potentior est inventus? Iterum, per hoc quod Spiritus Domini induit Gedeonem, typice præmonstrabatur, quod Christum hominem Spiritus Sanctus undique præveniret, impleret, *Is.* xi, 2. dirigeret, prout cecinit Isaias, Requiescet super eum Spiritus Domini. Unde et in *Joann.* iii, 34. Evangelio legitur : Non ad mensuram dat D Deus Spiritum homini, utpote Christo. Denuo, sicut Gedeon Spiritu Dei indutus, præventus et motus, convocavit ad se clangore buccinæ atque per nuntios domum Abiezer, de qua exstitit oriundus, et alias quasdam Israel tribus, ut sibi ad auxiliandum adsisterent; sic Christus sua eloquentissima ac sonorissima prædicatione ad suam imitationem ac discipulatum vocavit quos- *Matth.* iv, 21; *Marc.* iii, 17, 18. dam suæ cognationis ac tribus, puta Jacobum et Joannem, sed et alium Jacobum, ejusque fratres, et ex aliis tribubus quosdam, imo et millia multa.

Præterea de mystica velleris Gedeonis significatione loquitur Origenes : Quidam ex præcessoribus nostris, per vellus intellexit Israeliticam plebem, per terram reliquam ceteras gentes, per rorem vero verbum et gratiam Dei. Primo etenim tempore legis scriptæ, sermo et gratia Dei solis Israelitis concessa sunt, ceteris nationibus in sua siccitate et sterilitate relictis; sed post Christi adventum ordo iste est variatus, quoniam Israelitis bona illa juste subtracta sunt, et gentibus copiosissime superinfusa : quod secundum Gedeonis signum evidenter ostendit, quia in illo terra areæ rore est madefacta, et vellus inventum est siccum. Huic expositioni applicat Origenes illud ex Psalmo, Descendet sicut *Ps.* lxxi, 6 pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram : ubi per vellus intelligit populum Synagogæ, quem Christus primo perfudit rore gratiæ suæ; per terram autem, gentilitatem, quam postmodum, relictis Judæis, copiosissime omni superno charismate adimplevit. Denique, per vellus Gedeonis, potest intelligi populus religionis; per aream, sæculares : et sæpe contingit, quod sæcularibus donis gratiæ destitutis, claustrales eisdem abundent. Interdum quoque contingit oppositum. Iterum, per hoc vellus intelligitur gloriosissima virgo Maria; per aream, ceterarum universitas feminarum. Itaque Virgo Deifera primo præ ceteris impleta est omni rore divinorum charismatum, in tantum quod materna fecunditas virginalisque puritas convenerunt in ea, a qua prærogativa ceteræ omnes feminæ siccæ fuerunt : quibus vel materna fecunditate, aut aliis donis gratiose perfusis, præstantissima Virgo ab omni virilis seminis contagione, omnique concupiscentiarum humore mansit siccissima.

Tropologice ex isto capitulo multipliciter edocemur. Primo, ne vana aut impia societate fallamur : sed sicut Gedeon in Dei mansit obsequio, confratribus dome-

Digitized by Google

sticis et cognatis suis ad idololatriam cor- A ruentibus; ita in Dei timore, cultu et via justitiæ persistamus, quantumlibet nobis propinqui, vicini, condomestici, sociales aut familiares, intimorate, carnaliter et inique se habeant, nosque ad mala pertrahere enitantur: imo peccantibus humiliter condoleamus, et oremus pro illis. Deinde ad humilitatem, exemplo Gedeonis, instruimur: nempe vir ille ab angelo tam inaudite salutatus, tamque magnifice commendatus, judex quoque ac liberator sui populi designatus, nequaquam se extulit, B sed humiliavit se valde, inefficaciam suam perpendens, dicensque, *Ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei.* Omnis ergo abjiciatur ambitio, et propriam defectuositatem ac vitiositatem jugiter adspiciat unusquisque. Sed et in summitate petræ, id est fidei firmitate ac certitudine, ædificemus Deo altare, id est sanctæ caritatis affectionem sursum tendentem, in qua Deo omnia offeramus; nec aliter confidamus nos posse adversarios nostræ salutis dejicere, nisi vellus animæ nostræ, id est cor nostrum, impleatur rore cœlesti, hoc est magna et multa virtute ac gratia Spiritus Sancti. Sed et pro communi bono ac profectu Ecclesiæ societatisque propriæ, unusquisque sit semper sollicitus, laborans et orans.

ARTICULUS XIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : IGITUR JEROBAAL, QUI ET GEDEON, DE NOCTE CONSURGENS.

EXSECUTIO belli nunc recitatur. *Igitur* C *Jerobaal, qui et Gedeon* alio nomine appellatur, *de nocte consurgens,* ut congressus ejus magis lateret adversarios suos, *et omnis populus ejus cum eo,* videlicet triginta duo millia, *venit ad fontem, qui vocatur Harad. Erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi. Dixitque Dominus* per angelum *ad Gedeon: Multus tecum est populus,* quia tot millia, *nec tradetur Madian* cum adjutoribus suis *in manus ejus, ne glorietur contra me Israel, et dicat: Meis* D *viribus liberatus sum.* Voluit itaque Dominus talem conferre victoriam, quæ non poterat aliqua probabilitate alteri adscribi, quam sibi. *Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica: Qui formidolosus est* corde, *et timidus* in exteriori apparatu et signo, *revertatur,* ne et ipse ingruente bello deficiat aut fugiat, et suo exemplo alios faciat trepidare. *Recesserunt-que de monte Galaad, et reversa sunt ex populo viginti et duo millia virorum,* qui se timere senserunt, nec contra legis præceptum audebant ire ad prælium: et forte libenter exonerati fuerunt ab illo congressu, qui humano judicio exteriorique apparentia videbatur valde periculosus. Nam et populus ille, quamvis multus fuisse dicatur, tamen respectu adversariorum exstitit paucus, ut infra patebit. Reversi sunt itaque de monte Galaad: qui fuit alter a monte Galaad trans Jordanem, in quo Laban apprehendit Jacob patriarcham, prout in Genesi legitur. *Gen.* XXXI, 23.

Ad bellatores autem specialiter pertinet virtus cardinalis, quæ fortitudo vocatur, ut ardua viriliter aggrediantur, et dura æquanimiter tolerent, imo pro justa causa parati sint mori. Ideo formidolosi et timidi sunt, in quibus timor carnalis seu naturalis sive mundanus non est per virtutem hanc refrenatus ac moderatus. Hinc Ada-

Digitized by Google

mantius Origenes : Formidolosus, inquit, est, qui quasi adolescente vitio, antequam videat mala, sola cogitatione [terretur], per gelida membra volvens ac monstrans formidinem, ut non tam conspectu, quam auditu et exspectatione periculorum solvatur. Porro timidus est, qui primo adspectu ad congressum trepidat, non tamen toto corde terretur, sed reparari et animari denuo potest. Denique, sicut pugnatoribus vitandus est timor; ita audacia : quia inter illa duo vitiosa extrema, mediat fortitudo ; magis tamen vitandus est timor immoderatus. Verumtamen moderatus timor utilis est in bellis, quoniam diligentiam parit, et cavet pericula, nec fortitudini contrariatur.

Quemadmodum autem Gedeon jussit formidolosos reverti, ita et alios de quibus in Deuteronomio Deus præceperat : Qui
Deut. xx, 5-7. ædificavit (inquiens) domum, et non dedicavit eam, revertatur ; similiter qui plantavit vineam, et nondum fecit eam communem, et qui desponsavit uxorem, et non accepit eam. *Et tantum decem millia remanserunt. Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus* tecum *est*, quia adhuc decem millia secum manserunt. *Duc eos ad aquas,* forte ad fontem præfatum, *et ibi probabo eos : et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat ; quem ire prohibuero, revertatur,* id est, per corporale indicium tibi monstrabo, qui ad prælium pergent. *Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon : Qui manu et lingua lambuerint aquas,* id est, solo dorso curvato cum manu projecerint aquam in os, *sicut solent canes lambere,* non quod canes lambant manu qua carent, sed quod canes aquam lingua arripiant, sicut illi eam manibus rapiebant, et item quoniam canes bibunt genu non flexo ; *separabis eos seorsum,* ita quod stabunt simul separati ab aliis. *Qui autem curvatis genibus biberint, stabunt* * *in altera parte.*
* erunt
Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projiciente aquas lambuerant, id est, parce et cursim sumpserant, *trecenti viri.*

A *Omnis autem reliqua multitudo flexo poplite,* id est genu, *biberat.* Fuit autem potatio ista in meridiano calore, quando major est æstus et sitis, ut in Scholastica habetur historia.

Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris, id est per adjutorium horum trecentorum virorum, *qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian. Omnis autem reliqua multitudo revertatur ad locum suum.* Quæritur, cur Dominus illos elegit ad prælium, qui instar B canum aquam sumpserunt genu non flexo. Respondetur, quod illi erant magis magnanimes ac fortiores, ut Josephus tangit. Quod enim noluerunt genua ad potandum curvare, sed stando potabant parum et festinanter, tanquam minus fatigati, minusque sitientes, et tanquam prompti ad procedendum, magnanimitatis ac fortitudinis fuit signum. Bibere vero genibus flexis, erat signum majoris fatigationis ac sitis. Rursus quæritur, cur Dominus similitudinem canum induxit. Ad hoc Glossa C ex Augustino respondet, quia præ ceteris animalibus canes dicuntur suis dominis amorem et fidelitatem servare. Sunt quoque pugnaces, audaces, intimidi.

Sumptis itaque pro numero cibariis et tubis, id est, tantum de cibo ac tubis accipiens, quod trecentis viris sufficiebat, *omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua, et ipse cum trecentis viris se certamini dedit,* id est, ad pugnandum processit, obediens Deo in re tam invisa et inopinata. *Castra autem Madian* D *erant subter in valle. Eadem nocte dixit Dominus ad eum : Surge, et descende in castra,* id est ad tentoria Madianitarum, *quia tradidi eos in manu tua. Sin autem solus ire formidas.* Secundum Magistrum in historiis, cor Gedeonis fuit dissolutum, ideo Dominus rursus eum confortat alio modo, qui subditur. *Descendat tecum Phara puer,* id est minister *tuus.* Gedeon multos habebat ministros ; unde præcedenti habetur capitulo, quod assumpsit decem Judic. vi, 27.
viros de servis suis. Ideo Phara iste vide-

Digitized by Google

tur fuisse minister ejus præcipuus, audax A et fortior ceteris. *Et quum audieris quid loquantur* Madianitæ, *tunc confortabuntur manus tuæ,* id est potentiæ tuæ operativæ, imo tu ipse, quia per partem intelligitur totum; exprimunturque manus, quia sunt præcipua organa operandi; *et securior ad hostium castra descendes.*

Descendit itaque in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ, id est custodes deputati ad vigilandum. *Madian autem et Amalec, et omnes orientales populi, fusi jacebant in valle, ut locustarum multitu-* B *do; cameli autem innumerabiles erant sicut arena quæ in littore maris jacet. Quumque venisset Gedeon, narravit aliquis somnium proximo suo, et in hunc modum referebat : Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo,* id est hordeaceus, *volvi,* hoc est moveri, *et in castra Madian descendere. Quumque pervenisset ad tabernaculum,* id est ad tentoria, *percussit illud atque subvertit, et terræ funditus coæquavit,* id est, exsistentes in eis occidit. *Respondit is cui loquebatur : Non est hoc* C *aliud nisi gladius Gedeonis,* id est, nil aliud per tuum somnium designatur, nisi occisio Madianitis infligenda per Gedeonem. *Tradidit enim Dominus in manu ejus Madian et omnia castra ejus.* Secundum Josephum, vir iste exponens somnium, dixit : Vile est hordeum inter grana, et populus Israel inter gentes videtur abjectus. Atque in Israel vilis est familia Gedeonis. Non est hoc aliud nisi gladius ejus. Itaque hordeaceus panis, qui est ex materia sua et forma vilis, Gedeonem si- D gnavit, qui reputatione Madianitarum, fuit nullius momenti et natione declivis. *Quumque audisset Gedeon somnium et interpretationem ejus, adoravit* Dominum, gratias agens de tam gratiosa sui confortatione et assecuratione. Consideravit quippe, quod somnium illud et expositio ejus non erant fortuita neque inania, sed divinitus dispensata, quia per angelicam administrationem facta fuit ostensio illa somnialis per imaginarias formas in somno, quemadmodum servi Pharaonis somnia talia ha- *Gen.* XL, 5-19.
buerunt in carcere. Ex angelica quoque illuminatione, revelatione interna, alius ille intellexit somnii sensum. Hujuscemodi etenim visiones et interpretationes spectant ad dona gratiæ gratis datæ : propter quod bonis et malis communes sunt; interdum quoque malis hominibus conceduntur propter bonos aut propter bonum commune.

Et reversus est ad castra Israel, et ait trecentis viris : *Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.* Probabile quoque est, quod retulit eis somnium illud et expositionem ejusdem. *Divisitque trecentos viros in tres partes,* faciendo ex eis tres turmas ab invicem congruenter distantes. *Et dedit tubas in manibus eorum,* id est unicuique viro tubam unam, *lagenasque vacuas* potu seu aqua, non tamen penitus vacuas, quum subdatur, *ac lampades in medio lagenarum :* intelligendo per lampades, faculas ardentes quæ erant sic inclusæ lagenis, quod non lucebant exterius, ne advenientes ostenderent. Habebant autem tubas in dextera, lagenas cum lampadibus in sinistra. *Et dixit ad eos : Quod me facere videritis, hoc facite.* Servi enim et milites principem suum sequi et ei se conformare, obtemperareque debent. *Ingrediar partem castrorum, et quod fecero, sectamini. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per circuitum castrorum clangite, et conclamate : Domino et Gedeoni.*

Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, quia tunc fortius dormierunt hostes, præsertim quia nil suspicabantur adversi. Gedeon autem et viri sui introierunt per gyrum castrorum, per tria loca, secundum quod erant in tres cuneos separati. *Et custodibus* Madianitarum *suscitatis* ex Israelitarum adventu, *cœperunt buccinis canere* * *et inter se lagenas complodere,* id est repercutere. *Quumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias,* id est lagenas, *terreas*

* clangere

confregissent, quibus confractis, lampades A refulgebant, *tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque : Gladius Domini* Dei Israel, *et Gedeonis;* atque, ut Josephus addit, vacuas quoque pharetras secum tulerunt. *Omnia itaque castra turbata sunt,* id est, universi Madianitæ cum suis repente sunt excitati, confusi et territi, *et vociferantes, ululantesque fugerunt :* quia apparuit eis, quod tres magni exercitus, collisionem armorum facientes, irruerent super eos; ex buccinatione quoque, et hydriarum confractione, B et Israelitarum conclamatione, horribilis sonitus causabatur; et tot facularum lumina et splendores incutiebant terrorem. *Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant :* id est, sic confudit adversarios, quod se invicem occidebant, nec cognoverunt se invicem.

Conclamantes autem viri Israel, illi videlicet, quos Gedeon fecit reverti, *persecuti sunt Madian. Et dedit Dominus victoriam populo Israel in die illa. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens :* C *Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Bethbera atque Jordanem,* etc. Et ita Ephratæi quoque occurrerunt fugientibus Madianitis, nec permiserunt eos transire Jordanem. *Apprehensosque duos viros Madian,* scilicet *Oreb et Zeb,* qui erant reges seu reguli Madianitarum, *interfecit* populus Ephraim, *Oreb in petra Oreb, et Zeb in torculari Zeb.* Petra illa et torcular illud, sortita sunt ista agnomina ab eventu. Ex quo enim Ephratæi interfecerunt Oreb juxta lapidem magnum aut super illum, vocatus est lapis ille, petra Oreb : quæ petra, alia est ab illa de qua Moyses aquam produxit. Differunt quoque *Exod.* XVII, 6. nomina duo hæc Oreb, in modico apice, seu litteris, forsan etiam interpretatione. Torcular vero, in quo occisus est Zeb, ab eo cognominatum est torcular Zeb, id est torcular in quo occisus est Zeb. *Et persecuti sunt* Ephratæi *Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.* Sequenti capitulo scribitur, qualiter Gedeon transivit Jordanem, et post transitum illum facta est allatio ista capitum Oreb et Zeb ad Gedeonem : idcirco hic recitatur per anticipationem.

ARTICULUS XIV

EJUSDEM CAPITULI EXPOSITIO SPIRITUALIS.

MYSTICE, sicut præhabitum est, Gedeon Christum multipliciter præfiguravit : sed et nominis interpretatione D præsignavit eumdem. Gedeon quippe interpretatur circuiens in utero, et ita significat illum qui secundum naturam assumptam, clausus in utero virgineæ Genitricis, secundum divinitatis suæ incircumscriptibilem majestatem circuivit, intra se clausit, et circumplexus est eam. Jerobaal vero interpretatur fortis contra Baal : et ita significat Dominum Salvatorem, omnium aerearum potestatum invictissimum debellatorem. Quod ergo Gedeon surrexit de nocte, hoc designat, quod Christus in primo suo adventu venit occulte; in secundo quoque, sicut fur in nocte, sic veniet. Quemadmodum etiam Gedeon cum suis *venit ad* *Marc.* XIII, 32-36. *fontem,* sic Filius Dei inter ceteros venit *Luc.* III, 21 ad Jordanis fluenta, ut baptizaretur. *Matth.* III, 13. *Erant autem castra Madian in valle :* per quod insinuatur, quod omnes iniqui et justorum persecutores jacent in bassitudine vitiorum, in falsitatis caligine, et propriis iniquitatibus sunt oppressi.

Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, etc. Per hoc edocemur, quantum displiceat Domino vana præsum-

Digitized by Google

ptio, et stulta confidentia in propriis viri- A
bus, gloria quoque inanis et commendatio
sui ipsius. Itaque, si in spirituali prævale-
mus conflictu, nequaquam dicamus quod
viribus nostris prævaluerimus, quantum-
cumque in resistendo laboraverimus jeju-
nando, orando, vigilando, plorando, aut
aliis modis. Nam quamvis talia cooperen-
tur et adjuvent ad triumphum, non tamen
sine gratioso Dei succursu sufficiunt: imo
et omnia illa sunt Dei dona, qui ea per
nos misericorditer operatur. Ideo totis præ-
cordiis omne bonum Deo jugiter adscriba- B
Osee XIII, 9. mus, qui per Osee testatus est: Perditio
tua ex te, in me tantummodo auxilium
Joann. XV, 5. tuum. Et per se ipsum: Sine me nihil po-
I *Cor.* IV, 7. testis facere. Hinc fatetur Apostolus: Quid
Philipp. II, 13. habes quod non accepisti? Itemque: Deus
est qui operatur in vobis velle et perfi-
cere.

*Cunctis audientibus prædica: Qui for-
midolosus est, revertatur.* Sacra Scriptura
uberrime nos hortatur, omnem carnalem,
mundanum, inordinatum timorem abjice-
re; spiritualiter vero, filialiterque timere, C
atque in Deo tota mente confidere. Nec uti-
lis est ad spiritualia bella contra dæmones
et peccata, nisi qui exclusis vitiosis illis
timoribus, sperat in Domino, et gratiæ ejus
innititur, atque in ejus indesinenti subsidio
Ps. XXVI, 1. commoratur, quum Propheta decantet: Do-
minus illuminatio mea et salus mea, quem
timebo? Dominus protector vitæ meæ, a
quo trepidabo? Verumtamen, sicut in præ-
lio corporali, ita in pugna spirituali, mo-
deratus timor est necessarius, quatenus
sicut ex Dei pietate et ope spem salutarem D
concipimus, ita ex propriæ fragilitatis et
instabilitatis ac culpæ intuitu vereamur.
Sicque inter spem tanquam inter molam
superiorem, et inter timorem salubrem,
tanquam inter molam inferiorem, spiritua-
liter ac prudenter molamur, ita quod om-
nis duritia, præsumptio, incauta securitas,
stulta audacia, frangantur ac dissipentur
in nobis, simusque custoditi, solliciti ac
timorati in omnibus. Quemadmodum au-
tem major pars populi Gedeonis erat for-
midolosa et rediit, sic major pars populi
christiani inordinatis succumbit timori-
bus, nec perseverat cum Christo.

*Dixitque Dominus ad Gedeon: Duc eos
ad aquas.* Sic Deus Trinitas Christo homi-
ni jussit, ut ad aquas Baptismatis per se
ac suos discipulos perduceret homines ip-
sum sequi volentes; ad aquas quoque sa- *Eccli.* XV, 3.
pientiæ salutaris, et ad pœnitentiæ lacri- *Ps.* LXXIX, 6.
mas. *Et ibi probabo eos:* quia qui vere
observant, quæ in Baptismo profitentur,
filii sunt salutis, et electi a Deo; ceteri
reprobantur. *Et de quo dixero tibi, ut te-
cum vadat, ipse pergat; quem ire prohibu-
ero, revertatur.* Sicut et Christus in Evan-
gelio contestatur: Nemo venit ad me, nisi *Joann.* VI, 44, 37.
Pater meus traxerit eum. Et rursus: Omne
quod dat mihi Pater, ad me veniet. Præter-
ea, per eos qui stando biberunt, et manu
ac lingua lambuerunt, intelliguntur boni
et recti corde: qui opere et sermone ser-
viunt Deo, agendo quod docent aut discunt.
Per eos vero qui genu flexo bibebant, si-
gnificantur, quorum corda terrenis carna-
libusque curvantur. At vero per eos qui
redierunt, antequam venirent ad aquas,
sunt designati, qui aliquando credere in *Matth.* XIX, 16-22; VII, 14.
Christum proposuerunt; sed audito, quam
arcta sit via salutis, quam incomprehen-
sibilia sint testimonia evangelicæ legis,
mutant propositum. Per eos autem qui ad
aquas venerunt, catechumeni exprimuntur.

In trecentis viris liberabo vos. Per cen-
tenarium perfectio denotatur, idcirco per
viros illos trecentos, signantur omnes viri
perfecti primitivæ Ecclesiæ, in summam ac
sanctam Trinitatem credentes: per quos
aggressus est Christus totius mundi idolo-
latriam exstirpare, vanitates et vitia repro-
bare, et genus humanum vero Deo subji-
cere. Quibus Christus dedit tubas in manu,
id est virtutem sonoræ et efficacissimæ
prædicationis. Unde et quosdam Apostolo- *Marc.* III, 17.
rum vocavit filios Tonitrui; et omnibus
dixit: Dabo vobis os et sapientiam, cui *Luc.* XXI, 15.
non poterunt resistere et contradicere om-
nes adversarii vestri. Dedit quoque eisdem
lampades ardentes, id est miraculorum co-

Digitized by Google

ruscationem, et auctoritatem excommuni- A candi rebelles, splendidissimasque virtutes. Insuper dedit eis lagenas seu hydrias terreas, id est propriæ fragilitatis humilem recognitionem, ne ex tam supernaturalibus ac multiplicibus præclarissimis donis extollerentur. Propter quod unus eorum
II Cor. IV, 7. in persona omnium fassus est : Habemus, inquiens, thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutum sit ex Deo. Confregerunt quoque has hydrias, dum se ipsos pro fide catholica variis lacerationibus, tormentis, ac mortibus devotis- B sime ac constantissime exposuerunt. Sicque per hæc mundum legi ac fidei Christi miraculosissime subdiderunt. Nam et ipsa mundi conversio ad tam arduissimam legem et incomprehensibilem fidem, omni miraculo, per quod facta est, mirabilior cognoscitur.

Postremo, per hoc quod Gedeon missus est ad tentoria Madian, ut audiret verba loquentium, atque ex somnio et interpretatione ipsius confirmaretur in Domino : præfiguratum censetur, quod credentes in Christum, roborantur in fide, non solum ex vaticiniis et oraculis Prophetarum Mosaicæ legis, imo etiam vatum gentilium, qui multa de Christo et ejus mysteriis sunt præfati, ut Job, Balaam et Sibyllæ.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : DIXERUNTQUE AD EUM VIRI EPHRAIM.

QUID secutum sit præfatam victoriam C magnam et prosperitatem ingentem, nunc recitatur. *Dixeruntque ad eum,* puta ad Gedeonem *viri Ephraim,* scilicet Ephratæi qui occurrerant Madianitis : *Quid hoc est quod facere voluisti, ut non nos vocares quum ad pugnam pergeres contra Madian?* quasi dicant, Irrationabiliter in hoc egisti, et nostræ excellentiæ fecisti injuriam. Ephraitæ isti fuerunt multum super-
Gen. XLVIII, 20. bi multis ex causis. Primo, quoniam Jacob patriarcha prætulit ipsum Ephraim secundogenitum sancti Joseph, primogenito ejus D
Ibid. 19. Manassæ. Secundo, quoniam Jacob prædixit, quod tribus Ephraim major futura esset tribu Manasse dignitate principatus et
Num. XXVII, 18-23. numero personarum. Tertio, quoniam Josue qui Moysi in principatu successit, fuit Ephratæus. Quarto, quoniam in divisione
Josue XV, XVI. terræ promissionis facta per Josue, tribus Ephraim statim post tribum Juda sortem suam accepit. Duæque tribus illæ tanquam ceteris digniores vel bellicosiores, constitutæ fuerunt in duabus extremitatibus terræ promissæ, quasi ad tutamen tribuum aliarum : et quoniam ex arrogantia generatur invidia, Ephraitæ isti inviderunt triumpho et gloriæ Gedeonis. Nec forefecit eis, non vocando eos ad pugnam, ad quam nec tribum Juda reliquis præstantiorem vocavit : atque ex rationabili causa hoc creditur omisisse, et forte propter eorum superbiam, ex qua forsan dedignati fuissent eum sequi. *Jurgantes fortiter :* quia, ut Salomon loquitur, Inter superbos sem- Prov. XIII, 10.
per sunt jurgia; *et prope vim,* id est quasi violentiam, *inferentes* duci ac judici suo, scilicet Gedeoni : quia, ut scriptum est in Proverbiis, Ubi fuerit superbia, ibi erit et Ibid. XI, 2.
contumelia.

Quibus ille respondit : Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? quasi dicat : Fortiores et victoriosiores fuistis in prælio isto quam ego. *Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer?* ac si loquatur : Pauci de vestra tribu plus

valent et fortius pugnaverunt, quam multi ex familia mea. Vel sensus est, quod paucæ personæ, videlicet duo reges occisi ab Ephraitis, magis erant reputandæ, quam multi vulgares occisi a populo Gedeonis. Hinc subditur : *In manus vestras tradidit Dominus principes Madian, Oreb et Zeb. Quid tale facere potui quale vos fecistis? Quod quum locutus esset, requievit spiritus,* id est indignatio seu animositas, *eorum qui tumebant contra eum,* reputantes se eo nobiliores. Quærebant namque honorem, et in hoc detulit eis. Sicque in eo impletum est quod Salomon protestatur :
Prov. xv, 1. Responsio mollis frangit iram.

Quumque venisset Gedeon ad Jordanem, transivit eum cum trecentis qui erant secum; et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant. Dixitque Gedeon *ad viros Socoth,* id est ad habitatores urbis sic di-
Gen. xxxiii, 16, 17. ctæ, juxta quam Jacob recedens ab Esau, tabernacula sua fixit, appellavitque nomen loci illius Socoth, id est tabernacula, ut in Genesi legitur. *Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt* fame et lassitudine. Porro nomine panis designatur in Scripturis quicumque cibus. *Ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian.* Jam dictum est, quod Oreb et Zeb erant reges Madian ; nunc vero adjicitur, quod Zebee et Salmana erant reges Madianitarum. Quomodo ergo unum et idem regnum habuit simul reges tam multos? Ad quod dicendum videtur, quod isti fuerunt reguli et principes particulares, ita quod unusquisque eorum præfuit certæ parti regionis illius, sicut in terra Philistiim erant satrapæ quinque : et forte hi reges Madian, habuerunt super se unum totius regni sui generalem principalemque regem. Nam et in Numeris leguntur filii Is-
Num. xxxi, 8; xxii. rael occidisse quinque reges Madian, et tamen pro tunc Balac fuit principalis rex Madian, secundum quod in librum Numerorum dicunt expositores. *Responderunt principes Socoth,* id est rectores et superiores urbis illius : *Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes.* Ista fuit superba, subsannativa, et negativa responsio, tanquam dicant : Tu loqueris quasi jam certus sis de triumpho, et quasi jam ceperis eos qui multo potentiores te sunt. Viri isti nondum percepisse videntur, quemadmodum Gedeon superaverat Madianitas. *Quibus ille ait : Quum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, et quum reversus fuero victor in pace, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti :* secundum quod infra legitur id fecisse. Fuit autem hæc Josue xv, 48.
urbs in terra promissionis prope Jordanem, et habitatores ejus fuerunt de populo Israel : ideo gravius peccaverunt, confratribus suis necessaria alimenta negando, et Gedeoni tam irrisorie respondendo. Denique, quia in isto fertur capitulo, quod Gedeon transivit Jordanem post primam pugnam, elicitur quod natus fuit ex ea media tribu Manasse quæ habitationem accepit ultra Jordanem cum tribubus novem Ibid. xiii, 7.
in terra promissionis.

Et inde conscendens, venit in Phanuel, id est ad oppidum sic vocatum, circa quod Gen. xxxii, 24, 30.
luctabatur Jacob, de Mesopotamia veniens, cum angelo, ut in Genesi habetur. *Et locutus est ad viros loci illius* Phanuel *similia,* sicut ad habitatores Socoth postulando cibaria. *Cui responderunt sicut responderant viri Socoth. Dixit eis : Quum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc :* in qua tunc erant, qui ei sic responderunt, fuitque turris illa in civitate Phanuel nominata.

Zebee autem et Salmana requiescebant, quasi securi et nihil suspicantes adversi, *cum omni exercitu suo,* scilicet quindecim millibus. Unde subjungitur : *Quindecim enim millia remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum. Ascendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur ad orientalem partem Nobe et Jegbaa, percussit castra hostium,* etc., id est residuos Madianitarum, scilicet quindecim millia ista. *Fuge-*

Digitized by Google

runtque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum.

Revertensque de bello ante solis ortum, id est altero die valde mane, sicut ex textu insinuari videtur : tamen (ut fertur) in Hebræo habetur, De altitudine solis, id est ante solis occasum, sole adhuc exsistente alte in cœlo ; *apprehendit puerum de viris Socoth,* id est civem urbis illius, extra eamdem, *interrogavitque nomina principum et seniorum Socoth,* ut eos occideret, quia aut soli, aut præ ceteris, erant in prædictis culpabiles ; *et descripsit septuaginta septem viros,* id est, tot principalium virorum nomina scripsit aut scribi jussit Gedeon ex ore illius pueri ; vel puer ille hæc scripsit. *Venitque ad Socoth, et dixit illis : En Zebee et Salmana,* etc. Quasi dicat : Jam videtis, quod Dei auxilio victor factus sum horum, et quod impia fuit irrisio vestra. *Tulit ergo seniores,* id est superiores, *civitatis,* quam potenter obtinuit ; vel viso tanto triumpho, non audebant ingressum negare ; *et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis atque comminuit viros Socoth,* id est, cum spinis illis ac tribulis fecit eorum corpora lacerari, vel per spinas illas ac tribulos traxit eos. *Turrimque Phanuel subvertit* cum auxilio sui exercitus, *occisis habitatoribus civitatis* Phanuel : non omnibus, sed illis qui sibi ex turre illa irrisorie responderunt, seu et eorum fautoribus.

Dixitque ad Zebee et Salmana : Quales fuerunt viri quos occidistis in Thabor, id est in monte illo vel circiter ? *Qui responderunt : Similes tui* erant, videlicet pulchri et fortes viri, *et unus ex eis quasi filius regis,* id est elegantior apparatu, forma ac robore, quasi filius regis fuisset. *Quibus ille ait : Fratres mei fuerunt, filii matris meæ.* Ex quo apparet, quod erant fratres Gedeonis uterini, et ex sola matre ; vel more Scripturæ, per fratres intelligit cognatos. *Vivit Dominus :* quod fuit juramentum ex rationabili causa prolatum ; *quia si servassetis,* id est, non occidissetis

A *eos, non vos occiderem ;* sed pro misericordia illis exhibita, facerem vobis misericordiam. *Dixitque Jether primogenito suo : Surge et interfice eos.* Etenim juxta Mosaicam legem, propinquus occisi tenebatur (Num. xxxv. 16-21) occisorem tempore et loco opportuno occidere. *Qui non eduxit gladium. Timebat enim.* Non timebat quod capti illi sibi resisterent, sed timebat, id est, adhuc præ teneritudine ætatis et mollitie cordis, horrebat sanguinis effusionem, atque in principes tantos tam exornatos, formidavit B mittere manum. *Quia adhuc puer erat,* scilicet nondum viginti annorum, quia in numeratione populi non computabantur, nisi qui ad minus erant viginti annorum : (Num. i, 3, 45.) qui et viri vocabantur, et ad bella procedere erant idonei, quantum est ex parte ætatis. *Dixeruntque Zebee et Salmana : Tu, surge et irrue in nos, quia juxta ætatem et robur es* * *hominis,* id est, virilis (* est) ætatis es, et fortitudinem habes hominis bene dispositi. Viri illi animosi erubuerunt a puero perimi, et metuebant ex hoc post C mortem pati diffamiam, sicut Abimelech (Judic. ix, 53, 54.) læsus a muliere, jussit se a proprio occidi armigero, ne post mortem suam diceretur in ejus opprobrium, quod esset a femina interfectus. Poterant quoque citius occidi a Gedeone, quam a puero.

Surrexitque Gedeon, et interfecit Zebee et Salmana, et tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent, id est, illa accepit, deponendo ea ab his qui utebantur eisdem. Bulla autem est ornamentum regalium puerorum, equo- D rum aut camelorum, præcipue circa collum, in rotunditate similis bullis quæ in aquis vento inflantur, quasi dicta a bulliendo. Accipitur quoque aliis modis.

Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeon, hoc est aliqui seu principales de singulis tribubus : *Dominare nostri, tu et filius tuus* primogenitus, seu magis idoneus, aut quem post te præesse volueris, *et filius filii tui,* hoc est usque ad tertiam generationem. Vel per hunc modum loquendi insinuabant, quod de cetero sem-

Digitized by Google

per sibi ac posteris suis præessent Gedeon et posteri ejus. *Quia liberasti nos de manu Madian. Quibus ille ait : Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus :* id est, Deus Israel erit Dominus vester, qui sibi reservavit dominium super vos, et judices vult vobis præesse, non per modum dominii, sed directionis atque consilii. Quod qualiter intelligendum sit, in expositione primi capituli clarius est expressum. *Unam petitionem postulo a vobis : Date mihi inaures,* id est aurea aurium ornamenta, *ex præda vestra,* id est de spoliis occisorum. *Inaures enim aureas Ismaelitæ habere* et etiam in auribus ferre *consueverant.* Ex hoc verbo apparet, quod Madianitæ isti fuerunt Ismaelitæ. Contra quod argui po- *Gen.* xxv, 2, 12. test, quoniam Madianitæ descenderunt de Abraham per Madian filium Ceturæ, Ismaelitæ autem per Ismaelem filium Agar, sicut in Genesi patet. In oppositum argui *Ibid.* xxxvii, 28. potest, quoniam in Genesi legitur Joseph venditus Madianitis Ismaelitis. Ad istud Augustinus respondet, quod vel Ismaelitæ habitando in terra Madian, dicti sunt Madianitæ, vel ex mutuo matrimonio ; vel Agar et Cetura erant mulier una, secundum quod dicunt Hebræi. Et si hoc ultimum diceretur, consequenter (ut videtur) dicere oporteret, quod unus filiorum Ceturæ, scilicet Madian, sit idem qui Ismael.

Qui responderunt : Libentissime dabimus : nec immerito, quia victoriam et maximam opulentiam erant per Gedeonem sortiti. *Expandentesque pallium projecerunt in eo inaures de præda, et fuit pondus inaurium mille septingenti sicli auri, absque ornamentis et monilibus et veste purpurea, quibus Madian reges uti soliti erant, et præter torques aureas camelorum. Fecitque ex eo,* puta ex pondere tanti auri seu inaurium aurearum, *Gedeon ephod,* id est vestimentum seu ornamentum sacerdotale, imo et pontificale, quod et superhumerale vocatur. *Et posuit in civitate sua Ephra.* Circa hoc Magister in historiis ait : Per ephod quod est dignius

A vestimentum pontificis, intelligitur quod Gedeon fecerit sibi omnia pontificalia indumenta. Et fecit in Ephra tabernaculum et altare, præter illud quod erat in Silo. Et factus sacerdos, immolavit super illud hostias Domino. Alii quoque fatentur, quod tactus quadam indiscreta devotione, hæc fecit, sicut et Ozias rex thurificare præ- II *Par.* xxvi, 19. sumpsit. Voluitque Gedeon in urbe et domo sua habere cultum Dei, sicut habebatur in Silo.

Circa hæc quæritur, quando Gedeon fe- B cerit ista. Ad quod Augustinus respondet, quod circa finem vitæ suæ, non statim quando inaures accepit. Unde dicit, istud de ephod hic recitari per prolepsim, id est anticipationem : quia, ut Augustinus videtur innuere, si Gedeon antea hæc fecisset, terra non requievisset tot annis, videlicet quadraginta, sub ejus regimine. Addit tamen Augustinus, quod si fecit hæc ante, non circa finem vitæ suæ, Deus patienter hoc tulit, ut pax perseveraret in terra : quia etsi contra legem hæc egerit, C non tamen longe recessit a lege, quæ talia in tabernaculo fieri jussit in Dei honorem. Iterum quærit Augustinus, quomodo de tanto auro factum sit unum ephod. Ad quod inquirendo respondet in primis, quod forsitan totum ephod aureum fuit, atque tam solidum ex materia auri, quod per se potuit stare erecte. Deinde adjungit, quod forte per ephod, tanquam per dignius, intelliguntur alia sacerdotalia ornamenta : nempe in lege erat præceptum, ut fieret ephod non ex auro dumtaxat, sed item ex *Exod.* xxviii, 6. D hyacintho, purpura, cocco bis tincto et bysso. Interdum vero accipitur ephod pro linea veste. Unde et mater Samuelis legi- I *Reg.* ii, 18, 19. tur suo filio ephod tulisse. Et secundo Regum narratur, quod in deportatione arcæ, indutus sit David ephod lineo. II *Reg.* vi, 14.

Fornicatusque est omnis Israel in eo. Hoc aliqui sic exponunt, quod licet Gedeon non sit usus hoc ephod in idolorum obsequio, tamen post mortem ejus filii ejus fecerunt hoc. Augustinus vero exponit sic, quod fornicati dicuntur Israelitæ in ephod

Digitized by Google

illo per hoc, quod consenserunt his, quæ Gedeon contra legem fecit, et communicaverunt ei in culpa. Fornicatio equidem, in Scripturis pro quacumque mortali accipitur culpa, non solum pro carnali fornicatione et idololatria. *Et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam :* quia Gedeon peccavit in his, et filii sui communicaverunt ei in culpa hac. Propter quod Deus justo judicio permisit omnes filios ejus legitimos (uno dempto) occidi, juxta modum in sequenti capitulo scriptum. *Judic.* IX, 5.

Et humiliatus est Madian coram filiis Israel, id est, divina virtute victi sunt et dejecti per Israelitas, *nec potuerunt ultra cervices elevare ; sed quievit terra per quadraginta annos, quibus præfuit Gedeon,* sub cujus præsidentia non sunt inquinati idololatria.

Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore ejus, et forte aliquas filias, *eo quod plures haberet uxores. Concubina autem illius genuit ei filium nomine Abimelech.* Quæritur an concubina illa fuit uxor ejus legitima, an adultera. Videtur quod fuerit uxor ejus, quia vir sanctus fuit, non adulter. Ergo qua ratione Abraham, Jacob et David excusantur ab adulterio, quamvis concubinas habuisse dicantur, quamvis de concubitu cum Bethsabee David non excusetur : qui tamen concubinas habuisse leguntur, quoniam concubinæ in Scripturis frequenter vocantur uxores minus principales ; sic excusandus videtur et Gedeon. In oppositum argui potest, quod concubina hæc Gedeonis non habitavit cum eo in Ephra, sed remote ab eo in Sichem. Ad istud quidam dicunt, quod fuit uxor ejus secundaria et adjuncta. Alii opinantur oppositum ; sic tamen, quod concubina illa non fuit pro tunc alterius uxor. Nam et in Scholastica fertur historia, quod Abimelech fuit naturalis filius Gedeonis et spurius. Sed mirum, si tantus vir qui præfuit populo Dei, et inter Sanctos ab Apostolo numeratur, fuit concubinarius et adulter : nisi forte quis putet, quod ex dispensatione divina habuerit eam, secundum quod infra de Samsone dicetur quod filiam Philistinorum duxit in conjugem : quod secundum legem ei non licuit. Sed quia peccare humanum est, si mulier illa non fuit Gedeonis uxor legitima, credendum videtur quod non diu mansit in illo peccato, si illicite habuit eam : quo dato, certum est quod vere inde pœnituit. Nam subditur, *Mortuusque est Gedeon in senectute bona :* quod de nullo præcedentium judicum scriptum est, ne forte de salvatione et sanctitate Gedeonis quis ambigat, quoniam reprehensibilia quædam de eo jam scripta sunt ; *et sepultus est in sepulcro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri.*

Gen. XVI, 1-4 ; XXX, 3-5 ; II *Reg.* V, 13. *Ibid.* XI, 4. *Hebr.* XI, 32. *Judic.* XIV, 1-4.

Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel mente a Deo, tanquam ingratissimi ac pessimi, atque ad omne malum pronissimi, præsertim ad idololatriam ; *et fornicati sunt* per idololatriæ crimen *cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in deum :* quoniam firmiter statuerunt, promiserunt, seu juraverunt, de cetero in ejus cultu perseverare, secundum quod electi Israelitæ quandoque percusserunt fœdus cum Domino, quod esset eis in Deum. *Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui* toties et tam pie *eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum ; nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal :* id est, beneficiis ejus fuerunt ingrati circa filios ejus legitimos principales, quorum nullum assumpserunt in judicem, nec crudelissimam eorum occisionem mox ulti sunt. Præterea Augustino testante, et habetur in Glossa, post mortem Gedeonis, gravius transgressi ac fornicati sunt filii Israel, quam ante propter ephod præfatum, quo in idololatria usi dicuntur. Sed mirum videtur, si Gedeon peccavit in usu ephod atque officio sacerdotum, quod non fuit punitus a Deo, quemadmodum Ozias rex Israel : qui quum thurificare cœpisset, mox percussus est lepra, quum tamen Ozias multo minus se intromiserit de officio sacerdotali, quam Gedeon ; nec increpatus a

II *Par.* XXVI, 19.

Digitized by Google

sacerdotibus, aut aliquo viro sancto, aut Propheta. Si autem increpatus fuit, cur non pœnituit et dimisit? Quod si pœnituit et cessavit, cur non abstulit aut destruxit ea quæ fecit? Si vero peccavit in illis contra legis præceptum, id est mortaliter, nec inde pœnituit, non esset salvatus. Hinc quidam sunt opinati, quod nec peccavit in illis, sed ex dispensatione divina usus est sacerdotis officio, et per consequens ephod, sicut et supra legitur sacrificium obtulisse. Hæc tamen opinio debilis comprobatur, quia, ut in expositione sexti capituli patuit, Gedeon non obtulit sacrificium illud Deo, sed præsentavit illud ei, qui sibi apparuit, ut per illum Deo immolaretur. In textu quoque manifeste asseritur, quod factum est Gedeoni in ruinam. Augustinus item et Thomas, Glossa, Magister in historiis, et alii viri catholici communiter tenent oppositum. Hinc demum inconvenienter quidam hic scribit, quod Gedeon sacrificium obtulit Deo ex dispensatione divina, dum angelus sibi primo apparuit.

Judic. vi, 18, 19.

Sensus moralis.

Moraliter ex prædictis discamus tam sancti Gedeonis, quem Origenes in homilia vocat sanctissimum, humilitatem patientiamque sectari. Qui molli et humili responsione superborum et injuriantium jurgia, et quasi violentiam quamdam tam mansuete sustinuit, tamque humiliter superavit atque exstinxit, et ante apostolica documenta vicit in bono malum. Si tantus judex ita ad subjectos se habuit, quanto magis ad proximos, pares et superiores debemus nos ita habere, et superba duraque verba vitare; quoniam sermo durus suscitat furorem, imo et pias mentes exasperat. Sed nec armatis precibus conemur aliquid extorquere a proximis, potissime a præsidentibus, quum et Gedeon tam humiliter postularit ab inferioribus sibi aureas dari inaures. Postremo, quoniam Gedeon ex vehementi quodam fervore et zelo divini honoris, ad præfatos excessus in factione usuque ephod dilapsus est, videamus ne et nos aliqua indiscretione præcipitemur : imo quo major est fervor, eo et majus instat periculum, nisi discretione regatur. Exemplo quoque virorum Socoth et Phanuel, omnem subsannationem atque irrisionem injustam, præsertim superiorum ac sapientiorum, prorsus vitemus, ne et similia eis, aut certe pejora incurramus tormenta. Nam et Salomon contestatur: Illusores Deus illudet. Et Isaias ait: Nolite illudere, ne constringantur vincula vestra.

Rom. xii, 21.

Prov. xv, 1.

Ibid. iii, 34.

Is. xxviii, 22.

ARTICULUS XVI

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI NONI : ABIIT AUTEM ABIMELECH FILIUS JEROBAAL.

OPPOSITA juxta se posita, clarius innotescunt : idcirco inseritur hic historia unius impii præsidentis in Israel, ex cujus malitiis, aliorum judicum bonitas evidentius innotescit. Alii etenim judices filios Israel liberaverunt, reformaverunt et conservaverunt in statu bono; iste econtrario eos corrupit, vastavit, destruxit.

*Abiit autem Abimelech filius Jerobaal, in Sichem ad fratres matris suæ, et locutus est ad eos et ad omnem cognationem domus patris matrisque suæ**. Sichem interdum est nomen viri, aliquando urbis, quandoque territorii. Nunc autem accipitur pro oppido, quod fuit in tribu Ephraim. Eratque urbs refugii, prout in Josue libro continetur. Unde videtur quod concubina hæc Gedeonis fuit ex Ephraim tribu nata. Ex quo ultra elici probabiliter potest, quod non erat uxor Gedeonis, cui secundum le-

* matris suæ

Josue xx, 7.

Digitized by Google

gem non licuit ex aliis tribubus ducere conjugem. *Dicens : Loquimini ad omnes viros Sichem : Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Jerobaal, an ut dominetur vobis vir unus ?* quasi dicat : Multo plus expedit vobis, ut ego solus vobis præsim, quam tot viri. Nec dubium quin expedientius sit, unum habere principem bonum, quam multos qui præsint, quum et teste Philosopho, pluralitas principum mala sit. Propterea principatus monarchicus amplius commendatur : nihilo minus melius est, multos bonos habere rectores, quam unum malum ; nec consequens fuit, quod omnes illi septuaginta filii Gedeonis præfuissent simul post patrem suum, si unus iste non præsideret. Ipse tamen sic loquebatur, quasi omnes illi optarent præesse. Denique iste Abimelech fuit aperte et inverecunde ambitiosus, non obstante quod fuit de concubina, imo et ancilla (ut infra habetur) natus. Quumque virtuosus pater ejus offerentibus sibi dominium dixerit, Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, iste palam locutus est, dominari se velle. Deinde persuasionem adjungit, quod ipsum potius debeant promovere. *Simulque considerate, quia os vestrum et caro vestra sum,* id est frater et consanguineus vester. Propter quod mihi favorabiliores esse debetis, et ego promotus, vicem vobis rependam et committam officia: quum tamen principatus debeatur virtuti magis quam carnali origini. Unde nec alicui alteri judici bono legitur in præsidentia suus filius successisse.

Judic. IX, 18.

Locutique sunt fratres matris ejus de eo ad viros Sichem, et inclinaverunt cor eorum post Abimelech, dicentes : Frater noster es. Dederuntque ei septuaginta pondo argenti. Pondo, indeclinabiliter sumptum, designat idem quod pondus vel libra. Dederunt itaque ei tantam pecuniam, ut moris est novis principibus munera dare. *De fano Baalberith.* Complexum istud, Baalberith, est nomen fani seu templi illius sacrilegi, iu quo Sichimitæ illi percusserunt fœdus cum Baal, quod esset deus eorum. Nam Berith interpretatum, dicitur fœdus. In Scholastica autem historia fertur, quod juraverunt huic Abimelech in fano Baal, quod scilicet haberent eum pro principe : idcirco vocatum est fanum Baalberith, quoniam Berith conjuratio interpretatur. *Qui conduxit sibi ex eo,* scilicet præfato argento, *viros inopes et vagos, et secuti sunt eum,* qui putabant oportere undequaque acquirere, etiam ex iniquo, nec necessaria vitæ volebant per honestos procurare labores. Ideo pro pecunia sanguinem innoxium effundere erant parati. *Et venit in domum patris sui in Ephra, et occidit fratres suos septuaginta viros,* auxiliantibus ei illis latrunculis, *super lapidem unum,* uno tamen excepto. Unde videtur, quod primo cepit et fecit eos teneri, deinde successive occiderit aut decollaverit eos. Ecce quam inhumana crudelitas ! Ecce ad quanta facinora trahit ambitio ! Timuit quippe Abimelech, quod fratres sui resisterent suæ promotioni, aut ab aliis tribubus acceptarentur in judices. *Remansit autem Joatham filius Jerobaal minimus,* id est junior, *et absconditus est :* quia se ipsum abscondit, vel alii hoc fecerunt, nec cum fratribus suis ab Abimelech est inventus.

Congregati sunt autem omnes viri Sichem, et universæ familiæ urbis Mello, id est sic appellatæ. Mello autem tertio Regum libro, pro quadam voragine sumitur. *Abieruntque et constituerunt regem Abimelech juxta quercum quæ stabat in Sichem :* non quod fuerit proprie rex, nec toti præfuit Israelitico populo, sed Sichimitis. Sicque nomen regis extense nunc sumitur, sicut in Genesi, ubi secundum nostram translationem dicitur Abrahæ, Princeps Dei es apud nos, Septuaginta transtulerunt, Rex Dei es apud nos. Porro Saul fuit primus rex Israel, loquendo de regibus proprie dictis, qui generale habuerunt dominium.

III Reg. x, 27.

Gen. XXIII, 6.

I Reg. x, 1.

Quod quum nuntiatum esset Joatham jam præfato, *ivit et stetit in vertice montis Garizim :* de quo monte in libro Josue habetur ; *elevataque voce clamavit,* ut au-

Josue VIII, 33.

dirctur a Sichimitis, remote inferius stantibus : *Audite me, viri Sichem, ita ut audiat vos Dominus,* id est, verba et opera vestra pravissima audire et scire se pandat per debitam ultionem : quod zelo justitiæ iste Joatham protulit. *Ierunt ligna.* Joatham parabolice locutus est illis, qui manifestatam veritatem noluerunt audire, et ipse infra propriam parabolam pro magna parte exponit. Itaque sensus hujus litteræ est, non ille quem verba immediate designant, sed quem res significatæ per verba ista, significant. Ait ergo : Ierunt ligna, *ut ungerent super se regem :* id est, filii Israel solliciti fuerunt pro obtinendo rectore idoneo, pro qua re sæpe occupati fuerunt. *Dixeruntque olivæ : Impera nobis.* Per olivam, potest intelligi quæcumque persona pietate abundans, quam sibi petierunt præesse, ut Debora prophetissa. (*Judic.* IV.) *Quæ respondit : Numquid possum deserere pinguedinem meam,* videlicet oleum, *qua et dii utuntur et homines,* dii videlicet in luminaribus templorum, et homines in præparationibus cibariorum ac medicinarum, *et venire, ut inter ligna promovear,* id est, popularibus negotiis inquietari ? Sicque per pinguedinem olivæ, intelliguntur internæ affectiones pietatis et misericordiæ spiritualis : quæ per exteriores occupationes sæpe interrumpuntur. Propter quod virtuosæ personæ prælationem sæpe refugiunt. *Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni, et super nos regnum accipe.* Potest per ficum intelligi Barac, (*Ibid.* IV, V.) qui suo triumpho maxime consolatus est filios Israel. *Quæ respondit : Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos,* id est exercitationes virtuosas, et interiores consolationes eis annexas, *et ire, ut inter cetera ligna promovear ?* secundum sensum præhabitum.

Locuta sunt quoque ligna ad vitem : Veni, et impera nobis. Quæ respondit : Numquid possum deserere vinum meum quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cetera promoveri ? Non quod Deus in sua natura vino utatur, sed quia lætatur Dominus in operibus suis, imo potius in se ipso, quod talis et tantus est, ut tam præclarus et incomparabilis sit in suis effectibus, juxta illud : Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua. (*Ps.* LXXXV, 8.) Qui et omnipotentiam, sapientiam et bonitatem suam in vite excellenter declarat, de ligno tam vili ac tenui quamvigorosissimum ac utilissimum producens liquorem. Vel dicitur vinum lætificare Deum, quoniam ministros templi sui exhilarat. Potest autem per vitem Gedeon designari, qui instar vitis fructificavit in prole, et lætificavit filios Israel suo triumpho, atque ex contemplatione Dei et apparitionibus angeli sancti repletus est gaudio. Hi omnes, sicut et ceteri judices boni, noluerunt sibi dominium super filios Israel usurpare, sed per modum prudentialis directionis humiliter præfuerunt. *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : Veni, et impera super nos.* Per omnia ligna hæc, designantur Sichimitæ prædicti ; per rhamnum vero, Abimelech. Rhamnus est genus rubi primo molle, deinde spinosum, quod inter ligna habet naturam producendi ignem ex se, dum vento agitatur, ut Josephus contestatur. *Quæ respondit : Si vere me constituitis regem vobis, venite et sub mea umbra requiescite.* Sic et Abimelech exegit, ut Sichimitæ sub sua manerent protectione. *Si autem non vultis* sub mea requiescere umbra, *egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani,* id est, principales ex vobis incendantur et occidantur a me, secundum quod infra in isto capitulo legitur factum.

Nunc ergo si recte, id est juste, *et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, et bene egistis cum Jerobaal et cum domo ejus :* qui quamvis jam mortuus erat, tamen in suis filiis est punitus et ingrataneter tractatus ; *et reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian.* Quamvis etenim Gedeon ab angelo fuit de victoria assecuratus, tamen secundum humanum judicium,

Digitized by Google

magnis se exponebat periculis, pergendo cum paucis ad pugnam contra centum viginti millia hominum. *Qui nunc surrexistis contra domum,* id est posteros seu filios, *patris mei, et interfecistis filios ejus septuaginta viros,* uno tamen excepto, quia Scriptura minutias numerorum et temporum non curat nec computat, *super unum lapidem.* Ex hoc etiam patet, quod adjutores Abimelech fuerunt ex populo Sichimorum, qui Ephratæi fuerunt. *Et constituistis regem Abimelech filium ancillæ ejus,* videlicet Gedeonis, *eo quod frater vester sit. Si ergo recte et absque vitio egistis cum Jerobaal et domo ejus, hodie lætamini in Abimelech,* de ejus promotione, *et ille lætetur in vobis. Sin autem perverse* egistis in his, *egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem et oppidum Mello. Egrediaturque ignis de viris Sichem et Mello oppido, et devoret Abimelech.* Per ignem, intelligitur quæcumque punitio seu persecutio gravis. Sicque maledictio ista post tres annos fuit impleta : quoniam rebellantibus Sichimitis, ipse Abimelech multos eorum igne occidit, alios gladio, protinusque fuit peremptus ab ipsis. *Quæ quum dixisset, fugit et abiit in Bera, habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui.*

Circa hæc oritur quæstio. Dictum est enim, quod propter peccatum Gedeonis in usu ephod, deleta sit domus ejus : ergo Sichimitæ juste occiderunt filios ejus, et erant in hoc instrumentum divinæ justitiæ. Respondetur, quod quamvis Deus justo judicio permisit hoc fieri, Sichimitæ tamen ex impiis causis ad hoc faciendum sunt moti; nec ipsi fuerunt a Gedeone injuriam passi, sed beneficia multa et magna sortiti, ideo ingratissimi ei effecti sunt.

Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis. Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem. Secundum Augustinum, istud intelligi potest factum a Domino permissive et imperative, ut sit sensus, quod Deus justo judicio voluit et permisit Sichimitas adversus Abimelech concitari et tentari a pessimo dæmone, imo a multis dæmonibus sub suo principe agentibus, ad perturbandum ac dissipandum pravam illorum concordiam. Perversitas tamen intentionis dæmonum in talibus, non est imperative a Deo, qui non jubet peccata committi. *Qui cœperunt eum detestari,* tanquam crudelissimum fratricidam, ambitiosissimumque tyrannum, *et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, et effusionem sanguinis eorum,* videlicet filiorum Gedeonis, *conferre,* id est retorquere, *in Abimelech fratrem suum, et in ceteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant.* Superius dictum est, quod Abimelech conduxit viros vagos et inopes, qui eum juverunt : quomodo ergo nunc dicuntur eum juvisse principes Sichimorum? Ad quod dicendum videtur, quod Abimelech in regem promotus, illos auxiliatores suos in officiis magnis constituit. *Posueruntque insidias adversum eum in summitate montium. Et dum illius præstolarentur adventum,* quatenus eum improvise occiderent, quia et insidias adversus eum posuerunt in montium summitate, *exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus,* quos spoliaverunt aut etiam occiderunt, præsertim si erant de parte Abimelech. *Nuntiatumque est Abimelech.*

Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, et transivit, id est ingressus est, *Sichimam,* scilicet territorium illud. *Ad cujus adventum erecti,* id est animati et roborati, *habitatores Sichem, egressi sunt in agros, vastantes vineas,* quæ ad Abimelech vel ejus auxiliarios pertinebant, *uvasque* vinearum illarum *calcantes,* in aspernationem Abimelech ; *et factis cantantium choris,* id est choreis, *ingressi sunt fanum dei sui, et inter epulas et pocula maledicebant Abimelech, clamante Gaal filio Obed,* viro potente et ambitioso, qui cupiebat, occiso Abimelech, præsidere populo illi : *Quis est iste Abimelech?* quasi dicat, Vilis et impius est, et nobis præesse indignus. *Et quæ est Sichem, ut serviamus*

Digitized by Google

A *ei?* tanquam dicat, Præclara et vetus urbs est, in qua non decet tam vilem regnare. *Numquid non est iste filius Jerobaal?* id est, filius est Gedeonis nati ex tribu Manasse, cujus filius non habet jus regnandi in terra hac tribus Ephraim. *Et constituit Zebul servum suum principem,* id est ballivum aut præfectum, *super viros Hemor patris Sichem,* id est super nobiles habitatores oppidi hujus, in quo olim Hemor : qui fuit tempore Abrahæ princeps et pater urbis istius ; qui et filium habuit nomine Sichem, ut in Genesi habetur. (Gen. xxxiv, 2, 4, 6.) B Sicque habitatores Sichem, quamvis Israelitæ et Ephratæi, dicuntur viri Hemor, id est successores ejus in possidendo et inhabitando urbem hanc ipsam. Et forte aliqui ex reliquiis antiquorum illorum Amorrhæorum, adhuc habitabant ibidem, sicut et in aliis urbibus terræ promissionis. *Cur ergo serviemus ei?* quasi dicat, Indigna premimur servitute. Porro quod dictum est, Numquid non est filius Jerobaal ? quidam exponunt quasi ironice dictum : ac si Gaal C dicat, Abimelech non est filius Gedeonis legitimus, sed spurius. *Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech.*

Dictumque * *Abimelech,* id est, quidam amici ipsius Abimelech suggesserunt ei : *Congrega exercitus multitudinem,* id est, totum tuum exercitum collige, *et veni.* Deinde subjungitur, quis ista insinuaverit ipsi Abimelech. *Zebul enim, auditis sermonibus Gaal filii Obed,* qui dixerat, Utinam daret quis populum istum sub manu D mea, ut auferrem de medio Abimelech, id est, ut ipsum occiderem, *iratus est valde,* zelans pro domino suo. Verumtamen dissimulavit iram suam, ut deciperet ipsum Gaal. Ideo subditur : *Et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens : Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, et oppugnat adversum te civitatem,* id est, urbem Sichem conatur sibi allicere, subjicere, et contra te provocare. *Surge itaque cum populo tuo qui tecum est, et latita in agro, et primo mane oriente sole, irrue super civitatem. Illo autem adveniente adversum te, fac ei quod potueris.*

* Dictumque est

Surrexit itaque Abimelech cum omni, id est toto, *exercitu suo nocte, et tetendit insidias juxta Sichimam in quatuor locis,* ne Gaal per aliquam viam posset effugere. *Egressusque est Gaal* valde mane de domo, *et stetit in introitu portæ civitatis* Sichem. *Surrexit autem Abimelech,* etc. *Quumque vidisset Gaal populum* venientem cum Abimelech, *dixit ad Zebul,* qui simulavit se esse fautorem Gaal : *Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit : Umbras montium vides, quasi capita hominum, et hoc errore deciperis. Rursusque Gaal ait : Ecce populus de umbilico terræ descendit.* Vidit enim Gaal ex alia parte terræ inferiore, in qua capita montium non apparebant, alium cuneum venire. *Cui dixit Zebul : Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris, Quis est Abimelech, ut serviamus ei? Nonne hic populus est quem despiciebas?* quasi dicat, Nunc repressa est tua præsumptuosa locutio. *Egredere, et pugna contra eum.*

Abiit ergo Gaal, exspectante Sichimorum populo belli eventum. Fuit autem in urbe illa intestina dissensio, quibusdam faventibus ipsi Abimelech, aliis vero faventibus Gaal : idcirco nec fautores Abimelech exierunt in ejus auxilium, nec fautores Gaal habitantes in Sichem secuti sunt eum, sed omnes præstolabantur exitum pugnæ. *Et pugnavit contra Abimelech, qui persecutus est eum fugientem* Gaal, *et in urbem compulit* eum fugere. *Cecideruntque ex parte ejus plurimi usque ad portam civitatis, et Abimelech sedit in Ruma,* id est, cum exercitu suo ibi quievit, præstolans iteratum exitum Gaal. *Zebul autem* ipsum *Gaal et socios ejus expulit de urbe* Sichem, *nec in ea passus est commorari. Sequenti ergo die egressus est populus,* scilicet Gaal cum suis, *in campum,* etc. Deinde in littera recitatur, qualiter Abimelech contra eum prævaluit. *Duæ autem turmæ palantes,* id est vagantes et palam currentes, *per campum, adversarios perseque-*

Digitized by Google

bantur. Abimelech quippe in isto congressu divisit populum suum in tres turmas, quarum duæ persequebantur Gaal ac socios ejus. *Porro Abimelech* cum tertio cuneo *omni die illo oppugnabat*, id est obsedit, *urbem* Sichem, *quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipsamque destruxit ita, ut sal in ea dispergeret*, in signum perfectæ victoriæ supra eam. *Quod quum audissent qui habitabant in turre Sichimorum*, quæ turris fuit sita seorsum, *ingressi sunt fanum dei sui Berith*, etc. Qui qualiter ibi occisi sunt igne et fumo, in textu, qui planus est, recitatur.

Abimelech autem inde proficiscens, venit ad oppidum Thebes, quod circumdans, obsedit, cepit, et turrim in medio urbis sitam, ad quam habitatores urbis confugerant, nitebatur succendere. Fuerunt autem tres urbes vocatæ hoc nomine Thebes: una in Ægypto, de qua fuit sacra legio Thebæorum; alia in Græcia, a qua dicuntur Thebani; tertia in Judæa, de qua fuit Elias, (III Reg. xvii, 1.) et inde dicuntur Thebitæ. *Et ecce una mulier fragmen molæ*, id est magni saxi, *desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum ejus*. Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Cervicem ejus: et addit, Si enim confregisset cerebrum ejus, statim mortuus fuisset, ut videtur. Potius puto, quod dictio illa Hebraica sit ad utrumque æquivoca. Nec sequitur, quod fracto cerebro, subito exspirasset: imo si cervicem ejus confregisset, ulterius loqui

A non potuisset infelix iste Abimelech. Ideo melius translatum est verbum illud Hebræum in Cerebrum. Itaque cerebrum ejus confregit, id est, letaliter vulneravit. *Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: Evagina gladium tuum et percute me*, id est, occide me qui ultra diu vivere nequeo, *ne forte dicatur, quod a femina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum*. Superbissimus ille humanum opprobrium magis quam Dei judicium formidavit; nec licuit ei mortem suam sic

B accelerare, quia hoc æquivalenter fuit, se ipsum occidere: idcirco peccavit in hoc, sicut et Saul in proprium gladium ruens. (I Reg. xxxi, 4.) Peccavit quoque, quia ex causa tam vana fecit sibi mortem infligi celeriorem.

Illo quoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israel, reversi sunt in sedes suas. Et reddidit Deus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, id est, pro suis excessibus digne puniti sunt. *Et venit super eos maledictio Joa-*

C *tham filii Jerobaal*, id est imprecatio mali pœnalis quod eis fuerat imprecatus: quod ex divino instinctu prænuntiasse videtur. Refert Josephus, quod pestem hanc passi sunt Ephraitæ, eo quod contra Gedeonem tam superbe jurgati sunt. Sed (sicut nunc patuit) non solum ob hoc, sed et propter iniquitatem eorum in filios Gedeonis, et quia tam sceleratissimum fratricidam constituerunt sibi regem.

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI NONI SPIRITUALIS.

DOCEMUR in primis in isto capitulo, ex parentum virtuositate aut sanctitate nequaquam præsumere aut inaniter nobis blandiri, quasi sufficiat nobis progenitores aut prædecessores sanctos habere. Ecce enim sanctus vir Gedeon, cum quo toties

D ore ad os locutus est angelus, vir præcipue pius et humilis, quam sceleratissimum, crudelissimum et ambitiosissimum habuit filium. Denique, per Abimelech figurati sunt omnes ambitiosi, qui præsidente defuncto, ad principatum aut prælationem

Digitized by Google

adspirant, imo meliores ac doctiores præcedere ac impedire conantur; qui sibi ipsis sumunt honorem præsidentiæ, pericula non pensantes, nec ponderantes quam durissimum fiet judicium eis qui præsunt. Sap. vi, 6. Tales instar Abimelech interficiunt omnes fratres suos, id est, eos quos sibi metuunt præferendos, per oblocutiones in aliorum cordibus annihilari nituntur, ut scilicet reputentur pro nihilo; atque in suum auxilium conducunt vagos et inopes, quia ad persequendum meliores se, sibi alliciunt homines leves, virtutibus destitutos. Specialiter quoque per Abimelech designantur, qui per potentiam, aut carnis propinquitatem, aut nobilitatem, vel certe per subornationes, preces, blandimenta, seu promissa aut munera adipisci conantur principatum aut prælaturam. Per Sichimitas vero designantur hi, qui talem eligunt aut promovent ob propria commoda, vel ex carnali amore: inter quos postea solet oriri turbatio magna. Imo si modicus error in principio, magnus erit in fine: quammaximus in principio error et excessus, quantum in processu augebitur? quamque intolerabilis in fine consistet? Ideo explicari non valet, quam multa et magna incidant crimina, qui taliter promoventur aut promovent. Totis ergo præcordiis vitemus omnia vitia ista, et subesse optemus ac obedire, non præsidere. Nempe quis est, qui ad prælationem afficitur, aut in ea manere lætatur, nisi qui divini rigorem judicii non veretur, nec insufficientiam propriam, nec sua novissima intuetur?

Præterea, sicut Abimelech locutus est Sichimitis, *Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri?* sic quidam ambitiosi aut invidiosi aliorum promotionem impedire conantes, et se ipsos quærentes, dicere solent his, quibus præficiendus est aliquis: Si ille aut ille fuerit vobis prælatus, faciet quidquid illi aut illi suggesserint ei, sicque habebitis prælatos seu dominos multos. Melius igitur vobis est, ut me unum, aut eum quem vobis commendo, habeatis in præsidentem, et vicissitudinem vobis reddam, ac vestris consiliis et voluntatibus acquiescam. Itaque talibus præsidentibus, eorumque subditis clamare potest vir bonus spiritualiter renovatus, designatus per Joatham, stans in monte, hoc est in Christo et ejus doctrina: *Ierunt ligna ut ungerent super se regem:* id est, homines christiani prælatum aut principem habere conati sunt, quia sine rectore nulla multitudo potest subsistere. *Dixeruntque olivæ: Impera nobis.* Quales viri per olivam, ficum et vitem sint intelligendi, ex præcedenti claret articulo. Viri autem hujusmodi virtuosi contemplativi, sicut adipe et pinguedine supernis charismatibus impinguati, virtuosis actibus (Ps. lxii, 6.) assidue insistentes, prælationem et occupationem externam abhorrent, refugiunt, præsertim dum eos, a quibus petuntur, vident moribus suis non convenire, seu duros et indirigibiles esse. *Dixeruntque ad rhamnum: Veni, et impera super nos.* Per rhamnum, homines sæculares, carnales, passionati, mente et corpore incircumcisi, signati sunt. Et tales nunc communiter ad ecclesiasticas dignitates, principatus sive officia promoventur, dum propter peccata populi illud contingit, Deo in suo furore regem donante. (Osee xiii, 11.) Et quoniam tales fracti et reformati non sunt, faciliter et frequenter contingit, quod ignis indignationis, iræ, impatientiæ seu flamma cupiditatis ex eis egreditur, et eorum subjectos inflammat et vastat, ita quod contra se invicem præliantur et se mutuo demoliuntur, quemadmodum quotidie cernimus et deflemus.

Insuper, per Gaal et ejus fautores præfigurati censentur, qui superioribus suis incaute rebelles sunt, eisque depulsis aut trucidatis, præesse pro illis affectant: sicque contentiones, rebelliones, seditiones, pugnas, et devastationes terræ nascentium, urbium et villarum, pauperum quoque et innocentium oppressiones inducunt, et tandem ipsimet pessime pereunt. Heu! ista videmus quotidie fieri, quoniam pro episcopatibus et principatibus obtinendis, ista et consimilia sceleratissíme fiunt.

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII

EXPLANATIO CAPITULI DECIMI : POST ABIMELECH SURREXIT DUX IN ISRAEL, THOLA.

PROCESSUS vitæ et gubernationis filiorum Israel sub duobus judicibus, hic narratur. Quinta quoque eorum tribulatio describi incipitur. *Post Abimelech surrexit dux in Israel, Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim.* Iste fuit vir bonus, nec se ipsum ingessit, sed Deo sic disponente effectus est judex, non sibi usurpans nomen regis, sicut Abimelech. *Et judicavit Israel viginti et tribus annis :* sub cujus regimine, Deo, non idolis servierunt; *mortuusque est ac sepultus in Samir.* Sed quæstio oritur, quomodo potuit Phua iste esse patruus ipsius Abimelech, id est frater patris ejus, scilicet Gedeonis, quum Gedeon fuerit de tribu Manasse, et Thola de Issachar tribu? Ad quod Augustinus aliique respondent, quod Gedeon et Phua fuerunt fratres ex tribu matris, quæ successive duxit unum maritum de Manasse, alium de Issachar. Sed contra hoc argui potest, quod vir et uxor debebant esse de tribu eadem, exceptis Levitis. Respondetur, quod viri tenebantur accipere conjuges suæ tribus, ne fieret confusio sortium seu permixtio hereditatum, non autem econtra, quoniam feminæ non habuerunt hereditatem, nisi quando parentes earum non habuerunt filium marem : sicque eadem femina diversarum tribuum viris poterat copulari. Unde et Saul de tribu Benjamin, filiam suam dedit uxorem David de tribu Juda. David quoque Achinoam Jezraelitem sumpsit in conjugem. Verumtamen his objici potest, quod in Numeris Dominus jubet : Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua, et cunctæ feminæ maritos de eadem tribu accipient ; nec sibi commisceantur tribus, sed ita maneant ut a Domino separatæ sunt.

I Reg. XVIII, 27.
Ibid. XXV, 43.
Num. XXXVI, 7-10.

A *Huic successit Jair Galaadites,* id est de terra Galaad trans Jordanem, quæ ad tribum Manasse pertinuit : et ita vir iste fuit de tribu Manasse ; *qui judicavit Israel per viginti et duos annos, habens triginta filios, sedentes,* id est, suo tempore equitantes, *super triginta pullos asinarum,* id est mulos, ut quidam exponunt; quum tamen muli ex asino et equa gignantur : ideo potest exponi de pullis asino et asina natis. Nam et Balaam super asinam equitavit, sed et Christus super asinæ pullum, qui non B fuit mulus, sed asinus. Verumtamen, secundum Lyram, in Hebræo solum habetur, Pullos. Propter quod (ut referunt doctores) Hebræi per pullos intelligunt hic, equos juvenes et electos : quod non videtur idonee dictum, quia (secundum Origenem aliosque doctores) Hebræi nunquam leguntur equis usi ad equitandum, quum tamen David tot gesserit bella. Et Absalom super mulum sedebat, ut secundo Regum habetur. *Et principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus sunt appellatæ Havoth-* C *jair, id est oppida Jair, usque in præsentem diem in terra Galaad. Mortuusque est Jair ac sepultus in loco, cui est vocabulum Camon.*

Num. XXII, 22.
Matth. XXI, 2, 5.
II Reg. XVIII, 9.

Filii autem Israel peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt diis alienis, videlicet *Baalim et Astaroth :* in quo notantur duæ idololatriæ. Et subjungitur de aliis quinque idololatriis in genere, in quibus variæ speciales idolorum culturæ comprehenduntur. *Et diis Syriæ ac Sido-* D *nis, et Moab, et filiorum Ammon, et Philistiim ; dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum. Contra quos iratus Dominus,* non per affectionis commotionem, sed per effectus similitudinem, *tradidit*

Digitized by Google

cos in manus Philistiim et filiorum Ammon, ut per illos punirentur, quorum deos colebant : per quod discerent, sibi nequaquam prodesse cultum deorum illorum, a quorum cultoribus specialiter opprimebantur, et a quibus diis non poterant adjuvari. *Afflictique sunt, et oppressi vehementer per annos decem et octo : in tantum, ut filii Ammon vastarent Judam et Benjamin et Ephraim. Afflictusque est Israel nimis. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi,* etc.

A

Quibus locutus est Dominus. Dicunt Hebræi, quod per Phinees sacerdotem : quod videtur ficticium, quia Phinees secundum hoc fuisset circiter trecentorum annorum, sicut per tempora judicum, et annos quos sub Moyse et Josue habuit, posset probari. Verius igitur creditur, quod per alium sanctum virum, et forte Prophetam; sive per angelum, quoniam iste loquens, loquitur in persona Dei, nec præmittit nec adjungit, Hæc dicit Dominus, ut moris est Prophetarum. *Numquid non Ægyptii et Amorrhæi, filiique Ammon et Philistiim, Sidonii quoque et Amalec et Chanaan,* id est Chananæi, *oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum?* Sicut paulo ante expressæ sunt septem idololatriæ Israelitarum, ita nunc contra illos exprimuntur septem gentes, a quibus afflicti sunt et erepti. *Et tamen reliquistis me, et coluistis deos alienos. Idcirco non addam, ut ultra vos liberem :* quod comminative, non assertive, prolatum est ; et sub conditione fuit intelligendum, videlicet nisi filii Israel se emendarent. *Ite, et invocate deos quos elegistis, ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Derisorie atque ironice dixit hoc Dominus.

B

C

D

Dixeruntque filii Israel ad Dominum : Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet. Sic et David secundo libro Regum ait : Melius est ut incidam in manus Domini, multæ enim sunt misericordiæ ejus, quam in manus hominum. *Tantum nunc libera nos,* id est, hoc potissimum deprecamur, ut saltem nunc parcas nobis, et ita nos emendabimus, quod non deveniemus ad talem articulum. *Quæ dicentes, omnia idola projecerunt, et servierunt Domino Deo. Qui doluit super miseriis eorum,* id est, per modum compatientis se habuit, cito subveniendo eisdem.

II *Reg.* XXIV, 14.

Itaque filii Ammon conclamantes, in Galaad fixerunt tentoria : contra quos congregati filii Israel, in Maspha castrametati sunt. Dixeruntque principes Galaad, id est principales in tribu et terra illa, *singuli ad proximos suos : Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare :* unde videtur, quod magis infestabantur ab Ammonitis, quam a Philistæis ; *erit dux populi Galaad,* id est filiorum Israel in Galaad commorantium, ita quod specialiter præerit eis. Itaque per hanc promissionem cupiebant aliquem virum idoneum animare ac provocare ad assumendum specialiter bellum tam periculosum et arduum, atque ad præliandum primo * in acie.

* prima

Ex ista historia commendatur nobis fragilitas, ingratitudo, perversitas hominum ineffabiliter magna, infinita quoque misericordia Dei. Ideo nullus desperet ; et qui misericordiam Dei impetrare desiderat, incessabiliter clamet ad Dominum, et omnia vana phantasmata et objecta, occasiones peccandi et vitia, in quibus offenderat Deum, de corde suo prorsus abjiciat, confiteatur, et Domino obsequatur.

Digitized by Google

ARTICULUS XIX

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI UNDECIMI : FUIT ITAQUE ILLO IN TEMPORE JEPHTHE GALAADITES.

QUINTÆ tribulationis filiorum Israel historia, in præcedenti capitulo inchoata, nunc continuatur. *Fuit itaque illo in tempore Jephthe Galaadites :* quia fuit de territorio nomine Galaad, et item de civitate sic nominata, atque de semine viri nomine Galaad. Etenim Galaad quandoque est nomen terræ illius, quandoque urbis exsistentis in ea, aliquando viri, qui habitavit ibidem. *Vir fortissimus* corpore, postea quoque fortissimus in anima, quia vir sanctus, *atque pugnator,* ab actu ac peritia præliandi, *filius mulieris meretricis, qui* Jephthe *natus est de Galaad,* id est de viro sic appellato, qui fuit pater Jephthe. *Habuit autem Galaad,* scilicet vir præfatus, *uxorem,* id est legitimam conjugem, aliam a meretrice prædicta, *de qua suscepit filios, qui postquam creverant* in ætatem fortitudinemque virilem, *ejecerunt Jephthe,* id est, eum a se ex aspernatione, et forte ex invidia repulerunt, quia virilior ac robustior eis fuit. Nam infra ait : Nonne vos estis qui odistis me ? *Dicentes : Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de adultera matre natus es,* id est manzer seu spurius, idcirco noster coheres non eris. Porro non omnis meretrix exstat adultera, sed mater Jephthe concumbendo cum viro conjugato, adultera est effecta. Tamen (ut aliqui dicunt) in Hebræo et in libris correctis habetur, De altera matre natus es. *Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in terra Tob,* id est in regione sic dicta. *Congregatique sunt ad eum viri inopes et latrocinantes, et quasi ducem* * *sequebantur.* Dicunt aliqui, quod non exercebant prædas et latrocinia, nisi in adversarios Israelitarum, quemadmodum David et viri ejus primo Regum leguntur prædati Amalecitas et alios quosdam gentiles : quod non videtur probabilitatem habere, quia et viri isti ad Jephthe profecti, infideles fuerunt. Et Jephthe erat ibi in terra gentilium ; nec Jephthe pro tunc curavit Israelitas defendere, a quibus ejectus fuit et despectus.

* principem

1 Reg. xxx. 8.

In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel. Quibus fortiter instantibus, perrexerunt majores natu de Galaad, id est terræ seu cognationis illius, quæ fuit ex tribu Manasse : imo, ut in Numerorum libro habetur, Galaad fuit filius Machir filii Manassæ ; *ut tollerent in auxilium sui Jephthe ; dixeruntque : Veni et esto princeps,* id est judex *noster, et pugna contra filios Ammon,* id est, princeps belli esto adversus illos. *Quibus ille respondit : Nonne vos estis qui odistis me, et ejecistis de domo,* id est habitaculo et familia, *patris mei ?* Unde videtur, quod aliqui fratrum suorum inter istos fuerunt, vel fratres sui horum auctoritate ejecerant eum ; aut communitati imputat, quod a quibusdam ex ea peractum. *Et nunc venitis ad me necessitate compulsi.* Quasi dicat : Non faciliter vobis credendum est, et necessitate ista cessante, infideles eritis mihi. *Dixeruntque : Ob hanc ergo causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, sisque dux omnium qui habitant in Galaad.* Tanquam dicant : Quidquid sit de rebus præteritis, nunc ex amore et bona intentione venimus ad te. *Jephthe quoque dixit eis : Si vere,* veritate rei et sermonis, *venistis ad me* pro causa prætacta, *ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque Dominus eos,* videlicet Ammonitas, *in*

Num. xxvii. 1.

manus meas, ero vester princeps? Si hoc A dixit ex desiderio præsidendi et proprii honoris, vituperabile fuit; si autem ex caritate, ut scilicet sua præsidentia traheret eos ad Dei cultum, et conservaret terram in pace, laudabiliter dixit hæc. *Qui responderunt ei: Dominus qui hæc audit,* id est Sap. I, 10. cognoscit. Auris equidem zeli audit omnia. *Ipse mediator,* id est inter nos præsens, *et testis est,* id est auctor, testis, ac judex hu- Jer. XXIX, 23. jus negotii, qui dixit per Jeremiam: Ego sum judex et testis, *quod nostra promissa faciemus,* id est implebimus, constituendo B et tuendo te principem nostrum.

Abiit itaque Jephthe cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. Jephthe venit cum Galaaditis usque in Maspha trans Jordanem, in quo loco convenerant filii Israel, non solum viri de Galaad, ad tractandum, qualiter esset resistendum filiis Ammon. Quod ergo nunc dicitur omnis populus eum fecisse principem suum, intelligendum videtur de omnibus ibi collectis, non tantum de Galaaditis; feceruntque eum principem C sui ante victoriam. *Locutusque est Jephthe omnes sermones suos coram Domino in Maspha:* id est, primo humiliavit se coram Deo, et ejus invocavit auxilium, atque in omnium præsentia repetivit pactionem inter se Galaaditasque initam, pro ratificatione majori.

Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sui dicerent: Quid mihi et tibi est, id est, quid causæ et rationis contra me habes, *quia venisti contra me, ut vastares terram meam,* id est ter- D ram filiorum Israel, quibus præsum, et terram in qua constitutus sum judex? *Quibus ille respondit: Quia tulit,* id est, injuste et violenter abstulit et sibi subjecit, *Israel terram meam* de jure, quamvis non de facto, *quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon,* id est loci sic nuncupati, *usque Jaboc,* id est locum sic nominatum, *atque Jordanem. Nunc ergo cum pace redde eam mihi.* Quemadmodum in Numeris Num. XXI, 26, 23-25. describitur, Sehon rex Amorrhæorum jure seu vi prælii abstulit regi Moabitarum magnam sui regni partem. Quumque Sehon rex negasset filiis Israel transitum per regnum sui imperii, processissetque obviam filiis Israel ad pugnandum, tradidit eum Dominus cum omni terra ac populo suo in manus Israelitarum: qui extunc possederunt aliqua loca, quæ aliquando erant de regno Moabitarum. Et illa rex iste filiorum Ammon modo repetiit, quia ipse etiam nunc regnavit in Moab.

Per quos rursum mandavit Jephthe et imperavit eis, ut dicerent regi Ammon: Hæc dicit Jephthe, Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon: id est, populus Israeliticus non abstulit Ammonitis aut Moabitis quidquam de regno eorum, quod pro tunc pertinuerit eis, quamvis aliqua abstulerunt, quæ aliquando pertinuerunt ad illos. Unde in Deuteronomio Dominus ait populo Israel: Non Deut. II, 9, 19. pugnes contra Moabitas, non enim dabo tibi quidquam de terra eorum. Et rursus ibidem: Non pugnes contra filios Ammon, non enim dabo tibi de terra eorum, quia filiis Lot tradidi eam. *Sed quando* filii Israel *de Ægypto conscenderunt, ambulavit* Ibid. I, 19. *per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit* populus Israel *in Cades* Barne, ut in Deuteronomio habetur. *Misitque Israel nuntios ad regem Edom,* id est Idumæorum, *dicens: Dimitte ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus ejus.* Hinc legitur in Numeris: Ecce Num. XX, 16-18. in urbe Cades positi, obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioqui armatus occurram tibi. Verumtamen his objici potest, quod in Deuteronomio Dominus loquitur: Transibitis per terminos Deut. II, 4. fratrum vestrorum [filiorum] Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos. Ad hoc aliqui dicunt, quod primo negavit, videlicet anno secundo egressionis Israel ex Ægypto; postea autem vel idem rex Edom, vel ejus successor, concessit filiis Israel transitum illum, anno scilicet quadragesimo egressionis præfatæ. Alii dicunt, quod nec

Digitized by Google

post concessit; et quod in verbis his, Transibitis per terminos, sumitur *per* pro *juxta*, ita quod transierunt juxta Idumæam, non per eam. Sed primum verius reor.

Misit quoque Israel *ad regem Moab,* pro licentia transeundi per regnum ejus, *qui et ipse transitum præbere contempsit.* Hoc in libris Moysis non habetur. Imo objici potest, quod in Deuteronomio filii Israel
Deut. II, 28, 29. leguntur regi Hesebon nuntiasse: Concedas transitum nobis, sicut fecerunt filii Esau et Moabitæ. Ad quod datur responsio similis præcedenti. *Mansit itaque in Cades,* id est in illa solitudinis parte, non multum distante ab urbe Cades. *Et circuivit ex latere terram Edom et terram Moab,* post primam illam negationem licentiæ transeundi per terras illas. Unde in Deute-
Ibid. 1. ronomio habetur: Circuivimus montem Seir longo tempore. De hoc in Scholastica historia ex Josepho recitatur: Egrediens Israel de Cades, circuivit Idumæam, incedensque per desertum Arabiæ, et prætergrediens Archim metropolim Arabum, venit in montem Hor. *Venitque ad orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon,* qui secundum Josephum, est fluvius de montibus Arabiæ descendens, et per desertum fluens, erumpit in stagnum. *Nec voluit intrare terminos Moab,* Moabitis invitis; libenter tamen intrasset, si annuissent. *Arnon quippe confinium est ter-*
Num. XXI, 13. *ræ Moab,* juxta illud Numerorum: Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos.

Misit itaque Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum qui habitabat in Hesebon, pro licentia eundi per terram ipsius, *et dixerunt ei: Dimitte ut transeam per terram tuam usque ad fluvium. Qui et ipse despiciens Israel, non dimisit eum transire per terminos suos,* id est, licentiam illam negavit, tamen impedire non potuit, quia paulo post fuit occisus; *sed infinita,* id est valde et ultra solitum numerosa, *multitudine congregata, egressus est contra eum,* id est Israeliticum populum, *in Jasa,* id est loco sic nuncupato, *et*

A *fortiter resistebat. Tradiditque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo, et percussit eum, et possedit* Israel *omnem terram Amorrhæi,* videlicet Sehon regis Amorrhæorum, *et universos fines ejus de Arnon usque Jaboc.* Estque Jaboc (secundum Josephum) fluvius quidam. *Et de solitudine,* quæ est inter Ægyptum et Chanaan, *usque ad Jordanem.* Hinc scriptum est in libro Numerorum: Misit Israel nun- Num. XXI, 21, 23, 24, 26.
tios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui concedere noluit ut transiret Israel per ter-
B minos suos, quin potius exercitu congregato, egressus est obviam in desertum, et percussus est in ore gladii ab Israel, et possessa est terra ejus ab Arnon usque ad Jaboc et filios Ammon. Rex Sehon pugnavit contra regem Moab, et tulit omnem terram quæ ditionis illius erat usque ad Arnon.

Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum, scilicet contra regem Amorrhæorum jam dictum, *populo suo Israel. Et tu nunc vis possidere*
C *re terram ejus,* id est terram illam populi Israel, quam acquisivit tam jure belli quam dono Dei, cujus sunt omnia, et qui dat terram quamcumque jure creationis ac summi dominii cuicumque voluerit? *Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus, tibi jure debentur?* Hoc sonare videtur, quasi Jephthe putaverit quod falsus Ammonitarum deus, qui Chamos vocatur, possederit terram illam, aut eam contulerit regi ac populo Ammon, ut hac ratione eis deberetur de jure. Verum, ut tangit Augustinus,
D Jephthe hæc protulit secundum vanam opinionem ac reputationem ejus, cui hæc nuntiavit, secundum quod consuetudo Scripturæ est, negotia recitare secundum hominum æstimationem pro tempore illo currentem. Quemadmodum autem cultores veri Dei, vero Deo adscribunt ea quæ habent ac obtinent; ita falsorum cultores deorum, diis suis suas possessiones victoriasque attribuunt. *Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit,* id est, potenter et juste incredulis indignisque abstu-

Digitized by Google

lit, et nobis largitus est, *in nostram cedent possessionem*. Tanquam dicat, arguens per locum a majori : Si tibi debentur, quæ a deo tuo falso te putas habere, multo plus nobis debentur, quæ auctoritate atque auxilio Dei veri sumus adepti.

Nisi forte melior es Balac filio Sephor, rege Moab, qui conduxit Balaam ad maledicendum filiis Israel. Quasi dicat : Tu non habes majus jus repetendi hanc terram, quam Balac, qui fuit rex Moab, quando a filiis Israel percussus est Sehon rex Amorrhæorum, et tamen Balac non repetiit eam. *Aut docere,* id est per scripta idonea probare, *potes, quod jurgatus sit contra Israel, et pugnaverit contra eum,* id est, quod præfatus Balac, aut aliquis ejus successor, moverit litem et pugnam pro terra hac recuperanda contra populum Israel, *quando habitavit,* id est toto tempore quo populus Israel commoratus est, *in Hesebon,* id est in urbe sic nominata, *et viculis ejus, et in Aroer* urbe : quas a rege Amorrhæorum jure belli obtinuit, sicut et ille eas acquisivit a rege Moab ; *et in villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem* Israeli a Deo collatis : habitavit, inquam, *per annos trecentos*. Qui anni numerandi sunt a tempore quo Sehon rex a filiis Israel victus est, usque ad tempus quo Jephthe hæc dixit : qui per verba hæc probat sibi ac populo suo attinere terram illam jure præscriptionis, eo quod infra tot annos sine impetitione possederint eam, etiam titulo justo. Porro præfati anni trecenti sic computantur : nempe post Sehon occisionem Moyses vixit ad tempus, ita quod unus annus computatur sub eo. Scriptura vero non exprimit quamdiu præfuerit Josue : post quem et Caleb fertur aliqualiter præfuisse; Othoniel vero præfuit annis quadraginta, Aod octoginta, vel saltem tam diu quievit terra per eum, Samgar anno (ut dicitur) uno, Debora et Barac per annos quadraginta, Gedeon totidem, Abimelech annis tribus, Thola annis viginti tribus, Jair viginti duobus. Si autem ex horum adunatione annorum non consurgit integra summa trecentorum annorum, aut si superest parum, excusatur per hoc quod minutias numerorum ac temporum pertransit Scriptura. *Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentasti ?* Non quod iste rex Ammon vixerit per tot annos, sed sub ejus persona dantur et prædecessores ejus intelligi. *Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa. Judicet Dominus arbiter,* id est judex et cognitor, *hujus diei,* id est omnium quæ fiunt in eo, *inter filios Israel, et inter filios Ammon,* dando triumphum habenti causam justam. *Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephthe, quæ per nuntios mandaverat.*

Factus est ergo Spiritus Domini super Jephthe, id est, in corde ipsius facta est motio atque directio gratiosa Spiritus Sancti, magnanimitas quoque pugnandi pro bono communi populi ex auxilii spe divini. *Et circuiens Galaad et Manasse,* id est terram Galaad, in qua trans Jordanem morabatur media tribus Manasse, *Maspha quoque Galaad,* id est locum illum ex alia parte Jordanis, in quo etiam fuit alius locus seu territorium, nomine Galaad : quæ loca perambulavit ad congregandum ex eis exercitum; *et inde transiens ad filios Ammon, votum vovit Domino, dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino :* id est, quodcumque vivum et animatum primo obviaverit mihi redeunti victori, offeram illud Deo in holocaustum : quod ad divinæ majestatis honorem totaliter consumebatur. Tamen, secundum Augustinum sensus est, Quicumque homo primo occurrerit mihi : quoniam Jephthe non dixit, Quodcumque, sed, Quicumque, etc. Quale fuerit votum istud, et an licite sit impletum, in fine tractabitur hujus capituli. *Transivitque Jephthe ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos. Quos tradidit Dominus in manus ejus. Percus-*

Digitized by Google

sitque ab Aroer usque dum venias in Mennith, viginti civitates, et usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis. Humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel.

Revertenti autem Jephthe in Maspha domum suam, occurrit unigenita filia cum tympanis et choris, id est musicis instrumentis, et sodalium suarum choreis, volens suo patri, quem prævaluisse audivit, congratulari; *non enim habebat alios liberos. Qua visa, scidit vestimenta sua* præ tristitia et dolore, *et ait : Heu me, filia mi, decepisti me, et ipsa decepta es.* Filia ista non decepit patrem suum formaliter, quia nil egit ad illum decipiendum ; sed aliquid fecit pia intentione, ex cujus eventu pater ejus materialiter est deceptus, quia contra suum propositum et intentum victoria sua versa est ei in luctum, et filiam quam magnifice per matrimonium exaltare speravit, immolare coactus est seu inductus, nec posteritatem reliquit per eam : sed et votum suum quod cum gaudio æstimavit implere, cum interno implevit mœrore. *Aperui enim os meum ad Dominum,* promittendo quod ei offeram mihi primitus occurrentem ; *et aliud facere non potero. Cui illa respondit : Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis.* Quasi dicat : Plus gaudeo de tua victoria, quam contrister de morte mea, et hoc propter bonum commune, cui [non] præfero bonum particulare. Videtur mihi ista venerabilis virgo fuisse in bonitate et obedientia quodammodo similis Isaac patriarchæ, qui post patris sui informationem acquievit, ut Deo in holocaustum immolaretur.

Dixitque ad patrem : Hoc solum præsta mihi quod deprecor, differendo voti tui impletionem : quod sine rationabili causa non est differendum, quum scriptum sit
Eccle. v, 3. in Ecclesiaste, Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. *Dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes :* terra etenim illa est montuosa ; *et plangam virginitatem*

A *meam,* id est, me ipsam virginem, seu virginitatis meæ sterilitatem atque opprobrium defleam, eo quod semen in Israel non relinquo, et tua in me posteritas pereat ; *cum sodalibus meis,* quæ ex compassione mecum plorabunt : quarum compassio erit ploratus mei aliquale solatium. Illis quippe diebus opprobriosum erat sine sobole mori, quum scriptum sit : Maledictus Deut. xx
qui non reliquerit semen in Israel. *Cui il-* 6, 7, 9.
le respondit : Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Quumque abiisset cum sociis ac B *sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. Expletis duobus mensibus, reversa est ad patrem suum,* nequaquam fugiens mortis formidine, ne pater ejus quasi voti transgressor, coram Deo fieret reus. *Et fecit ei sicut voverat :* in quo patet, quantum vir ille Dominum formidavit, justusque erat, qui unicam filiam maluit ita offerre, quam Deo votum non adimplere. *Exinde mos increvit in Israel, et consuetudo servata, ut post anni circulum,* id est, anno uno completo, *conveniant in* C *unum filii Israel, et plangant filiam Jephthe diebus quatuor,* quolibet scilicet anno per quatuor dies, aliqua hora opportuna quotidie, eo quod passa sit istud tam innocenter ac sponte et obedienter, occasione communis victoriæ filiis Israel desuper condonatæ.

Circa hæc occurrit antiqua atque difficilis quæstio de ista materia : an scilicet votum Jephthe fuit laudabile, et utrum voti ejus impletio exstitit Deo accepta et licita. Quocirca Augustinus diffuse con- D scripsit : cujus verba habentur in Glossa. Et inter cetera ait : Jephthe non dixit, Quodcumque exierit, sed, Quicumque exierit : ubi hominem tantum cogitavit ; non tamen fortasse unicam filiam, quamvis illam in tanta patris gloria quis posset anteire, nisi forsitan ejus uxor ? Quemcumque autem cogitaverit Jephthe in illa promissione, non videtur filiam cogitasse : non enim diceret, Heu me, filia mi, impedisti me (sic enim habet translatio Septuaginta) : per quod indicat se impeditum, ne illud quod

Digitized by Google

cogitabat, impleret. Quem autem potuit cogitare, qui filium non habebat? An conjugem cogitavit, et ut hoc fieret, Deus non voluit? et ut hoc non relinqueretur impunitum, ne quis postea illud auderet, ideo filia primo occurrit, quatenus ex magna Dei providentia per id quod contigit, magnum Ecclesiæ sacramentum figuraretur? Ex utroque ergo prophetia aptata est, quod volens cogitavit, et quod nolenti contigit. Si ergo uxorem cogitavit, conjux Christi Ecclesia est. Sed quia hujus Jephthe conjux, virgo esse non potuit, in eo quod filia ejus primo occurrit, et voti temeritas non mansit inulta, et Ecclesiæ virginitas figurata consistit. — Quia ergo de hoc voto Jephthe nihil videtur judicasse Scriptura, sed reliquisse legentibus judicandum, quatenus intellectus noster judicando exerceatur: possemus jam dicere, Deo displicuisse hoc votum, et ipsum votum esse perductum ad istam vindictam, ut voventi patri unica occurreret filia; nec Deum prohibuisse ipsum Jephthe a voti sui impletione infra tot dies induciarum, quas contulit filiæ suæ, sed idcirco votum illud sic esse punitum, ne posteris relinqueretur in exemplum. Possemus (inquam) hoc dicere, nisi duo Scripturæ testimonia nos retardarent, propter quæ ipsum culpare veremur. Unum est, quod eum ponit Apostolus inter Sanctos in epistola ad Hebræos. (*Hebr.* XI, 32, 33.) Aliud quod hic præmisit Scriptura, Et factus est super Jephthe Spiritus Domini, et votum vovit (*Judic.* XI, 29. 30.): ut omnia quæ postea fecit, videantur intelligenda esse opera Spiritus Sancti. Sed an etiam humanis sacrificiis figurari oportuit ministeria Christi, merito quæritur. Sed Deus voluit primogenita esse sua, non tamen voluit ea sacrificari, sed redimi (*Exod.* XIII, 2. 12. 13.): non ergo diligit, sed odit Deus sacrificia talia. Sed inter Sanctos non solum Jephthe, sed et Gedeon numeratur, quem ephod reprehensibiliter fecisse fatemur (*Judic.* VIII, 27; VI, 36-40.): nam et in eo quod signum petiit, tentans in vellere, nescio an sit transgressus præceptum hoc, Non tentabis Dominum Deum tuum (*Deut.* VI, 16.). Sed eum bene esse defunctum, credendum est. Porro Jephthe, Deo non jubente neque poscente, et contra legitimum ejus præceptum, ultro sacrificium vovit humanum. Nam ait, Quicumque exierit de janua domus meæ obviam mihi: per quæ verba non vovit aliquod pecus, quod secundum legem posset Deo offerri; nec consuetudinis fuit, ut redeuntibus cum victoria ducibus, jumenta occurrerent. Canes autem solent occurrere dominis, de quibus Jephthe, quum voveret, cogitare non potuit, ne et contemptibile animal et offerri illicitum videatur vovisse (*Deut.* XXIII, 18.). Hæc Augustinus.

Rursus loquitur Augustinus: Utrum, quia dictum est, Factus est super Jephthe Spiritus Domini, secuta sint illa, ut et voveret et triumpharet et votum impleret, et attribuenda sint Spiritui Sancto, non facile dixerim: quum nulla describatur prosperitas Gedeonis, postquam ephod produxit; Jephthe autem post votum illud victoriam est sortitus. Sed considerandum, quod et Gedeon hostes prostravit, postquam Deum tentavit. Sic etenim scriptum est: Et dixit Gedeon ad Dominum: Ne irascatur indignatio tua in me, si adhuc semel tentavero (*Judic.* VI, 39.). Iram namque Dei metuebat, quia tentando se peccasse sciebat. Hoc tamen peccatum secuta est evidentia magni signi, prosperitasque triumphi. Jam enim Deus statuerat afflicto Israelitico populo subvenire, et hujus ducis, scilicet Gedeonis, quem ad hoc opus assumpserat, utebatur animo non solum fideli et pio, sed etiam deficiente ac delinquente, ad prænuntianda quæ volebat, et ad complenda quæ dixerat. Non enim per istos tantum, sed et per Saulem omnino reprobatum, multa beneficia præstitit populo. Quis enim egit, nisi Spiritus Domini, ut Gedeoni tentare volenti, et non credenti quod jam Dominus ei fuit locutus, potissimum veniret in mentem de vellere prius sicco, et post compluto? Ecce Augustinus hic dicit: Gedeon tentando peccavit, nec credidit. Sed de hoc plenius dictum est in expositione capituli sexti.

Præterea, de ista materia scribit Lyra: Hebræi dicunt, quod Jephthe filiam suam

Digitized by Google

non immolavit, sed quod votum ejus fuit per Phinees relaxatum. Et quidam eorum affirmant, quod fuit interpretatum per sapientes, ita quod votum illud non esset implendum per mortem filiæ innocentis. Unde et super illud, Dimitte me ut circumeam montes, dicit glossa quædam Hebraica : Id est, sapientes in lege accedam, quia fortassis invenirent modum relaxationis seu interpretationis voti istius. Deinde probabiliter sine incauta assertione sequitur istam opinionem, dicendo, quod Jephthe obtulit eam, non per mortem corporalem, sed civilem, prout religiosi cœnobium intrando dicuntur mori mundo, quia a sæcularibus actibus sequestrati, mancipantur omnino divinis : sic filia Jephthe fuit Domino consecrata per virginitatis observationem, insistendo jejuniis, orationibus, ac piis operibus.

Circa hæc dico satis esse credibile, quod quidam doctores Hebræi id dicant, non tamen omnes, præsertim quum Josephus dicat, quod Jephthe eam occidendo obtulerit. Deinde opinio illa catholicis contrariatur doctoribus. Jam enim ex verbis S. Augustini patuit, quod eam per corporalem obtulit mortem, secundum quod Deus jussit Abrahæ, ut sibi Isaac in holocaustum offerret. Unde quemadmodum Abraham intendebat ipsum Isaac primo occidere gladio, deinde igne corpus exstinctum incendere, propter quod ignem et gladium tulit secum ; ita credendum videtur, quod Jephthe fecerit filiæ suæ. Insuper B. Hieronymus protestatur, quod Jephthe fuit indiscretus in promittendo, et impius adimplendo. Idem Josephus loquitur. Imo, secundum Josephum, fuit stultus vovendo, et impius prosequendo, quoniam obtulit sacrificium, nec legitimum, nec Deo carum. Quod si canem obvium habuisset, an eum immolasset ? Thomas quoque, in secunda secundæ, quæstione 88 : Quædam, inquit, in omnem eventum sunt bona, ut actus virtutum, et talia absolute possunt voveri. Alia sunt, quæ licet in se considerata, sint bona, exitum tamen malum possunt habere : et de talibus fuit votum Jephthe, ideo votum ejus fuit incautum, quia simpliciter vovit, quod malum potuit sortiri eventum. Verumtamen quoniam supra legitur, quod factus est super eum Spiritus Domini, ideo fides ejus atque devotio, ex qua movebatur ad vovendum, fuit a Spiritu Sancto. Estque probabile eum pœnituisse de morte filiæ innocentis. Sed et factum ejus aliquod bonum præfiguravit.

Amplius, opinio illa Hebræorum non consonat textui, in quo evidenter asseritur, quod filiæ suæ post duos menses ad se reversæ fecit sicut voverat. Intentio autem sua in vovendo [fuit], per corporalem occisionem Deo offerre eum, qui sibi redeunti victori primum occurrerit : ideo hoc implevit, et quale exstitit votum, sive licitum, sive illicitum, talis et ejus impletio. Nec valet, quod quidam ait, Si eam occidisset, votum suum nullo modo implesset : quia emissio voti non potest fieri, nisi de bono. Nam quamvis votum proprie sumptum, sit actus virtutis, et solum de bonis, attamen consuetudo loquendi est, ut etiam incautæ seu temerariæ promissiones Deo factæ, vocentur vota, sicut et juramenta illicita, juramenta dicuntur. Dicitur quoque in textu, quod ex eo tempore, quo Jephthe fecit suæ filiæ sicut promisit, consuetudo in Israel est servata, ut filii Israel plangant filiam Jephthe quolibet anno quatuor diebus : quod non fecissent, nisi fuisset occisa.

Postremo dicendum videtur, quia si (ut asserit Augustinus) Jephthe intendebat Deo promittere, quod immolaret ei in holocaustum hominem sibi victori primitus obviantem, votum ejus fuit absolute illicitum, et contra Dei præceptum secundum legem communem ; nec fuit vere actus virtutis, nec elicitive aut directe ex fide et devotione, sed ex errore et indiscretione procedens, quia (ut loquitur Augustinus) virtute nemo male utitur. Et idem dicendum de voti illius impletione. Si autem ex occulto Spiritus Sancti instinctu processit ob mysticam rationem, futurorum-

Digitized by Google

que typum, utrumque commendabile fuit: nec potest aliter excusari in toto aut commendari, sicut nec hoc, quod aliquæ sanctæ feminæ se ipsas præcipitaverunt, aut A aliter occiderunt, ne violarentur, et quod Samson se ipsum cum Philistæis peremit, prout primo de Civitate Dei Augustinus testatur. Aug. de Civ. Dei, I, 21.

ARTICULUS XX

DE MYSTICO HUJUS UNDECIMI CAPITULI SENSU.

JUXTA allegoriam, per Jephthe liberatorem ac judicem Israelis, intelligitur Christus verus salvator et judex universorum. Quemadmodum autem Jephthe a fratribus suis contemptus est et ejectus, ut spurius; sic Christum contempserunt et abjecerunt Judæi, imo et credentes ei excommunicaverunt, sicut Joannes evangelista testatur: Jam, inquiens, conspiraverant Judæi, quia si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret. (Joann. IX, 22.) Generis quoque vilitatem imposuerunt Filio Dei, dicentes: Nonne hic est filius fabri? (Matth. XIII, 55.) Quemadmodum etiam ad Jephthe congregati sunt viri inopes et latrocinantes, id est prædones; ita ad Christum pauperes convenerunt, et ejus discipuli sunt effecti: qui desuper confortati, deprædati sunt potestates aereas, vasa earum, utpote peccatores, abstrahendo eisdem, et eos Christo incorporando, quos et salubriter occiderunt, a pristina vita iniqua eos funditus exstinguendo. In cujus rei figuram, dictum est beatissimo Archiapostolo: Surge, Petre, occide et manduca. (Act. X, 13.) De præfata quoque deprædatione dictum est per Isaiam de Domino Jesu Christo: Fortium dividet spolia. (Is. LIII, 12.) Ipse equidem est qui fortem armatum ligavit, et spolia ejus diripuit. (Luc. XI, 21, 22.) Amplius, sicut Judæi necessitate compulsi requisierunt Jephthe, et elegerunt eum in principem, tanquam fortissimum et bellicosissimum virum; sic post Christi resurrectionem multa Judæorum millia ad Christum, quem ante spreverunt, conver- B sa sunt, ab infernalibus hostibus formidantes occidi. Et circa finem sæculi omnes generaliter sunt eum requisituri, detecta per Eliam et Enoch Antichristi fallacia.

Rursus, sicut Jephthe vovit Deo in holocaustum, quod sibi de victoria redeunti primo occurreret; sic Unigenitus Patris post suam victoriosissimam passionem de limbo patrum revertens, et corpus suæ animæ iterum uniens, sicque resurgens, et primo Mariæ Magdalenæ apparens, seu principem Apostolorum sibi primo occurrentem inter viros (ut creditur) habens, eos (Marc. XVI, 9.) C tam valide suo inflammavit amore, quod mundo penitus obierunt, et Deo gratissima holocausta sunt facti. Aptius tamen per filiam Jephthe intelligitur Christi caro seu assumpta humanitas, quam in ara crucis obtulit Patri pro totius salute mundi. Potest item per Jephthe, Deus Pater; per filiam Jephthe, Sapientia Patris incarnata signari. Quemadmodum ergo Jephthe propriam obtulit filiam Deo in holocaustum; sic Pater æternus Sapientiam incarnatam D tradidit pro omnibus nobis in mortem, prout testatur Apostolus: Proprio, inquiens, Filio non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. (Rom. VIII, 32.) Unde et per Isaiam loquitur Pater: Propter scelus populi mei percussi eum. (Is. LIII, 8.) Christus quoque ad Patrem in Psalmo, Omnes, ait, fluctus tuos induxisti super me. (Ps. LXXXVII, 8.) Et item: Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt. (Ps. LXVIII, 27.) Idcirco in Actibus princeps Apostolorum fatetur: Deus qui prænuntiavit per os (Act. III, 18.)

Digitized by Google

omnium Prophetarum pati Christum suum, A implevit sic. At vero, per hoc quod filii Israel omni anno per quatuor dies congregati, fleverunt filiam Jephthe, præfiguratum censetur, quod Christiani quolibet anno, specialiter diebus sacræ hebdomadæ, conveniunt ad audiendum cum intima compassione et lacrimis historiam dominicæ passionis.

Præterea, juxta tropologiam docemur in isto capitulo neminem temerarie judicare, vota quoque juramentaque licita fideliter adimplere, et nequaquam de gratiosa Om- B nipotentis subventione diffidere. Ecce enim virum illum, qui princeps exstitit virorum latrocinantium, fecit misericordissimus Deus judicem populi sui sanctum : qui adeo factus est zelator justitiæ, tamque coram Altissimo timoratus, quod unicum pignus suum maluit in holocaustum, sicut promiserat, immolare, quam voti frangere fidem. Quo constat, quam odibiles Deo, condemnabilesque consistant, qui promissa et juramenta ac vota tam male custodiunt, imo tam frequenter ac faciliter violant; qui pro parva re jurant atque pejerant : in quibus summe culpabiles sunt quidam religiosi, qui substantialia suæ religionis non servant, imo quotidie transgrediuntur ; sed et falsi testes, et quidam negotiatores ac venditores, in quibus non regnat zelus justitiæ, sed condemnanda cupiditas. Simus ergo exemplo Jephthe Deo grati ac timorati, constantes et justi, bonum honestum, et maxime omnis honestatis bonitatisque fontem, cunctis utilibus ac delectabilibus omni tempore cordialissime præferentes, malentes propriam vitam et cuncta creata amittere, quam superdignissimum Creatorem offendere, secundum quod ordo exigit caritatis, qui cadit utique sub præcepto, estque de necessitate salutis.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI DUODECIMI : ECCE AUTEM IN EPHRAIM ORTA SEDITIO EST.

Prov. xiii, 10. SICUT præhabitum est, inter superbos C semper jurgia. Itaque tribus Ephraim eodem malignitatis spiritu quo triumpho Gedeonis invidit, et contra virum illum insurgere usurpavit, ita nunc recitatur contra Jephthe insultum fecisse ex mera superbia et rancore. *Ecce autem in Ephraim orta seditio est,* id est, filii Ephraim seditionem contra Jephthe moverunt. *Nam transeuntes contra aquilonem,* id est trans Jordanem ad terram Galaad, quæ respectu sortis Ephraitarum, in plaga fertur fuisse aquilonari, *dixerunt ad Jephthe : Quare* D *vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti?* quasi dicant : Vilipendisti nos, et nobis forefecisti, quasi solus volens habere famam et honorem victoriæ, quum tamen simus de tribu præclariori, quam tu. *Judic. xii, 1.* De variis causis tantæ elationis Ephratæorum, dictum est in exordio expositionis capituli octavi. *Igitur incendemus domum tuam,* id est habitaculum tuum seu te ipsum cum tuis domesticis. O quam scelerata et ingrata elatio ! *Quibus ille respondit : Disceptatio erat mihi et populo meo contra filios Ammon vehemens, vocavique vos, ut mihi præberetis auxilium, et facere noluistis.* Quo constat quod mendose dixerunt : Quare vadens ad pugnam, nos vocare noluisti ? Unde finxerunt ut occasionem contra virum justum et eis amicum haberent, quemadmodum scriptum est in Proverbiorum libro : *Prov. xviii, 1.* Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico ; omni tempore erit exsecrabilis. *Quod cernens, posui in manibus meis animam meam,*

Digitized by Google

transivique ad filios Ammon: id est, manifeste periculo vitam meam exposui, pergendo cum paucis contra fortem et numerosum exercitum Ammonitarum, quemadmodum illud quod inter hostes in manibus bajulatur, amissionis periculo patet. *Et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium?* quasi dicat : Injuste insurgitis contra me, qui vobis nil forefeci.

Vocatisque ad se cunctis viris de Galaad, qui eum assumpserunt in principem: etenim tamdiu dederunt ei Ephratæi inducias, quousque suum colligeret populum; *pugnavit contra Ephraim. Percusseruntque viri Galaad Ephraim,* id est Ephraitas : nam etsi pauciores erant adjutores ipsius Jephthe, tamen Deo auxiliante, superbis, ingratis et seditiosis prævaluerunt. Ideo subditur, *quia dixerat* tribus seu populus Ephraim: *Fugitivus est Galaad de Ephraim,* id est, plebs seu familia urbis seu viri nomine Galaad, ad quam urbem atque familiam ipse Jephthe pertinuit, vilis et impotens est, ac per modum fugitivi se habet respectu Ephratæorum, qui multi ac potentes et bellicosi consistunt. Quasi dicat, Nobis non valent miseri illi resistere. *Et habitat in medio Ephraim et Manasse.* In Hebræo (ut fertur) non habetur verbum hoc, Habitat : et sic sensus est planus, videlicet quod Galaad in medio Ephraim, id est inter Ephraitas est vilis, si simul accipiantur, vel invicem comparentur. Porro secundum nostram translationem est difficultas, qualiter Galaad, de quo Jephthe, in medio Ephraim habitabat, quum inter eos Jordanis exstiterit : nisi forsan dicatur, quod timore Ammonitarum quidam jam ante de populo Galaad fugerunt de sedibus suis, et transmisso Jordane, inter filios Ephraim atque dimidiæ tribus Manasse cum Ephraim commorantis, demorabantur. Propter quod Ephratæi præfatum verbum irrisorie protulerunt.

Occupaveruntque viri *Galaaditæ vada,* id est aquas, *Jordanis,* se constituendo in locis supra Jordanem, *per quæ Ephraim*

A *reversurus erat,* id est, Ephraitæ de prælio fugientes, ad propria remeassent, nisi eos prævenissent et impedivissent Galaaditæ. *Quumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atque dixisset, Obsecro ut me transire permittas; dicebant Galaaditæ : Numquid Ephratæus es?* Secundum Magistrum in historiis, improprie dicti sunt Ephratæi, nati ex Ephraim, quum Ephratæus ab Ephrata nuncupatur, ac Ephraita ab Ephraim. *Quo dicente, Non sum* Ephratæus, *interrogabant eum,* id est requirebant : B *Dic ergo, Schibboleth :* quod quid significet, translator apposuit, dicens, *quod interpretatur spica. Qui respondit**, *Sibboleth, eadem littera spicam,* id est verbum illud Hebræum spicam designans, *exprimere non valens.* Quamvis etenim omnes essent linguæ Hebrææ, tamen in proferendo illud idioma, secundum diversitatem locorum, erant ab invicem differentes, sicut et in Teutonicis, aliisque conspicimus populis. Unde et Judæi Jerosolymitæ cognoverunt Petrum ex sua lingua, quod C fuerit Galilæus. Itaque Ephraitæ dictionem præfatam exprimere non valebant, sive ex dissuetione, sive ex generali quadam proprietate, defectuve linguæ, sicut est natio quædam, litteram *r* non valens in dictionibus pronuntiare, ita quod ubi nos dicimus, Proprie proprium, dicunt, Popie popium. Quæ res in Universitate Parisiensi stantes frequenter movet ad risum. *Statimque apprehensum, jugulabant in ipso transitu Jordanis,* certi quod esset de Ephraim tribu. *Et ceciderunt in illo tempore de* D *Ephraim quadraginta duo millia.* Quam stragem, secundum Josephum, etiam ideo sunt perpessi, quoniam contra Gedeonem consurrexerunt. Nempe frequenter Deo juste sic disponente, contingit, quod contumeliosi et arrogantes, ab uno æquanimiter tolerati et impune relicti, humilientur valde ab alio : idcirco de talibus dici solet, Bene pertinget ad suum magistrum.

* *respondebat*

Matth. xxvi, 73.

Judicavit itaque Jephthe Galaadites Israel sex annis, et mortuus est ac sepultus in civitate sua Galaad. Post hunc judica-

Digitized by Google

vit Israel, id est Israeliticum populum, A *Abesan de Bethlehem, qui habuit triginta filios et totidem filias.* Hunc (ut fertur) dicunt Hebræi fuisse Booz maritum Ruth. *Qui septem annis judicavit Israel. Cui successit Ahialon Zabulonites,* id est de Zabulon tribu, *et judicavit Israel decem annis. Post hunc, Abdon Pharathonites,* id est de loco seu oppido suo sic nominatus, *qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes,* ipso vivente : tamen post mortem ipsius, præfati filii sui plures generaverunt ; *ascendentes super septua-* B *ginta pullos asinarum :* per quos pullos, Judic. x, 4. non esse intelligendos equos, dictum est in explanatione capituli decimi. *Et judicavit Israel octo annis.* Sub his tribus judicibus non sunt filii Israel ad idololatriam lapsi, nec specialia bella in eis sunt gesta. *Mortuusque est ac sepultus in Pharathon,* id est oppido sic vocato, *terræ Ephraim :* unde Ephraita fuisse videtur ; *in monte Amalec :* non illius Amalec qui contra Israel dimicavit, sed alicujus Hebræi sic nuncupati, ut creditur.

Juxta moralitatem discamus exemplo dejectionis filiorum Ephraim, omnem arrogantiam, gloriam vanam, invidiamque abjicere, dissensiones vitare, persecutiones justorum et rebellionem contra superiores penitus abhorrere, neminem subsannare, nec contendendi aut malignandi excogitare occasiones, sed humilitatem, pacem, constantiam conservare.

ARTICULUS XXII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI TERTIIDECIMI : RURSUMQUE FILII ISRAEL FECERUNT MALUM IN CONSPECTU DOMINI.

SEPTIMA oppressio generalis Israelita- C rum modo describitur : quæ qualibet præhabitarum duravit diutius, quadraginta videlicet annis. Prima autem duraverat octo annis ; secunda, decem et octo ; tertia, viginti ; quarta, septem ; quinta, decem et octo, etc. ; ista, ut dictum est, annis quadraginta. *Rursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philistinorum quadraginta annis.* Unde probabile est, quod ista eorum facinora fuerint præinductis enormiora, sicut et diuturnior fuit pœna ; non D tamen describuntur hic in speciali.

Erat autem vir quidam de Saraa, id est de loco seu oppido sic vocato, ad tribum Dan pertinente. Unde subjungitur : *de stirpe Dan* natus, *nomine Manue, habens uxorem sterilem. Cui apparuit angelus Domini, et dixit ad eam : Sterilis es* per naturam, *et absque liberis ; sed concipies et paries filium :* quem Deus vult nasci de sterili, ut mirabilior sit ejus nativitas, et multiplicentur in eo mirabilia Creatoris, ad gloriam et honorem ipsius. Etenim virum tam supernaturali fortitudine decorandum, decuit supernaturali potentia concipi. *Cave ergo ne bibas vinum et siceram,* id est quemcumque potum inebriativum, *nec immundum quidquam comedas,* id est nullum cibum lege prohibitum : et qui sunt Lev. xi, hujusmodi cibi, describitur in Levitico ; passim. *quia concipies et paries filium, cujus non tanget caput novacula,* id est, caput ejus non radetur. *Erit enim nazaræus Dei,* id est Deo consecratus, et ad ejus obsequia deputatus, *ab infantia et ex matris utero,* id est mox a tempore quo anima ejus suo corpori unietur in utero, vel a tempore nativitatis seu circumcisionis.

Circa hoc quæritur : Primo, cur matri Samsonis Nazaræum concepturæ, pro-

Digitized by Google

hibentur cibi ac potus hoc loco, qui in A Numerorum libro prohibentur Nazaræis. Num. vi, 3. 4. Respondendum, ut ipsa per talem abstinentiam ac obedientiam digna efficeretur tantum concipere puerum, et supernaturali fecunditate dotari. Secundo quæritur, cur Nazaræorum caput non radebatur. Dicendum, ut distinguerentur a ministris et sacerdotibus idolorum, quorum capita radi solebant. Et item, ut tam intenti essent circa interiorem mentis decorem, quod exteriorem ornatum nequaquam adverterent. Quæritur tertio, quomodo Samson fuit nazaræus Dei ex utero matris. An sicut sacratissimus Joannes Baptista per gratiam gratum facientem et dona ei adjuncta, hoc est, an fuit sanctificatus in utero. Ad quod communiter respondetur, quod non ; sed nazaræus Dei sic appellatur, tanquam per supernaturalem fortitudinem deputatus ad hoc, quod Deus per eum inciperet suum populum liberare : quod fuit donum gratiæ gratis datæ. Videtur tamen frequenter et valde præventus donis gratiæ gratum facientis, quæ saltem in sua circumcisione suscepit.

Et incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. Recte ait, Incipiet liberare. Non enim liberavit ex toto aut plene Israeliticum populum de manu Philistiim, imo sub Samuele, Saule et David fuerunt multoties a Philistæis impugnati.

Quæ quum venisset ad maritum suum, dixit ei : Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum, terribilis nimis. Angelum quippe in viri specie apparentem, putabat virum esse : quem dixit habere vultum angelicum, id est ultra humanum modum speciosum, splendidum, atque authenticum, ita quod in ejus vultu interior sanctitas resplendebat. Propter quod dixit eum esse virum Dei, id est hominem virtuosum placentem Deo, et missum ab eo. Quem et valde terribilem dixit, videlicet quasi fulgureo splendore terrificum, sicut et Christus in templo, suaque passione instante perterruit intuentes. Denique apparuit angelus iste mulieri huic in agro, ut infra habetur. In Scholastica quoque historia legitur : Mulieri isti, in agro sæpe pro sterilitate amovenda oranti, apparuit angelus. In eadem quoque fertur Historia, quod mulier ista erat formosa : propter quod vir ejus erat zelotes. Quumque ipsa angeli pulchritudinem commendasset, contristatus est ejus maritus, atque ut mitigaret irrationabilem viri tristitiam, consuluit ei ut ambo simul Dominum exorarent, quatenus vir ille rursus veniret, et ambos de puero informaret.

B *Quem quum interrogassem, quis esset et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere.* In omnibus his declaratur eminentia feminæ hujus in prudentia et virtute. Scivit enim non esse credendum omni spiritui, ideo interrogavit I Joann. iv, 1. hæc tria : videlicet, quis esset qui apparebat, an scilicet Propheta, an angelus ; et unde venisset, an scilicet missus esset ab aliquo, an proprio motu venisset, et an venisset missus de cœlo ; et quo nomine vocaretur. Sed cur angelus non respondit C ad ista ? Dicendum, quod ad duo prima paulo post fuit responsurus per evidentiam facti, ut statim dicetur. Ad tertium vero nec post respondit, ob causam quæ infra habebitur. *Sed hoc respondit : Ecce concipies et paries filium. Cave ne vinum bibas nec siceram.* Nam et talis potus mulieribus specialiter est periculosus, quum inebrientur faciliter. Propter quod et antiquorum Romanorum feminæ abstinebant a vino, ut refert Valerius. *Et ne aliquo vescaris immundo. Erit enim puer naza-* D *ræus Dei ab infantia usque ad diem mortis suæ,* id est per omne tempus vitæ suæ, sicut et Samuel. Aliqui autem erant nazaræi Dei ad certum tempus, ut in Numeris Num. vi, 2. describitur : qui scilicet vovebant ad tempus determinatum Deo per specialem devotionem et orationem vacare, sicut et Augustinus hic tangit in Glossa.

Oravit itaque Manue Dominum, et ait: Obsecro, Domine, ut vir Dei quem misisti. Adhuc enim credidit hominem fuisse, non angelum ; et juxta morem Hebræi sermo-

Digitized by Google

nis, loquitur in sua oratione de Domino et de Deo, quasi de alio et alio, quum idem sit Deus et Dominus. *Veniat iterum, et doceat nos quid debeamus facere de puero qui nasciturus est,* id est, qualiter puerum hunc nasciturum tractabimus et alemus. Verumtamen hoc ex lege potuit Manue sci- Num. vi, 3, 4. re, quum in Numerorum libro dicatur, a quibus Nazaræus debeat abstinere. Sed hoc vel ignoravit, aut plenius scire optavit vir iste. *Exaudivitque Dominus precantem Manue, et apparuit rursus angelus Domini uxori ejus.* Unde apparet, quod femina illa fuit marito suo devotior, atque ob hoc angelica apparitione condignior. *Sedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea.* Non apparuit ei angelus cum aliis residenti, aut more femineo aliis confabulanti, sed solitarie consedenti in agro Gen. xxiv, 63. ad meditandum atque orandum : ob quam causam et Isaac frequenter egrediebatur in agrum. Secreta namque divina et revelationes ac apparitiones angelicæ, non in tumultibus aut frequentia hominum, sed in solitariis et secretis locis manifestari consueverunt. *Quæ quum vidisset angelum, festinavit et cucurrit ad virum suum, nuntiavitque ei, dicens : Ecce apparuit mihi vir quem ante videram.* Ex his videtur, quod vidit angelum a longe venientem, et antequam eam accessit, ipsa cucurrit ad virum suum. Non ergo improvise et subito ante eam stetit, ne et ipsa ex hoc adverteret angelum esse. *Qui surrexit, et secutus est uxorem suam,* quæ ferventi alacritate præcucurrit ad angelum.

Veniensque ad virum, puta ad angelum, *dixit ei : Tu es qui locutus es mulieri,* id est, qui uxori meæ prænuntiasti de puero nascituro? Voluit enim Manue de hoc plenius certificari. *Et ille respondit : Ego sum* ille. *Cui Manue : Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus,* id est opere verificatus, *quid vis ut faciat puer?* id est, quid ex parte Dei jubes, ut faciat puer quem promisisti? *aut a quo se observare debebit?* id est, quem cibum et potum debet cavere? *Dixitque angelus Domini*

A *ad Manue : Ab omnibus quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se,* id est, vinum et siceram et omnem cibum lege prohibitum vitet per omne tempus vitæ suæ, quum futurus sit nazaræus Dei usque ad mortem. Qui autem ad tempus certum erant nazaræi, per tempus illud ab hujuscemodi cibis ac potibus abstinebant. Mater quoque Samsonis abstinebat a talibus usque ad pueri sui nativitatem. *Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat,* videlicet uvas aut uvam passam. Hinc in Numeris clarius B legitur : Acetum ex vino, et quidquid de Num. vi, 4. uva exprimitur, non bibet, videlicet nec agrestam, nec uvas recentes, siccasque non comedet. Quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum, non comedet. *Et quod ei præcepi,* id est, quod puero nascituro observandum præfixi, *impleat* opere, *atque custodiat* assidua recordatione, ne fiat transgressor tempore procedente.

Dixit itaque Manue : Obsecro ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hæ- C *dum de capris.* Per hæc verba, secundum Augustinum, Manue invitavit angelum ad pariter epulandum pro nuntio bono, ut sit sensus : Faciamus tibi hœdum de capris, id est, hœdum de grege caprarum præparemus tibi ad comedendum. *Cui respondit angelus : Si me cogis,* id est, quantumcumque instanter aut importune rogaveris me : sicut in Genesi legitur, quod Lot compulit angelos oppido, id est, valde in- Gen. xix. stanter rogavit, et quasi instar compellentis se habuit; *non comedam panes tuos.* D Manue obtulit hœdum parare, et angelus repetit Panes : quia per panes quæcumque cibaria designantur. Sed cur angelus noluit manducare, quum interdum manducasse Ibid. xvi, 9. legantur? Respondetur, quod angelus nunc volebat manifestare se angelum esse, per modum qui subditur : *Si autem vis holocaustum facere,* id est, hœdum Deo in holocaustum offerre, *offer illud Domino,* et non mihi. Offer (inquam) Domino pro gratiarum actione beneficii tibi ab eo per me promissi.

Digitized by Google

Et nesciebat Manue, quod angelus Domini esset : nec uxor ejus adhuc scivit hoc. *Dixitque ad eum,* id est Manue ad angelum : *Quod est tibi nomen, ut si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te?* Si Manue jam credidit eum qui sibi apparuit, esse missum a Deo, seu esse Prophetam, ut aliqui dicunt, cur dubitative locutus est, dicens : Si sermo tuus, etc., quasi promissio Dei posset non adimpleri ? Et respondendum, quod hæc dictio, *si,* quandoque accipitur pro *non,* quandoque pro *quia,* interdum pro *dum :* et ita nunc accipi potest, ut sit sensus : Quum sermo tuus, etc. Vel conditionaliter dixit, Si sermo tuus, etc., non quasi ex dubitatione de veritate divini promissi, sed quia promissiones divinæ quandoque intelliguntur cum implicita conditione, videlicet nisi homo obicem ponat peccando : et ita ex consideratione propriæ fragilitatis, dubitatio quædam potest subesse ; quædam tamen sunt absolutæ promissiones. Quæritur quoque, cur quæsivit nomen angeli, ut posset eum opportuno tempore honorare. Dici potest, quod ideo, quatenus nomen viri exprimendo, posset absentem facilius invenire, et invento honorem impendere. Vel si eum non inveniret, in scriptis factum istud, nomenque viri redigeret. Quocirca quæri iterum potest, qualiter eum voluit honorare. Dicendum, quod honore duliæ, non latriæ. Et forsan proposuit ei munuscula exhibere, seu aliter venerari, secundum quod hominem sanctum et Dei vatem condecet honorari.

Cui ille respondit : Cur quæris nomen meum, quod est mirabile ? quasi dicat : Non est tibi rationabilis causa vel necessitas interrogandi et sciendi nomen meum, quum non sim homo, ut putas, et quoniam nomen meum perfecte intelligere nunc non vales, secundum quod nomen designat rem, quantum ad suam perfectionem, consistentiamque completam. Ideo (Damasceno testante) angeli quantum ad terminum seu speciem suam specialissimam, ignoti sunt nobis. Est igitur nomen angeli hominibus

A mirabile, non quasi penitus ex sua natura omni menti creatæ incomprehensibile, quod Deo est proprium, sed quasi non plene cognoscibile viatoribus in hac vita. Circa hoc scribit Lyra : Nomina angelorum qui mittuntur in ministerium, variantur secundum legationes eis commissas. Propter quod angelus ad purganda Isaiæ labia
missus, unus de Seraphim nuncupatur, *Is.* VI, 6.
quamvis non fuerit de ordine Seraphim. Angeli autem de futuris, ad quæ desuper mittentur, præcognitionem non habent, ni-
B si in quantum revelatur eis a Deo : quæ revelatio fit secundum divinæ indicium voluntatis. Ideo angelus dixit nomen suum esse occultum (secundum quod in Hebræo habetur, ubi nos habemus, Mirabile), quoniam nesciebat, ad quid in futuro erat mittendus. Quamvis autem hoc dictum, secundum se satis consonet doctrinæ Catholicorum, tamen non sufficit huic proposito. Nam angelus iste scivit ad quid tunc missus fuit. Ergo cognovit nomen quod ei pro tunc competebat. Sunt etiam aliqua
C fixa angelorum vocabula. Ideo quoque angelus nomen suum non revelavit huic viro, quia secreta cœlestia ac divina non sunt hominibus revelanda, nisi secundum mensuram a Deo præfixam.

Tulit itaque, id est attulit, *Manue hædum de capris et libamenta,* videlicet materias liquidas, quæ cum holocaustorum carnibus immolari solebant, *et posuit supra petram,* id est lapidem grandem, juxta quem angelus ex proposito stetit, *offerens Domino, qui facit mirabilia :* quia omni-
D potens est, et supra omnem rerum naturalem cursum et ordinem potest ad libitum operari. Quæri potest, an Manue obtulit ista Deo tanquam sacerdos, quum non esset sacerdos, an obtulit ista angelo non ut Deo, sed ut angelus, quem adhuc hominem sanctum aut Prophetam putavit, ea ex parte sui Deo offerret. Ad quod aliqui dicunt, quod sicut ex commissione angeli et dispensatione divina obtulit ista extra tabernaculum Domini, ita et sacerdotale explevit officium. Alii vero dicunt, quod adduxit

Digitized by Google

et posuit ista supra petram, ut ille qui sibi apparuit, ea offerret. Unde secundum Lyram, in Hebræo habetur, Offerens Domino mirabili occulto ad faciendum, id est ei qui sibi apparebat, et dixit nomen suum esse mirabile seu occultum, ut ipse expleret seu immolaret hoc holocaustum: quod Prophetis ex divina licuit dispensatione. Unde tertio libro Regum legitur Elias holocaustum Domino obtulisse. (III *Reg.* xviii, 30-38.) Verumtamen Septuaginta transtulerunt, Offerens Domino mirabilia facienti. Angelus quoque jam dixerat Manue, ut offerret illud Deo.

Ipse autem et uxor ejus intuebantur, considerando quid fieret de materia illa in holocaustum oblata, cui non erat ignis suppositus ad incendendum oblata. *Quumque ascenderet flamma altaris in cœlum.* Per altare, intelligitur petra illa, qua vice altaris utebantur: de qua virtute divina ignis erupit; et forte angelus tetigit eam, sicut de angelo Gedeoni apparente dictum est supra. (*Judic.* vi, 21.) Imo ad minus tetigit eam spirituali tactu, sua virtute influendo in eam. Porro flamma illa ascendit in cœlum aereum, id est usque ad notabilem aeris altitudinem. Unde et amici Job leguntur sparsisse pulverem super capita sua in cœlum. (*Job* ii, 12.) *Angelus Domini in flamma pariter ascendit,* per hoc ostendens se angelum esse, qui corpus assumpsit aereum, et illud, quum volebat, deposuit.

Quod quum vidisset Manue et uxor ejus, proni ceciderunt in terram, et ultra eis non apparuit angelus Domini. Statimque intellexit Manue, et etiam uxor ejus, *angelum Domini esse,* ex tam subita ascensione et disparitione; et item ex miraculosa productione tanti ignis, præfatum holocaustum repente vorantis. *Et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur,* id est, statim exspirabimus, *quia vidimus Dominum.* Secundum Augustinum, ex quadam magna turbatione et perterritione hoc dixit; ex qua etiam tam ipse quam uxor ipsius corruerunt in terram, prout moris est fragilitati humanæ, visis cœlestibus ac divinis, vehementer terreri, et corporalibus viribus ad tempus destitui. Unde et Daniel: Langui, inquit, post visionem per dies. Et rursus: Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. (*Dan.* viii, 27; x, 16.) Præterea, quoniam Dominus dixit ad Moysen: Non videbit me homo, et vivet; (*Exod.* xxxiii, 20.) simpliciores inter Judæos putabant eos mox morituros, qui Deum aut angelum conspexissent in forma sensibili. *Cui respondit mulier,* quæ viro suo sapientior atque virilior fuit: *Si Dominus nos vellet occidere,* tanquam iniquos, vel per apparitionem istam mirabilem, tanquam ea indignos, *de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset,* id est accepta non habuisset, quum tamen acceptaverit ea, sicut per ignis hujus mirabilem productionem et holocausti devorationem monstravit, quemadmodum et holocausta Abel, Aaron, Salomonis et Eliæ monstravit sibi placere. (*Gen.* iv, 4; *Lev.* ix, 23; III *Reg.* viii, 10, 11; xviii, 38.) *Sed nec ostendisset nobis hæc omnia, nec ea quæ ventura sunt,* id est futura et secreta, *dixisset,* qualia non solet nisi suis caris monstrare, neque ea quæ sunt ventura per nos, scilicet quod filium salvatorem Israelis habebimus.

Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Samson, qui fuit tertius in ordine eorum, quorum nomen Deus legitur prænuntiasse. Primus equidem fuit Ismael; secundus, Isaac; tertius, Samson. (*Gen.* xvi, 11; xvii, 19.) *Crevitque puer* ætate, gratia, et fortitudine: ideo subditur, *et benedixit ei Dominus* dando et multiplicando in eo superna charismata, et specialiter fortitudinem etiam corporalem antea nusquam visam. Fuit autem inter gentiles et Hercules, filius Jovis, vir fortissimus ante Samsonem. Unde in libro de Civitate Dei recitat Augustinus, quod Samson putatus fuit esse Hercules in alio corpore. *Cœpitque cum eo esse Spiritus Domini.* A circumcisione sua fuit in eo gratia gratum faciens, virtutes quoque et dona ei annexa, quæ tunc dabantur in circumcisione, quemadmodum nunc in Baptismo: nec sine illorum infusione remittebatur peccatum originale, nec infantuli ad limbum patrum perducebantur. Verum-

Digitized by Google

tamen Spiritus Domini cœpit esse in Samsone statim ut ad ætatem pervenit adultam, per relucentiam fortitudinis et probitatis ac magnanimitatis, præcipue *in castris* A *Dan,* id est in tribu et turmis seu habitaculis Dan patriarchæ, *inter Saraa et Esthaol,* quia in illis locis et intermediis morabantur filii Dan.

ARTICULUS XXIII

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI TERTIIDECIMI INTELLECTU.

SAMSON evidens fuit Christi figura pene in omnibus. Nam et Samson interpretatur, sol eorum : quod maxime competit Christo, qui est sol sapientiæ, solque justitiæ. De quo impii fatentur : Sol intelligentiæ non est ortus nobis. De quo et per Malachiam loquitur Pater : Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol justitiæ. Christus ergo, qui solus inter omnia ex se et eminentissime lucet, de cujus plenitudine omnes accepimus, in quo et ardentissima caritas fuit, vere est sol universorum fidelium, imo ipse secundum naturam assum- C ptam, seu anima ejus, cunctos illuminat cives triumphantis Ecclesiæ. Porro, per Philistæos, qui erant præ ceteris acerrimi ac diuturniores filiorum Israel hostes et oppressores, intelliguntur invisibiles nostrarum æmuli animarum, a quibus Christus cœpit nos liberare in sua incarnatione. Mox enim conceptus in utero, fuit ratione plenissime utens, cœpitque affici et orare pro generis humani salute, atque extunc promeruit nobis charismata gratiæ. At vero in sua passione satisfecit pro nobis plenarie. Effe- D ctum autem suæ perfectæ liberationis, seu plenum fructum suæ dignissimæ passionis tribuet cunctis electis in die judicii universalis, quibus tunc consummatam tribuet felicitatem in anima et corpore, auferetque ab eis omnem mortalitatem et passibilitatem utriusque.

Sap. v, 6. — Malach. iv, 2. — Joann. i, 16.

Denique, quod Samson a matre naturaliter sterili, supernaturali auxilio concurrente, conceptus et natus est, angelo annun- B tiante, quid designavit, nisi quod Christus a Matre supernaturaliter fecundata, denuntiante Archangelo, est conceptus ac genitus? Rursus, quod Samson ex utero matris usque ad mortem, Dei exstitit nazaræus, præfiguravit, quod Dominus Jesus ab incarnationis exordio consecratus est Patri æterno, et usque ad mortis exitum ei plenissime adhæsit, servivit ac militavit, atque ab omni immundo abstinuit. Iterum Samson incomparabili fortitudine sua ipsum præmonstravit, qui exsultavit ut gigas ad currendam viam, geminæ plane gigas substantiæ, de quo Isaias prædixit : Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis. Et Psalmista : Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Itemque : Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Denique Christus obtulit Deo Patri hœdum et libamenta in holocaustum, id est corpus suum et sanguinem in ara crucis in odorem suavitatis : quod ardentissima inflammavit dilectio. Et sicut de Samsone ait Scriptura, Crevit itaque puer, et benedixit ei Dominus, cœpitque in eo esse Spiritus Domini in castris Dan ; ita de Christo in Evangelio legitur, Puer Jesus proficiebat sapientia, ætate et gratia. Et rursus : Non ad mensuram dat Deus Spiritum homini, scilicet Christo, cujus animæ capacitatem omnino replevit charismatibus gratiæ, virtutum, donorum, beatitudinum et fructuum, donisque gratiæ gratis datæ. Quorum excellentia cœpit relucere in Christo, po-

Ps. xviii, 6. — Is. ix, 6. — Ps. xxiii, 8. — Ps. xliv, 4. — Luc. ii, 52. — Joann. iii, 34. — Is. xi, 2.

Digitized by Google

tissimum in castris Dan, id est inter ejus discipulos, qui fuerunt filii Dan, id est judicii seu discretionis, quam didicerunt a Christo.

Præterea, tropologice studeat unusquisque fidelium esse Samson, id est sol eorum, inter quos conversatur, quatenus (juxta *Matth.* v, 16. Christi doctrinam) luceat lux ejus omnibus illis. Satagat igitur quilibet alium in omni virtute, in omni scilicet humilitate, patientia, mansuetudine, prudentia, exemplaritate, continentia, sobrietate, caritate et puritate excedere, ut his sanctis virtutibus clarificet atque ædificet omnes. Et imperfectorum elationem, iram, impatientiam, insipientiam, intemperantiam, aversionem vincat, frangat, exstirpet; sitque filius Manue, id est quiescentis seu pacis: nam Manue interpretatur quiescens. Et offerat hœdum ac libamenta, implendo illud Apo- *Rom.* xii, 1. stoli: Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. *Coloss.* iii, 5. Et denuo: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Qui hoc modo satagit esse Samson, incipit fratres seu proximos suos de manu Philistiim liberare, imo indubitanter de potestate dæmonum eripit plurimos vivos et mortuos, oratione, exemplo ac meritis.

A Specialiter quoque per Samsonem ex utero matris usque ad obitum, Dei nazaræum, designantur religiosi Deo perpetuo consecrati, atque in holocaustum oblati, et etiam illi qui in baptismali innocentia usque in finem perseverant: quorum est a vino et sicera, id est ab omni ebrietate et crapula, penitus abstinere.

Postremo, et in novo Testamento fuit quidam nomine Samson, vir vere ac spiritualiter fortissimus, mirabiliter deificatus, primo monachus, deinde præsul sanctissi- B mus: qui inter cetera sua magnalia legitur quatuor mortuos suscitasse; ad cujus imperium malitiosissima silvestris femina exspiravit, draco immanissimus obedivit; qui instar solis in Ecclesia coruscavit. Quo adhuc in materno utero exsistente, matri ejus in visu ostensum est, quod sol ex utero suo progrediens, totum illustraret mundum. Qui beatissimus vir antiquum illum Samsonem in spirituali fortitudine, sanctitate, miraculis vicisse videtur: quanquam et Samson ille tam solenniter præ- C nuntiatus ab angelo, miraculose quoque conceptus, fuisse magnus Sanctus credatur, qui et ab Apostolo ad Hebræos inter Sanctos annumeratur, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, etc. *Hebr.* xi, 32, 33.

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI: DESCENDIT ERGO SAMSON IN THAMNATHA.

NUNC recitatur, cur et qualiter impugnare cœperit Philistæos. *Descendit ergo Samson in Thamnatha:* id est, ex quo tanta ei fortitudo collata fuit a Domino, ut Philistæos debellare inciperet, hinc, Deo instigante, ivit ad oppidum Philistinorum, nomine Thamnatha: quod situ bassius fuit terra, in qua Samson demorabatur, ideo dicitur descendisse. Descendit autem D ad intuendum quædam solennia, quæ tunc agebantur ibidem: non ad imitandum, quoniam idololatriam abhorrebat; sed magis ad irridendum, atque ut visa infidelium abusione vesana, magis corroboraretur in devotione et cultu unius Dei. *Videns ibi mulierem,* id est puellam virginem, *de filiabus Philistiim,* id est de numero filiarum Philistinorum, *ascendit,* redeundo ad

Digitized by Google

domum paternam. *Et nuntiavit patri suo et matri suæ, dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philistinorum : quam, quæso, ut mihi accipiatis uxorem,* id est, mihi consentiatis et cooperemini ad hoc, ut eam accipiam conjugem (per verba de præsenti seu juxta formam tunc solitam). Itaque jam erat adultæ ætatis ac nubilis. Samson quoque tanquam bonus prudensque filius, noluit clam inire connubium, sed de scitu et consensu suorum parentum. Per quod docentur fideles filii ac filiæ, ne clandestina matrimonia contrahant, sed suorum utantur parentum seu propinquorum et amicorum consiliis, nisi fortassis vellent religionem intrare aut penitus continere.

Cui dixerunt pater et mater sua : Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, id est in tribu Dan : sicque cognati vocantur hic fratres, quoniam Samson unigenitus fuit ; *et in omni populo tuo ?* Si per omnem populum Samsonis, intelligatur sola plebs tribus Dan, istud est quasi expositio verbi præhabiti ; si vero per omnem populum illum intelligantur ceteræ tribus Israel, sensus est, quod parentes Samsonis reputabant magis illicitum, quod acciperet conjugem ex filiabus Philistiim, quam ex alia quacumque Israel tribu, eo quod plus distabant Philistæi ab Israelitis, quam una Israelitica tribus ab alia : quum tamen utrumque secundum legem videretur illicitum, quum scriptum sit in libro Numerorum : Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua. Et in Deuteronomio : Non inibis cum eis, videlicet alienigenis, conjugia. *Quia vis accipere uxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt,* quum tamen dispar cultus impediat matrimonium contrahendum, dirimatque contractum.

Num. xxxvi, 7.

Deut. vii, 2, 3.

Dixitque Samson ad patrem suum : Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Videtur, quod illa fuit irrationabilis causa, ita quod Samson ex libidinosa concupiscentia motus sit ad contrahendum conjugium, et contra illud quod scriptum est : Ne sequaris concupiscentiam oculorum tuorum. Respondetur, quod sicut Jacob dilexit Rachel propter naturalem dispositionem et decorem ipsius, non tamen sistendo ibidem, sed ad finem honestum talia referendo ; ita de Samsone sentiendum videtur, præsertim quia subjungitur: *Parentes autem ejus nesciebant, quod res a Domino fieret,* id est, quod Samson ex divino moveretur instinctu. Poterat tamen in illa Samsonis complacentia ad puellam, venialis culpa alicujus concupiscentiæ admisceri. Denique, quia res illa fiebat a Domino, qui dispensavit cum Samsone in propria lege, quia in generali prohibuit matrimonia cum alienigenis contrahi : ideo Samson excusatur in hoc a peccato. Nam et Scriptura hæc dicendo, quod parentes ejus ignorabant rem illam a Domino agi, satis insinuare censetur, quod Samson hoc scivit, sive per inspirationem internam, sive per revelationem exterius per angelum factam.

Num. xv, 39 ; *Eccli.* xviii, 30. *Gen.* xxix, 17, 18.

Et quæreret occasiones contra Philistiim :* id est, hoc quoque nesciebant parentes Samsonis, quod ipse quæreret aliquam justam causam seu occasionem impugnandi allophylos. Quocirca quæri potest, quid necesse erat Samsoni occasionem hujusmodi quærere, quum filii Israel a Philistæis graviter premerentur, et terra Philistinorum esset pars terræ Israelitis promissæ. Alii quoque judices statim quum potuerunt, congregato exercitu, impugnaverunt hostes Israeliticæ plebis. Respondetur, quod filii Israel propter sua peccata fuerunt subjecti Philistinorum imperio, et sub tributo eis deserviebant, ita quod interim fuit inter eos pax quædam et compositio per juramentum aut promissionem firmata, quæ sine nova occasione non fuerat infringenda. Unde per Jeremiam et Ezechielem Deus frequenter prædixit se puniturum et regi Babylonis subjecturum Sedeciam regem, eo quod violavit pactum cum rege Nabuchodonosor initum. Hinc in Ezechiele legitur : Qui dissolvit pactum, numquid effugiet ? Quod autem alii judices fecerunt, ex

* occasionem

Ezech. xvii, 15.

Digitized by Google

divina fecerunt commissione, et forte eorum temporibus non erant hujusmodi pacta inter filios Israel et hostes eorum. *Eo enim tempore dominabantur Philistiim Israeli* cum abusione et fastu, ideo Samson quæsivit contra ipsos occasionem.

Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha, ad desponsandum puellam. Quæritur, an parentes ejus peccaverunt in hoc. Videtur, quod imo, quum scriptum sit in Deuteronomio : Filiam illius, videlicet alieni seu infidelis, non accipies filio tuo. Respondetur, quod crediderunt filium suum moveri a Deo : quoniam per angelum fuit prænuntiatus et supernaturaliter natus, atque (ut aliqui dicunt) Samson insinuavit eis, sibi divinitus notificatum, quod matrimonium illud Deo placeret, et quod res illa ageretur a Domino. Sciebat etiam Samson ex revelatione in quodam communi seu indistincte, quod ex illo conjugio oriretur contra Philistæos occasio, quamvis nondum cognosceret modum determinate.

Deut. VII, 3.

Quumque venissent ad vineas oppidi, nomine Thamnatha : quæ erant extra oppidum sitæ ; *apparuit catulus leonis sævus et rugiens, et occurrit ei,* id est, catulus ille Samsoni, ut dilaniaret et devoraret Samsonem. *Irruit autem Spiritus Domini in Samson,* id est, Spiritus Sanctus movit, excitavit et confortavit Samsonem ad invadendum leonem, *et dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerperet, nihil omnino habens in manu :* imo nec læsit manus suas hoc faciendo ; propter quod nemo suspicabatur de facto. Et in hoc patuit mira ipsius fortitudo : quam tamen ex sola complexione, naturalive dispositione non videtur habuisse, ut infra tangetur. Præterea, quidam in veteri Testamento leonem occidisse leguntur, ut David et Banaias ; quidam quoque in novo Testamento : de quorum nullo habetur quod fecerit hoc, nihil omnino habens in manu. *Et hoc patri et matri noluit indicare.* Ex hoc verbo multa eliciuntur. Primum, quod ad tempus pro aliqua causa a suis divertit parentibus, et tunc ei occurrit leo. Secundo, quod erat virtuosus, prudens et humilis, non vanus ac levis, quoniam tantum opus celavit, neque jactavit se : sicut et Saul adhuc humilis, non indicavit patri seu patruo suo, quemadmodum a Samuele fuit unctus in regem. Tertio, quod parentes Samsonis consideraverunt eum notabiliter immutatum in facie, et aliquid peregisse, ideo interrogaverunt quid egisset : et tamen noluit eis indicare, quia nondum patuit ejus fortitudo in aliquo facto tam magno. Ideo secretum suum tenuit sibi, juxta illud in Isaia : Secretum meum mihi. *Descenditque* de vineis in Thamnatha, *et locutus est mulieri quæ placuerat oculis ejus :* quia cum suis parentibus tractavit cum puella et ejus parentibus de conventione connubii, et concordaverunt, ita quod sponsalia tunc fecerunt.

I Reg. XVII, 36 ; I Par. XI, 22.

I Reg. X, 16.

Is. XXIV, 16.

Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam in sponsam et conjugem, condormiretque ei. Itaque factis sponsalibus reversus est cum suis parentibus ad domum parentum, deinde cum eis rediit ad domum puellæ. *Declinavit* sicut et ante parum ab itinere, relictis in via parentibus, *ut videret cadaver leonis,* quem interfecit, non ex vanitate et curiositate, sed magis ut ex recenti materiæ miraculi hujus adspectu incitaretur de novo ad gratiarum actionem et laudem pro tanto beneficio, quod vicit volentem se devorare. *Et ecce examen,* id est congregatio, *apum in ore leonis erat, et favus mellis,* ex apum mellificatione. Sunt autem diversæ species apum : quarum quædam naturaliter horrent fœtida loca, quædam vero ignobiliores talia non abhorrent, quales istæ videntur fuisse. *Quem,* scilicet favum mellis, *quum sumpsisset in manibus, comedebat in via ; veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem* mellis : sed et sponsæ suæ tradidit partem, ut Magister in historiis addit ; *qui et ipsi comederunt ; nec tamen eis* inquirentibus unde mel illud collegisset, *voluit indicare, quod mel de corpore leonis sumpserat.*

Digitized by Google

Descendit itaque pater ejus cum eo, imo et mater sua, *et fecit filio suo Samson convivium* nuptiale in domo sponsæ. *Sic enim juvenes facere consueverant,* id est procurare, ut eorum parentes facerent nuptiale convivium. *Quum ergo cives illius loci,* scilicet Thamnathæi, *vidissent eum,* id est considerassent, quod Samson esset juvenis valde robustus et audax, *dederunt ei sodales triginta, qui essent cum eo.* Secundum expositores, quum cives Thamnathæi exercerent epulas nuptiarum, timentes robur Samsonis, adjunxerunt ei de suis B tot juvenes fortes, sermone et specie socios, et quasi ob nuptiarum honorem, sed re ipsa custodes, quatenus ei resisterent, si crescente convivarum satietate, aliquid attentaret adversus eos. *Quibus locutus est Samson : Proponam vobis problema,* hoc est quæstionem obscuram et difficilem ad solvendum. Quærebat enim occasionem contra eos, et probabiliter æstimavit ex propositione illius problematis contentionem mox orituram, ut justam contra ipsos litem acquireret. Ideo addidit : *quod si sol-* C *veritis mihi infra septem dies convivii* nuptialis, quod per unam duravit hebdomadam, sicut et in Genesi Laban ait ad Gen. XXIX, 27. Jacob : Imple hebdomadam dierum copulæ hujus ; *dabo vobis triginta sindones,* id est lineas vestes, *et totidem tunicas* laneas. *Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones et ejusdem numeri tunicas. Responderunt ei : Propone problema ut audiamus.* Erubuerunt enim eo inferiores apparere in sapientia. *Dixitque eis: De comedente exivit cibus, et* D *de forti egressa est dulcedo.* Sensus hujus problematis infra in textu exprimitur. Josephus autem refert eum ita proposuisse : Qui cuncta devorat, cibum genuit de se suavem, licet ipse sit insuavis. *Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere,* id est, exponere qualiter esset intelligenda, quamvis inter se diligentissime conquisissent.

Quumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson : Blandire viro A *tuo, ut indicet tibi quid significet problema. Quod si facere nolueris, incendemus te et domum patris tui. An idcirco vocastis nos ad nuptias, ut spoliaretis?* Infra habetur, quod uxor ejus septem diebus convivii flebat coram eo, quatenus sibi explanaret problema præfatum : quomodo ergo nunc dicitur, quod quum adesset dies septimus, dixerunt triginta viri illi ad eam, Blandire viro tuo? Ad hoc in Scholastica respondetur historia : Quum adesset dies septimus, id est, quum adhuc esset dies inter septem primus. Vel, Quum adesset, id est appropinquaret, ita quod quarto die venerunt ad eam. Alii compendiosius dicunt, quod hoc loco per septimum diem intelligitur sabbatum, quod erat septimus dies hebdomadæ inter illos dies occurrens, et erat quartus dies in ordine dierum convivii. Sed quomodo tunc verum est quod septem diebus rogavit uxor virum suum Samsonem cum lacrimis, quum non nisi quatuor diebus hoc fecerit? Respondetur, quod ibi capitur totum pro parte majori, ut sit sensus, quod aliquibus illorum diebus, et pro majori parte illorum dierum sic supplicavit : quemadmodum in Actis habetur, quod Jesus per dies quadraginta Act. I, 3. apparuit suis, non quod quolibet illorum dierum eis apparuit, sed in multis ipsorum, videlicet primo et ultimo, et interdum intermediis quoque diebus. *Quæ fundebat apud Samson lacrimas, et querebatur, dicens : Odis me, et non diligis : idcirco problema quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit : Patri meo et matri nolui dicere, et tibi indicare potero? Septem igitur diebus convivii flebat ante eum.*

Tandemque die septimo, qui in ordine dierum convivii septimus erat, *quum ei molesta esset,* blandis, lacrimosis et incessantibus precibus, feminеisque blanditiis etiam in lecto, *exposuit* ei problema cum spe et exactione, quod ipsa nemini revelaret. Quod ipsa non observavit. Nam subditur : *Quæ statim indicavit civibus suis,* scilicet pronubis seu sodalibus jam prædictis. *Et illi*

Digitized by Google

dixerunt ei, puta Samsoni, *die septimo ante solis occubitum*, quia si distulissent diutius, obligati fuissent Samsoni sindones tunicasque prædictas. *Quid dulcius melle? et quid fortius leone?* quasi dicant, Sensus problematis est, quod de ore leonis acceptus est cibus, et de eodem leone occiso prodiit favus mellis, quem apes ibi fecerunt. Ad quod (ut in Scholastica historia dicitur) addidit Samson : Quid dolosius muliere? quasi dicat, Uxor mea decepit me. Idcirco subjungitur : *Qui ait ad eos : Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.* Per vitulam intelligit suam uxorem propter feminarum lasciviam; vel quia idololatriæ insolentiis ac vanitatibus dedita erat ; aut quia sibi fuit subjecta, ut vitula tauro. Est itaque sensus : Si non instar arantium profundassetis inquisitionem vestram cum adjutorio meæ uxoris, non reperissetis ex ingenio proprio intellectum mei problematis.

Irruit itaque in eum Spiritus Domini : id est, inspiratio Dei movit eum ad faciendum quod subditur, ideo nec culpabile fuit. *Descenditque Ascalonem,* id est urbem Philistinorum sic dictam, *et percussit ibi triginta viros :* quia jam habuit causam A contra Philistiim. Et quamvis illi erant innoxii ab hac causa, tamen divino judicio rei mortis fuerunt ob alia crimina sua, et quia in filios Israel sæpe ac graviter peccaverunt. *Quorum ablatas vestes,* videlicet sindones et tunicas, *dedit his qui problema solverant. Iratusque nimis* contra suam uxorem, quæ ei tantam infidelitatem exhibuit, et contra sodales, qui per fraudem et vim obtinuerunt triumphum, quia per mortis comminationem extorserunt a sua uxore, quod solutionem problematis a suo B quæsivit marito, eisque revelavit, quum tamen ex se ipsis debuissent illud exponere ; *ascendit in domum patris sui :* dimittendo ad tempus uxorem ex indignatione et ira, imo ex ira per zelum, quousque fervor iræ suæ cessavit. *Uxor autem ejus, maritum accepit unum de amicis ejus et pronubis,* id est sodalibus, qui ejus adstiterat nuptiis, et se esse simulavit amicum Samsonis, aut forsitan erat. Verumtamen quum vinculum matrimoniale sit insolubile viventibus conjugatis, mulier illa non C contraxit verum connubium cum altero illo. Porro, quod Samson fuit verus ejus maritus, non obstante dispari cultu, fuit ex dispensatione divina.

ARTICULUS XXV

DE MYSTICA INTELLIGENTIA EJUSDEM CAPITULI QUARTIDECIMI.

PER hoc quod Samson relictis sui populi filiabus, complacentiam habuit ad desponsandum sibi alienigenam ex Philistiim natam, quoniam contra Philistæos occasionem quærebat, præfiguratum est, quod Christus relictis Judæis, ex quibus secundum carnem duxit originem, desponsavit sibi Ecclesiam ex gentibus præelectam : pro cujus conversione et spiritualibus nuptiis secum agendis, instanter rogavit Patrem æternum, quoniam contra dæmones D præliari optavit, quorum filii erant gentiles idololatræ : quos dæmones Dominus et Salvator invasit, et de gentilium animabus ejecit. Quemadmodum etiam Samsonis parentes plurimum mirabantur, quod Samson alienigenam ducere voluit; sic primi quidam ex Judaismo conversi, vehementer sunt admirati, quod Dominus Jesus per suos discipulos ad gentilium conversionem, spiritualemque desponsationem processit. Unde quum beatissimus princeps

Digitized by Google

Apostolorum introisset ad Cornelium centurionem ac ejus domesticos, prædicassetque eis, disceptaverunt contra eum, dicentes : Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum eis? ut in Actis scriptum est. Paulus quoque de infidelibus loquens Judæis : Deo, inquit, non placent, et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos loqui gentibus verbum Dei, ut salvæ fiant. Verumtamen, sicut parentes Samsonis cognita Dei voluntate, suo filio acquieverunt, et ei alienam puellam sumpserunt in conjugem; sic ipsi summi discipuli Christi ex Judæis progeniti, facti sunt ministri conversionis gentilium, et paranymphi fuerunt conjunctionis Christi atque Ecclesiæ ex gentilitate assumptæ.

Act. XI, 2, 3.

I *Thess.* II, 15, 16.

Amplius, sicut Samson ad desponsandum alienigenam transiens, occidit leonem sævum in vineis; sic Christus per Apostolos ad gentilitatis conversionem progrediens, vicit in via diabolum, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Invenitque in ore diaboli apum examen, id est multitudinem animarum ab illo spiritualiter devoratarum, qui absorbet fluvium, nec miratur; cujus esca electa, dum sibi incorporat et deglutit animas superbenedictæ Trinitatis imagine insignitas. Has rapuit Christus ex ore diaboli, et fecit eas sibi cibum dulcissimum, quem sibi incorporavit, Deoque Patri obtulit ei inviscerandum.

I *Petr.* V, 8.

Job XL, 18.

Deinde, sicut pater Samsonis fecit filio suo nuptiale convivium septem dierum; sic Pater Christo per totum tempus evangelicæ legis nuptias facit cum militanti Ecclesia, juxta illud in Evangelio : Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Iterum, sicut Samson in illo convivio commensalibus suis problema proposuit ; sic Dominus Christus in Evangelio multas nobis proponit parabolas, quarum intellectum requirit a nobis : et si salubriter intellexerimus eas, largitur nobis pro præmio amictum virtutum et mentis munditiam ; si quo minus, rationem exquiret a nobis negligentiæ et insipientiæ nostræ. Sed sicut Philistæi intellectum problematis invenire non valentes, rogabant Samsonis uxorem, ut precibus a suo extorqueret marito interpretationem problematis ; ita et nos rogemus Ecclesiam, id est personas devotas, quatenus illuminationem et sapientiam salutarem orationibus suis ac meritis adipiscantur nobis a Sponso cœlesti. Præterea, per hoc, quod uxor Samsonis ei infidelis effecta est, et alteri nupsit, est figuratum, quod Ecclesia in multis ad eam pertinentibus deserit Sponsum supernum, et cadit, atque diaboli adultera redditur. Hinc Salvator iratus, discedit a talibus. Et sicut Samson in Ascalone percussit triginta viros, quorum vestes tradidit expositoribus sui problematis; sic Christus sapientes sæculi hujus et recidivantes condemnat, et sapientiam eorum naturalem, virtuosaque merita, quæ aliquando habuerunt, communicat et largitur suis electis, quoniam bona talia meritoria non deserit irremunerata.

Matth. XXII, 2.

Moraliter studeamus et nos alienigenam ducere, id est, animas sæculares et peccatrices convertere, ac Christo unire. Diabolum quoque leonem sævissimum vincere enitamur, per humilitatem et caritatis fervorem, orationes et lacrimas, atque per jugem cordis custodiam, incessabilemque profectum. Verumtamen nequaquam emolliamur blandimentis femineis, nec aliqua superemur carnali affectione, nec omni credamus spiritui, neque secreta nostra alicui incaute pandamus, imo nec ea quæ in secreto accepimus, infideliter reseremus, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Qui denudat arcana amici, perdit fidem. Et rursus ibidem : Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.

I *Joann.* IV, 1.

Eccli. XXVII, 17, 24.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : POST ALIQUANTUM AUTEM TEMPORIS QUUM DIES TRITICEÆ MESSIS INSTARENT.

IMPUGNATIO Philistinorum a Samsone, A modo describitur. *Post aliquantum autem temporis quum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere,* id est visitare, *volens uxorem suam, et attulit ei hædum de capris :* in quo patet quod non erat immansivus in ira, sed cito indulgens, quia post modicum tempus ad suam rediit conjugem, a qua tam graviter fuit offensus, infideliterque tractatus ; nec tantum rediit, sed et munusculum attulit ei, ut et ipsa placaretur, si forte ex suo recessu fuisset offensa. Graviter igitur peccant ma- B riti, qui contra suas contorales tam leviter indignantur, et diu ab illis se subtrahunt, ac difficulter placantur.

Quumque cubiculum ejus solito vellet intrare maritali affectu, ne et illa ex sua ab eo absentia caderet. Propter quod non licet viro, a sua uxore immoderate se absentare. *Prohibuit eum pater illius,* puta uxoris, *dicens : Putavi quod odisses eam,* quia reliquisti eam ad tempus, et ipsa multum
Judic. XIV, 20. offenderat te ; *et ideo tradidi illam amico tuo :* juxta sensum in præcedentis exposi- C tione capituli introductum ; sed hoc factum fuit nimis cito. Et quamvis mora multo major intervenisset, tamen primo marito ad conjugem redeunte, magis spectat ad eum, et restituenda est ei, quam pertineat ad secundum, quum vinculum matrimonii consummati, inter viventes non solvatur. *Sed habet sororem quæ junior et pulchrior illa est,* ideo amabilior videbatur ; *sit tibi pro ea uxor.* Sed tale matrimonium modo non licet. *Cui respondit Samson : Ab hac die non erit culpa in me contra Philistæos :* id est, non peccabo, mala pœnæ infligendo Philistæis, quia ad hoc habeo causas justas, quum tam graviter sim offensus ab eis, a quibus et uxor mea mihi jam est ablata. *Faciam enim vobis mala.* Itaque eos præavisavit, nec instar latronum sine præcomminatione ipsos invasit. Quod si quæratur, cur ob istas injurias sibi a paucis Philistæis irrogatas, toti populo comminatus est ac intulit damna : respondetur, quod divino instinctu hoc fecit, quoniam Philistæi erant in filios Israel generaliter rei, eratque Samson divinæ justitiæ instrumentum ad punitionem illorum.

Perrexitque et cepit trecentas vulpes. Samson jam fuit judex populi Israel, sicut de eo Jacob prædixit : Dan judicabit populum suum, id est Samson natus de stirpe Gen. XLIX, 16.
Dan. Ideo habuit famulos et auxiliarios satis multos, quorum auxilio per retia atque industrias cepit tot vulpes. Nam vulpes ibi abundant. Et forte angelico juvabatur auxilio, quia in hoc præordinatus et natus fuit ut affligeret Philistæos. *Caudasque earum junxit ad caudas,* hoc est, caudam unius alligavit caudæ alterius per apta ligamina. Colligavit autem duas vulpes ad invicem, *et faces ligavit in medio,* id est, inter quodlibet par vulpium sic colligatarum, unam ligavit facem, eam innectendo illi ligamini quo vulpes fuerant colligatæ : quod ligamen fuit satis ad hoc longum. *Quas* faces *igne succendens, dimisit* vulpes, quas tenebat instar canum vinculatas in rure juxta blada, *ut huc illucque discurrerent.* Erantque faces illæ difficulter exstinguibiles, et non incendebant vulpes. *Quæ statim perrexerunt in segetes Phili-* D *stinorum.* Vulpes quippe visis flammis, quæ erumpebant ex facibus, erant turbatæ ac territæ ; nec more solito festinabant ad

Digitized by Google

silvas, speluncas, latibula, nec prompte currere quibant : ideo introierunt loca eis viciniora, videlicet segetes, in quibus forte paulatim comburebantur et ipsæ. *Quibus* segetibus *succensis* per faces ardentes, quoniam segetes jam fuerunt maturæ et siccæ, *et comportatæ jam fruges,* id est in agris collectæ, seu in acervos grandes redactæ, *et adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret* in diversis campis, in quibus divisim dimiserat vulpes per se et per auxiliarios suos. Non enim verisimile est, quod solus hæc omnia fecerit.

Dixeruntque Philistiim : Quis fecit hanc rem ? Quibus dictum est ab aliquo Hebræo aut Philistæo : *Samson gener Thamnathæi,* id est maritus filiæ viri de Thamnatha, *quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philistiim, et combusserunt tam mulierem quam patrem ejus. Quibus ait Samson : Licet hæc feceritis,* id est, feminam illam et patrem ejus combusseritis, in quantum fuerunt occasio incendii rerum vestrarum, *tamen adhuc ex vobis expetam ultionem,* propter alias vestras iniquitates, quarum flagellum sum ex commissione divina ; *et tunc quiescam.* Qui enim iratus est, dum se ad libitum ultus est, conquiescit et delectatur. Unde et passiones irascibilis, dicuntur in passionibus concupiscibilis terminari. Hæc itaque dixit eis per internuntium, sive ore tenus quibusdam illorum : in quo patet magnanimitas ejus.

Percussitque eos ingenti plaga, quæ non exprimitur hic determinate et qualiter facta sit ; *ita ut stupentes,* id est, de tam inopinato eventu et miro effectu vehementer mirantes, præsertim quod in uno viro tanta consisteret fortitudo, et quod Hebræi, qui eis fuerunt tot annis subjecti, talia perpetrarent, *suram femori imponerent,* id est, unum crus superponerent alteri, ut moris est eis, qui cura grandi gravantur, atque sollicite meditantur de his quæ eis acciderunt, aut futura verentur, quid item in talibus sint acturi. Sic mœsti ponere solent maxillam super manum. Sura est tibia. Hinc Septuaginta transtulerunt : Percussit Samson alienigenas ad tibiam super femur, id est tam mirabiliter, ut præ stupore tibiam unius pedis super femur alterius ponerent, non illi qui jam erant percussi, sed alii. Sic Augustinus et Glossa exponunt. Porro, ut Lyra refert, in Hebræo habetur : Percussit eos plaga magna : tibiam super crus suum. Quod exponunt Hebræi de percussione peditum cum equitibus, quoniam pedites in bello magis innituntur tibiis, equites cruribus. Quidam hic scribit : Sura est posterior pars cruris, femur anterior : quod non videtur idonee dictum, quum sura sit tibia, et femur pars cruris posterior. Unde et Abraham dixit : Pone manum tuam subter femur meum. *Gen.* XXIV, 2. Magister quoque in historiis : Tibiis, inquit, incedimus, super femur sedemus. At vero, secundum Rabbi Paulum, ista est littera : Percussit eos sura super femur plaga magna : quod secundum eum, antiqui Hebræorum exponunt, dicentes, quod sine armis et adjuncto extrinseco percussit eos calcitrando, sicut homo cum calcaneo suo conjuncto suræ, percutit femur alterius ; et si percussio est valida, cadit percussus. Sicque ad ostendendum eminentiam fortitudinis Samsonis, exprimitur modus iste percutiendi extraneus atque insolitus.

Et descendens, habitavit in spelunca petræ Etam. Sic et David fugiens Saulem, in speluncis et juxta petras legitur habitasse. I *Reg.* XXII, 1. Verumtamen Samson non ex timore neque ut fugiens, in spelunca illa moratus est, sed potius ex devotione, ut Deo vacaret quietius, et ne occasione sui urbs in qua esset, periclitaretur. *Igitur ascendentes Philistiim in terram Juda,* id est in sortem tribus Juda, quæ erat in una extremitate terræ promissionis, et advenientibus Philistæis primo occurrens, *castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est maxillæ, ubi eorum fusus est exercitus. Dixeruntque ad eos viri de tribu Juda : Cur ascendistis adversum nos ?* quasi

dicant, Servi et tributarii vestri sumus, nec (A) repugnare disponimus. *Qui responderunt: Ut ligemus Samson, venimus, et reddamus ei quæ in nos operatus est,* id est, ut eum vinctum tradamus superioribus nostris, quatenus debite illudatur et occidatur.

Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda ad specum silicis Etam, scilicet ad præfatam speluncam. *Dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philistiim imperent nobis? Quare ergo hoc facere voluisti?* quasi dicant, Exposuisti nos omnes periculo. *Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi,* (B) *sic feci eis,* id est, pro injuriis mihi injuste illatis intuli eis justas vindictas, præsertim propter communem Israelitici populi liberationem. Nec hoc fuit contra illud Pro- (Prov. xx, 22.) verbiorum, Ne dicas, reddam malum pro malo: quia pro malo culpæ, non est malum culpæ retribuendum. Interdum tamen malum pœnæ est reddendum pro malo culpæ, ut servetur decor justitiæ, præsertim pro conservatione rei publicæ. *Ligare, inquiunt, te venimus et tradere in manus Philistinorum.* Hoc facere voluerunt (C) viri Juda timore Philistinorum, a quibus viderunt se et totum populum Israel impugnandum, nisi traderent Samsonem in manus eorum. *Quibus Samson: Jurate, inquit, et spondete mihi, quod non me occidatis,* si me ligari permisero. Samson scivit quod non possent eum invitum ligare, nec volebat eis resistere, quia non voluit lædere eos: ideo se ligari permisit, tamen sub hac conditione. Maluit quoque permittere quod ligaretur, quam quod filii Juda et aliæ tribus Israel a Philistæis (D) infestarentur. Denique petiit certificari de hoc, quod non occideretur, non solum juramento, sed etiam promissione, quæ interdum fortius ligat quam juramentum. *Qui dixerunt: Non te occidemus,* et hoc juraverunt ac promiserunt; *sed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus,* qui solent esse fortiores, *et tulerunt eum de petra Etam.*

Qui quum venissent ad locum Maxillæ: quod nomen loco illi impositum est ab eventu, qui paulo post recitatur; *et Philistiim vociferantes* præ gaudio, quasi jam certi de hostis sui captivitate et morte, *occurrissent ei,* quem viri Juda trahebant ut reum et furem, *irruit in eum Spiritus Domini,* id est, a Deo motus et confortatus est ad faciendum quæ subjunguntur. *Et sicut solent ad odorem ignis,* id est ex impressione caloris, *ligna consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt et soluta,* id est, tam celeriter ac faciliter dissipavit et rupit ea. *Inventamque maxillam, id est mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros:* quod satis mirabile fuit, quod inter tot concussiones mansit illæsus ac vivus, quum esset inermis. Hoc quoque mirabile, quod tantus pugnator, sciens se tot tamque acerrimos hostes habere, non habuit gladium secum, nec aliquam armaturam, sed de sua fortitudine et Dei auxilio satis securus fuit. Imaginor autem, quod visis Philistæis, mox impetuosissime cucurrit in eos, atque tam velocissime unum super alium trusit ac plurimos simul prostravit, et omnes sic perturbavit, quod nullus illorum poterat eum accedere ad nocendum. *Et ait: In maxilla asini,* id est cum maxilla, tanquam per instrumentum, *in mandibula pulli asinarum,* hoc est juvenis asini ex asinabus nati, *delevi eos,* id est, Philistæos occidi, *et percussi mille viros* de exercitu Philistæorum. Alii autem fugerunt (secundum Josephum) ex timore. *Quumque hæc canens verba complesset.* Cecinit enim canticum istud, gratias agens Deo de tam miro triumpho, atque (ut in Scholastica fertur historia) metrice cecinit ista. Præterea aliqui quærunt, an totum canticum istud Samsonis descriptum sit. Estque probabile, quod non, quia nunc dictum est: Quumque hæc canens verba complesset; quasi dicatur, Omnia verba illius carminis non describuntur hoc loco. *Projecit mandibulam de manu,* usu ejus completo; *et vocavit nomen loci illius, Ramathlechi:* quod quid significet, auctor exponit, addens, *quod interpretatur, elevatio maxillæ.* De-

Digitized by Google

cuit quippe, locum in quo tam mirabile contigit opus, ab eodem opere nomen novum sortiri, ad perpetuam rei memoriam, Deique laudem.

Sitiensque valde, nam fortiter laboravit. Dicunt tamen Hebræi, quod sitis illa fuit pœna peccati, quia (ut dicunt) dedit sibi gloriam, et non Deo. Quod non videtur, quum jam dictum est, quod gratias
Exod. xv, 1-19. *Judic.* v, 1-31. agens Deo, cecinit canticum, sicut et Moyses Pharaone submerso, Debora quoque et Barac adepta victoria. Fuit autem naturale post tantum conflictum sitire. Denique beneficium Dei recognoscens, devote oravit. *Clamavit ad Dominum, et ait : Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam,* id est valde mirabilem, *et en siti morior,* id est, morti propinquo, statimque moriar, nisi subvenias, *incidamque in manus incircumcisorum,* id est Philistinorum, qui me siti languentem faciliter capere possent. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ,* sicut et aqua exivit de petra *Num.* xx, 11.
percussa Moysis virga. Et videtur, quod aquæ per creationem exierint inde, quum nil dentis aut petræ videatur versum in aquas illas. *Ideo appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem :* quia de maxilla illa quasi de fonte, aqua manavit ad invocationem Samsonis. Sicque locus ille videtur nomina duo sortitus, videlicet istud et præcedens, propter duo miracula ibi facta. Vel (ut in historiis ait Magister) mutato priore nomine, nomen istud impositum est loco illi. *Judicavitque Israel in diebus Philistiim viginti annis.*

ARTICULUS XXVII

DE SENSU EJUSDEM CAPITULI QUINTIDECIMI MYSTICO.

QUEMADMODUM Samson post aliquantum temporis rediit suam invisere uxorem, afferens ei hœdum : sic Dominus et Salvator ad tempus solet suæ irasci Ecclesiæ seu animæ peccatrici, propter ip-
Habac. iii, 2. sius peccata ; sed quum iratus fuerit, misericordiæ recordatur. Et sæpe prævenit gratiose atque piissime visitat, quam juste reliquerat. Sicque nonnunquam suam reformat Ecclesiam seu animam recidivantem. Nec vacuus redit, sed hœdum adducit, quoniam corporis sui exhibet Sacramentum, sed et spiritualia alimenta.

Insuper, sicut Samsonem solito ingredi cupientem cubiculum suæ uxoris, prohibuit pater conjugis, dicens, Tradidi eam alteri viro ; sic Christum thalamum cordis suorum fidelium volentem intrare, spiritualesque nuptias exercere, frequenter impedire nituntur carnales propinqui, amici ac dæmones, asserentes, quod ipsos fideles oporteat carnalibus nuptiis tradi ; sicque animas Christo in fonte Baptismatis, deinde in sacramento Pœnitentiæ consecratas, avertunt ab ipso, et tradunt dæmoniis constuprandas. Quibus animarum deceptoribus Christus vehementer irascitur, comminatur, infernalesque vulpes colligatas fœdere societatis nequissimæ, et faces cupiditatis, iræ, concupiscentiæ, malignitatis secum ferentes in caudis suis, in talium deceptorum segetes, hoc est actiones ac studia, permittit discurrere, ad tentandum ac superandum eosdem. Qui et vincuntur, et quidquid aliquando boni egerunt, amittunt, corruendo in vitia. Tunc iniqui gravius excæcati, efficiuntur instar Philistinorum Christo magis rebelles, et eum in suis membris persequuntur. Plurimosque secum implicare peccatis nituntur, in tan-

Digitized by Google

tum, quod etiam viri Juda, hoc est, qui spirituales esse videntur, ut quidam religiosi et sacerdotes ac clerici, per reprobam vitam opponant se Christo, dicentes ei in suis ministris, a quibus admonentur et increpantur : *Nescis quod Philistiim imperent nobis,* id est, quod sæcularibus vanitatibus, vitiisque carnalibus ac dæmonum tentamentis victi ac subditi sumus, ita quod frustra corripimur, quia percus-
Is. xxviii, 15. simus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum ? Hæc plane, etsi non sermone, tamen opere dicunt.

Insuper, sicut Samson propter filiorum Israel salutem se permisit ligari, ita et Filius Dei. Quemadmodum etiam Samson mandibula asini mille viros percussit, sic Christus per lignum crucis universos suos hostes, qui millenario designantur, prostravit. Et sicut Samson fatigatus sitivit usque ad mortem, sic Dominus Jesus in
Joann. xix, 28. cruce locutus est, Sitio. Etenim corporaliter vehementissime sitiebat, sed siti majori nostram affectavit salutem. Porro, per dentem molarem, ex quo fluxit Samsoni rivulus aquæ, intelligitur cornu crucis, quæ animam Christi refecit : quoniam ex consideratione fructus suæ passionis, quam

A tulit in cruce, refocillabatur cor ejus. Sic ergo et nos quacumque tribulatione, tentatione, labore afflicti aut lassati fuerimus, cum omni spe clamemus ad Dominum, qui hortatur : Venite ad me, omnes qui labo- Matth. xi, 28.
ratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Qui et in Apocalypsi ultimo capitulo protestatur : Qui sitit, veniat ; et qui vult, bi- Apoc. xxii, 17.
bat aquam vitæ gratis.

Caveamus indesinenter, ne quempiam impediamus ab ingressu Christi in animam ejus, a devotione interna, a spirituali pro-
B fectu aut religionis ingressu. Non simus Christo rebelles, et jugiter evitemus, ne Philistiim imperent nobis. Nempe omnis Joann. viii, 34.
qui peccat, servus est peccati, et iniqui II Petr. ii, 19.
sunt servi corruptionis. Absit ut aliquis nostrum instar virorum Juda cooperetur Philistæis adversus Samsonem, hoc est, nemo cooperetur dæmonibus aut etiam vanis et vitiosis hominibus ad seducendum aut perturbandum et scandalizandum animas Christi sanguine liberatas. Etenim væ ho- Matth. xviii, 7.
mini per quem scandalum venit. Et Apo-
C stolus monet : Ne ponatis offendiculum Rom. xiv, 13, 19.
fratri aut scandalum. Et rursus : Quæ pacis sunt, sectemur ; et quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEXTIDECIMI : ABIIT QUOQUE IN GAZAM, ET VIDIT IBI MULIEREM.

CONFLICTUS Samsonis contra adversarios suos usque ad mortem ipsius, hic scribitur. *Abiit quoque in Gazam,* quæ fuit una quinque principalium urbium Philistinorum. Quo constat quod eos non formidavit, nec Gazenses audebant eum invadere, etiam in propria urbe. *Et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.* Si introivit ad eam ad fornicandum, peccavit mortaliter. Ex quo elicitur, quod

D non fuit sanctificatus in utero : quia sic sanctificati, dicuntur postea mortaliter non peccare. Hebræi tamen (ut fertur) legunt, Mulierem hospitatricem, quia dictio Hebræa utrumque designat. Circa quod scribit quidam : Propter hoc non invaserunt eum Philistæi ibi, videlicet in hospitio, quia secundum legem terræ, debet homo in hospitio securitatem habere. Quod non videtur idonee dictum, quoniam rei, præ-

Digitized by Google

sertim publici hostes totius communitatis, A securitatem non habent in suorum hospitiis æmulorum. Philistæi autem reputabant Samsonem suæ reipublicæ maximum hostem : imo talibus adversariis prohibetur ingressus in terram quam vastant.

Quod quum audissent Philistiim, et percrebuisset apud eos, intrasse urbem Samson, circumdederunt eum. Hoc intelligi potest, quod cives Gazæi circumdederunt domum, in qua Samson erat; vel quod alii quoque Philistæi circumdederunt urbem illam, ne per aliquam ejus partem evade- B ret. *Positis in porta civitatis custodibus,* in ea scilicet porta, per quam fuerat exiturus; vel singulare ponitur pro plurali, ut sit sensus, quod in singulis portis urbis illius posuerunt viros armatos ad observandum ejus egressum. *Et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem* de domo mulieris, vel de porta civitatis, *occiderent* in altero horum locorum. Sed quomodo præstolabantur in porta tota nocte, quum subjungatur, *Dormivit autem Samson usque ad noctis medium?* Dici potest, C quod per synecdochen hoc dicatur. Porro, an tamdiu vere dormivit, an potius tamdiu dormisse dicatur, quia tamdiu jacuit cum femina illa, juxta communem modum loquendi, ignoro. *Et inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores,* id est januas, *cum postibus suis et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis qui respicit Hebron.* Unde percepisse videtur se esse obsessum. Quare Philistæi hoc cernentes, eum non invaserunt? An sopor vel timor eos invasit? Vel si resistere et D eum invadere nitebantur, mox eos abjecit ac repulit. Denique si peccavit cum femina illa, mirum quod Deus in illo articulo dedit et conservavit in eo fortitudinem tantam: in quo mira Dei misericordia commendatur. Unde et videri alicui potest, quod fortitudo illa fuit in eo habitualiter, quamdiu legem Nazaræorum servavit. Aliqui vero dicunt, quod non aderat ei semper sive ad libitum, sed interdum, secundum quod expediebat secundum dispositionem divinam.

Post hæc amavit mulierem quæ habitavit in valle Sorec : est autem Sorec, genus aut locus vitis ; *et vocabatur Dalila.* Scriptura non docet, an mulier ista fuit de stirpe Philistinorum an Hebræorum ; nec etiam exprimit, an duxit eam uxorem. Et puto, quod sumpsit eam in conjugem, quoniam multo tempore sedit cum ea, ne videatur tanto tempore in fornicatione sedisse. Videtur quoque, quod fuerit Philistæa, quoniam satrapæ Philistinorum tam confidenter accesserunt ad eam, ut deciperet virum suum, et ipsa tam cito acquievit eisdem, tamque infatigabiliter laboravit pro hoc. *Veneruntque ad eam principes Philistinorum atque dixerunt : Decipe eum, et disce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus, et vinctum affligere. Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos.*

Locuta est ergo Dalila ad Samson : Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, id est, in quo consistat, et ex qua causa dependeat, *et quid sit in quo ligatus, erumpere nequeas? Cui respondit Samson* in dolo, vel forte ironice, non assertive, et sic excusaretur a culpa mendacii. Infra tamen Dalila ei imponit quod mentitus sit ei. Quod si ita, est mendacium illud jocosum, non perniciosum. *Si septem nerviceis funibus,* hoc est de nervis formatis, *necdum siccis, et adhuc humentibus,* qui difficilius dirumpuntur, *ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines.* Qui licet essent robusti in suo genere, tamen respectu Samsonis erant infirmi : propter quod ceteri homines videbantur ei infirmi. *Attuleruntque ad eam satrapæ Philistinorum septem funes, ut dixerat.* Nam Dalila statim insinuavit eis verba Samsonis. *Quibus* funibus *vinxit eum* hoc permittentem. In Scholastica habetur historia : Dormientem et inebriatum Samsonem. *Latentibus apud se insidiis,* scilicet satrapis illis, et eorum familiis, qui et occulte venerunt; *et in cubiculo finem rei exspectantibus,* an scilicet Samson rumperet vincula

Digitized by Google

illa, an non. Et erant satrapæ in aliquo A loco cubiculi satis secreto. *Clamavitque ad eum : Philistiim super te, Samson,* id est, Philistæi super te irruunt. *Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum factum de stuppa, tortum sputamine, quum odorem ignis acceperit.* Nam feminæ nendo miscent aliquid salivæ seu sputi, ut materia quæ filatur, magis cohæreat. *Et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus.* Denique visa seu cognita vinculorum illorum diruptione tam mire facillima, Philistæi clam abierunt. B

Dixitque Dalila ad eum : Ecce illusisti mihi, et falsum locutus es; saltem nunc indica mihi, quo ligari debeas, ita ut erumpere nequeas. *Cui ille respondit : Si ligatus fuero septem novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero et aliorum hominum similis* in debilitate, quibus per fortitudinem dissimilis sum. *Quibus rursum vinxit eum Dalila, et clamavit : Philistiim super te, Samson, in cubiculo insidiis præparatis,* juxta expositionem prætactam. Nam Dalila iterum in- C sinuaverat Philistæis responsum Samsonis. Quo cognito, venerunt cum funibus novis. *Qui rupit vincula quasi fila telarum :* in quo patet admirabilis fortitudo ipsius. *Dixitque Dalila rursum ad eum : Usquequo decipis me, et falsum loqueris ? Ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson : Si (inquit) septem crines capitis mei cum licio plexueris,* hoc est composueris, *et clavum his* crinibus *circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. Quod quum fecisset Dalila, dixit ad eum : Philistiim* D *super te, Samson. Qui consurgens de somno :* unde videtur quod ipsa hoc fecit dormienti Samsoni, qui habuit longissimos pilos, videlicet nunquam rasos ; *extraxit clavum crinibus et licio.*

Dixitque Dalila : Quomodo dicis quod amas me, quum animus tuus non sit mecum ? Per tres vices mentitus es mihi, et noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua. Quasi dicat : Signum est quod non dicis hoc vere, quia secreta tua abscondis a me, et mentiendo contristas atque illudis me ; quum tamen ego ex amore præcipuo cupiam tua scire occulta, quum amicorum sit proprium, desiderare cognoscere et mutuo sua communicare secreta. *Quumque molesta ei esset, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens,* id est, eum dormire non sinens, *defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est :* nec tamen vi aut timore compescuit improbam illam, quia sensualiter nimis afficiebatur ad ipsam. *Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam : Ferrum nunquam ascendit super caput meum,* id est, crines capitis mei nunquam abrasi sive abscissi sunt, *quia nazaræus, id est consecratus Domino sum de utero matris meæ. Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea :* quantum ad excellentiam suam, propter transgressionem præcepti Nazaræis dati de hoc quod non radantur; Ezech. *et deficiam, eroque sicut ceteri homines.* XLIV. 20.

Vidensque illa, id est considerans, *quod confessus ei esset omnem animum suum,* id est totum cor suum de ista materia. Hoc namque ex modo loquendi Samsonis perpendit, quia cum multa gravitate et reverentia Dei hæc protulit. Et vidit eum infra longum tempus non rasum. *Misit ad principes Philistinorum ac mandavit : Ascendite adhuc semel :* jam enim tribus vicibus ascenderant; *quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant. At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput :* et forte inebriaverat eum. *Vocavitque tonsorem,* quem jam ante fecit in domo adesse, *et rasit septem crines,* id est universos pilos capitis *ejus,* quia septem, est numerus universitatis. Vel septem dumtaxat. Aptius tamen per septem crines, intelliguntur septem collectiones pilorum ipsius. Unde (ut fertur) in Hebræo habetur, Septem floccellos. Sicque abrasit totam ejus cæsariem per septem floccellos discriminatam seu disgregatam. Nam et infra habetur : Jamque capilli ejus renasci cœperunt. Unde apparet, quod non septem tantum

Digitized by Google

pili erant abscissi. *Et cœpit abigere eum, et a se repellere. Statimque ab eo fortitudo discessit. Dixitque : Philistiim super te, Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo : Egrediar, sicut ante feci, et me excutiam.* Dicunt aliqui, quod Dalila rasum Samsonem in somno etiam ligavit, ad experiendum pro certo, an adhuc vincula rumpere posset. Sicque sensus est : Excutiam me de vinculis. Sed quia ipsa jam pro certo cognoverat, quod rasus fortitudinem perderet, nec in sinu suo quiescentem videtur potuisse multum ligare, potest ita exponi : Excutiam me de irruentibus in me, si venerint. *Nesciens quod recessisset ab eo Dominus.*

Quem quum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, ne amplius noceret, aut resistere posset, sed pro libitu suo ei illuderent, et longam infligerent mortem. *Et duxerunt Gazam vinctum catenis,* qui funes toties ruperat, *et clausum in carcere :* prius tamen circumduxerant eum per terram, secundum Magistrum in historiis; *molere fecerunt,* opera dura atque servilia ei injungendo. Dicunt tamen quidam Hebræi, quod coegerunt eum cum mulieribus Philistæis fortibus commisceri, ut ex ejus semine fortem acquirerent sobolem. Quod non videtur multum probabile, quia extimuissent, quod soboles illa faveret Hebræis. Nam filii ad propinquos patris magis affici solent. Ideo reor, quod si Samson habuisset filios ex feminis Philistæis quas habuit, Philistæi illos occidissent, si adfuisset facultas.

Jamque capilli ejus renasci cœperant : non tamen ex hoc accrevit ei pristina fortitudo, ut aliqui pueriliter imaginantur, et infra patebit. *Et principes Philistinorum convenerunt* cum aliis multis *in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo,* falso et ficto, *et epularentur,* adscribentes deo suo comprehensionem Samsonis, *dicentes : Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat.* Quæ vero Deo

A permittente, imo et volente, facta sunt propter peccatum Samsonis, ut purgaretur in vita hac. Non enim debuit sua secreta conjugi perfidæ revelare; nec excusatur, quamvis eo ignorante fuerat rasus, quia ad hoc culpabilem præbuerat occasionem. *Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson,* hoc est adduceretur, *et ante eos luderet,* id est, suo cæco incessu et incerto progressu exhiberet eis jocum et risum. *Qui eductus de carcere, ludebat ante eos. Fecceruntque eum stare inter duas columnas. Qui dixit*

B *puero regenti gressus suos : Dimitte me ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et recliner super eas, et paululum requiescam. Domus autem erat plena virorum ac mulierum. Et erant ibi omnes principes Philistinorum, ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus, spectantes ludentem Samson.*

At ille invocato Domino, Dominum invocando ex totis præcordiis, *ait : Domine Deus, memento mei, et,* pro id est... Vel,

C Memento mei, mihi ignoscendo, atque ad limbum patrum meam animam perducendo. *Redde mihi nunc pristinam meam fortitudinem :* per quod constat, quod ex capillorum crescentia non accrevit ei pristinum robur; *Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis. Et pro amissione duorum luminum,* id est amborum oculorum meorum, in quorum pupilla lumen exstiterat visuale, *unam ultionem recipiam.* Zelo justitiæ hæc oravit, præsertim quoniam de superstitiosis sacrificiis at-

D que blasphemiis Philistinorum tabescebat cor ejus, et quia præordinatus ac natus fuit ad reprimendam Philistinorum impietatem.

Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus : et erat templum seu fanum Dagon, secundum Isidorum, Scholasticamque historiam ; *alteramque earum dextera, et alteram læva tenens, ait : Moriatur anima mea cum Philistiim,* id est, ego ipse seu vita mea animalis cum ipsis exstinguatur. Attamen sui ipsius ex-

Digitized by Google

stinctionem non intendebat directe, sed concomitanter, quia nequibat evadere, morientibus illis. *Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes et ceteram multitudinem quæ ibi erat.* Secundum Augustinum, Deus per Samsonem fecit illud miraculum, quia supernaturaliter reddidit ei fortitudinem pristinam : ideo ex divino instinctu fecit hæc Samson. Unde et excusatur, quod ita occidit se ipsum, imo et commendatur, quod pro communi bono populi sui, ita se ipsum morti exposuit, ut interficeret oppressores populi Dei. Pœnituit quoque de culpis suis, et illa mors fuit ei purgatio, et forte quoddam martyrium. *Multoque plures interfecit moriens,* id est hora qua sibi

A et aliis causam illius mortis procuravit, *quam ante vivus occiderat.* Nam præter satrapas et convivas occidit ibi tria millia plebis, ex tecto atque solario ipsum ludentem spectantis ac irridentis. Vel ideo dicitur moriens multo plures interfecisse, quoniam omnes principes et nobiliores terræ erant ibi oppressi, quorum pauci plus reputantur quam multi vulgarium.

Descendentes autem fratres ejus et universa cognatio, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt inter Saraa et Esthaol in sepulcro patris sui Manue. Judicavit Israel viginti annis. Ideo satis juvenis obiisse videtur. Siquidem in adolescentia sua cœpit Philistæos affligere. Et extunc cœpit filios Israel (ut creditur) judicare.

B

ARTICULUS XXIX

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM SEXTIDECIMI CAPITULI.

ABIIT *quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem meretricem.* Per Gazam (secundum Gregorium in homilia) designatur infernus, quem Christus passione finita ingressus est, quantum ad animam suam, id est in limbum patrum, in quo fuerunt animæ, quæ aliquando peccatrices fuerunt in sæculo, et quoad hoc, per mulierem meretricem signantur. Porro, quoad corpus suum, jacuit et dormivit in monumento, quasi in domo meretricis, id est carnis infectæ et corruptæ : non quod corpus Christi fuerit tale, sed quia in monumentis non nisi hujusmodi corpora consueverunt reponi. Per Philistæos significantur dæmones, perfidique Judæi, qui Christum in sepulcro gloriabantur esse conclusum, et illic adhibuerunt custodes, ut Christum in corde credentium seu crediturorum omnino exstinguerent, quatenus nec memoria remaneret ipsius, juxta illud Jeremiæ : Eradamus eum de terra viventium, et nomen

Gregor. homil. 21.

Jer. xi, 19.

C ejus non memoretur amplius. Verumtamen, sicut Samson media nocte surgens a somno, removit et secum tulit portas Gazæ ad supercilium montis ; sic Salvator vel media nocte vel valde mane surgens a mortuis, exivit infernum, conterens portas æreas, atque de clauso exivit sepulcro, et eos qui erant in limbo, constituit in loco excelso. Præterea, per Gazam intelligi potest terra universa idololatrarum, quam Christus per Apostolorum et aliorum prædicationem discipulorum intravit : in qua D vidit mulierem meretricem, id est gentilitatem idololatriæ deditam, ad quam gratiose divertit, meretricem illam convertit, et de ea effecit devotissimam summi Dei cultricem atque carissimam suam sponsam. Quo cognito, Philistæi, utpote principes, reges, imperatores infideles cum perfidis satellitibus suis, persequi, obsidere, occidere nisi sunt Christum in suis membris, et fidem ac legem ipsius prorsus auferre de

Digitized by Google

terra; sed ipse omnem ipsorum resistentiam evacuavit, et faciem orbis terræ implevit semine verbi cœlestis, multitudine quoque credentium.

Amplius, per Dalilam a Samsone amatam, sed versutam, mendosam et infidelissimam ei, intelligitur Synagoga, ad cujus redemptionem primo ac specialiter Christus descendit. Hæc Synagoga diu versute ac multipliciter Dominum Jesum tentavit, et qualis esset ipsius potestas, exploravit: *Luc.* xx, 2. Dic, inquiens, nobis, in qua potestate hæc facis? Et sicut Samson permisit se ligari, et tamen evasit; ita Unigenitus Patris quandoque permisit se a Judæis incredulis com- *Ibid.* iv, 30. prehendi, et tamen transiens, per medium ipsorum ibat, eorum elabens manus. Quemadmodum demum Samson tandem captus, excæcatus, ligatus, et incarceratus est; sic Salvator tempore prædisposito infirmita- *Matth.* xxvi, 37; *Marc.* xiv, 33. *Joann.* xviii, 12; *Luc.* xxii, 64; *Matth.* xxvi, 57; xxvii, 1, 2, 27 *et seq.* tem ostendit, cœpitque contristari, pavere et tædere. Moxque irruerunt in eum Philistiim, et comprehendentes ligaverunt, ejusque oculos velaverunt, et in domo Caiphæ quasi in carcere tenuerunt captum usque mane; deinde mane facto, duxerunt eum in suum concilium, et irriserunt. Denique ipsum persequendo, meruerunt occidi, disperdi et condemnari ab eo, sicut *Is.* lxiii, 3. per Isaiam prædixit: Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.

Quemadmodum etiam Samson oravit sibi restitui pristinam fortitudinem suam; *Hebr.* v, 7. sic Christus passione instante, cum clamore valido lacrimisque oravit, et pro sua resuscitatione ac amissæ ad horam forti- *Joann.* xvii, 1. tudinis reparatione precatus est: Pater, inquiens, clarifica Filium tuum. Per hoc vero, quod Samson fanum Philistæorum mira evertit virtute, et ejus simul oppressit cultores, quid aliud figuratum est, nisi quod Christus per suos fideles ubique terrarum idolorum diruit templa, et pertinaces in idololatria dissipavit? Rursus, sicut Samson unam expetiit ultionem pro duobus sibi ablatis luminibus; sic Dominus et Salvator ex zelo justitiæ per Isaiam locutus est, Dies ultionis in corde meo, annus *Is.* lxiii, 4. retributionis meæ venit. Postremo, per honestam sepulturam Samsonis a suis cognatis, præfigurata cognoscitur venerabilissima Salvatoris sepultura a suis discipulis.

Moraliter docet nos ista historia, mulierum blandimenta fallaciasque vitare, de propriis viribus nunquam præsumere, vincula vitiorum effugere, concessa quoque gratiæ dona diligentissime custodire. Etenim, sicut Philistiim captum Samsonem mox excæcaverunt, sic animam tentationi succumbentem, dæmones protinus omnino excæcare nituntur, quatenus excæcatam, statim quocumque voluerint, trahant, illudant, contaminent; maxime vero moliuntur viros perfectos et religiosos, per Samsonem expressos, dejicere et cæcare. Quod si facere prævaluerint, præcipue gloriantur, et jocum ac ludum suum de ipsis efficiunt, juxta illud: Qui tribulant me, *Ps.* xii, 5. exsultabunt si motus fuero. Ideo super *Habac.* ii, 1. nostram stemus custodiam, sintque oculi *Ps.* xxiv, 15. nostri semper ad Dominum. Et si, quod absit, contigerit nos per peccata et diabolica tentamenta cæcari, clamemus cum Samsone cum omni constantia et fervore ad Dominum, ut nos rursus illuminare ac confortare dignetur, quatenus de invisibilibus hostibus nostris valeamus nos vindicare, tanto ardentius ac indesinentius insistendo universarum incrementis virtutum. Atque de cetero cautiores perseveremus, magisque timorati, humiles et circumspecti in omnibus, ut cadant a latere *Ps.* xc, 7. nostro mille, et decem millia a dextris nostris.

Digitized by Google

ARTICULUS XXX

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : FUIT EO TEMPORE VIR QUIDAM DE MONTE EPHRAIM, NOMINE MICHAS.

CONSEQUENTER describuntur tres casus, qui tempore judicum aut circiter contigerunt. A Primus est, de idolo Michæ, qui in isto ac sequenti recitatur capitulo. Quo autem tempore casus iste acciderit, infra tangetur. *Fuit eo tempore :* non quo Samson præfuit, de quo in fine præcedentis capituli dictum est, sed quo judices præerant, loquendo de tempore illo indeterminate; *vir quidam de monte Ephraim, nomine Michas,* qui exstitit Ephratæus, *qui dixit matri suæ : Mille centum argenteos quos separaveras tibi,* id est, seorsum B posueras quasi pro tua salute, deputando illos pro idoli formatione, et aliis ad idololatriam requisitis, *et super quibus me audiente juraveras,* id est, cum juramento asseruisti, quod ex eis faceres idolum fabricari ; *ecce ego habeo, et apud me sunt.* Quasi dicat, In bona custodia sunt : atque (ut aliqui dicunt) Michas ad tempus eos occulte subtraxerat matri suæ, volens eos in alium expendere usum. Nunc autem ex causa restituit eos matri suæ, quia de pecuniæ amissione vidit eam multum afflictam, et conturbatam, imo et subtractori C maledicentem. *Cui illa respondit : Benedictus filius meus domino.* Michas iste et mater ejus fuerunt idololatræ : idcirco secundum expositores, in tota historia ista tam ipse quam mater ejus, per deum et dominum intelligunt falsum deum suum seu idolum. Est itaque sensus : Ad honorem dei quem colo, sit filius meus benedictus.

Reddidit ergo eos matri suæ, id est, Michas præfatam pecuniam matri suæ restituit, *quæ dixerat ei,* videlicet filio suo : *Consecravi et vovi argentum hoc domino,* D id est deo quem colo, ut ad ejus honorem fiat ex isto argento simulacrum. Ideo subditur, *ut de manu mea suscipiat filius meus :* id est, secundum hanc formam juravi et vovi facere idolum ex ista pecunia, quod ego dabo pecuniam istam in manum filii mei, quatenus ipse faciat inde fieri quod promisi. Unde subjungitur, *et faciat* per manus artificis *sculptile atque conflatile.* Ex hoc verbo aliquibus visum est, quod facta sint inde idola duo : unum per sculpturam et tunsionem, aliud per conflationem seu fusionem. Alii dicunt, quod fuit unum dumtaxat, quod primo conflatum est, deinde per sculpturam politum : quod verius reor, quoniam in sequenti capitulo legitur, quod filii Dan posuerunt in *Judic. xviii, 31.*
Lais idolum Michæ. In Psalmo quoque habetur de filiis Israel : Fecerunt vitulum in *Ps. cv, 19.*
Horeb, et adoraverunt sculptile. Ubi per sculptile intelligitur vitulus aureus, qui *Exod. xxxii, 4.*
fuit primo conflatus, deinde et sculptus. *Et nunc trado illud tibi,* id est, argentum prædictum tibi filio meo assigno, sicut promisi.

Reddidit ergo eos matri suæ, id est, Michas eamdem pecuniam mox restituit matri suæ, jam voto matris partim completo, ut ipsa ulterius exsequeretur proprium votum, habens in hoc consensum filii sui. *Quæ tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario,* id est artifici ex argento fabricanti, *ut faceret ex eis sculptile atque conflatile.* De residuo vero illius pecuniæ, facta sunt cetera ad idololatriam illam spectantia. *Quod* idolum post suam formationem *fuit in domo Michæ* ad tempus, ut infra habetur. *Qui ædiculam quoque in ea deo separavit,* id est, parvam ædem seu camerulam pulchram in domo

Digitized by Google

sua seorsum aptavit idolo illi, quasi oratorium quoddam ; *et fecit ephod ac theraphim :* quod translator exponit, addens de suo : *id est vestem sacerdotalem et idola.* Ephod quippe vocatur superhumerale : quo nomine et alia sacerdotalia vestimenta possunt intelligi. Sed quomodo nunc pluraliter dicitur, Idola, quum dictum sit, quod fuerit idolum unum ? imo sequenti capitulo fit mentio de idolis et de sculptili atque conflatili, tanquam de rebus distinctis : idcirco apparet, quod erat ibi unum idolum principale, et ultra hoc aliæ quædam imagines sive simulacra, secundum quod moris est idololatris talia plurificare, et unum principale statuere. *Implevitque unius filiorum suorum manum,* id est, unum de filiis suis, et forte primogenitum, aut alium quem ad tantum officium reputavit magis idoneum, investivit de sacerdotio per aliquod positum in manu illius. Vel, Implevit manum ipsius, dando ei duplicem portionem aut certa munuscula. Vel, Implevit manum ejus, ponendo in manu ipsius sacrificia, quæ per ipsum obtulit deo suo seu idolo. *Et factus est ei sacerdos. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.*

Judic. xviii, 18.

Fuit quoque in tempore illo alter adolescens de Bethlehem Juda, non de illa Bethlehem, quæ erat in tribu Zabulon, *ex cognatione ejus.* Quod dicitur, Ejus, quidam referunt ad Micham, dicentes, quod adolescens iste fuit cognatus Michæ, quod et Magister in historiis ait; alii referunt ad Judam, dicentes, quod fuit de cognatione Judæ ex parte matris. Nam tribus Levitica et sacerdotalis cuilibet (ut dicitur) poterat tribui copulari, præcipue tribui Juda, tanquam regali et nobiliori. Unde (ut fertur) in Hebræo habetur, Ex cognatione Juda. *Eratque ipse Levites,* id est de stirpe Levi ex parte matris, *et habitabat ibi.* Porro adolescens iste (ut patet infra) fuit de semine Moysis, eratque Jonathas filius Gersam filii Moysis. *Egressusque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicumque commodum sibi reperisset,* id est peregre habitare in loco ubi necessaria sibi abundantius inveniret. Nam ceteræ tribus Israel tunc male solverunt solvenda Levitis, scilicet decimas et alia quædam. Nam multi eorum ad idololatriam labebantur. Ideo cogebantur Levitæ locum mutare, et necessaria quærere per diversa.

Exod. ii, 22. Judic. xviii, 30.

Quumque venisset in montem Ephraim iter faciens, et declinasset parumper in domum Michæ, interrogatus est ab eo, unde venisset. Qui respondit : Levita sum de Bethlehem Juda, et vado ut habitem ubi potero, et utile mihi esse perspexero. Dixitque Michas : Mane apud me, et esto mihi parens, tanquam pater, habendo curam et providentiam mei in spiritualibus ac divinis, *ac sacerdos ; daboque tibi per annos singulos decem argenteos ac vestem duplicem, et quæ ad victum sunt necessaria. Acquievit,* etc. *Fuitque illi,* videlicet Michæ, *quasi unus de filiis,* id est, amorose et reverenter tractavit Michas Levitam illum, quasi proprium filium, imo et quasi patrem (nam dixerat, Esto mihi parens), non ut servum. *Implevitque Michas manum ejus,* sicut expositum est, *et habuit apud se puerum sacerdotem,* præfatum scilicet adolescentem. *Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi deus habenti Levitici generis sacerdotem.* Per deum, intelligit Michas falsum deum, quem coluit : cui acceptius reputavit sacerdotale officium alicujus de tribu Levi, quam alterius tribus.

Nunc quæritur, quo tempore iste acciderit casus. Quocirca recitat Lyra : Dicunt expositores nostri, quod post mortem Josue, ante judicum suscitationem. Ad quod allegant quod tactum est : In diebus illis non erat rex in Israel. Dicunt quoque, quod historia ista hic scribitur, ad ostendendum necessitatem dandi judices Israeli, qui errata corrigerent. Hanc responsionem Lyra non approbat, quoniam judices Israel non habebant efficaciam corrigendi, quia non præerant per modum dominii, sed directionis atque consilii. Iterum, quoniam causa suscitandi judices fuit, ut per eos

Digitized by Google

filii Israel liberarentur a tribulationibus quibus affligebantur. Deinde adjungit: Hebræi vero dicunt, quod factum Michæ contigit sub Othoniele, qui successit Josue. Ad quod probandum, inducunt quod in fine habetur sequentis capituli: Mansitque apud illos idolum Michæ omni tempore, quo domus Dei fuit in Silo. Quod tempus incepit ante obitum Josue, sub quo filii Israel non corruerunt ad idololatriam. *Judic.* XVIII, 31. *Ibid.* II, 7.

Circa hæc dico, quod catholicorum doctorum responsio introducta, sit vera, et consonantior textui, quam ista Hebræorum responsio; quia sub Josue translatum fuit tabernaculum Domini de Galgalis in Silo, ut Josue libro legitur. Si ergo idolum Michæ fuit in Lais, seu inter filios Dan ibidem, omni tempore quo fuit domus seu tabernaculum Dei in Silo, probabilius sonat, quod idolum istud cœpit esse in tribu Dan ante præsidentiam Othonielis, et statim post Josue mortem, quam postea. Secundo dico, quod nec Hebræi generaliter dicunt istud sub Othoniele factum, quamvis quidam eorum sic sentiant: imo Josephus et alii quidam dicunt, hoc factum statim post mortem Josue, ante Othonielis judicatum, quemadmodum etiam in Scholastica narratur historia. Insuper in isto et sequenti capitulo scribitur, quod in diebus illis non erat rex in Israel. Et certum est, quod nomine regis non intelligatur princeps, monarchice cum regali auctoritate potestatisque plenitudine præsidens. Sic enim tempore judicum usque ad Saul, non erat princeps in Israel: idcirco per regem *Josue* XVIII, 1.

intelligitur quicumque rector aut judex. Ideo factum est istud, vacante hujusmodi rectoria. Præterea, objectiones contra hæc factæ, nil obtinent. Judices namque quum essent viri mirabiles, virtuosi, prudentes, habuerunt sufficientem idoneitatem corripiendi errantes, imo et corrigendi rebelles, ut patet de Jephthe, qui una vice occidit de Ephraim quadraginta duo millia pugnatorum: imo ad corrigendum idololatras non solum judices, sed et totus populus Israel ex Dei tenebatur præcepto, ut patet in Deuteronomio. Amplius, judices non sunt dati solum ad liberandum Israel ab adversariis suis, sed item, imo et principaliter, ad reducendum filios Israel ad cultum Dei, atque ad conservandum eos in illo. Nam et multi judices eis concessi sunt, qui non eruerunt eos ab hostium impugnatione, scilicet Samgar, Thola, Jair, Abesan et Abdon. *Judic.* XII, 6. *Deut.* XIII.

Convenienter demum dicunt expositores catholici, quod ista historia hic narratur, ad ostendendum necessitatem dandi judices Israeli ad corrigendum errata: quia quum dictum est, In diebus illis non erat rex in Israel, immediate subjunctum est, Sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quasi dicatur: Ideo unusquisque fecit quod voluit, quia defuit rector et judex: quod et experientia frequenter in populo illo edocuit. Unde supra habetur: Quum mortuus esset judex, revertebantur, et multo majora, id est pejora, fecerunt, quam fecerant patres eorum. *Judic.* II, 19.

ARTICULUS XXXI

EXPLANATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : IN DIEBUS ILLIS NON ERAT REX IN ISRAEL.

PROSEQUITUR jam Scriptura, qualiter propagata sit idololatria de una domo ad unam urbem seu tribum. *In diebus illis non erat rex*, id est rector et judex, *in Israel:* ideo nemo repressit hujusmodi scelera, sed cito diffundebantur; *et tribus Dan quærebat possessionem sibi*, id est, aliqui de tribu Dan quærebant aptam ur-

Digitized by Google

bem, id est mansionem ad habitandum. *Usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non accepit.* In Josue libro legitur, quemadmodum filiis Dan, sicut et aliis tribubus Israel, assignatæ sunt multæ urbes ad inhabitandum per sortem, inter quas una ibidem vocatur Lesem, ut quidam exponunt : quomodo ergo nunc dicitur, quod usque ad illud tempus tribus Dan non accepit inter alias tribus sortem? Respondetur, quod per synecdochen dicitur istud; et item, quod nondum acquisierant sufficientia loca et oppida ad manendum. Nam et supra fertur, quod Amorrhæus arctavit filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent. Denique, quamvis tribubus Israel simul per sortium missionem multæ urbes assignabantur, non tamen mox adeptæ sunt eas, sed paulatim pugnando.

Josue XIX, 40-47. Judic. I, 34.

Miserunt ergo filii Dan, stirpis et familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa et Esthaol, ut explorarent terram, etc., in qua sita erant oppida eis a Josue deputata. *Qui quum pergentes venissent in montem Ephraim, et intrassent domum Michæ, requieverunt ibi.* Forte enim tenebat hospitium. *Et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ,* quia ex modo suæ loquelæ eum noverunt. Nempe (ut dictum est) quamvis omnes Judæi uno idiomate uterentur, illud tamen diversimode proferebant, sicut in ceteris solet fieri linguis. *Utentesque illius diversorio,* id est domo seu camera in qua necessaria corpori exercebat; in præfata vero ædicula exercuit sua divina; *dixerunt ad eum : Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti?* Itaque tria interrogaverunt: primum, a quo esset adductus; secundum, quid ageret ibi; tertium, cur illuc advenerit. Ipse vero non respondit eis explicite, quantum ex textu habetur, nisi ad secundum, quia subjungit : *Hæc et hæc,* videlicet decem argenteos, vestemque duplicem et victui necessaria, *præstitit mihi Michas,* ut præcedenti fertur capitulo, *et me mercede conduxit,* per dona præfata, *ut sim ei sacerdos. Rogaverunt autem eum ut consuleret Dominum,* id est oraculum et responsum a Deo, vel potius a deo Michæ falso, quem adolescentem illum et Micham colere conspexerunt. Sicque viri isti erant idololatræ, vel ad idololatriam proni. *Et scire possent* ex tali oraculo, *an prospero itinere pergerent, et res haberet effectum. Qui respondit eis : Ite cum pace**; *Dominus respicit viam vestram,* id est approbat vos in hoc, quod ambulationem hanc assumpsistis, *et,* pro id est, *iter quo pergitis.* Istud responsum dedit eis statim ex proprio capite, ne eorum precibus amplius molestaretur. Vel dæmon ei respondit per idolum.

Ibid. XII, 6. Ibid. XVII, 5. Ibid. 10.

* in pace

Euntes itaque quinque viri, venerunt Lais, id est ad urbem sic nominatam, *videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, juxta consuetudinem Sidoniorum, securum et quietum, nullo eis penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone, atque a cunctis hominibus separatum. Reversique ad fratres suos in Saraa et Esthaol, et sciscitantibus quid egissent, responderunt : Surgite, et eamus ad eos. Vidimus enim terram valde opulentam et uberem. Nolite negligere, nolite cessare. Eamus et possideamus eam; nullus erit labor. Intrabimus ad securos in regionem latissimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria, eorum quæ gignit humus.* Hoc hyperbolice dictum est, ad insinuandum magnitudinem opulentiæ terræ illius. Multa tamen gignuntur ex terra pretiosa et medicinalia, quæ ibi non erant; sed communi victui necessaria abundabant ibidem.

Profecti sunt ergo de cognatione Dan sexcenti viri accincti armis bellicis, ascendentesque manserunt in Cariathiarim, id est urbe sic dicta, *Judæ,* id est pertinente ad tribum Juda; *qui locus ex eo tempore castrorum Dan nomen accepit,* id est, deinde vocatus est, castra Dan, quia turba ex tribu Dan nata, ibi ad tempus seu per noctem quievit, *et est post tergum Cariathiarim.* Ex quo videtur, quod non manse-

Digitized by Google

runt in urbe illa, sed ea pertransita, extra Judic. XIII, 25. et prope eam. Fuit autem et alter locus vocatus castra Dan, ut supra patuit. *Inde transierunt in montem Ephraim. Quumque venissent ad domum Michæ,* id est ad locum ei vicinum, *dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandum terram Lais, fratribus suis,* id est viris sexcentis : *Nostis,* id est, scitisne, vel scire vos congruit, *quod in domibus istis,* id est in una harum domorum ad Ibid. XVII, 3, 5. Micham spectantium, *sit ephod et theraphim, et sculptile atque conflatile.* Hoc totum præcedenti articulo expositum est. *Videte quid vobis placeat,* id est, attendite et nobis insinuate, quid vobis debeat complacere de præfatis ephod, theraphim et idolo, an scilicet vultis illa vobiscum portare. Et ex sequentibus verbis elicitur, quod determinaverunt ea secum deferre. *Et quum paululum declinassent, ingressi sunt* quinque viri *domum,* id est diversorium prædictum, *adolescentis Levitæ, qui erat in domo,* id est familia *Michæ;* vel, In domo Michæ, quia domus Levitæ pertinebat ad Micham; vel, In domo Michæ, quia domus Levitæ fuit domus partialis totius domus pertinentis ad Micham; *salutaveruntque eum verbis pacificis. Sexcenti autem viri ita ut erant armati, stabant ante ostium,* tanquam ad adjuvandum viros quinque parati, si indigerent.

At illi qui ingressi fuerant domum juvenis, puta Levitæ, *sculptile et ephod et theraphim atque conflatile tollere nitebantur.* Ex hoc argui posset, quod sculptile illud fuit aliud a conflatili, quia separatim sic exprimuntur, aliis duobus inter ea expressis. *Et sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul,* id est non remote, *exspectantibus* reditum quinque virorum. Jam dicebatur, quod sexcenti viri stabant ante ostium : quomodo ergo nunc dicitur, quod sacerdos seu Levita stabat ante ostium, sexcentis viris illis haud procul exspectantibus? Ad quod videtur dicendum, quod juvenis ille stetit ante ostium intrinsecus, alii extrinsecus,

A et per aliquantam distantiam. *Tulerunt igitur quinque viri qui intraverant, sculptile, ephod, idola atque conflatile. Quibus dixit sacerdos : Quid facitis?* quasi dicat, Cur tam irrationabiliter vos habetis? Unde apparet, quod ædicula in qua erant sacra Michæ, stetit quasi contigue ad diversorium sacerdotis. *Cui responderunt : Tace et pone digitum tuum super os tuum,* id est, omnino sile et clausum os tuum tene. Quod dixerunt vel comminando, vel quasi familiariter suggerendo. Nam subditur : B *venique nobiscum, ut habeamus te patrem ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri,* videlicet hujus Michæ, *an in una tribu et familia in Israel?* quasi dicant, Istud tibi honorificentius utiliusque consistit. Tamen revera fuit ei magis vitiosum atque damnabile, quia quo pluribus in idololatria præfuit, eo plurium implicabatur criminibus, graviusque peccavit. Verumtamen sexcenti viri illi non fuerunt una totalis tribus in Israel, sed tantum se reputabant, et tota- C liter loquebantur ad alliciendum sibi Levitam.

Quod quum audisset, acquievit sermonibus eorum ex ambitione et cupiditate, *et tulit ephod et idola ac sculptile.* Jam dictum est quod quinque viri tulerunt illud, ipsi enim cœperunt illa afferre; sed acquiescente eis Levita, permiserunt eum omnia illa auferre et tollere secum; *et cum eis profectus est.* Sicque commisit furtum, aliena sic auferendo. *Qui* quinque et sexcenti viri ac Levites, *quum pergerent, et* D *ante se ire fecissent parvulos et jumenta, et omne quod erat pretiosum,* imo et sacerdotem cum sacris suis, quæ pretiosissima arbitrabantur : quæ omnia præmiserunt, ne si qui eos insequerentur, possent nocere parvulis et jumentis, aut pretiosa attingere; *jamque a domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus,* id est domibus, *Michæ,* videlicet ejus domestici et vicini, quibus domos suas forsan locavit, *conclamantes secuti sunt* Danitas : quia Michas convocavit eos, ut secum inseque-

Digitized by Google

rentur spoliatores illos ; *et post tergum clamare cœperunt.*

Qui quum respexissent, dixerunt ad Micham : Quid tibi vis? cur clamas? Nam aliorum conclamationem ei specialiter imputabant. Quasi dicant : Quomodo audes contra nos sic clamare? *Qui respondit : Deos meos, quos mihi feci, tulistis.* Ecce quam stolida verba! Quomodo enim homo tam fatuus effici potest, ut opera manuum suarum aut aliarum colat ut deos? Contra quam infinitam dementiam in Isaia et in libro Sapientiæ disputatur plenarie. Sed quomodo ait, Deos meos, si non erat nisi idolum unum? Ad quod ex præcedenti articulo patet responsio. Est quoque consuetudo idololatris taliter loqui, et plurali uti pro singulari, quemadmodum de vitulo conflatili dixerunt impii Israelitæ : Isti sunt dii tui, Israel. Itaque, Deos meos tulistis, id est mihi abstulistis et vobiscum furtive portastis, *et sacerdotem,* quem Michas putavit per violentiam et timorem coactum a Danitis ad pergendum cum ipsis, *et omnia quæ habeo,* id est ephod et cetera sacerdotalia ornamenta et sacra, quorum usus fuit in cultu deorum meorum : quæ omnia tantum appretior, quod cetera quæ mihi non abstulistis, comparatione illorum pro nihilo reputo. Unde (ut fertur) in Hebræo habetur, Et quid amplius mihi? tanquam dicat, Illis ablatis, vilipendo quæ mihi manserunt. Sicque in sua superstitione et idololatria fuit male devotus. Et utinam nos tam valide ad verum Deum ac spiritualia afficiamur, quod eorum respectu, pro nihilo reputemus temporalia et terrena. *Et dicitis, Quid clamas? Dixeruntque ei filii Dan : Cave ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas,* id est, tu cum tuis domesticis occidaris a nobis, tuaque domus comburatur. Quasi dicant : Noli nos quasi maleficos insequi, quia non animo furandi, sed religionis zelo fecimus illa quæ fecimus. *Videns autem Michas quod fortiores se essent,* quia nec dii sui

Is. XLIV-XLVI; Sap. XIII-XV.

Judic. XVII, 5.

Exod. XXXII, 4.

A poterant eum juvare, *reversus est in domum suam.*

Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, et quæ supra diximus, veneruntque in Lais, etc., *et percusserunt habitantes in ea in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt.* Os gladii, est ejus acumen : quod ita consumit seu necat quos cædit, sicut os manducantis consumit cibaria. *Nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac*

B *negotii. Erat autem civitas sita in regione Rohob.* Secundum Lyram, in Hebræo habetur, In torrente Rohob. Sed potius reor verbum illud Hebraicum ad utrumque esse æquivocum, aptiusque esse translatum hoc loco, In regione, quam, In torrente. *Quam rursum exstruentes, habitaverunt in ea, vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur.* Porro hæc civitas sorte ceciderat tribui Dan, et ita ex concessione, imo et jussione divina pote-

C rant eam expugnare Danitæ, præsertim si ad idololatriam non ruissent.

Posueruntque sibi sculptile, id est, idolum illud sculptum erexerunt ad suam damnationem sibi in deum, *et Jonathan filium Gersam filii Moysis, ac filios ejus,* Exod. II, 22. videlicet Jonathæ, posuerunt sibi in *sacerdotes,* quum tamen non essent de semine Aaron, *in tribu Dan,* id est in præfata sua urbe atque familia, non tamen in tribu illa totali. Iste Jonathas fuit præfatus adolescens Levita, quia et Moyses fuit de tribu

D Levi. Ecce quod nemo de progenitorum suorum sanctitate debet præsumere, aut incaute confidere, sed de humili atque idonea illorum sectatione potest sperare, quum Jonathas ille nequissimus fuerit nepos sanctissimi Moysis, qui idololatriam tam infinite exhorruit, cujus etiam filius, nomine Gersam, creditur virtuosus fuisse. Sic itaque posuerunt idolum illud et sacerdotes sacrilegos sibi *usque ad diem captivitatis suæ:* qua capti sunt per regem Assyriorum Salmanasar, ut quarto Regum describitur. IV Reg. XVII, 6.

Digitized by Google

Sed quia subjungitur, *Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus,* id est tabernaculum, *Dei in Silo,* id est urbe sic appellata, idcirco Hieronymus et alii quidam dicunt, quod dies captivitatis istius non refertur ad tribum Dan, sed ad domum Domini, usque ad arcæ captivitatem, quæ a Philistiim capta fuit, ut primo Regum libro habetur. Tuncque arca ex terra Philistinorum remissa, translatum fuit tabernaculum Dei cum arca de Silo in Cariathiarim, prout primo libro Regum legitur.

I *Reg.* IV, 11. *Ibid.* VII, 1.

Sensus moralis.

Moraliter, per matrem Michæ, intelliguntur parentes, qui sobolem suam docent superbiam, eamque ad desiderandum et expetendum divitias et honores tanquam idola quædam inducunt. Per Micham vero, superbi et cupidi ac lascivi, quorum dii venter, nummus et dignitas sunt. Et sicut Danitæ abstulerunt Michæ suos deos, sic illi frequenter privantur suis deliciis, divitiis atque honoribus per potentiores. Docemur quoque ex ista historia, quam nociva sit populo pastoris carentia, itemque absentia : quia et Salomon fatetur : Ubi non est gubernator, corruet populus. Nam et lupi explorant pastoris absentiam. Postremo, per habitatores Lais opulentos et secure manentes, designantur homines carnales, intimorati, et suæ negligentes salutis: qui nullo resistente, id est facillime, superantur, falluntur, atque ad sempiternam damnationem a Danitis, id est invisibilibus inimicis, trahuntur. Propter quod ait Scriptura : Si non in timore Dei tenueris A te instanter, cito subvertetur domus tua. Rursus, per Micham qui implevit manum unius filiorum suorum, ita quod factus est ei sacerdos, bene accipiuntur prælati, sacerdotes ac clerici, præsertim pluraliter beneficiati, qui suis nepotibus, ne dicam et filiis, ecclesiastica beneficia largiuntur sive procurant propinquitatis affectu, et de patrimonio Salvatoris, quasi propriam hereditatem efficiunt.

Philipp. III, 19. *Prov.* XI, 14. *Eccli.* XXVII, 4.

At vero per Levitam sacerdotem, qui statim respondit Danitis, *Ite cum pace,* B *Dominus respicit viam vestram,* recte signantur confessores, qui incaute faciliterque absolvunt, dummodo valeant nummos acquirere; adulatores quoque et somniatores, qui libentius placentia, quam vera atque salubria dant responsa. Per eumdem demum Levitam, qui fecit commutationem illam sacerdotii tam injustam, præfigurati sunt sacerdotes, clerici et prælati, ambitiosi ac cupidi, qui jugiter ad majora adspirant, et commodi sui affectu, beneficia aut dignitates suas commutant, qui erubescunt simplici præbenda esse contenti. C Iterum, per Micham qui Levitam conduxit, et per Levitam qui pro mercede sacerdotale exhibebat officium, apte simoniaci designantur. Per Danitas vero, qui voluntate et potestate pro ratione et æquitate usi sunt circa Micham, comminatione reprimentes eumdem, raptores violenti, oppressoresque imbecilliorum intelliguntur: quibus omnibus æternalis damnatio debetur gravissima.

ARTICULUS XXXII

EXPOSITIO CAPITULI NONIDECIMI : FUIT QUIDAM VIR LEVITES, HABITANS IN LATERE MONTIS EPHRAIM.

SECUNDUS casus circa judicum tempora factus, hic recitatur. *Fuit quidam vir Levites, habitans in latere montis Ephraim,* id est in urbe sita in latere mon- D tis illius, ad tribum Ephraim pertinentis. Levitæ quippe per omnes tribus Israel erant dispersi, propter causas sæpe prætactas. *Qui accepit uxorem de Bethlehem*

Digitized by Google

Juda. Poterant namque aliis tribubus, potissimum tribui Juda, tanquam regali ac nobiliori, matrimonialiter sociari, quia ex hoc non sequebatur hereditatum confusio. *Quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus.* Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Quæ fornicata est super eum : in quo tangi videtur causa suæ recessionis a marito, qui eam ob suam fornicationem ejecit. Vel ipsa, viro suo ignorante, abiit cum adultero. Verumtamen credo Hieronymum transtulisse sicut in Hebræo habetur, et quod forte verbum illud Hebræum sit ad utrumque æquivocum ; et aptius esse translatum hoc loco in hoc verbum, Reliquit, quam transferretur in Fornicata est. Nam paulo post sequitur : *Secutusque est eam vir suus, volens ei reconciliari atque blandiri.* Quod viri, uxoribus suis adulteris, non solent peragere, quamvis interdum ad magnam aliorum instantiam recipiant eas ad veniam : imo si fuisset adultera, vir obligatus fuisset eam traducere. Verius ergo reor quod in Scholastica fertur historia, utpote quod mulier fuit viro suo irata propter aliquem viri excessum. Nec verisimile est, quod cum adultero ausa fuisset redire in domum proprii patris. Josephus autem ait, quod fuit mulier speciosa, et vir eam valde dilexit, non tamen similiter amabatur ab ea, idcirco ex passione amoris verebatur aliquid sinistrum de ea. Unde frequenter inter eos lites oriebantur : quibus mulier gravata, rediit tandem ad suos parentes, quam secutus est vir victus amore ipsius. *Et* volens eam *secum reducere, habens in comitatu puerum,* id est ministrum, *et duos asinos,* unum pro sua evectione, alium pro evectione ministri, et ut in reditu uxor sua super asinum illum sederet, sive ut asini necessaria victui aut alia quævis portarent in via.

Quæ suscepit eum, id est, mulier illa, viso suo marito, eum benigne recepit, tanquam oblita injuriæ sibi factæ, quia jam quatuor mensibus absens fuit marito; *et*

A *introduxit in domum patris sui. Quod quum audisset socer ejus, eumque vidisset, occurrit ei lætus, et amplexatus est hominem. Mansitque gener,* puta Levites maritus filiæ viri ad quem venit, *in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter. Die autem quarto de nocte,* id est valde mane, *consurgens, proficisci voluit,* id est, redire cum conjuge sua. *Quem tenuit socer, et ait ad eum : Gusta prius pauxillum panis,* id est aliquid cibi, etc.

B *Surrexitque adolescens* die quinta, *et venit contra Jebus, quæ altero nomine vocabatur Jerusalem, ducens secum duos asinos onustos et concubinam.* Ex hoc evidenter elicitur, quod concubina in Scripturis veteris Testamenti interdum pro legitima uxore accipitur, quia hæc mulier jam bis vocata est uxor viri istius. Sicque in Genesi Bala et Zelpha interdum vocantur uxores, aliquando concubinæ ipsius Jacob. *Gen.* XXX, 4, 26; XXXV, 22. *Jamque aderant juxta Jebus, et dies mutabatur in noctem,* id est, nox cœpit diei C succedere. Nam paulo post meridiem exierunt Bethlehem, secundum quod socer dixit ad generum : *Considera quod dies ad occasum declivior sit,* id est, meridianam horam transierit, *et propinquat ad vesperam,* quia tunc sol descendere incipit. *Mane apud me etiam hodie, et duc lætum diem, et cras proficisceris, ut vadas in domum tuam. Dixitque puer ad dominum suum : Veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebusæorum. Cui respondit dominus : Non ingrediar oppidum gentis alienæ.* Jebu-D sæi quippe oderant Israelem. *Sed transibo usque Gabaa; et quum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama.*

Circa hoc refert Lyra : Dicunt Hebræi, quod historia ista contigit tempore Othonielis antequam filii Juda ceperunt Jerusalem : de qua captione legitur primo hujus libri capitulo : Oppugnantes filii Juda Jerusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem. Sed ista opinio videtur inepta, *Judic.* I, 8.

Digitized by Google

quia (ut patet ex primi expositione capituli) aliqui dicunt, quod Josue adhuc vivente, filii Juda obtinuerunt Jerusalem. Quod
Josue xv, 8. etiam in Josue libro satis insinuari censetur. Et si non sub Josue, tamen ante præsidentiam Othonielis sortiti sunt eam, sicut ex primo capitulo comprobatur. Porro, quod ista historia contigerit ante judicatum Othonielis, eisdem probatur rationibus, quibus probatum est, historiam Michæ non sub Othoniele accidisse. Josephus quoque hoc idem testatur, et infra ex littera ostendetur. Ideo dici potest, sicut et in libro Josue scribitur, quod in Jerusalem
Ibid. 63. simul habitabant Jebusæi cum Israelitis; et plures fuerint ibi de gentibus alienis, quam in Gabaa urbeve Rama.

Transierunt ergo Jebus, et cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol juxta Gabaa urbem, *quæ est in tribu Benjamin. Quo quum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere volebat hospitio,* vel quia omnes erant malitiosi, vel pro maxima parte. Et si qui boni erant ibidem, verebantur importunitatem pati ab impiis, si extraneos hospitarent; aut aliquid tale eos retraxit. *Et ecce apparuit homo senex revertens de agro et opere suo vespere, qui et ipse de monte erat Ephraim, et peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius,* scilicet cives Gabaa et urbium vicinarum, *erant filii Jemini,* id est insolentes et improbi. *Elevatisque oculis, vidit senex,* qui scilicet venit de agro, *sedentem hominem,* præfatum Levitam, *cum sarcinulis suis,* id est parvis sarcinis seu oneribus, *in platea civitatis, et dixit ad eum : Unde venis, et quo vadis? Qui respondit ei : Profecti sumus de Bethlehem Juda, et nunc vadimus ad domum Dei,* id est ad tabernaculum Dei in Silo. Illuc enim volebat cum suis ex devotione causa orationis accedere, et inde domum reverti. *Nullusque sub tectum suum nos vult recipere, habentes paleas et fœnum in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos et ancillæ tuæ usus et pueri qui mecum est. Nulla re indigemus,* quam a civibus

A hujus oppidi optemus, *nisi hospitio,* quia necessaria victui habemus nobiscum. *Cui respondit senex : Pax tecum sit. Ego præbebo omnia quæ necessaria sunt,* ultra ea quæ habes; *tantum, quæso, ne in platea maneas.* Fuit enim senex ille de monte Ephraim, quemadmodum et Levita, et ita amplius condoluit ei. *Introduxitque eum in domum suam, et pabulum asinis præbuit, et postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium.*

Illis epulantibus, et post laborem itineris
B *cibo et potu reficientibus corpora, venerant viri civitatis illius,* qui consideraverant pulchritudinem feminæ in platea, *filii Belial, id est absque jugo,* quod translator adjecit, exponendo nomen hoc, Belial. Erant itaque sine jugo, id est observatione legis divinæ ac naturalis, intimorati, indomiti, inverecundissimi. *Et circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, et dicentes* hospiti : *Educ* *Gen.* xix, 5 *virum qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo :* sicut et Sodomitæ dixerunt
C ad Lot. *Egressusque est ad eos senex, et ait : Nolite, fratres mei, nolite facere malum hoc.* Fratres eos vocat ratione concivilitatis et habitationis, et de semine Israel omnes fuerunt. *Quia ingressus est homo hospitium meum, et cessate ab hac stultitia. Habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam,* id est uxorem, sicut expositum est; *educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis. Tantum obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum.* Ex hoc ap-
D paret quod volebant viro abuti. Josephus tamen dicit oppositum, asserens quod quærebant dumtaxat uxorem ipsius; sed ideo loquebantur de viro, ut sic extorquerent ab eo uxorem suam, sed hospes id ignoravit.

Nolebant acquiescere sermonibus ejus, videlicet senis, in toto; vel ita se habuerunt in apparatu, ac si non contentarentur, nisi eis vir traderetur. *Quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam,* id est conjugem : quæ concubina vocatur,

Digitized by Google

non a concubitu fornicario, sed a concubitu simpliciter dicto. Nunc tamen in communi modo loquendi, concubina in malo accipitur, prout vocatur a concubitu secundum se intento, puta libidinoso. *Et tradidit eis illudendam : qua quum tota nocte abusi essent,* videlicet quia illicite aut etiam innaturaliter ea utebantur, *dimiserunt eam mane. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus ubi manebat dominus suus,* puta maritus, qui do-
Ephes. v, 23. minus conjugis appellatur, quia vir caput
Gen. xviii, 12. est mulieris. Unde et Sara Abraham dominum nuncupavit : quod et princeps Apostolorum in sua Canonica prima uxoribus
1 Petr. iii, 6. in exemplum proponit, ut viros suos honorent. Posset tamen per dominum conjugis, hospes intelligi. Unde et maritus dixerat seni : Habemus vinum et panes in meos et ancillæ tuæ usus. *Et corruit ibi.*

Mane facto, surrexit homo et aperuit ostium, ut cœptam expleret viam. Et ecce concubina ejus jacebat ante ostium sparsis in limine manibus, præ afflictione, fatigatione, verecundia, et mœrore. *Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur : Surge, et ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua,* etc., *reversus in domum suam, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel.* Probabile est, quod non misit ad tribum Benjamin, quia Gabaanitæ Benjamitæ fuerunt. Nec opus fuit mittere nuntium specialem ad tribum Levi, quæ erat per omnes tribus dispersa. Quomodo ergo misit duodecim partes per duodecim nuntios ad duodecim terminos Israel? Respondetur, quod pro tribu Levi, tribus Joseph fuit in duas tribus divisa. Et rursus, tribus Manasse pro media parte habitavit ultra Jordanem, pro media citra, et ita ad

A eam missæ sunt duæ partes. *Quod quum vidissent singuli,* id est, factum istud per nuntios intellexissent, atque in signum veritatis partes divisi corporis conspexissent, *conclamabant : Nunquam res talis facta est in Israel,* id est tam abominabilis, innaturalis, crudelis, *ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto usque in præsens tempus.* Verumtamen adoratio vituli aurei, et declinatio Danitarum ad idololatriam, videtur sceleratior fuisse re ista ; sed forte circa unam personam non
B contigit ante facinus tantum, vel loquendo de peccato in proximum. *Ferte sententiam, et in commune decernite,* id est, concorditer judicate, *quid facto opus sit,* id est, qualiter crimen istud sit ulciscendum. Quasi dicant : Oportet nos convenire in unum, et super hoc habere consilium.

Posset hic quæri, an senex suam filiam, et Levites suam uxorem impiorum illorum exponendo seu offerendo libidini ad vitandum gravius crimen, videlicet vitium contra naturam, vel ne Levita occideretur ab
C illis, excusentur a culpa. Videtur quod sic : quia ex quadam pietate et caritate hoc fecisse videntur, aut ex metu in virum constantem cadente. Oppositum vero probatur, quod unus non debet committere veniale peccatum, ut alium a mortali præservet. Nec ex timore pœnæ, admittendum seu committendum est malum culpæ : multo minus debet quis aliquam personam adulterio vel stupro exponere. Dicendum, quod si senex protulit verba illa cum proposito deliberato sic faciendi, non excusatur a
D toto, quamvis a tanto. Si vero locutus est verba hæc ex subreptione, aut solum animo avertendi impios illos a suo conceptu, excusatur saltem a mortali. Levita quoque suam conjugem exponendo ex causis præfatis, non excusatur in toto.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI : EGRESSI ITAQUE SUNT OMNES FILII ISRAEL.

REORUM justa debellatio modo describitur. *Egressi itaque sunt omnes filii Israel :* non simpliciter omnes, sed omnes de quibus in fine præcedentis capituli continetur ; *et pariter congregati, quasi vir unus de Dan usque Bersabee,* hoc est de extremitatibus terræ promissionis a parte aquilonari, in qua erat tribus et urbs Dan, usque ad partem australem, in qua fuit civitas Bersabee, *et terra Galaad,* id est tribus Israel ultra Jordanem in terra Galaad, et circumcirca morantes, aliquibus tamen demptis, ut infra habetur, *Judic. xxi, 8.* *ad Dominum in Maspha,* hoc est in loco aut oppido sic vocato. *Et omnes anguli populorum,* id est in extremis terminorum tribuum Israel demorantes, *et cunctæ tribus Israel,* verumtamen tribu Benjamin dempta, *in ecclesiam populi Dei convenerunt.* Jam dictum est quod convenerunt in Maspha ; porro domus seu tabernaculum Dei fuit adhuc in Silo : quomodo ergo nunc dicitur, quod convenerunt in ecclesiam populi Dei ? Respondetur, quod ecclesia populi Dei vocatur hic intransitive, ipse Dei populus congregatus, sicut et multitudo Christifidelium nunc appellatur Ecclesia. Convenerunt ergo in ecclesiam populi Dei, quia partes populi seu particulares tribus et turmæ, confluxerunt ad totum, imo confluendo totum constituerunt. Possunt quoque per angulos populorum, principes seu principales in tribubus designari. Quemadmodum enim latera concurrunt in angulo, sic communes et vulgares connectuntur in superioribus suis. Unde et Christus lapis angularis est appellatus, *Is. xxviii, 16 ; Act. iv, 11 ; Ephes. ii, 20.* quia in ipso tanquam in angulo, conjuncti sunt per fidem et caritatem populi duo, videlicet Judæi atque gentiles. *Quadringenta millia peditum pugnatorum.* Hinc elici potest, quod filii Israel magis multiplicati fuerunt in Ægypto, non obstante ibi eorum servitute gravissima, deinde in solitudine, quam in terra promissionis hucusque. Nempe, si his quadringentis millibus addantur qui defuerunt, videlicet Benjamitæ et habitatores Jabes Galaad qui deerant, ut infra narratur, *Judic. xx[i], 8.* adhuc summa multum deficit a summa eorum, ad quam in prima numeratione, *Num. i, 46.* et item ab ea ad quam in secunda numeratione ascenderunt. *Ibid. xxvi, 51.*

Interrogatusque Levita maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset : de qua re voluerunt certius informari, quamvis jam illud audierint per nuntios ejus. Voluerunt quoque agnoscere, an ejus recitatio nuntiis concordaret, quoniam factum principaliter tetigit eum. *Respondit : Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti. Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum in qua manebam,* hoc est, quidam viri Belial post solis occasum vallabant hospitium meum, *volentes me occidere,* id est per concubitum contra naturam usque ad mortem affligere, secundum unam expositionem in præcedenti articulo tactam ; vel secundum Josephi opinionem, volebant interficere virum, nisi eorum voluntati suam exponeret conjugem. Est autem satis probabile, quod femina illa fuit multum decora, et quod ejus pulchritudinem perceperunt pravissimi illi. *Et uxorem meam incredibili libidinis furore vexantes,* id est, immoderate et innaturaliter eam tractantes. Et recte ait, Libidinis furore : quia tam irrefrenatissimus concupiscentiæ ar-

dor, merito furor vocatur, tanquam rationi prorsus contrarius. *Denique mortua est. Quam arreptam, in frusta conscidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ, quia nunquam tantum nefas et tam grande piaculum factum est in Israel. Adestis omnes filii Israel. Decernite,* hoc est, judicate secundum legis tenorem, *quid agere debeatis:* quia secundum legem tenebantur hoc vindicare.

Stansque omnis populus, et quasi unius hominis voce respondit, id est, concorditer determinaverunt: non quod omnes simul protulerint verba hæc, sed aliqui superiorum et judices, quorum sententiæ ceteri acclamabant. Credendum est quoque, quod Levita per testes probavit quæ dixit, præsertim per ministrum suum quem habuit secum, et per senem hospitem suum, et ejus domesticos, qui fortassis ob tantum flagitium egressi sunt Gabaa, atque ad testificandum adducti sunt. *Non recedemus,* id est non revertemur, *in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum,* donec fecerimus quæ sequuntur. *Sed hoc contra Gabaa in commune faciemus. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, et reddere ei pro scelere quod meretur.*

Convenitque universus Israel, per synecdochen sumendo partem majorem pro toto, *ad civitatem* Maspha, *quasi homo unus, eadem mente unoque consilio,* ut dictum est; *et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin,* scilicet ad diversas urbes ipsorum, *qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est,* id est in aliquibus de vestra progenie? quasi dicant: Hoc vobis cedet in dedecus, nisi dissentiatis, et puniendos tradatis malefactores. Ideo subditur: *Tradite homines de Gabaa qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israel.*

Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum, sed ex cunctis A *urbibus quæ sortis suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israel dimicarent.* Quod fuit omnino injustum, et ex carnali amore atque elatione processit, non ex zelo justitiæ, nec ex caritate. *Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa qui septingenti erant* præter mulieres et parvulos, *viri fortissimi,* hoc est valde fortes in corpore, fortitudine virtutum carentes in anima, *ita sinistra, ut* B *dextra prœliantes:* sicque instar Aod judicis quasi ambidexteri erant; (Judic. III, 15.) *et sic fundis jacientes lapides ad certum, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Hoc totum hyperbolica est locutio, in qua aliquid dicitur per excessum, ad insinuandum magnitudinem aut eminentiam rei, quæ aliter tam convenienter exprimi nequit: ideo in tali locutione non continetur mendacium, quia et loquens scit quousque credatur. Itaque per verba in- C ducta non aliud designatur, nisi quod habitatores Gabaa erant fundibularii valde periti, non autem quod juxta verborum tenorem, potuerint tangere a remoto capillum, quem nec videre sic poterant: sicut et Pharao dixit ad Joseph, Sine oris tui imperio nemo movebit manum aut pedem in omni terra Ægypti. (Gen. XLI, 44.)

Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventi sunt quadringenta millia educentium gladios, et paratorum ad pugnam. Qui, scilicet filii Israel contra Ben- D jamin congregati, *surgentes, venerunt in domum Dei, hoc est in Silo.* Itaque de Maspha venerunt in Silo, et in tabernaculum Dei causa orationis, atque ut ibi per summum sacerdotem consulerent Dominum, sicut tunc moris erat. Unde subjungitur: *consulueruntque Dominum* per Phinees, qui per orationem et sacrificium petiit sibi revelari quod quærebatur, *atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin?* Ex hoc probatur vera esse opinio Josephi, af-

Digitized by Google

firmantis quod ista historia gesta sit ante Othoniel, nullo judice præsidente. Si enim Othoniel aut alius judex tunc præfuisset, accepissent illum pro duce exercitus, nec super hoc Dominum consuluissent. Nam et in ceteris bellis sub judicibus gestis, ipsi judices fuerunt duces exercitus. *Quibus respondit Dominus* per angelum : *Judas sit dux vester.* Hoc potest intelligi vel de tribu illa, vel de viro aliquo principali in ea, ut scilicet tribus illa esset in exercitu prima ac principalis, vel quod aliquis vir ex ea esset princeps exercitus.

Statimque filii Israel surgentes mane, castrametati sunt juxta Gabaa. Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem Gabaa *expugnare cœperunt. Egressique filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel viginti duo millia virorum. Rursum filii Israel et fortitudine et numero confidentes.* Ex hoc habetur, quod tam in primo congressu quam in isto filii Israel cum immoderata audacia et quadam elatione, videlicet in sui exercitus multitudine, ac propriis viribus magis, quam in Domino confidentes, processerunt ad pugnam : ideo Dominus permisit eos bis prosterni, ut humiliati, ad ipsum confugerent. *In eodem loco in quo prius certarant, aciem direxerunt, ita tamen, ut prius ascenderent* in Silo ad domum Dei, *et flerent coram Domino usque ad noctem.* Verumtamen fletus ille non processit ex vera contritione et humilitate, sed magis ex damni sui dolore, et suæ dejectionis rubore. *Consulerentque eum, et dicerent : Debeo* ego populus et exercitus tuus, *ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos :* dicendo, Fratres meos, fatentur se non ex invidia, sed zelo justitiæ contra illos moveri, quasi justitiam carni et sanguini præferentes ; *an non? Quibus ille respondit : Ascendite ad eos, et inite certamen.*

Quumque filii Israel altera die contra filios Benjamin ad prælium processissent, eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa, et occurrentes eis, tanta in illos cæde

A *bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent.* Quocirca mirum videtur quod succubuerunt, quum tamen, Deo jubente, inissent certamen. Et cur Dominus dixit eis, ut congrederentur, quum eos agnosceret ruituros ? Et respondendum, quod ideo, quia justam causam habebant. Expediebat quoque eorum saluti, in prælio cadere, quia et ipsa congressio morsque illata, fuerunt eorum purgatio. Voluit item eorum fidem probare, et obedientiam coronare ; imo
B nos omnes instruere, ut nequaquam frangatur spes nostra et fides in Domino, etiamsi adversa contingant, quemadmodum sanctus Job loquitur : Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *Job XIII, 15.* Hinc elici potest, quod interdum in bellis succumbunt hi qui justam prælii habent causam : quod propter eorum aliquas culpas solet accidere, et pro eorum salute. Porro injusti ad majorem suam damnationem, temporalem sortiuntur prosperitatem, quia et ipsi fortassis aliquid habent boni, quod temporaliter mu-
C neretur. Denique præter causam prætactam, assignatur et alia rationabilis causa a Catholicis et Hebræis, cur filii Israel bis sunt victi : quia videlicet circa vindictam injuriæ Dei fuerant negligentes (quia Danitas, qui modico tempore ante hoc factum ad idololatriam corruerunt, non impugnaverunt, *Judic. XVIII, 30, 31.* sicut in Deuteronomio fuit præceptum ; *Deut. XIII, 6-16.* et sicut tempore Josue voluerunt novem tribus pugnam inire contra tribum Ruben et Gad, ac mediam tribum *Josue XXII, 11, 12.* Manasse, quum putassent illos altare sa-
D crilegum construxisse), quum tamen ad ulciscendam injuriam hujus Levitæ, fuerint satis proni.

Quamobrem omnes filii Israel, puta residui de eorum exercitu, *venerunt in domum Dei, et sedebant flentes coram Domino,* ex vera contritione et humilitate, certi quod propter aliqua sua peccata sic essent prostrati. *Jejunaveruntque illo die usque ad vesperam,* pro satisfactione divinæ offensæ, *et obtulerunt ei holocausta,* ad divinæ reverentiam majestatis, quam offende-

Digitized by Google

runt, *et pacificas victimas,* pro remissione suarum culparum ad pacificandum se Domino, et ut victoriam obtinerent. Fuitque magnum, quod bis tam lamentabiliter pro causa justa prostrati, imo et semel ad prælium ire jussi, nequaquam contra Dominum murmuraverunt, imo nec contra Phinees sacerdotem, suspicando quod eos deceperit referendo divina responsa, aut confingendo; sed humiliter confugerunt ad Deum, eumque orando, plorando, sacrificando, et jejunando, imo et cordialiter pœnitendo placare conati sunt. *Et super statu suo interrogaverunt,* hoc est, per sacerdotem petierunt sibi divinitus revelari, quid eis esset agendum in tali articulo et eventu. *Eo tempore ibi erat arca fœderis Domini, et Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus domus,* id est princeps et pontifex tabernaculi Dei. *Consuluerunt igitur Dominum* per Phinees, per cujus manus et sacrificia obtulerunt, *atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite.* Unde apparet, quod urbs Gabaa fuit altius sita, quam campus in quo filii Israel erant. *Cras enim tradam eos in manus vestras.*

Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa: quatenus viri illi in insidiis positi, intrarent atque incenderent urbem, Benjamitis inde egressis ad pugnam contra reliquos Israelitas. Qualiter Josue VIII, 1. autem liceat uti insidiis in præliis justis, dictum est super Josue octavo. *Et tertia vice, sicut semel et bis, contra* filios *Benjamin exercitum produxerunt. Sed et filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt,* hoc est filios Israel, qui ex industria et condicto fugerunt, ut filios Benjamin ab urbe sua protraherent; *ita ut vulnerarent ex eis, sicut primo die et secundo, et cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros. Putaverunt enim eos solito more cedere. Qui fugam arte simulantes,* A *inierunt consilium, ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes, ad supradictas semitas perducerent. Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis,* etc., hoc est, major pars exercitus quæ se remote a civitate absconderat, surgens de suis latibulis, cœpit Benjamitis resistere. Erat quippe exercitus filiorum Israel in tres partes divisus: quarum una et minor jacuit in insidiis circa urbem; alia pars et major, accessit urbem ad provocandum et extrahendum filios Benjamin; tertia et maxima B pars fuit remote latens, et ad illam protraxerunt filios Benjamin, filii Israel qui simulaverunt fugam. *Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin, et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus.*

Percussitque eos Dominus, hoc est percussioni exposuit, *in conspectu filiorum Israel,* quibus dedit virtutem percutiendi Benjamitas. *Et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia, et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium,* C etc. *Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere potuerunt et fugere in solitudinem, sexcenti viri. Sederuntque in petra Remmon,* hoc est in loco petroso, munito in solitudine, *mensibus quatuor.* Et planxerunt ibi suam calamitatem magno ploratu. *Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis* Gabaa, *a viris usque ad jumenta gladio percusserunt.* An vero quod ait, Usque ad jumenta, intelligendum sit inclusive, an potius exclusive, dubium esse potest. *Cunctasque* D *urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.* Occiderunt autem filii Israel etiam mulieres et parvulos ac parvulas in tota Benjamin tribu.

Refert Lyra in Hebræo haberi, quod filii Benjamin præter habitatores Gabaa, erant viginti sex millia, et quod mille ex eis fugerunt ad oppida sua, ex quibus prius venerunt in Gabaa, atque in oppidis illis a filiis Israel sint occisi. Sed hoc non videtur textui consonare, quo dictum est: Remanserunt itaque de omni numero Benja-

Digitized by Google

min, qui evadere potuerunt, et fugere in A solitudinem, sexcenti viri : nisi forte quod ait, Et fugere in solitudinem, sit determinatio ejus, quod dicitur, Qui evadere potuerunt. Ex his patet tota hujus capituli littera, quæ est prolixa.

ARTICULUS XXXIV

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : JURAVERUNT QUOQUE FILII ISRAEL IN MASPHA.

QUALITER reparata sit tribus Benja- B min, quæ pene exstincta fuit, hic enarratur. *Juraverunt quoque filii Israel in Maspha,* antequam contra Benjamin pugnare cœperunt : *Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem.* Hoc juraverunt in detestationem facinoris Benjamitarum, et puto quod juraverunt, postquam cognoverunt tribum Benjamin velle adsistere Gabaanitis, quia extunc communicaverunt illis in crimine. *Veneruntque omnes in domum Dei in Silo,* etc., *et flere cœperunt, dicentes : Quare, Domine Deus* C *Israel, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis,* id est ex Israelitico populo? quasi dicant, Utinam non contigisset. Verumtamen nondum fuit tribus Benjamin omnino occisa, sed videbatur breviter peritura, quia non apparuit prima facie modus, qualiter posset per generationem conservari, eo quod ceteræ tribus jurassent filias suas non sociare Benjamitis conjugio, nec poterant gentiles accipere ob legis prohibi- *Deut.* VII, 3. tionem.

Altera autem die diluculo consurgentes, exstruxerunt altare in tabernaculo Domini. Sed nonne jam erat ibi altare? Dicunt aliqui, quod illud prius in aliquibus reparaverunt, vel translatum fuit, ideo novum fecerunt; vel ejus relatio, atque in pristino loco positio, vocatur ejus exstructio. *Et obtulerunt ibi,* per manus sacerdotis, *holocausta* pro gratiarum actione de triumpho concesso, *et pacificas victimas* pro remissione culpæ, pace, et gratia conservationis in bono statu, *et dixerunt : Quis non ascendit in exercitu Domini* qui Benjamitas occidit, *de universis tribubus Israel?* Hoc inquisierunt, ut ea occasione providerent residuis Benjamitis de nuptiis : qui enim ibi non erant, non juraverunt se non daturos filias suas filiis Benjamin; et item ut illos punirent. Ideo subditur : *Grandi enim juramento se constrinxerant, quum essent in Maspha, interfici,* id est, quod interficerent, *eos qui defuissent. Ductique pœnitentia filii Israel super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere : Ablata est tribus una de Israel. Unde uxores accipient? Omnes enim in commune juravimus, non daturos nos his filias nostras. Idcirco dixerunt : Quis est de universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad,* hoc est urbis sitæ in terra Galaad, *in illo exercitu non fuisse. Eodem quoque tempore quum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.*

Miserunt itaque decem millia viros ro- D *bustissimos, et præceperunt eis : Ite et percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos.* Mirum videri potest, quod tam in tota tribu Benjamin quam in urbe hac Galaad etiam feminas ac parvulos peremerunt, quum parvuli penitus fuerint innocentes. Estque probabile, quod multæ feminæ displicentiam habuerunt de crimine illo Gabaanitarum. Ad quod dici potest, quod in majorem tanti facinoris detestationem hoc factum sit, et viri in suis uxoribus ac par-

Digitized by Google

vulis sint puniti, quum tamen viri in Benjamin ante mulierum ac parvulorum occisionem, fuerint pene omnes perempti. Fuit quoque mors illa innocentibus major corona, et feminis quæ pœnituerunt, vel in mortali culpa non erant, purgatio. Sed et rigor divinæ justitiæ commendabatur in
Gen. II, 24. hoc. Vir quoque et mulier una sunt caro, et proles est aliquid suorum parentum. *Et hoc erit quod observare debebitis : Omne generis masculini et mulieres quæ cognoverunt viros, interficite ; virgines reservate.* Antequam inceperunt interficere eos qui in Jabes commorabantur, cum diligenti examine scrutabantur pro posse, quæ virgines essent, et separabant eas seorsum. Et satis faciliter poterant invenire, quæ nec maritatæ nec diffamatæ fuerunt. Unde subjungitur : *Inventæque sunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri torum,* imo nec illegitimam copulam, *et adduxerunt eas ad castra in Silo in terram Chanaan. Miseruntque* filii Israel *nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon,* hoc est in loco saxeo illo valde munito, *et præceperunt eis,* videlicet nuntiis, *ut susciperent eos,* scilicet Benjamitas illos, *cum pace,* reducendo eos inde pacifice ad populum Dei in Silo. *Veneruntque filii Benjamin in illo tempore. Et datæ sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad,* quadringentis videlicet viris, totidem sponsæ.

Dixeruntque majores natu, qui in suis familiis præsidebant, quorum tamen nullus præfuit toti plebi : *Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores ?* etc. *Et ingenti studio providendum est, ne una tribus deleatur ex Israel,* etc. Nonne ex quadringentis illis conjugiis poterat tribus Benjamin reparari ? Poterat plane, sed non ita cito. Ideo propter ducentos residuos uxorandos, non debebant filii Israel præfatum suum frangere juramentum, quamvis quidam dicat oppositum. *Ceperuntque,* hoc est excogitaverunt, seu ab invicem acceperunt, *consilium, atque dixerunt : Ecce solennitas Domini est in Silo anniversaria,* id est annua quædam festivitas, *quæ* Silo *sita est ad septentrionem urbis Bethel,* non illius, quæ alio nomine vocatur Jerusalem. *Præceperuntque majores natu filiis Benjamin, atque dixerunt : Ite et latitate in vineis. Quumque videritis filias Silo,* id est filias civium urbis nomine Silo, *ad ducendos choros,* id est choreas, *ex more procedere* extra urbem, *exite repente de vineis, et rapite ex eis singuli singulas uxores,* id est quilibet unam puellam ad nubendum. Verumtamen raptus talis secundum legem non licuit, sed necessitas et majorum commissio excusavit raptores in toto vel partim. *Quumque venerint patres earum ac fratres, et adversum vos queri,* id est conqueri, *atque jurgari cœperint,* violentiam vobis objiciendo, *dicemus eis : Miseremini eorum. Non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum :* id est, isti Benjamitæ non dicunt quod filias vestras de jure acceperint, sicut hi qui vincunt in prælio, rapiunt filias eorum quos superant, et quantum ad hoc, non habent se præsumptuose ; *sed rogantibus ut acciperent, non dedistis :* id est, filias vestras noluistis dare his Benjamitis, quum tamen rogarent sibi de uxoribus provideri. *Et a parte vestra peccatum est,* hoc est, vos ipsi estis in culpa : non ideo, quoniam filias vestras non dedistis filiis Benjamin, eas sibi dari rogantibus, eo quod promisistis vos non daturos filias illis, sicut et nos natu majores ; sed quoniam filias vestras permisistis sic chorizando vagari, quod rapi taliter potuerunt.

Feceruntque filii Benjamin ut sibi fuerat imperatum, et juxta numerum suum rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas. Abieruntque in possessionem suam, quam habuerunt latissimam, quia sexcenti isti residui totam terram tribus Benjamin poterant possidere : idcirco feminæ eis assignatæ, et parentes quarumdam, facilius consenserunt filiis Benjamin ad ineundum connubia ; *ædificantes urbes, et habitantes in eis. Filii*

Digitized by Google

quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua.

In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat, id est, sine refrenatione fecit quod voluit. Nullus autem respiciens ad malum operatur, ut divinus Dionysius contestatur, id est, nullus optat aut facit malum sub ratione mali, sed solum sub ratione boni veri aut apparentis, quum bonum sit appetitus objectum. Hinc in Proverbiis habetur : Omnis viri via recta sibi videtur. Et rursus : Via stulti recta in oculis ejus. Verumtamen non est putandum, quod in diebus illis unusquisque in Israel fecit omnino sine refrenatione omne quod voluit, aut quod sibi bonum apparuit, quia et parentes prohibuerunt sobolem suam a multis malis, et domini suos ministros, in urbibus quoque fuerunt speciales rectores ac judices : ideo distributio præfata, est accommoda pro generibus singulorum ; vel per hyperbolen dictum est hoc, et quia in multis sic fuit. Denique, non solum dum deest superior aut prælatus, sed item dum is qui præest, est penitus negligens in corrigendis et corripiendis excessibus, verbum hoc dici potest : In diebus illis non erat rex in Israel. Talis etenim præsidens, nomine et non re præsidens est : cui loquitur Zacharias, O pastor et idolum ! Præterea, quoniam clausula ista, In diebus illis, etc., etiam posita est in descriptione casus ipsius Michæ et Danitarum, asserit Josephus casum istum et illum circa eadem tempora contigisse.

Prov. XXI, 2.
Ibid. XII, 15.
Zach. XI, 17.
Judic. XVII, 6 ; XVIII, 1, 31.

Sensus moralis.

Moraliter ex horum trium capitulorum historia informamur, quanta mala nascantur ex carnali concupiscentia, et quam ineffabiliter illa obtenebret et incorrigibilia faciat corda seducta : ideo prorsus vitanda est. Porro, per tribum Benjamin, quæ hominibus suæ prosapiæ opem et defensionem in malis exhibuit, intelliguntur, qui ex carnali amore aut commodo defendunt, excusant, et adjuvant suos propinquos, amicos, aut socios in peccatis, sicque ipsorum involvuntur sceleribus, atque justitiæ renituntur, tandemque pereunt. Rursus ex prædictis instruimur, quod volentes corripere aut corrigere alios, debent hoc facere ordinate, et in primis emendare se ipsos, neque ex rancore, sed zelo justitiæ vitia vindicare. Docemur quoque incauta nequaquam facere juramenta, sed omnia agere cum cautela. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI JUDICUM.

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM RUTH

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

TESTE sancto Hieronymo, Hebræi librum Ruth dicunt ad librum Judicum pertinere, quia in diebus unius judicis historia Ruth scribitur contigisse. Estque liber iste quoddam illius voluminis complementum. Quocirca quæri potest, cur potius intitulatur a Ruth, quam a Booz vel Noemi. Respondendum, quod ideo, quia in isto libello specialiter recitantur virtutes istius Ruth, et gratia Dei in ea amplius commendatur, atque per eam docetur impleta prophetia Isaiæ de Christo, dicentis : Emitte *Is.* XVI, 1.
Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. In quibus verbis vel ipsa Ruth ob suam constantiam, firmitatemque animi, petra vocatur; vel per Petram deserti, intelligitur locus de quo exstitit oriunda.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM RUTH

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : IN DIEBUS UNIUS JUDICIS.

IN *diebus unius judicis, quando judices præerant.* Hoc non est intelligendum, quod in diebus unius judicis Israel præfuerunt plures judices Israeli; sed quod ait, Quando, exprimit tempus indeterminatum, ut sit sensus : Quando, id est quo tempore, successive præerant judices. Præerant autem (ut dictum est) per modum directionis atque consilii magis, quam per modum jurisdictionis atque dominii. *Facta est fames in terra* Judææ, id est magna caristia sive sterilitas. An autem in sola Judæa fuerit illa fames, an etiam in circumjacentibus terris, Scriptura non exprimit. Tamen quia mox subditur, quod quidam ex Bethlehem transierunt ad habitandum in terra Moabitarum, quæ regio est Judææ vicina, videtur vel quod solum, vel præcipue fuit hæc fames in territorio Judæorum.

Quæritur, quis fuerit judex sub quo accidit ista historia. Ad hoc Lyra respondet : Magister in historiis et expositores aliqui dicunt, quod judex iste fuit Heli, qui cum hoc sibi sacerdotium usurpavit : qui non fuit de stirpe Eleazar, sed de Ithamar. Licet autem istud secundum sit verum, videlicet quod Heli sacerdos et judex, non fuit de Eleazar, sed de Ithamar, non tamen videtur verum quod sibi usurpaverit sacerdotium, quoniam primo libro Regum Dominus ait ad eum : Loquens locutus *I Reg.* II, 30.
sum, quod domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo in sempiternum. Ergo sacerdotium illud habuit ex ordinatione divina. Nec verum videtur, quod ista res sub Heli contigerit, quoniam a principio quo Heli cœpit populum judicare, usque ad principium regni David, fluxerunt tantum octoginta anni, videlicet quadraginta sub Heli, et totidem sub Sa- *Ibid.* IV, 18;
muele et Saul, ut ex primo Regum habe- *Act.* XIII, 21.
tur. Ergo infra hos octoginta annos fuit peregrinatio Elimelech, generatio Obed ex Ruth, generatio quoque Jesse ex Obed, et generatio David ex Jesse, imo et vita David usque ad regni sui exordium, in quo erat triginta annorum. Quod non videtur *II Reg.* V, 4.
posse salvari, quoniam Noemi decem annis mansit in terra Moab, qui additi triginta annis vitæ David, in quibus cœpit regnare, faciunt annos quadraginta. Jesse quoque dum genuit ipsum David, senex fuit : quia sex filios genuit ante eum, ut legitur pri- *I Reg.* XVI,
mo libro Regum. Sicque habuit triginta 10.
novem annos ad minus, quando genuit David. Hi autem anni simul juncti, faciunt octoginta annos, si addatur et annus ille quo Noemi est reversa, et Ruth ipsi Booz conjugio sociata et imprægnata. Et ita non

Digitized by Google

remanet tempus aliquod vitæ Obed, quousque generasse potuerit ipsum Jesse. Hæc Lyra.

Circa hæc dico, quod Magister in historiis non dicit, quod Heli sibi sacerdotium usurpavit. Sic equidem ait : Post Samsonem judicavit Israelem Heli sacerdos, qui tamen non judex, sed sacerdos a digniori officio agnominatus est, translato sacerdotio a filiis Eleazar. Hoc videlicet Heli primus de filiis Ithamar accepit sacerdotium. In diebus ejus facta est fames in terra. Ecce in his verbis non videtur, quod Heli sacerdotium usurpaverit sibi. Verumtamen addit ibidem Magister : Eleazar et Ithamar fuerunt filii Aaron. De Eleazaro debuit esse sacerdos, de Ithamar autem Levita. Quæ additio vera est, si per sacerdotem intelligatur summus sacerdos seu pontifex, per Levitam sacerdos simplex ; non autem, si intelligatur quod de solo Eleazaro debuit esse quicumque sacerdos, et de Ithamar Levita, non sacerdos, quum
Lev. x, 1, 2, 7; *Num.* iii, 3, 4. in Levitico scriptum sit, quod Nadab et Abiu filii Aaron sacerdotes fuerunt, ipso Aaron pontificatum gerente ; ipsisque Nadab et Abiu igne consumptis, pro eis sacerdotio functi sunt Eleazar et Ithamar, sicque deinceps filii Ithamar fuerant sa-
Judic. xx, 28. cerdotes. Et Phinees primogenitus Eleazari post patrem suum pontifex fuit. Sic et Heli iste pontifex fuit, pontificatu translato ad posteros Ithamar : quod duravit
III *Reg.* ii, 35, 27. usque ad Sadoc pontificem, qui fuit de Eleazar, ejecto Abiathar, qui fuit de Ithamar. Insuper primo libro Paralipomenon
I *Par.* xxiv, 4. describitur, quemadmodum David distribuit viginti quatuor ordines sacerdotum, quorum ordinum sedecim erant de Eleazaro, octo de Ithamar. Deinde dico, quod improbatio illa Magistri in historiis, scilicet quod judex ille non fuerit Heli, non videtur idonea. Non enim dicit Scriptura, quod Jesse fuit senex quando genuit David, sed
I *Reg.* xvii, 12. quando David occidit Goliath, seu missus fuit ad Saul ; imo antequam David fuit primo missus ad Saul, talis fuit et tantæ
Ibid. xvi, 18. ætatis, quod unus dixit de eo Sauli : Ecce
A vidi David filium Isai, scientem psallere, et fortissimum robore, virum bellicosum et prudentem in verbis.

Præterea refert et approbat Lyra opinionem Hebræorum, dicentium quod judex sub quo contigit historia ista, fuit Abesan, *Judic.* xii, 8-10.
de quo dictum est in Judicum libro, et quod Abesan alio nomine dictus sit Booz : sicque idem vir et judex fuit Abesan et Booz, qui fuit ante Heli quadraginta sex annis, ut patet ex decursu libri Judicum. Sed ista opinio videtur inepta et textui huic con-
B traria. Ait enim Scriptura in libri hujus exordio, In diebus unius judicis. Quum autem Scriptura dicit aliquid contigisse in diebus alicujus regis aut judicis, certum est quod intelligat hoc de diebus, in quibus talis rex aut judex fuit judex aut rex, non de ceteris ejus diebus. Abesan autem non præfuit nec exstitit judex, nisi septem an- *Ibid* 9.
nis, ut in Judicum libro legitur. Porro Noemi fuit in terra Moab decem annis. Si ergo Abesan et Booz idem vir fuit, in cujus præsidentia contigit fames illa, post cujus
C exordium Elimelech cum Noemi profectus est de Bethlehem in terram Moabitarum, jam diu defunctus fuisset ante reditum Noemi, nisi diceretur a suo judicatu depositus adhuc sanus : quod nemo affirmat, nec in aliquo judice Israel factum est. Si vero dicatur, quod Elimelech iter illud arripuit antequam Booz cœpit populum judicare, potius esset dicendum, quod fames ista incepit tempore Jephthe, qui sex annis præfuit ante Abesan. Si autem *Ibid.* 7, 8.
dicatur, quod fames aut peregrinatio illa
D ideo sub Abesan (qui et Booz) asseritur facta, quia sub eo est terminata ; pariformiter dici posset, quod fames et peregrinatio illæ sint factæ sub Heli antequam cœpit præesse, et sub cujus judicatu sint terminatæ, quia res a fine suo nomen sortitur. Sicque satis multum habebitur de tempore pro vita Obed, quousque genuit Jesse, quoniam Heli obiit dum nonaginta et octo erat I *Reg.* iv, 15, 18.
annorum, et quadraginta præfuit annis, ut in primo Regum libro habetur. Verumtamen non est verum, quod res quamcumque

Digitized by Google

denominationem a fine accipiat, imo et aliquam sumit a suo principio. Et quamvis denominetur a fine, non tamen dicitur facta in fine suo seu termino sui esse, sed in principio ejus. Præterea non oportet putare, quod Jesse fuit ad minus triginta novem annorum dum genuit David : imo Benjamin junior ipso Joseph tempore ingressionis suæ in Ægyptum, habuit ad mi-
Gen. XLVI, 21. nus filios novem quando nondum erat triginta septem annorum, ut in Genesi ostenditur. Melius ergo dicunt Catholici quam Hebræi.

Itaque, *In diebus unius judicis facta est fames in terra :* quæ quamvis quandoque contingat ex naturalibus causis, tunc tamen propter magna Judæorum crimina creditur contigisse. Quod non videtur posse salvari, si judex ille fuit Abesan aut Jeph-
Judic. XII, 11-15. the, qui eum præcessit, aut Ahialon vel Abdon, qui post Abesan fuerunt : quia (ut patuit) sub illis non leguntur filii Israel recessisse a cultu Dei, ut Judicum duodecimo dictum est. Denique, circa illud primi
I Par. IV, 22. libri Paralipomenon, Et qui stare fecit solem, ait B. Hieronymus : Tempore Elimelech propter prævaricatores legis sol stetit, ut viso miraculo, converterentur ad Dominum : quod quoniam contempserunt, in tantum prævaluit fames, quod qui in tribu Juda prior videbatur, cogente inopia, cum uxore et filiis patria pulsus, in peregrinatione cum filiis mortuus est. Hebræi tamen (ut fertur) perhibent eum peregrinatum in Moab, non ex indigentia, sed ad vitandum molestiam : quia quum esset abundans, multi indigentium confugiebant ad ipsum, quibus invite sua communicavit, ideo abiit. Et quia ex vitiosa causa recessit cum bonis suis mobilibus, justo Dei judicio depauperatus atque defunctus est cum filiis suis in terra non sua. Unde et Noemi infra testatur, Egressa sum plena : quod tamen ad alium sensum potest exponi.

Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore sua ac duobus liberis. Ipse voca-
A *batur Elimelech, et uxor ejus Noemi; et duo filii, alter Mahalon, et alter Chelion, Ephratæi, de Bethlehem Juda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi, remansitque ipsa cum filiis. Qui acceperunt,* scilicet filii Noemi, *uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera Ruth.* Circa hoc refert Lyra : Dicunt Hebræi et quidam Catholici, quod Ruth filia fuit Eglon regis Moabitarum. Quod satis reprobat Lyra, præsertim quod non fuit filia
B regis Eglon, quem Aod judex Israel interfecit, quia ille jam mortuus fuit amplius quam per annos ducentos. Nec apparentiam habet, quod rex Moab dederit filiam suam viro extraneo. Nihilo minus dictum illud posset aliqualiter colorari, ex eo quod scriptum est libro primo Paralipomenon : Securus et Incedens, qui principes fue- I Par. IV, 22.
runt in Moab. Ubi scribit Hieronymus : Mahalon et Chelion filii Elimelech, hic Securus et Incedens dicuntur. Si ergo principes ibi erant, videntur ibi nobiliter uxo-
C rati. Jam quoque præhabitum est, quod pater eorum fuit de nobilioribus civibus Bethlehem. Unde qui istud vellet defendere, dicere posset, quod Eglon rex pater Ruth, fuit alter ab illo quem Aod interfecit. Ego tamen non puto id verum esse, quum et Noemi et Ruth in magna paupertate de terra Moab reversæ sint. Hieronymus quoque, In Hebræo, inquit, non principes, sed mariti dicuntur.

Manserunt ibi decem annis, et ambo mortui sunt, duo scilicet filii Noemi, *Ma-*
D *halon videlicet et Chelion,* in terra Moab infra decem annos peregrinationis illius. *Remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito :* ideo fuit mœstissima, quia nec filii ejus sobolem reliquerunt, propter quod spem posteritatis amisit. *Et surrexit ut in patriam pergeret,* scilicet in Judæam et Bethlehem, *cum utraque nuru sua,* id est uxoribus filiorum suorum, *de regione Moabitide.* Et quod dicitur, Cum utraque nuru sua, potest determinare verbum illud, Surrexit, ut sit sensus, quod duæ feminæ

Digitized by Google

illæ surrexerunt cum ea, ut per spatium A deducerent eam ; vel complexum illud, Ut in patriam pergeret : eritque sensus, quod surrexit cum mulieribus illis, ut simul cum eis reverteretur in terram suam. Sed prima expositio verior reputatur, quia inter alia subjungitur :

Et jam in via revertendi posita in terram Juda, dixit ad eas : Ite in domum matris vestræ, id est, quælibet vestrum ad propriam redeat matrem. Non enim erant sorores. Atque per hoc quod dicitur, In domum matris, videtur quod patres earum B obierint. *Faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis,* id est cum vestris maritis adhuc viventibus, nunc defunctis, ad quos habuistis vos pie et amorose ; vel, Cum mortuis, habendo vos caritative et liberaliter circa sepulturam ipsorum, et ipsorum mortem vehementer deflendo ; *et mecum. Det vobis invenire requiem in domibus virorum quos sortituræ estis,* id est, bonos ac pacificos vobis concedat maritos, quia et hoc magnum est Dei donum. Quemadmodum enim C in Ecclesiastico scriptum est, Mulieris bonæ beatus vir, numerus enim annorum illius duplex ; ita veraciter perhibetur, Viri boni beata uxor, etc. Nam et bonus vir melius potest compescere perversam uxorem, quam uxor bona durum et perversum maritum. *Et osculata est eas,* in signum magnæ dilectionis, sicut in separatione amantium fieri solet. *Quæ elevata voce flere cœperunt,* scilicet ex vehementi interiorum commotione cum singultu et ululatu : ad quod propter cordis mollitiem D pronæ sunt feminæ ; *et dicere : Tecum pergemus ad populum tuum.* Hoc intendebant, trahente eas amore socrus, quæ tam amicabiliter habuit se ad ipsas, quod ab ea separari, fuisset ipsis molestum valde.

Eccli. xxvi, 1.

Quibus illa respondit, magis quærens illarum, quam proprium, commodum : *Revertimini, filiæ meæ. Cur venitis mecum? Num ultra habebo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis?* id est, sub illa spe non habetis mecum redire, quasi valeatis cum fratribus defunctorum inire connubium, qui juxta morem nostræ legis suscitent semen fratribus suis defunctis : quod et ante legem Moysis servabatur, ut in Genesi ostenditur de Juda et filiis ejus circa Thamar. In Scholastica quoque fertur historia : Apud Moabitas servabatur lex de semine suscitando. *Revertimini, filiæ meæ, et abite ; jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali. Etiamsi possem hac nocte concipere et parere filios, si eos exspectare velitis donec crescant, et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ meæ, facere hoc, quia vestra angustia magis me premit,* id est, gravius affligor ex consideratione vestræ tristitiæ ac necessitudinis, et quod in sterilitatis opprobrio maneretis, mecum manendo, *et egressa est manus Domini contra me,* id est, Deus sua virtute me acriter visitavit per mortes mariti mei et filiorum meorum in juventute eorum, et antequam genuerunt.

Deut. xxv, 5 ; Gen. xxxviii, 8.

Elevata igitur voce, rursum flere cœperunt. Orpha osculata est socrum, ac reversa est, acquiescens persuasioni illius. *Ruth adhæsit socrui suæ. Cui dixit Noemi : En reversa est,* id est, redire jam cœpit, *cognata tua :* forte enim fuit neptis istius Ruth, vel propter affinitatem sic nominat eam ; *ad populum suum, et ad deos suos.* Non videtur hæc Noemi fuisse multum devota et fervens, quoniam nurum illam, scilicet Orpham, non admonuit (ut apparet) ad cultum unius veri Dei, imo nec ipsam Ruth, quum tamen tam diu essent ad invicem commoratæ et familiares : imo videtur ipsi Ruth dedisse consilium redeundi, sicut jam rediit Orpha. Nam addit, *Vade cum ea. Quæ respondit : Ne adverseris mihi, ut relinquam te et abeam.* Hæc Ruth fuit electa a Deo, ideo eam sic affecit, attraxit, et constantem effecit. Imo (ut Magister in historiis recitat) Noemi dixit ad Ruth : Audi, filia. Non est Deus noster sicut dii gentium, nec populus noster secundum ritum gentium vivit. Expedit ti-

Digitized by Google

bi ut redeas ad populum tuum et ad deos tuos. Et ait Ruth : *Quocumque enim perrexeris, pergam ; et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus :* quasi dicat, Parata sum sequi ritum populi tui ; *et Deus tuus, Deus meus,* id est, Deo tuo volo servire, non diis Moabitarum.

Præterea (ut fertur) videns Noemi ipsam Ruth velle ad Judaismum converti, probavit constantiam ejus, ne post apostataret a lege assumpta, idcirco proposuit ei aliqua ardua legis, quemadmodum religionem intrare optantibus proponuntur ardua ordinis. Itaque Noemi dixit ad Ruth : Hebræis et conversis ad legem eorum, non licet exire et commorari extra terram eis a Deo concessam, nisi ex grandi necessitate. Ad quod Ruth respondit : Quocumque perrexeris, pergam ; quasi dicat, Non alibi. Rursus Noemi ait : Non licet mulieribus Hebræis esse solas cum viris, nisi cum suis maritis. Respondit Ruth : Ubi commorata fueris, et ego pariter commorabor ; quasi dicat, Non cupio esse sola cum viro. Iterum Noemi : Nos, inquit, tenemur ad onera legis, atque ad unius Dei cultum. Et Ruth ait : Populus tuus, populus meus ; quasi dicat, Volo ei conformari in observantiis legis. Deus tuus, Deus meus, quem solum de cetero colam. Denuo Noemi est locuta : Transgressoribus legis nostræ infliguntur duræ diversæque mortes, videlicet lapidatio, combustio, strangulatio, gladiatio. Responditque Ruth : *Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique accipiam locum sepulturæ :* tanquam dicat, In terra tua mori parata sum, juxta meorum exigentiam meritorum. *Hæc mihi faciat Deus et hæc addat,* id est, prætacta aut consimilia adversa mihi infligat Deus verus, per quem solum de cetero juro tempore opportuno, *si non sola mors me et te separaverit* loco, habitatione et religione. Hunc modum jurandi didicisse videtur

A Ruth ab Hebræis, hoc est a suo marito aut socru. *Videns ergo Noemi, quod obstinato,* id est firmo et immobili, *animo Ruth decrevisset secum pergere* ex inspiratione divina : sicque obstinatio sumitur hic in bono ; *adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persuadere.*

Profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos cives *fama percrebuit,* id est, unus alteri velociter insinuavit reditum Noemi, quia et antea erat famosa, et

B omnibus cara ac pulchra matrona. Ideo subditur, *dicebantque mulieres : Hæc est illa Noemi,* id est mulier illa olim ita notabilis. Et ita de ejus reditione gaudebant, ejus quoque adversitatibus condolebant : quasi dicant, Ecce jam quasi sola venit, quæ cum marito et filiis abiit. *Quibus* illa *ait,* adversitatem suam ostendens, et gaudentium lætitiam moderans : *Ne vocetis me Noemi (id est pulchram).* Noemi quippe, pulchra interpretatur. Quasi dicat : Habeo nomen sine nominis proprietate. *Sed*

C *vocate me Mara (id est amaram), quia amaritudine,* hoc est tristitia et dolore, *valde replevit me Omnipotens,* cujus dispositione et voluntate defuncti sunt maritus meus et filii. *Egressa sum plena.* Secundum eos qui dicunt eam abiisse cum opulentia ob causam inductam, sensus est, quod cum divitiis et comitatu recessit. Secundum alios sensus est, quod cum marito et filiis abiit, quos sibi præ cunctis divitiis cariores fuisse testata est, quemadmodum uxor Tobiæ ait : Sufficiebat nobis pauper- *Tob.* v, 25.

D tas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum. *Et vacuam me reduxit Dominus,* scilicet marito filiisque orbatam, aut etiam depauperatam. *Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens ? Venit ergo Noemi,* etc., *in Bethlehem quando primum hordea metebantur,* id est tempore hordeaceæ messis.

Digitized by Google

ARTICULUS II

SPIRITUALIS EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

SICUT in modica testa continetur nucleus dulcis, atque in favo mellis dulcedo, in malo quoque granato granum medicinale; ita et in brevi hoc libro Ruth, suavia Christi et Ecclesiæ sacramenta inclusa sunt. Allegorice ergo, per judicem Israel, in cujus diebus facta est sterilitas in Judæa, intelligitur collectio pontificum, qui Judæis præerant in primo Christi adventu atque post resurrectionem ipsius : qui populum a Christi prædicatione, fide et cultu totis viribus averterunt, ita quod magna bonæ conversationis sterilitas, et spiritualis alimoniæ carentia, in populo illo Judaico exstiterunt.

Abiitque homo de Bethlehem Juda, nomine Elimelech, quod interpretatur, Dominus meus rex : id est, Christus Dominus et rex noster cum Ecclesia ingressus est terras gentilium, quia post suam resurrectionem Judæis in sua perfidia induratis, per primitivæ Ecclesiæ prædicatores, sanctos Apostolos, et per Prophetarum oracula visitavit gentiles, et in eorum demoratus est cordibus. *Cum duobus liberis :* per quos ordo Prophetarum et chorus signatur Apostolorum, seu ipsi Apostoli et ceteri eorum cooperatores discipuli. Per Noemi demum, quæ pulchra interpretatur, Eccle-
[Cant. v, 9.] sia designatur, cui in Canticis dicitur : O pulcherrima mulierum ! *Et mortuus est ibi Elimelech.* Christus namque in membris suis persecutiones sustinuit tyranno-
[Act. ix, 5.] rum, et sibi fieri reputavit quod suis infligebatur fidelibus : quibus per Zachariam
[Zach. ii, 8.] locutus est, Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Unde et rursus fatetur :
[Matth. xxv, 40.] Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Specialiter vero mortuus fuit in corde eorum qui per tormenta et violentias corruerunt a fide. *Remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito :* quia et sancti Apostoli ceterique discipuli pro Christo sunt martyrizati, sicut et olim Prophetæ ab impiis sunt afflicti : sicque eorum præsentia Ecclesia fuit privata, quæ etiam in hac vita Sponsi cœlestis claro et beatifico privatur consortio ac adspectu. Præterea interdum contingit Ecclesiam ad tempus relinqui, ita ut solitis consolationibus, supernorumque charismatum affluentiis destituatur, atque gravissimis persecutionibus exponatur, in tantum, ut cum
Apostolo dicat : Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos vivere. Tunc ergo quasi orbatam se cœlesti marito conqueritur. [II Cor. i, 8.]

Et surrexit ut in patriam pergeret cum utraque nuru sua. Ecclesia namque quosdam gentilium inconvertibiles reperit : ideo eis relictis, vicissim conversos ex Judaismo in terra sancta revisit, quemadmodum Jacobus de Hispania in Judæam reversus est, et rursus prædicavit ibidem, plurimosque convertit. Apostoli quoque, per aliquot
annos cunctis* temporibus in Jerusalem et ad primitivam ibi Ecclesiam redierunt, sicut hoc partim in Actibus edocetur; aliquas quoque ex gentibus conversas personas secum duxerunt. Verumtamen per hanc Noemi reditionem, præcipue figurabatur quod fideles circa finem mundi prædicaturi sunt Synagogæ, et conversuri eamdem. Porro, per hoc quod Noemi utrique nurui suæ reditum persuasit, datur intelligi quod Ecclesia non statim recipit infideles, aut etiam catechumenos ad Baptisma, sed probat spiritus si ex Deo sint. [I Joann. iv, 1.]

[* certis]

Digitized by Google

Per idem intelligi potest, quod quasdam personas ex gentilitate conversas Ecclesia remisit et ad loca priora direxit ad prædicandum ibidem, ut prolificarent et fructificarent in gentibus : quæ in obstinatis Judæis proficere non valebant, in quibus nec primitiva Ecclesia quivit multum facere fructum.

Insuper, sicut mulieres et cives in Bethlehem de reditu Noemi admirati sunt et gavisi; sic Jacobus Jerosolymorum primus antistes et primitiva ejus Ecclesia gloriabantur et admirabantur non parum, quando Paulus et Barnabas, imo et alii quidam Apostoli, præcipuique discipuli ex Judaismo conversi, venerunt ad ipsos, et narraverunt qualiter fructificassent in gentibus, multaque millia convertissent, et divinis coruscassent miraculis. Quibus cognitis, dixerunt Jerosolymitæ fideles : *Hæc est illa Noemi,* id est pulchra Christi sponsa. Illi vero dixerunt : *Ne vocetis me Noemi (id est pulchram), sed Mara (id est amaram),* propter gravissimas quas ab infidelibus sustinuerunt persecutiones, et quia de pereuntium excæcatione et disperitione intensissime doluerunt, et quia multi ex eis erant atrocissime ab infidelibus interempti. Unde quantum ad hoc, quasi vacuos se redire arbitrabantur. Nunc quoque Ecclesia Christi multipliciter deformata, et pristina gratiæ ac virtutum atque divinorum charismatum pulchritudine destituta, et tam ab invisibilibus quam a visibilibus hostibus conculcata, querula ait voce : Ne vocetis me Noemi, sed Amaram, quia amaritudinibus sum repleta.

Moraliter quoque in terra Israel, id est in Ecclesia Christi, fit fames, id est virtutum carentia, *in diebus unius judicis,* id est indigni et scandalose viventis prælati aut principis : sub quo etiam aliqui boni patiuntur famem audiendi verbum Dei, qui informari cupiunt de necessariis ad salutem ; sed qui præsunt, non instruunt eos, imo subvertunt pro posse. Ideo boni tales peregrinantur in terram Moab. Quod etiam in bono potest intelligi, quoniam Moab interpretatur, ex patre. Sicque terra Moab, est congregatio devotorum et vere fidelium, qui ex Deo sunt nati, et venientibus ad se sermocinantur quæ Dei sunt, ita quod sibi ipsis et pravis desideriis salubriter moriuntur, sicut quibusdam scribit Apostolus : Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. At vero, per Ruth, quæ socrui suæ inavertibiliter mansit adhærens, intelligitur quæcumque fidelis anima, quæ nulla persuasione, adversitate aut occasione recedere vult ab ecclesiastica unitate. Per Orpham vero accipiuntur, qui ad tempus credunt, compunguntur, et bona efficiunt; sed tempore adversitatis, tentationis aut etiam prosperitatis, labuntur. Docemur quoque ex ista historia ad intuendum ac assequendum fidelitatem, constantiam, ceterasque virtutes hujus electæ Ruth : quæ amore socrus suæ, imo potius impulsu Spiritus Sancti, propriam terram et plebem reliquit, nuptias perfidorum contempsit, ad terram Israel, ad cultum ac populum veri Dei accessit, et Deo de cetero servivit fideliter. Nulla ergo sensuali affectione quorumcumque propinquorum aut amicorum, nullo voluptatis amore, nullo proprii intuitu commodi separemur a Deo, nec præceptis Ecclesiæ efficiamur rebelles, nec viam relinquamus justitiæ, sed in Dei filiali ac spirituali timore et ferventi amore maneamus immobiles. Proximis quoque simus fideles, et cum Noemi ita nos habeamus ad proximos, ut non sine fletu et ululatu valeant a nobis diu ac longe avelli.

Colos. III, 3.

Luc. VIII, 13.

Insuper, Ruth in multis est figura Ecclesiæ ex gentilitate collectæ, quæ diis suis, consanguineisque relictis, soli conjuncta est Salvatori. Sed et quamcumque fidelem animam, specialiter religiosam personam, quæ mundum et mundana Christi amore relinquit, designat. Postremo, quicumque fidelis priori devotione, perfectione seu gratia spoliatus, seu a contemplationis decore, spiritualique conversatione ad carnalia devolutus, aut etiam exterioribus occupationibus detineri coactus, et per eas

Digitized by Google

distractus, merito conqueri potest ac dicere : Ne vocetis me Noemi, sed Amaram, quia amaritudine sum repletus : si tamen hujus- A modi homo vere conteritur, et super damno suæ animæ lacrimatur, atque ad prioris vitæ puritatem ac libertatem adspirat.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : ERAT AUTEM VIRO ELIMELECH CONSANGUINEUS.

QUALITER Ruth ad notitiam mariti sibi a Deo gratiose provisi pervenerit, nunc narratur. *Erat autem viro Elimelech,* id est ipsius Elimelech, *consanguineus homo potens,* de semine Juda, *et magnarum opum, nomine Booz :* qui non solum in temporalibus, sed et in virtutibus exstitit opulentus, quia suis bene utebatur divitiis. *Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam : Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas.* Ecce quam humilis petitio licentiæ, et item quam pium opus, videlicet colligere spicas : sed et quam justum et non fraudulentum fuerit ejus propositum, pandit subdendo, *quæ fugerint manus metentium :* non ergo proposuit aliquam spicam furtim subtrahere. Sed et verecundia bonæ Ruth insinuatur ex verbo quod addit, *ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit : Vade, filia mi.* Et hoc quoque fuit amorosum congruumque responsum. Humilibus enim impendenda est benevolentia omnis. Petenti quoque humiliter, affectuose est respondendum ; et si fieri expedit, pie acquiescendum. *Abiit ergo, et colligebat spicas post terga metentium.*

Accidit autem ut ille ager, quem intravit Ruth, *haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.* Ager ille jam antea pertinebat ad Booz, forte ex legitima successione. Non ergo intrante Ruth agrum illum, accidit istud, quod scilicet ager ille habuit possessorem seu dominum nomine Booz ; sed hoc accidit, quod Ruth agrum illum intravit, et quod ager B ad Booz pertinens, visitabatur a Ruth : quod utique ex divina contigit præordinatione, ad consolationem ipsius Ruth. Deus etenim humiles multipliciter consolatur. *Et ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixitque* Booz, suos visitans operarios et messores : *Dominus vobiscum.* Hæc fuit salutatio bona : quasi dicat, Dominus adsit vobis per gratiam. Ex quo sumptum perhibetur, quod in celebratione sacerdos per hæc verba plebem salutat. *Qui responderunt ei : Benedicat tibi Dominus.* Hæc fuit resalutatio C valde idonea et imprecatio boni præcipui. Intelligendum est namque, quod spiritualia bona sibi invicem principaliter imprecabantur. *Dixitque Booz juveni qui præerat messoribus* in eorum officio : *Cujus est puella hæc ?* id est, ad quam spectat personam, seu cujus est conjux aut filia ? Non enim agnoverat eam, et ipsa Ruth in apparatu, incessu, collectione spicarum, tam verecunde atque humiliter se habebat, quod Booz vir grandævus et bonus, non ex libidine, sed consideratione tantæ D probitatis, motus fuit ad istam interrogationem. Refert Lyra, quod (secundum Hebræos) ipsa Ruth colligebat spicas jacentes sedendo, ne ipsa se inclinante, aliqua pars sui cruris discooperiretur. Sed hoc fabulosum videtur. Talis namque collectio in sedendo, solet adscribi pigritiæ, et aptius poterat geniculando colligere, nec sic discooperiebatur. *Qui respondit : Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi de regione Moabitide, et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vesti-*

Digitized by Google

gia; et de mane usque nunc stat, id est perseverat, *in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est:* in quo patet, quam laboriosa, perseverans, et agilis fuit in labore pro sustentatione communi sui ipsius et suæ socrus.

Et ait Booz ad Ruth: Audi, filia. Booz ratione ætatis et auctoritatis seu eminentiæ, imo et ex caritate et pietate nominat eam filiam. *Ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, sed jungere puellis meis, et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris,* id est ministris *meis, ut nemo tibi molestus sit.* Hoc ergo præcepit eis, auditis verbis præfati juvenis, antequam dixit ista verba ad Ruth, quamvis Scriptura non exprimat hoc; sed ex verbis istis hoc innuit. *Sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas,* id est vasa seu repositoria ciborum ac potuum, *et bibe aquas, quas pueri mei bibunt. Quæ cadens in faciem suam, et adorans super terram* prostrata, ipsum Booz adoratione duliæ, tanquam eminentem personam, in quo ejus declaratur humilitas, *dixit ad eum: Unde hoc mihi, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem?* quasi dicat, Non promerui beneficia tanta a te. Et tamen revera multo majora promeruit. Ideo sequitur: *Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui.* Itaque jam ex fama, quamvis non facie, agnoverat eam Booz. *Et quod reliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es, et veneris ad populum quem antea nesciebas.* Superius tactum est, quod pater Ruth forsan jam erat defunctus: ideo per parentes, possunt intelligi mater ejus et cognati antiquiores. *Reddat tibi Dominus pro opere tuo* tam virtuoso, id est præfatis bonis actibus tuis: id est, in præsenti det tibi prosperitatem et quamdam remunerationem inchoatam; *et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel* in futuro, *ad quem venisti* spirituali accessu per cordis conversionem et Judaismi susceptionem, seu etiam corporali adventu, in quantum Deus in medio populi sui atque in tabernaculo suo, quod fuit in medio filiorum Israel, specialiter morabatur, *et sub cujus confugisti alas,* id est, sub cujus pietate, ope, et potestate te constituisti, ut te tueatur ac salvet. Itaque alæ Dei, metaphorice sunt misericordia ejus et potestas.

Quæ ait, quasi sufficienter regratiari non valens, nec de suis laudibus publice a tanto viro prolatis se extollens, sed ejus benignitati totum adscribens: *Inveni gratiam in oculis tuis, domine mi,* id est, tibi pie complacui, et pie me adspexisti, et inde beneficia mihi gratiose impendis, *qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ,* id est, affectuose me consolatus es intime, et verba tua dulcissima penetraverunt et lætificaverunt mea præcordia, *quæ non sum similis unius puellarum tuarum,* id est, nec infimæ tuæ ancillæ æqualis sum in bonitate et dignitate, quum sim gentilium filia. Denique tanta gratitudo, prudentia, et humiliatio Ruth, provocaverunt ipsum Booz ad beneficia ampliora ei præstanda, sicut subjungitur. *Dixitque Booz ad eam: Quando hora vescendi fuerit, veni huc,* videlicet ad operarios meos, *et comede panem,* id est, cum eis manduca de cibis meis, *et intinge buccellam tuam,* non unam tantum, sed quot volueris, *in acetum* pro refrigerio. Acetum namque est refrigerativum. Idcirco in tanto caumate et labore necessarium fuit.

Sedit itaque ad latus messorum, ad comedendum, non tamen tam prope, quod tetigit viros; nec ex opposito sedit virorum illorum, ne inspiceretur; *et congessit polentam sibi,* id est, materiam victus collegit, et inde cibum paravit, quasi totum cibum suum de mensa aliena sumere erubescens. *Comeditque et saturata est,* id est sufficienter, non immoderanter aut gulose, refecta, *et tulit reliquias* escarum suarum, quas prudenter reposuit, et suæ socrui conservavit. Hanc polentam vocat Josephus ἄλφιτον. *Atque inde surrexit ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pue-*

Digitized by Google

ris suis, dicens : Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam, etc. In quibus verbis caritas, liberalitas, et misericordia Booz ad peregrinam feminam, commendantur. *Collegit ergo in agro usque ad vesperam,* in quo patet ejus instantia laboriosa ; *et quæ collegerat, virga cædens et excutiens,* scilicet cum baculo, *invenit hordei quasi ephi mensuram,* id est mensuram hordei, quæ mensura vocatur ephi, *id est tres modios.* Et hoc juxta mensuram et modum loquendi regionis illius. Nomina quippe et quantitates mensurarum, quemadmodum et nummorum, juxta diversitatem locorum ac temporum variantur. Ideo ignoramus quantum modius ille continuit.

Quos portans, videlicet hordeum illud excussum seu hordeorum manipulos, *reversa est in civitatem* Bethlehem, *et ostendit socrui suæ,* ut ei congratularetur. *Insuper protulit et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat. Dixitque ei socrus sua : Ubi hodie collegisti ? et ubi fecisti opus ? Sit benedictus qui misertus est tui. Indicavitque ei apud quem esset operata, et nomen viri dixit ei, quod Booz vocaretur* vir in cujus agro collegerat. *Cui*

A *respondit Noemi : Benedictus sit a Domino,* id est, laudem et remunerationem a Deo recipiat, *quoniam eamdem* in specie *gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis :* id est, sicut beneficus fuit marito meo et filiis ejus quum adhuc viverent, ita nunc quoque benefacit eisdem, non in eorum persona quantum ad temporalia ista, sed in persona tua, quæ fuisti conjux unius filiorum illorum, et etiam in mea persona, quæ eram uxor mariti illius. *Rursumque Noemi : Propinquus,* inquit,
B *noster est homo,* id est, Booz iste affinis est nobis, quia vir meus fuit cognatus ipsius, similiter tuus maritus. Per hoc Noemi auxit fiduciam Ruth, ad colligendum fiducialiter in agris Booz. At vero, per hoc quod Ruth tam cito excussit manipulos suos, nec congregavit inde acervum, videtur insinuari magna sua et socrus suæ paupertas. *Et Ruth : Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur. Cui dixit socrus : Melius est, filia mi, ut*
C *cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi. Juncta est ergo puellis Booz,* etc., in agro et messione usque ad finem messis.

ARTICULUS IV

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SECUNDI INTELLECTU.

ALLEGORICE per Ruth, Ecclesia ex gentibus adunata ; per Booz, Christus ; per Noemi, Synagoga accipitur. Quemadmodum autem Ruth inseparabiliter se adjunxit socrui suæ, ita Ecclesia gentilium Synagogæ in Christum credenti, obedivitque ei promptissime. Itaque, sicut Ruth locuta est socrui, *Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas,* sic Ecclesia ista a conversa Judæa sumpsit licentiam introeundi veteris Testamenti Scripturam, quæ est

D fertilissimus ager, quadruplicem generans fructum, quadriformem videlicet sensum : in qua spicas, id est, diversas collegit sententias, *post terga metentium,* id est, sequendo vestigia Apostolorum sanctorum, qui erant in agro isto messores præcipui, dum hordea metebantur, id est, Prophetarum exponebantur oracula ; et reponebantur in horreis, quia in Scripturis novi Testamenti, in libris Evangeliorum et Epistolarum, in Apocalypsi et Actibus allegabantur et

Digitized by Google

contenta manebant. Quemadmodum autem ad hordei medullam, ob tegumentorum ejus duritiam atque tenaciam, difficulter pertingitur; ita ad propheticorum intelligentiam voluminum, propter eorum multiplicem involutionem, difficillimum fuit pertingere absque speciali Spiritus Sancti illuminatione.

Itaque hujus agri dominus est Booz, id est (I Reg. II, 3.) Salvator, qui est Deus scientiarum Dominus, (Coloss. II, 3.) in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Hic paterfamilias clementissimus fuit Ecclesiæ ex gentilitate conversæ, eam consolando, reficiendo, laudando, eo quod carnales suos affectus, et quidquid a Deo est aversivum, propter Deum reliquerit, credentibusque Judæis adhæserit. Jussit quoque huic Ecclesiæ, ut in præfato suo agro ad libitum remaneret, colligeret: imo dedit ei metendi licentiam, id est alios convertendi ac publice prædicandi; atque ad suæ familiæ mensam posuit eam, Sacramentum corporis sui ac sanguinis, alia quoque pretiosissima fercula spiritualia exhibens ei, imo omnibus illis simul.

Denique ista Ecclesia tantam in se Christi benignitatem experta, prostravit se ei humillime ac devotissime gratias egit, et (Matth. XV, 27.) catellis se comparans, nec dignitati servorum, qui scilicet ex Judaismo crediderant, æquari se posse præsumens. Virga quoque excutiens quæ collegit, invenit tres modios: id est, profectum suum in fide et moribus, juxta doctrinam Scripturæ bene examinans, cognovit se superbenedictæ Trinitatis notitiam attigisse, exercitia etiam

A incipientium, proficientium et perfectorum scandisse, sed et virtutes et dona ac fructus Spiritus obtinuisse: quæ omnia (Galat. V, 22, 23.) sibi desuper condonata, fideli Synagogæ monstravit, quæ admirata est vehementer de tantis beneficiis Ecclesiæ gentium distributis, benedixitque Salvatorem, qui tam copiosissime gentibus est misertus, et de oleastro fecit olivam, (Rom. XI, 17.) imo tandem testatus est: Non inveni tantam fidem in Israel. (Matth. VIII, 10.) Insuper Synagoga ista electa, piissime confortavit Ecclesiam gentium in spe et cari**B**tate, dicens ad eam: *Propinquus noster est homo* iste. Christus namque vere effectus est noster propinquus, nostram assumendo naturam: qui et eos qui erant sub lege naturæ, congregavit in unam Ecclesiam sub tempore illo, quam quasi sororem Ecclesiæ sub evangelica lege exsistentis, sibi ab exordio desponsavit.

Moraliter docet nos ista historia, exemplo Ruth nos ipsos in omnibus humiliare, prælatis et superioribus, sapientioribus ac senioribus sincerissime obedire: quod ad **C** religiosos certum est maxime pertinere. Quod si quis nos ipsos, aut dona Dei in nobis laudaverit, nulla ex hoc elatione aut vanitate tangamur: imo tanto humilius Deo regratiemur, quanto majora aut plura contulerit nobis charismata. Stemus quoque in agro usque ad vesperam, id est, in studio Scripturæ, exercitiisque virtutum jugiter persistamus, a spirituali profectu nunquam cessemus, otiositatem, nugas et verbositates, omnem etiam negligentiam maxime abhorrentes.

ARTICULUS V

EXPLANATIO CAPITULI TERTII: POSTQUAM AUTEM REVERSA EST AD SOCRUM SUAM.

PROCESSUS quo Ruth devenit ad magnum conjugium, modo describitur. *Postquam autem reversa est* Ruth de agro *ad socrum suam:* quod non est intelligen**D**dum de die secundo aut tertio quo collegit in agro, sed potius de die ultimo aut circiter, quum in præcedentis capituli fine dicatur: Juncta est puellis Booz, et tamdiu

Digitized by Google

cum eis messuit, donec hordea et triticum in horreis conderentur. Itaque, postquam hoc modo reversa est ad socrum suam, ad quam interim sæpius rediit, *audivit ab ea*, scilicet a socru sua, quæ dixit ad Ruth : *Filia mea, quæram tibi requiem*, id est opulentum connubium et statum honestum, ut de cetero non indigeas taliter laborare, *et providebo ut bene sit tibi*, laborando ad hoc cum omni industria et diligentia mihi possibili, quia tam virtuose te habes circa me. *Booz iste, cujus puellis in agro*
Ruth. II, 20. *juncta es, propinquus noster est* : prout præcedenti capitulo continetur, atque expositum est ; *et* in *hac nocte aream hordei ventilat*. Ventilare, est grana purgare, jactando ea ad ventum. Porro aream hordei ventilare, est hordea in area seu horreo posita, ita mundare. Hoc autem fecit Booz per suos ministros, et forte nocte illa ad ventilationem se disponebant. Unde quidam exponunt sic : Ventilat, id est, festum agit pro ventilatione. Quocirca in Scholastica fertur historia : Mos erat in Israel, quod in ventilatione areæ, dominus seu paterfamilias grande fecit convivium pueris suis atque messoribus, et dormiebat in area, et quasi solennizans, ab amplexibus abstinebat. Idem fiebat in ovium tonsione. Si autem et post vindemiam, non legi.

Lavare ergo et ungere, id est, corpus tuum lava et unge, *et induere cultioribus vestimentis*, ut sic ornata, magis complaceas viro ad ineundum connubium tecum, *et descende in aream. Non te videat homo*, videlicet ipse Booz, imo nec alius, *donec esum potumque finierit*, id est ante finem cœnæ : non quod postea se præberet visibilem viro ante ingressum lecti, sed quia faciliter post cœnam potuit se celare, dummodo ante eam se occultaret. *Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat ; veniesque*, ipso jam dormiente, *et discooperies pallium quo operitur a parte pedum, et projicies te*, tamen silenter et cum modestia, *et ibi jacebis. Ipse autem* quum evigilaverit, teque esse cognoverit, *dicet tibi quid agere debeas*. Videtur Noemi dando consilium istud, peccasse : quia tam nurum suam, quam ipsum Booz, exposuit fornicationis periculo ante conjunctionem legitimam. Et modus iste clandestinus, non erat consonus legi. Fuit quoque vir alter propinquior ei, quam Booz : nec sufficit bonam habere intentionem, sed per media apta oportet ad eam procedere. Ruth tamen excusatur, quia non melius scivit, nec fuit docta in lege. *Quæ respondit : Quidquid præceperis, faciam*. Verumtamen obedientia debet esse discreta, et super congruam ferri materiam. *Descenditque in aream, et fecit omnia quæ sibi imperaverat socrus sua*.

Quumque comedisset Booz et bibisset, et factus esset hilarior, [*issetque*] *ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit* Ruth *abscondite*, quæ jam ante inter acervos absconderat se, *et discooperto pallio a pedibus ejus, se projecit. Et ecce nocte jam media, expavit homo*, quum evigilasset, *et conturbatus est*, quia nescivit quid erat, et forsan suspicabatur esse adversum quid, ut spiritum malum aut inimicum visibilem ; *viditque mulierem jacentem ad pedes suos*. Forsitan enim luna splendente consideravit hoc visu. Vel si caput mulieris tangendo percepit hoc, ponitur visus pro tactu, vel pro interiori notitia. *Et ait illi : Quæ es ? Illaque respondit : Ego sum Ruth ancilla tua. Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es*, id est, accipe me in tuam jure propinquitatis, ut suscites semen nepoti tuo defuncto. Si autem Ruth per verba hæc petebat amplexum, non excusaretur : nisi forsan per ignorantiam, quum tamen ignorantia juris non excuset, ad cujus notitiam quis tenetur. Quidam autem affirmant, quod per ista quærebat desponsationem, quia tunc moris erat, quod sponsalia contrahens, posuit vestimenti sui extremum super sponsam. Porro Magister in historiis ait, quod Booz indicavit huic Ruth in tali solennitate castitatem esse servandam. Unde apparet, quod ipsa copulam postulavit. Noemi quoque (ut dicitur) ideo

Digitized by Google

fecit eam tali die et hora accedere, quatenus Booz tunc pronior esset ad amplexum ipsius; tamen et Noemi poterat consuetudinem illam scire.

Et ille: Benedicta es, inquit, a Domino, filia. Mirum, quod ex subitanea conturbatione non reprehendit eam ex indignatione, quod ausa fuisset talia attentare. Sed videtur fuisse vir mitis, et cognita voce Ruth, quam sincere dilexit, fuit placatus, imo et Deus spiritum ejus mansuefecit, itaque eam laudavit. *Et priorem misericordiam posteriore superasti.* Priorem misericordiam hujus Ruth, ipse Booz vocat, quod ipsa Ruth tam amorose et pie se habuit circa suum maritum in ejus vita, morte et sepultura, et circa matrem illius. Posteriorem autem ejus misericordiam nominat, quod optavit matrimonio sociari cognato mariti sui defuncti, non qualicumque, sed viro grandævo, et quasi seni, ad suscitandum semen defuncto. Hinc subditur: *quia non es secuta juvenes, pauperes sive divites.* Quasi dicat: Non ex libidine mota es, quod inde probatur, quod non quæsisti alterum maritum adolescentem seu juvenem pulchrum, cum quo poteras amplius delectari, sed me. *Noli ergo metuere* inordinato timore, *sed quidquid dixeris mihi,* hoc est, quidquid rationabiliter a me petieris, *faciam tibi* pro posse meo. *Scit enim omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ,* scilicet Bethlehem: quam dicit urbem suam, quia natus (ut creditur) et commoratus fuit in ea, et unus de principalioribus urbis erat, aut præfuit ibi; *mulierem te esse virtutis,* id est virtuosam: quod probabiliter cognoverunt ex fama et inspectione et protestatione multorum. *Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. Quiesce hac nocte, et facto mane, si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est. Sin autem ille* qui propinquior me est, id est magis affinis tibi, qui et viro tuo cognatior fuit quam ego, *noluerit te accipere, ego absque ulla dubitatione te accipiam. Vivit Dominus.* Ecce juratio. His verbis Booz pandit se eam velle accipere in casu illo propter ipsius Ruth virtuositatem, et propter legis præceptum, ac desiderio prolis deputandæ marito defuncto. *Dormi usque mane.*

Dormivit itaque ad pedes ejus usque ad noctis abscessum, id est usque ad horam propinquam diluculo, non tamen usque ad tenebrarum recessum. Nam subditur: *Surrexit itaque antequam homines cognoscerent se mutuo. Et dixit Booz: Cave ne quis noverit quod huc veneris,* ne scilicet aliquis opinaretur aliquid mali gestum ibidem; et quoniam modus ille ponendi se ad pedes viri, seu occulte petendi conjugium, reprehensibilis videbatur. Completo autem inter eos connubio, res poterat publicari. Itaque Booz prudenter providit famæ suæ ac Ruth. *Et rursum: Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente et tenente, mensus est ei sex modios hordei.* Qui modii non fuerunt tam magni, quin sola Ruth potuit eos expedite portare. *Quæ portans, ingressa est civitatem, et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti, filia? Narravitque ei,* scilicet socrui suæ, *omnia quæ sibi fecisset homo,* id est, quam gratiose fecisset sibi hic Booz in verbis et factis. *Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait: Nolo vacuam te redire ad socrum tuam. Dixitque Noemi: Exspecta, filia, donec videamus quem res exitum habeat: neque enim cessabit homo, nisi compleverit quod locutus est.*

Digitized by Google

ARTICULUS VI

SPIRITUALIS PERTRACTATIO EJUSDEM CAPITULI TERTII.

SANCTISSIMA illa ex Judaismo conversa Synagoga, considerans quam studiose ac fervide Ecclesia ex gentilitate collecta, occupasset se in Scripturis, et multis ornata esset virtutibus, locuta est ei : *Filia mea, quæram tibi requiem, et providebo ut bene sit tibi,* id est, ad vitam contemplativam quietissimam et pectoris pacem perducere te conabor, ut decurso vitæ hujus curriculo, ad æternales gloriæ nuptias perducaris. *Booz iste, propinquus noster est :* hoc est, Christus in natura humana communicat nobis. *Et in hac nocte aream ventilat.* Quemadmodum comparatione veteris Testamenti, tempus evangelicæ legis ac gratiæ, dies vocatur, dicente Apostolo,
Rom. XIII, 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit; sic tempus hujus legis et gratiæ nox appellatur, respectu status et vitæ Beatorum in patria. Christus itaque in hac nocte, hoc
I Cor. XIII, 12. est in tempore vitæ præsentis, in qua ob-
Luc. I, 79. scure cognoscimus, atque in tenebris et umbra mortis sedemus, ventilat aream hordei, hoc est, Ecclesiam suam examinat, bonos a malis discernit, electos a reprobis dividit, diversitate meritorum et visitationis internæ. Nunc enim exercet hujusmodi judicium discretionis, de quo perhibuit :
Joann. XII, 31. Nunc judicium est mundi. In fine autem sæculi, judicium remunerationis et præmiorum facturus est, quod et particulariter facit in obitu singulorum. Nunc igitur modis præfatis ventilat aream suam, quoniam quosdam in Ecclesia et in sæculo isto juste relinquit et perire permittit, alios misericorditer vocat atque finaliter salvat.

Consulitur ergo Ecclesiæ, cuilibet quoque fideli animæ : *Lavare,* a vitiis omnibus
Jer. IV, 14. te purgando, juxta illud Jeremiæ : Lava a malitia cor tuum, ut salva fias. Et in Isaia :

A Lavamini, mundi estote. *Ungere* charisma- Is. I, 16.
tibus Spiritus Sancti, hoc est, Deum intentissime ora, ut donis et gratiis Spiritus Sancti ungere te dignetur, ut unctio ejus I Joann. II, 20, 27.
doceat te de omnibus. *Et induere cultioribus vestimentis.* Vestimenta hæc cultiora, sunt præclariores virtutes, et actus earum eminentiores, seu et quæcumque virtutes, secundum suum gradum subliliorem. Cultioribus ergo vestimentis induimur, dum non solum bona et vere salubria, sed item meliora et viciniora saluti, Hebr. VI, 9.
B assidue operamur, apicemque virtutum adipisci conamur. *Et descende in aream,* hoc est, taliter adornatus in anima, intra Ecclesiam. *Non te videat homo,* id est, opera tua fac cum intentione secreta, qua soli Deo cupias complacere, *donec esum potumque finierit,* hoc est epulationem, qua in suorum cordibus cum eisdem epulatur et cœnat, prout in Apocalypsi contestatur: Ego sto ante ostium, et pulso; si quis ape- Apoc. III, 20.
ruerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Durante igitur
C tali interno convivio, abscondat se homo, se ab exterioribus elongando.

Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat. Dormit Salvator in cordibus contemplativorum et omnium perfectorum virorum, dum ipsi in eo obdormiunt per contemplationis soporem, et omnium exteriorum relictionem, et ibi se invicem complectuntur brachiis caritatis. Debuit ergo Ecclesia gentium observare, qualiter Christus ita quievit in cordibus sanctorum ex Judaismo credentium.
D *Et discooperies pallium quo operitur a parte pedum.* Pallium Christi, est corpus ipsius. Unde et in Genesi de ipso prædi- Gen. XLIX, 11.
ctum est : Lavans vino stolam suam, et

Digitized by Google

sanguine uvæ pallium suum. Porro per pe- A des Christi, conversatio ejus humana et corporalis in mundo hoc habita, designatur. Discooperire igitur pallium Salvatoris ex parte pedum, est diligenter inspicere quæ pro nobis corpus Christi sustinuit, et qualiter ipse inter homines vixit, ut sic ejus vestigia imitemur. Quod in suis martyribus Ecclesia victoriosissime adimplevit. *Et projicies te, et ibi jacebis,* hoc est, humiliter Dominò te prosternes, et in humilitate offeres preces. *Ipse autem dicet tibi quid agere debeas :* quia qui ita se ap- B plicuerit Dei Filio incarnato, illuminabitur exuberanter celeriterque ab eo.

Et ecce nocte jam media, expavit homo, hoc est, Christus per modum admirantis se habuit, videns in conversis gentilibus tantum fervorem, humilitatem, perfectio-
Matth. VIII, 10. nem : in cujus rei typo, de fide centurionis legitur admiratus ; *et conturbatus est,* per modum compatientis se habens. *Viditque mulierem jacentem ad pedes suos.* De qua
Prov. XXXI, 10. in libro Proverbiorum legitur : Mulierem fortem quis inveniet? *Et ait illi,* non ex C ignorantia : *Quæ es ?* tanquam dicat, Mirum quod aliqua talis est. Unde in Canti-
Cant. VI, 9. cis fertur : Quæ est ista, quæ ascendit quasi aurora consurgens ? *Illaque respondit : Ego sum Ruth ancilla tua,* id est Ecclesia seu anima virtuosa.

Expande pallium tuum super famulam tuam, id est, merito passionis et sanguinis corporis tui me protege, et donis gratiæ me adimple, *quia propinquus es,* imo proximus nobis, et pro mea salute humanam assumpsisti naturam. Propter quod D ait Apostolus : Quia pueri communicave- Hebr. II, 14.
runt carni et sanguini, et ipse communicavit eisdem. His auditis, Dominus Jesus commendavit Ecclesiam, animamque fidelem : *Benedicta es,* inquiens, *a Domino, filia, et priorem misericordiam,* quam proximis in corporalibus exhibuisti, *posteriore* misericordia *superasti,* tibi ipsi sic providendo, et vitia tua curando, seu spiritualia opera pietatis proximis impendendo ; *quia non es secuta juvenes,* id est, carnalia oblectamenta sprevisti, et spiritualem cum Domino unionem summe optasti. *Noli metuere, quidquid dixeris mihi, faciam tibi,* te in omnibus rationabiliter postulatis pie exaudiendo. Omnis enim qui petit, accipit. *Nec* Luc. XI, 10.
abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. Quis est iste alius qui propinquior nobis est, aut esse potest quam Christus, nisi forte prælatus nobiscum conversans, qui communione conversationis, identitate status, similitudine mortalitatis et culpæ, proximus nobis est? cum quo per caritatem uniri debemus, quo nos refutante aut deserente, Christus non deserit nos.

Surrexit itaque Ruth mane, quia Christo jubente, a sua prostratione erexit se, et cœpit contemplari divina. Postremo, sicut Booz sex modios hordei pallio Ruth infudit ; sic cordi Ecclesiæ Christus perfectionem impressit supernorum charismatum. Senario namque significatur perfectio. *Nolo vacuam te redire.* Sic Dominus et Salvator accedentem ad thronum gratiæ suæ, non Hebr. IV, 16.
permittit, quantum in se est, sine fructu redire, quia ipse dat omnibus affluenter. Jacob. I, 5.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTI : ASCENDIT ERGO BOOZ AD PORTAM, ET SEDIT IBI.

DESPONSATIO hujus Ruth hic narratur. *Ascendit ergo Booz ad portam, et*
Deut. XVI, 18. *sedit ibi* cum judicibus, qui tunc in portis urbium consueverunt sedere, ut cunctis ad eos facilior pateret accessus. Erat autem et Booz unus judicum in urbe Bethlehem,

Digitized by Google

ut putatur. *Quumque vidisset propinquum* Ruth III, 12. *prœterire, de quo prius sermo habitus est,* qui scilicet erat propinquior, *dixit ad eum: Declina paulisper, et sede hic, vocans eum nomine suo,* quod non exprimitur hic, forte propter indignitatem ipsius, quia in hac causa male se habuit. *Qui divertit, et sedit. Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos : Sedete hic,* ut coram tot testibus negotium istud solennius fieret. *Quibus residentibus, locutus est ad propinquum : Partem agri fratris nostri,* id est consanguinei, *Elimelech, vendidit Noemi, quæ reversa est de regione Moabitide,* id est, Noemi ista disposuit vendere, vel forsitan vendidit partem agri Elimelech sui olim mariti. Nempe, quod ait, Vendidit, utroque modo accipi potest, ut infra patebit. Est autem consuetudo Scripturæ, ut cognati invicem fratres vocentur. *Quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus et majoribus natu de populo meo. Si vis possidere* agrum illum *jure propinquitatis, eme et possidc.* Quia hic dicitur, Eme, videtur quod ager nondum venditus fuit a Noemi. Vel si venditus fuit, tunc quod dicitur, Eme, intelligendum est de venditi agri redemptio- Lev. XXV, 25. ne, quæ erat emptio quædam, pertinuitque ad jus propinquioris, ut in Levitico habetur. *Sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam. Nullus est enim propinquus, excepto te, qui prior es ; et me, qui secundus sum.* Hoc sonat, quasi Elimelech non habuisset propinquos nisi hos duos : quod nequaquam putandum est. Est igitur sensus : Nullus propinquus est, ad quem scilicet pro præsenti videatur pertinere emptio ista, nisi tu, qui in propinquitatis gradu es primus, et ego secundus. *Respondit : Ego emam agrum.*

Cui dixit Booz : Quando emeris agrum de manu mulieris. Si per mulierem intelligatur Noemi, sequi videtur, quod agrum istum ante non vendidit. Unde quod superius dictum est, Agrum vendidit Noemi, exponendum est, vendere disposuit. *Ruth*

A *quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere conjugem,* quum sit eadem ratio ac jussio legis de faciendo utroque. Unde juxta Josephum, Booz dixit : Ergo non ex media parte oportet te legum habere memoriam. Habeas necesse est cum agro relictam Mahalon, *ut suscites nomen propinqui tui in hereditate sua,* hoc est, filium gignas ex Ruth, qui vocetur filius cognati tui defuncti, et ei in sua succedat hereditate. Talis autem filius, vocabatur filius legalis defuncti, ne periret ejus memoria, B et naturalis filius ejus qui genuit eum.

Cui ille respondit : Cedo juri propinquitatis: quia in ea parte qua ex præcepto legis commoditatem consequi poterat, voluit jure gaudere; non autem in parte qua poterat inde gravari, alienigenam pauperemque ducendo. *Neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo,* id est, non ita debeo vacare generationi prolis, quæ adscribatur cognato meo jam mortuo, ut negligam insudare generationi filiorum qui mihi ipsi attribuantur. Sicque vir iste non C erat caritativus, sed pravus, reputans velut superfluum, semen suscitare alteri seu defuncto. Fuitque similis filio Judæ, qui videns sibi non nasci filios, semen fudit Gen. XXXVIII, 9. in terram, ut in Genesi habetur. Vel : Non debeo posteritatem familiæ meæ delere, hoc est, non me debeo occupare circa educationem et provisionem prolis nasciturae ex femina ista, quæ proles alteri deputetur, et per hoc negligere curam et provisionem propriæ sobolis. Aliqui vero exponunt sic : Non debeo posteritatem familiæ D meæ delere, quia videlicet, si ex femina ista gignerem filios, filii illi non essent inter filios Israel computandi, quum in Deuteronomio scriptum sit : Ammonites et Deut. XXIII, 3. Moabites non intrabunt in Ecclesiam Dei in æternum. Sed si hoc dicere intendebat, erravit : quia præceptum illud suscipit dispensationem in conversis ad Judaismum, et propter virtutem et fidelitatem Ammonitarum ac Moabitarum quorumdam ad filios Israel, ut patet in libro Judith de Judith XIV, 6. Achior principe Ammonitarum. Nec illud

præceptum concernebat (ut dicitur) mulieres, sed viros : ideo non respiciebat prolem natam ex femina Ammonite vel Moabite, et ex viro Israelita. *Tu meo utere privilegio,* quod mihi ex propinquitate competit circa emptionem et matrimonium istud, *quo me libenter carere profiteor.* Videtur autem vir iste aliqualiter excusabilis a legis transgressione, si ita fuit dispositus corde, quod accepisset Ruth conjugem, si Booz eam renueret.

Hic autem mos antiquitus erat in Israel inter propinquos, videlicet a tempore quo per Moysen data est lex, *ut si quando,* id est aliquando, *alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio,* qua unus concessit ac dedit suum jus alteri, *solvebat,* hoc est exuebat, *homo calceamentum suum, et dabat propinquo suo* cui concessit jus suum. *Hoc erat testimonium cessionis in Israel,* id est, per hoc factum significabatur, quod deponens calceamentum suum exspoliabatur suo jure, et alter investiebatur de eo. Verum an istud fiebat in qualibet juris cessione, vel solum in cessione circa connubium, textus non exprimit. Et magis apparet istud secundum. Scriptum est enim in Deuteronomio quod propinquo
Deut. XXV, 9. renuente accipere uxorem defuncti, mulier in faciem illius spuebat, ejusque calceamentum solvebat. Quod observabatur, dum
Ibid. 7. mulier virum illum conveniebat coram judicibus, et ille non acquievit. Porro dum propinquus illum conveniebat, nec annuit, tunc ipsemet suum solvit calceamentum. Et ita erat in casu isto.

Dixit ergo propinquo suo Booz : Tolle calceamentum. Quod statim solvit de pede suo. At ille, videlicet Booz, *majoribus natu et universo populo : Testes, inquit, vos estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech et Chelion et Mahalon,* hoc est, quod nunc habeo jus possidendi hereditaria bona, quæ aliquando pertinebant ad Elimelech et filios ejus, *tradente Noemi* illa mihi ad emendum et possidendum, sive ad redimendum quæ vendita erant; *et Ruth Moabitidem in conjugem sumpserim,* id est, ad contrahendum cum ea me modo adstrinxerim, *ut suscitem nomen defuncti in hereditate sua, ne vocabulum ejus de familia sua ac fratribus et populo deleatur.* Per prædicta enim nondum eam formaliter sumpsit in conjugem : quod et infra innuitur. *Vos, inquam, hujus rei testes estis.*

Respondit omnis populus, etc., *Nos testes sumus. Faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam,* hoc est statim intrabit, *sicut Rachel et Liam,* id est, benedicat ei sicut benedixit Racheli et Liæ, quæ fuerunt principales uxores Jacob patriarchæ : imo et inter eas principalis quodammodo exstitit Rachel, quam Jacob primo petiit, atque formaliter cum ea primo contraxit : unde et nunc primo exprimitur ; *quæ ædificaverunt domum Israel,* id est, populum Israeliticum genuerunt per hoc, quod Rachel peperit duos Patriarchas, et Lia sex, a quibus exortæ sunt octo tribus in Israel; *ut sit exemplum virtutis in Ephrata,* id est tam virtuosa quod aliis in exemplum proponatur virtutum in urbe hac, quæ primo appellata est Ephrata, *et habeat celebre nomen in Bethlehem,* id est famam solennem, juxta illud : Memoria justi cum laudibus; nomen autem impiorum putrescet. *Fiatque domus,* id est posteritas, *tua sicut domus Phares, quem peperit Thamar Judæ.* Talis (inquam) fiat tua posteritas *de semine quod dederit tibi Dominus de hac puella.* Fuit enim Ruth adhuc juvencula, quamvis non virgo. Omnia bona hæc imprecati sunt viri illi huic Booz, quia ipse multum benigne, juste et humiliter habuit se, accipiendo istam pauperculam : juste, quantum ad Deum, ob cujus præceptum hæc fecit; benigne, quantum ad defunctum, cui semen suscitare proposuit ; humiliter, quantum ad conjugem istam, qua fuit excellentior valde in multis. Denique imprecatio seu benedictio ista fuit copiose impleta, quia in temporalibus ac spiritualibus benedixit Dominus huic Ruth, fecitque eam exemplarem et famosam non solum in Bethle-

Gen. XXXV, 23, 24. *Prov* X, 7. *Matth.* I, 3.

hem, sed et ubique terrarum; atque ex semine ejus, sicut ex semine Phares, orta est regia tribus, et tandem Rex regum Dominus Jesus Christus.

Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem post præinducta, secundum formam tunc solitam, et forsan per verba de præsenti. *Ingressusque est ad eam, et dedit illi Dominus ut conciperet* ex Booz, *et pareret filium.* Quod recitatur hic pro beneficio magno, quia de stirpe illa nasciturus fuerat Christus: et forsan supernaturaliter factum est, quod ex sene illo concepit, quæ ex marito adolescente antea nequivit concipere. Honorificum quoque fuit alienæ et egenæ, ex tanto viro prolem habere. Denique, sicut Matth. I, 5. Salmon licite sumpsit Rahab ad Judaismum conversam in conjugem, ita hanc Booz.

Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus qui non est passus, id est non permisit, *ut deficeret successio* familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel.* Hic supplendum est aliquid, ut sit sensus: Benedictus Dominus qui non est passus, ut deficeret posteritatis tuæ legalis successio, sed econtrario fecit, ut vocaretur nomen ejus in Israel, id est, successio tua in memoria perseveret, et filii tui posteritas recolatur. *Et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem,* id est infantulum istum ex nuru tua natum: in quo magnam consolationem habebis, tanquam in filio filii tui. *De nuru tua natus est qui te diliget,* id est, infans iste quum ad ætatem adultam pervenerit, te amabit et tractabit ut propriam matrem seu aviam, si tam diu manseris vivens. *Et multo tibi melior est* unicus filius iste, *quam si septem haberes filios,* hoc est, honorabilius tibi est secundum æstimationem humanam, aut etiam vere, unum hoc modo habere filium de tanto viro, quam septem habere filios ex tuo olim marito: sicut et I Reg. I, 8. Elcana dixit ad Annam, Numquid non ego melior tibi sum, quam si haberes decem filios? Et maxime verum fuit hoc verbum mulierum ad Noemi, in quantum ex illo infante Christus fuerat nasciturus.

* successor

Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ officio fungebatur ex amore et gaudio. Jam enim et ipsa cœpit in domo Booz morari cum nuru sua, a qua separari nequibat. *Vicinæ autem mulieres congratulantes ei et dicentes: Natus est filius Noemi,* id est, huic Noemi natus est filius iste per nurum suam, in quantum iste filius deputatur filio Noemi, et tam carus ac consolatorius est ei, quasi ipsamet eum peperisset; *vocaverunt nomen ejus Obed,* de scitu et consensu Booz. *Hic est pater Isai patris David.* Imposueruntque nomen puero in sua circumcisione. Porro Obed interpretatur serviens: ideo puerum sic vocabant, quia dixerunt, quod amplius deserviret ipsi Noemi, quam si septem filios proprios haberet.

Hæ sunt generationes Phares: Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naasson, Naasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz. Circa hoc oritur difficultas, quomodo Booz fuerit filius ipsius Salmon, qui sub Moyse et Josue fuit, et terram promissionis ingressus est, inter quem et tempus hujus connubii fluxerunt pene trecenti anni. (Num. I, 7; II, 3; VII, 12, 17; X, 14; I Par. II, 10, 11.) Ad quam difficultatem amovendam, aliqui dicunt fuisse tres Booz sibi in generationis linea succedentes, qui sub uno nomine comprehenduntur, quoniam idem nomen sortiti sunt. Verumtamen solutio ista non habet aliquod fundamentum ex Scriptura canonica: imo ubicumque in Scripturis novi aut veteris Testamenti generatio ista describitur, de uno dumtaxat Booz fit mentio; nec impossibile fuit, præsertim illis temporibus aliquem vivere annis trecentis, quum et sanctus Job post suam curationem vixerit annis centum quadraginta. (Job XLII, 16.) Ad quem etiam Eliphaz dixit: Senes sunt inter nos multo vetustiores quam patres tui. (Ibid. XV, 10.) Imo, secundum Chronicas, tempore Caroli regis fuit quidam nomine Joannes, qui annis vixit quadringentis: propter quod Joannes de Tempore vocabatur. Mardochæus quoque, qui captus et translatus fuit cum Joachin rege Juda, (Esther II, 5, 6.)

et tempore Assueri regis adhuc erat robustus, probatur valde diu vixisse. De hoc et super Matthæum diffusius scripsi. *Booz genuit Obed, Obed genuit Jesse*, Jesse genuit David regem,* in quo vaticinium Jacob de regia dignitate tribui Juda danda, cœpit impleri. Hinc quoque elicitur, editum esse hunc librum tempore David, aut postea ; A nec ultra David genealogia ista protenditur aut descendit, quum omnibus constet, Christum ex David stirpe nasciturum fuisse, et jam genitum esse. Ideo demonstrato quod David ex Ruth Moabite descendit, satis innotuit Christum (juxta Isaiæ oraculum) ex ea descensurum. Ad quod declarandum, liber iste specialiter est conscriptus.

* Isai — *Gen.* XLIX, 10. — *Is.* XI, 1, 10.

ARTICULUS VIII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI QUARTI SENSU.

Ascendit ergo Booz ad portam. Per Booz (juxta præhabita) intelligitur Christus, qui ascendit ad portam, quando de sacratissima Virgine conceptus, ex eadem est natus. Deinde sedit in porta, quia ubique per discipulorum suorum prædicationem post suam passionem et ascensionem se reperibilem præbuit. Unde de ipso sub nomine Sapientiæ scriptum est : Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, et in foribus portarum profert verba sua. Et alibi : Sapientia facile invenitur ab his qui quærunt illam ; præoccupat eos qui se concupiscunt. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim illam foribus suis inveniet. Præterea, quia in portis judices olim sedebant, potest per portam intelligi locus quo Christus populum Judæorum edocuit, et Scribas, Pharisæos ac sacerdotes reprehendit ac judicavit, sicut de eo per Malachiam fuit prædictum : Ipse quasi ignis conflans, et sedebit conflans et emundans quasi argentum, et purgabit filios Levi.

Luc. I, 31; II, 7. — *Matth.* XXVIII, 19, 20; *Marc.* XVI, 15. — *Prov.* I, 20, 21. — *Sap.* VI, 13-15. — *Matth.* V, XVIII, XXIII; *Joann.* VIII. — *Malach.* III, 2, 3.

Quumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est. Juxta prætacta, per istum propinquum intelligitur ordo seu universitas prælatorum Ecclesiæ, vicariorumque Christi : quos omnes et singulos Christus divino instinctu et per inspirationes angelicas, per Scripturas quo- B que et prædicatores hortatur, ut accipiant Ruth Moabitem eis affinem et proximam, id est, Ecclesias sibi commissas et gregem dominicum tanquam carissimam sponsam spiritualiter diligant, amplectantur, custodiant et fecundent, quatenus fratri eorum defuncto, utpote ipsi Christo pro salute omnium crucifixo, suscitent semen ex suis Ecclesiis, id est, multos in Deo regenerent et convertant, virtuosaque opera tanquam filios copiose producant. Sed, proh dolor ! jam multi prælati hæc adimplere despi- C ciunt : qui relictis spiritualibus nuptiis ac divinis affectibus, ad carnalia convertuntur, et instar propinqui ipsius Booz, parati sunt emere agrum Noemi, id est temporalia commoda sequi, et propria lucra reponere, nolentes ipsam Ruth desponsare, id est pastoralis officii debitum ovibus sibi creditis exhibere : de quibus per Ezechielem Dominus protestatur : Væ pastoribus qui pascebant semetipsos. Lac comedebatis, et lana operiebamini ; gregem autem meum non pascebatis.

Ezech. XXXIV, 2, 3.

D Sed sicut Booz accepit Ruth, quam alius eo propinquior refutavit ; sic Christus non relinquit Ecclesiam, nec deserit oves suas. Emit quoque agrum, dum sanguinis sui pretio comparavit sibi genus humanum, ac mundi promeruit principatum. Iterum, sicut propinquus ille dixit ad Booz, *Cedo*

juri propinquitatis, tu meo utere privilegio; sic plane infideles et negligentes prælati jus suæ prælaturæ dimittunt, quantum ad exsecutionem salubrem, et Christo suas committunt oves, non caritative, sed derisive reipsa dicentes : Custodiat eas qui custodit Israel. Ideo Christus loquitur eis, singulisque eorum : *Tolle calceamentum,* id est, præsidentiæ tuæ tegumento te fatere indignum, et illo te privo. Porro, hoc tegumentum est ipsa præsidendi potestas sive auctoritas, qua tales se muniunt, et facta sua excusant, voluntate pro ratione utentes, et quasi sibi licere putantes quidquid voluerint, illud Amos dicentes : Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? In horum testimonium, Christus sibi assumit in testes decem viros de majoribus natu, senioresque Israel universos, scilicet electos, sapientia præmaturos, atque in virtutibus clariores, qui inclyte impleverunt Decalogum : qui omnes cupiunt Ecclesiam fecundari a Christo, sicut olim ab eo fecundata est Synagoga : quod et superplene impletum est.

Amos VI, 14.

Postremo, sicut Obed nato, mulieres dixerunt ad Noemi, *Benedictus Dominus,* etc.; et rursus, *De nuru tua natus est qui te diliget, et multo tibi melior est quam si septem haberes filios :* ita Ecclesia ex gentibus congregata, et copiosissime fecundata a Salvatore, gratias Deo egerunt et congratulatæ sunt primitivæ Ecclesiæ ex Judæis collectæ fideles animæ, eo quod Ecclesia illa gentilium ab Ecclesia Judæorum conversa, tam copiosissimum atque sanctissimum protulit fructum, multis electis Judæis præstantiorem. De qua gentilitatis fecunditate, vehementissime est gavisa primitiva illa Synagoga fidelis, quæ de suæ plebis excæcatione et sterilitate ineffabiliter mœsta fuit : ideo quidquid caritatis et pietatis valebat, Ecclesiæ ex gentibus congregatæ exhibuit; imo simul cum ea facta est una universalis Ecclesia unigeniti Filii Dei sponsa carissima, sicut ipse prædixit, Alias, inquiens, oves habeo, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor. Qui est Dominus Jesus Christus cum Patre æterno, et Spiritu Sancto paracleto, unus super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Joan. X, 16.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI RUTH

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM PRIMUM REGUM

Digitized by Google

PROŒMIUM

REGES *ex te egredientur*. Gen. xvii, 6.

Deus qui universorum finem considerat, cuncta quæ condidit, ad proprium Job xxviii, 3; Sap. viii, 1. dirigit finem. Quemadmodum autem inter creata hujus inferioris sensibilis mundi, dignior est homo ; sic supersapientissimus ejus Creator excellentiori modo regit eumdem, et eum a mundi rexit exordio. Denique quo homo ad errorem et deviationem exsistit proclivior, eo copiosius ei providit de gubernatore. Nempe quum omnis homo possit faciliter decipi et errare, non satis reputavit bonus et infallibilis ac providentissimus Deus regere hominem per hominem, sed angelica adjecit præsidia, supernorum et infallibilium spirituum gubernativam directionem apposuit, non solum hominibus subditis qui reguntur, sed et eorum rectoribus : imo non tantum singulis hominibus angelos singulos deputavit custodes, qui de infimo angelorum sunt choro, sed et singulis politiis singulos donavit custodes ac rectores angelicos, qui de tertio angelorum ordine esse creduntur. Propter quod in Ecclesiastico fertur : In unaquaque gente præ- Eccli. xvii, 14. posuit rectorem.

Nec his contenta Majestas altissima, etiam per se ipsam curat, regit, instruit, et accendit, ac perficit hominem. Nec sic aliis eum commisit, ut immemor sit ipsius, et divinam ac propriam gubernationem tollat ab eo, præsertim quum in libro Job dicatur : Quem Job xxxiv, 13. constituit Omnipotens alium super terram ? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est ? Siquidem, ut theologica edocet veritas, solus Deus intus justificat, gratiam infundendo, et ejus infusione peccata tollendo. Ipse per infusionem virtutes largitur, et sine actuali ipsius motione nil possumus promereri, sed ipse operatur in nobis velle et Philipp. ii, 13. perficere pro sua bonitate, id est ex propria pietate.

Insuper, finita prima mundi ætate, quum homines post diluvium cœpissent densissimis idololatriarum infidelitatibus obtenebrari, ac gravibus vitiis excæcari, volens benignissimus Deus humano generi tandem plenarie subvenire, mittendo a summo cœlo Verbum Ps. xviii, 7; Sap. xviii, 15. suum æternum, unigenitum Filium, in hunc mundum per Incarnationis mysterium, qui in assumpta natura inter homines videretur, atque cum eis conversaretur, ac de omnibus I Joann. i, 1-3; Baruch iii, 38. ad veram salutem necessariis provideret eisdem : hæc, inquam, volens omnium Dominus ac provisor altissimus præordinato facere tempore, de idololatrarum societate edu- Gen. xii, 1, 3; xv, 7. xit electissimum quemdam virum, Abraham patriarcham, ex cujus posteritate et semine Pater æternus Unigenitum suum statuit incarnandum. Propter quod virum illum, et ejus posteritatem variis donis ac gratiis decoravit, et inter cetera ipsi promisit, quod reges Ibid. xvii, 6, 16. ex ipso exsisterent nascituri, ut Filius Regis cœlestis, summi et omnipotentis, in terra quoque ex regibus nasceretur, quos electo suo fidelique populo Deus voluit præsidere.

Itaque de his regibus et eorum regiminibus ac populis tractat liber nunc exponendus : propter quod liber Regum vocatur. Sed quoniam tota sancta Scriptura tractat

Digitized by Google

principaliter de Deo gubernatore et salvatore, aptius dici potest, quod liber iste tractat de Deo, ut principali rege et gubernatore, per reges Israel, Israeliticum populum gubernante : quem populum post Moysen et Josue per Judices gubernavit usque ad Samuelem inclusive, et usque ad Saul exclusive ; deinde a Saul usque ad Sedeciam seu Babylonicam captivitatem per reges ; post reditum vero a Babylone, per sacerdotes et pontifices usque ad Joannem Hyrcanum, seu filium ejus Aristobulum, qui quum pontifex esset, etiam regium suo capiti diadema imposuit. Præterea, quoniam gubernationi ac præsidentiæ Judicum, immediate successit gubernativa præsidentia regum, ideo in voluminis hujus exordio aliqua de judicibus Israel conscribuntur, puta de Heli et filiis ejus, de Samuele quoque, filiisque ipsius. Et ita introducitur modus per quem, imo et causa ob quam, reges in populo Dei præesse cœperunt.

Postremo, quamvis hic liber totalis, a Catholicis in quatuor libros partiales dividatur, ab Hebræis tamen solum in duos dividitur, quorum primum vocant Samuel, a suo auctore, quia pro majore parte a Samuele creditur scriptus, qui liber continet primum et secundum libros Regum ; secundum nominant Malachim, id est Regum, a materia. Et sicut Magister in historiis ait, Scriptus est liber iste chronice sub singulis regibus, qui compactus est in unum a Jeremia : quod patet ex hoc, quia idem finis est hujus libri et Jeremiæ.

HIERONYMI IN LIBRUM REGUM PRÆFATIO

VIGINTI et duas litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque lingua et Chaldæorum testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est. Nam et ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moysis totidem litteris scriptitant, figuris tantum et apicibus discrepantes. Certumque est, Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Jerosolymam et instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur, quum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebræorum characteres fuerint. In libro
Num. III, 39. quoque Numerorum hæc eadem supputatio, sub Levitarum ac sacerdotum censu mystice ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton in quibusdam Græcis voluminibus usque hodie antiquis expressum litteris invenimus. Sed et psalmi tricesimus sextus, et centesimus decimus, et centesimus undecimus, et centesimus octavusdecimus, et centesimus quadragesimus quartus, quanquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiæ Lamentationes et Oratio ejus, Salomonis quo-
Prov. XXXI, 10, *ad finem usque.* que in fine Proverbia, ab eo loco in quo ait, Mulierem fortem quis inveniet? eisdem alphabetis vel incisionibus supputantur. Porro quinque litteræ duplices apud Hebræos sunt, CAPH, MEM, NUN, PHE, SADE. Aliter enim scribuntur per has principia medietatesque verborum, aliter fines. Unde et quinque a plerisque libri duplices æstimantur : Samuel, Malachim, Dibre haiamim, Esdras, Jeremias cum Cinoth, id est Lamentationibus suis. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraice omne

Digitized by Google

quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur ; ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis, in Dei doctrina, tenera adhuc et lactens viri justi eruditur infantia.

Primus apud eos liber vocatur Beresith, quem nos Genesim dicimus. Secundus Veelle semoth, qui Exodus appellatur. Tertius Vaicra, id est Leviticus. Quartus Vaiedabber, quem Numeros vocamus. Quintus Elle haddebarim, qui Deuteronomium prænotatur. Hi sunt quinque libri Moysis, quos proprie Thorah, id est legem appellant.

Secundum, Prophetarum ordinem faciunt, et incipiunt ab Jesu filio Nave, qui apud illos Josue ben Nun dicitur. Deinde subtexunt Sophetim, id est Judicum librum ; et in eumdem compingunt Ruth, quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia. Tertius sequitur Samuel, quem nos Regnorum primum et secundum dicimus. Quartus Malachim, id est Regum, qui tertio et quarto Regnorum volumine continetur. Meliusque multo est, Malachim, id est Regum, quam Malachoth, id est Regnorum dicere. Non enim multarum gentium regna describit, sed unius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur. Quintus est Isaias. Sextus Jeremias. Septimus Ezechiel. Octavus, liber duodecim Prophetarum, qui apud illos vocatur There asar.

Tertius ordo Hagiographa possidet : Et primus liber incipit ab Job. Secundus a David, quem quinque incisionibus et uno Psalmorum volumine comprehendunt. Tertius est Salomon, tres libros habens, Proverbia quæ illi Misle, id est Parabolas appellant. Quartus Ecclesiasten, id est Coheleth. Quintus est Canticum Canticorum, quem titulo Sir hasirim appellant. Sextus est Daniel. Septimus Dibre haiamim, id est verba dierum, quod significantius χρονικόν totius divinæ historiæ possumus appellare : qui liber apud nos Paralipomenon primus atque secundus inscribitur. Octavus Esdras, qui et ipse similiter apud Græcos et Latinos in duos libros divisus est. Nonus Esther.

Atque ita fiunt pariter veteris legis libri viginti duo : id est, Moysis quinque, et Prophetarum octo, Hagiographorum novem ; quanquam nonnulli Ruth et Cinoth inter Hagiographa scriptitent, et hos libros in suo putent numero supputandos, ac per hoc esse priscæ legis libros viginti quatuor : quos sub numero viginti quatuor seniorum, Apocalypsis Joannis inducit, adorantes Agnum, et coronas suas prostratis vultibus offerentes, stantes coram quatuor animalibus oculatis ante et retro, id est in præteritum et in futurum respicientibus, et indefessa voce clamantibus : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. *Apoc.* IV, 4, 6, 8, 10.

Hic prologus Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest, ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber, et Judith, et Tobias, et Pastor, non sunt in canone. Machabæorum primum librum, Hebraicum reperi ; secundus Græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest. Quæ quum ita se habeant, obsecro te, lector, ne laborem meum reprehensionem existimes antiquorum. In templo Dei offert unusquisque quod potest : alii *Exod.* XXV. aurum, argentum et lapides pretiosos ; alii byssum et purpuram et coccum offerunt et hyacinthum. Nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra, magis necessaria judicat. Unde et tota illa taberna- *I Cor.* XII, 22. culi pulchritudo, et per singulas species Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio, pellibus tegitur et ciliciis, ardoremque solis et injuriam imbrium ea quæ viliora sunt

Digitized by Google

prohibent. Lege ergo primum, Samuel et Malachim meum : meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo et emendando sollicitius et didicimus et tenemus, nostrum est. Et quum intellexeris quod antea nesciebas, vel interpretem me existimato, si gratus es ; vel paraphrasten, si ingratus. Quanquam mihi omnino conscius non sim, mutasse me quidpiam de Hebraica veritate. Certe si incredulus es, lege Græcos codices et Latinos, et confer cum his opusculis quæ nuper emendavimus ; et ubicumque discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebræorum, cui magis accommodare debeas fidem : et si nostra firmaverit, puto quod eum non existimes conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinaverit.

Sed et vos, famulas Christi, rogo, quæ Domini discumbentis pretiosissima fidei myrrha ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in sepulcro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit, ut contra latrantes canes qui adversum me rabido ore desæviunt, et circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper
Ps. XXXVIII, 2, 3. sententiæ recordabor : Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, quum consisteret adversum me peccator. Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis.

ENARRATIO

IN LIBRUM PRIMUM SAMUELIS

QUEM NOS DICIMUS

PRIMUM REGUM

IN HOC AGITUR DE GUBERNATIONE POPULI ISRAEL PER JUDICES, DE ELECTIONE REGIS SAUL, DE REGIMINE, GESTIS ET MORTE IPSIUS.

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : FUIT VIR UNUS DE RAMATHAIM SOPHIM.

LOCUTURUS auctor libri hujus de Samuele, et cur ac qualiter successit ipsi Heli in judicatu seu judiciaria dignitate, incepit a patre Samuelis. *Fuit vir unus de Ramathaim,* id est urbe sic nuncupata, quæ fuit urbs *Sophim,* id est excelsorum seu speculationum, quia fuit urbs sita in loco sublimi, et ita de ea undique longe ac late poterat quis videre. Vel dicitur, urbs excelsorum et speculationum, quia (ut fertur) viri studiosi et speculativi morabantur in ea. Itaque Ramathaim hoc loco est dictio una et nomen civitatis, quæ in Matthæo vocatur Arimathea, atque a Josepho (*Matth.* xxvii, 57.) Ramatha vocatur. Rama namque interpretatur excelsum. *De monte Ephraim.* Mons Ephraim, interdum accipitur pro monte magno, seu loco montuoso in tribu Ephraim sito. Aliquando vero accipitur pro terra seu provincia circumjacente : unde tertio Regum habetur, quod Benhur fuit præfectus (III *Reg.* iv, 8.) Salomonis in monte Ephraim, id est in una (A) parte seu regione totius Israelitici regni, et ita secundum quosdam nunc sumitur. *Et nomen ejus Elcana :* quod nomen congruit ei. Nam Elcana interpretatur possessio Dei. Et vir iste fuit Deo intentus et ejus possessio, quia per electionem et gratiam ad Deum pertinuit, qui per Isaiam protestatur : Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. (*Is.* xliii, 7.) *Filius Jeroham filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephratæus.*

Dicunt quidam, quod nuncupatus sit (B) Ephratæus, quia in monte Ephraim habitavit. Alii scribunt, quod dicitur Ephratæus, quia ex parte matris natus fuit de Bethlehem ex tribu Juda, quæ Bethlehem alio nomine Ephrata dicitur : quod alii (*Gen.* xlviii, 7.) reprobant, quoniam juxta morem Scripturæ, filii non a matribus, sed a patribus cognominantur. Quocirca dicendum videtur, quod etiam in Scripturis filii sæpe a matribus cognominantur, secundum quod

Digitized by Google

in libro Judicum legitur, quod Jephthe fuit filius mulieris meretricis. In eodem libro, viri Sichem de Abimelech dixisse leguntur, Frater noster est, videlicet ex parte matris suæ, ut patet ibi ex textu : imo infra patebit, quod Joab et fratres ejus communiter nominantur filii Sarviæ, quæ fuit mater eorum, et raro vel nunquam vocantur filii patris eorum. Denique per hoc quod ante jam dictum est, ipsum Elcana fuisse de monte Ephraim, satis insinuatum videtur quod Ephratæus exstiterit, secundum quod Ephratæus dicitur a monte Ephraim. Idcirco, quod postea dicitur Ephratæus, ideo factum apparet, ne etiam ex parte matris putaretur fuisse de monte illo, et ut sciretur ex parte matris fuisse de tribu Juda et oppido Bethlehem. Unde et infra frequenter describuntur matres filiorum Juda, et loca seu oppida matrum. Ideo cum Magistro in historiis reor tenendum, quod dicitur Ephratæus, id est Bethlehemita. Quod autem non fuerit de tribu Ephraim, omnes fatentur, dicentes, quod fuit Levites descendens a Levi per Caath et Isaar ac Core. Sicque ex parte patris fuit Corita ; nec fuit de stirpe Aaron, quoniam Aaron fuit filius Amram, Amram vero frater Isaar, de quo descendit Core, ut primo libro Paralipomenon narratur.

Judic. XI, 1. *Ibid.* IX, 3. II *Reg.* II, 18 ; et passim. *Exod.* VI, 18, 21 ; I *Par.* VI, passim.

Et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna : non ex libidine, sed quia (ut dicitur) prima ejus uxor fuit Anna, quæ erat pulchra ac sterilis, ideo sterilitatem ejus expertus, aliam superaccepit. *Fueruntque Phenennæ filii,* id est, Phenenna filios habuit ex Elcana : atque (ut dicunt Hebræi) decem habuit filios ; *Annæ autem non erant liberi,* id est, nullam habuit prolem. *Et ascendebat vir ille de civitate sua* Ramathaim *statutis diebus,* id est, temporibus seu festis in lege expressis et ordinatis ad hoc, quod in eis viri pergerent ad urbem in qua erat templum seu tabernaculum Dei, hoc est in solennitate paschali, Pentecostes et Scenopegiæ seu Tabernaculorum. Vel potius tam tempestive ante hæc festa, quod in ipsis erat in urbe cultus divini. Hinc subditur : *ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo,* id est in tabernaculo quod tunc erat in oppido nomine Silo. De isto legis præcepto, scilicet ter eundi ad domum Dei in anno, habetur in libro Exodi : Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino. In Levitico quoque. Porro cum habitantibus remote a tabernaculo, frequenter dispensabatur, ita quod non nisi in Pascha illuc pergere tenebantur. Unde quibusdam probabilius esse videtur, quod vir iste non ascendit nisi in Pascha, quoniam paulo post dicitur : *Sicque faciebat per singulos annos, quum redeunte tempore ascenderent in domum Domini ; et sic provocabat eam.* Sed hoc ex verbis illis non sequitur, imo magis apparet ex textu, quod ter ascendit in anno : quia jam dictum est, Ascendit vir ille statutis diebus. Præterea Josue transtulit arcam in Silo, et civitas illa ad tribum Ephraim pertinebat, ut in libro Josue legitur. Elcana autem morabatur in monte Ephraim, et ita non multum remote a Silo. *Erant autem ibi,* puta in Silo et in tabernaculo Domini, *duo filii Heli,* videlicet *Ophni et Phinees sacerdotes Domini,* sub patre suo, qui pontifex fuit et judex.

Exod. XXIII, 17 ; *Lev.* XXIII, 4 et seq. ; *Deut.* XVI, 16. *Josue* XVIII, 1.

Venit ergo dies opportuna, *et immolavit Elcana.* Quamvis Levites exstiterit, tamen non licuit ei sacrificare, nisi per manus sacerdotis. *Deditque Phenennæ uxori suæ et cunctis filiis ejus et filiabus partes,* id est unicuique illorum aliquam partem de carnibus hostiæ immolatæ. Obtulerat enim hostiam pacificam, cujus adeps incendebatur super altare, pectusculum vero armusque dexter erant sacerdotis sacrificantis, residuum exstitit offerentis : et de illo dividebant offerentes his qui secum ascenderant, præsertim domesticis suis. De hoc in Levitico et alibi plenius scriptum est. *Annæ autem dedit unam partem* carnis oblatæ, *tristis,* quod ei plus dare non potuit, utpote quoniam prolem non habuit ; *quia Annam diligebat,* ideo de ejus sterilitate, afflictione, opprobrio amplius tri-

Lev. VII, 31, 32.

Digitized by Google

stabatur. Nec dubium quin et Phenennam A dilexit. Sed per istum modum loquendi innuitur, quod Annam magis dilexit, non solum conjugali, sed et spirituali amore : nec ideo tantum, quoniam Anna pulchrior fuit, sed et ideo maxime, quia erat tam virtuosa. In Hebræo habetur, Dedit Annæ missionem unam duplicem, id est unum ferculum quod in mensa mittitur, seu partem unam duas partes valentem. Seu (ut alii dicunt, et redit in idem) in Hebræo habetur, Dedit Annæ unam partem pulchram, vel duplicem, quia Annam dilige- B bat : ideo eam honoravit, liberaliter ei præstando portionem tam elegantem.

Dominus autem concluserat vulvam ejus, id est, fecunditatem ei non præstitit, et erat ex naturali causa sterilis, ut apparet. Vel Dominus pia dispensatione abstulit ei fecunditatem ad tempus, ut interim sua oratione et patientia mereretur suo tempore felicius fecundari. *Affligebat quoque eam æmula ejus,* id est inimica seu invida, puta Phenenna. Raro quippe concordant uxores ejusdem mariti, præsertim dum C maritus plus diligit unam quam aliam. *Et vehementer angebat,* id est, ad magnam induxit angustiam, quum tamen afflicto non sit addenda afflictio, et de his quæ insunt a natura, non mereamur laudari aut vituperari ; *in tantum, ut ei exprobraret,* id est improperaret, *quod Dominus conclusisset vulvam ejus.* Sicque Phenenna de beneficiis suæ fecunditatis intumuit atque inaniter gloriabatur, et Deo fuit ingrata, et justam personam injuste fecit mœrere. Propter quod collatis beneficiis meruit D mox privari. *Porro illa flebat,* non ex impatientia, malitia, aut inordinato mœrore, sed desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ, et quoniam moderate contristabatur, quod marito suo fructum connubii proferre nequivit ; *et non sumebat* cibum,* ut moris est aliis, scilicet cum jucunditate et consueta mensura ; et quod parum est, reputatur pro nihilo, juxta quod in libro Job legitur : Nudos, id est parum vestitos, spoliasti vestibus. Vel, Non sumebat cibum, id est, partem ei a viro suo collatam, tunc non comedit. Homines enim in magna tristitia positi, minus afficiuntur ad cibum. Et sancta femina ista potius desideravit compunctioni et orationi, quam comestioni insistere.

* capiebat

Job XXII, 6.

Dixit ergo ei Elcana vir suus : Anna, cur fles ? et quare non comedis ? et quamobrem affligitur cor tuum ? Bonus maritus condoluit contorali, cujus virtutes cognovit. Ideo consolabatur eam pro posse : quasi dicat, Non decet te taliter contristari. *Numquid non ego melior sum tibi quam decem filii ?* Quod juxta Hebræos intelligitur sic, Ego melior tibi sum propter dilectionem, fidelitatem et consolationem meam ad te, quam decem filii Phenennæ sint ei. Sed melius videtur a Catholicis sic exponi : Ego melior tibi sum, et magis gaudere debes de me, quam si filios decem haberes. Maritus namque et uxor sunt una caro ; et vir, conjugis suæ solatium est. Verumtamen huic expositioni quidam sic objicit : Quia etsi Anna haberet decem filios, non propter hoc excluderetur aut minueretur amor Elcanæ ad ipsam, sed potius includeretur et augeretur : quæ reprobatio non concludit, quoniam etsi amor viri non fuisset per hoc exclusus aut minutus a conjuge sua, attamen amor ille propter annexam sterilitatem non produxit delectationem, quam produxisset, si fecunditas fuisset adjuncta. Imo quo Anna plus suum amavit maritum, eo plus tristabatur, quod ei non peperit fructum.

Gen. II, 24; Matth. XIX, 5, 6.

Surrexit autem Anna a mensa, *postquam comederat et biberat in Silo :* quo constat quod ad mariti sui consolationem et exhortationem parum quid sumpsit de cibo et potu. Surrexit autem ut iret ad fores tabernaculi ad orandum. *Et Heli sedente super sellam,* id est sedem decentem, *ante postes domus Dei,* quatenus a quærentibus consilium faciliter inveniretur ; *quum esset Anna amaro animo,* id est, in magna tristitia constituta ob causas prætactas. Sicque amaritudo non sumitur hic ut est vitium, sed pro amaritudine

Digitized by Google

laudabili compunctionis aut contritionis A sive mœroris, quia fortassis ob sua peccata putavit se fructu uteri esse privatam. *Is.* xxxviii, 17. De hac amaritudine loquitur Ezechias : Ecce in pace amaritudo mea amarissima. De *Prov.* xiv, 10. qua et in Proverbiis fertur : Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur alienus. *Oravit ad Dominum flens largiter,* id est copiose ex abundantia suæ devotionis : ideo oratio ejus fuit potens et exaudibilis valde ; *et vovit votum, dicens : Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ,* B id est, pietatis tuæ adspectu alleviaveris cordis mei mœrorem, misericorditer succurrendo, *et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ,* id est, per piam exauditionem ostenderis te esse memorem mei, *dederisque servæ tuæ sexum virilem,* id est filium masculum ; *dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus,* id est, offeram eum tibi, ut per totum tempus vitæ suæ consecratus sit tibi, *et novacula non ascendet super caput ejus,* id est, nazaræus erit, *Num.* vi, 5. et juxta ritum Nazaræorum, pili capitis sui C nunquam abradentur, prout in Numeris de Nazaræis præcipitur. Aliqui autem erant nazaræi Dei, id est Deo consecrati ad tempus, sicut ibidem habetur ; quidam perpe- *Judic.* xiii, 5. tuo, sicut et Samson, ut Judicum libro legitur. De litteralibus vero et spiritualibus causis rituum seu jussionum ad Nazaræos spectantium, in prætacto Numerorum libro et alibi dictum est. Denique oratio ista Annæ, sicut et ceteræ preces, in quibus idem sensus sub aliis verbis frequenter repetitur, fuit fervens omnino et efficax : D qualibus orationibus utitur sæpe Psalmi- *Ps.* liv, 2, 3. sta, sicut dum ait : Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam ; intende mihi, et exaudi me.

Factum est autem quum illa multiplicaret preces, id est, orationem suam diu protraheret, *coram Domino :* in quo patet orationis ejus instantia. Nec obest quod *Matth.* vi, 7. ait Salvator, Orantes nolite multum loqui : quia hoc intelligitur de inutili et superflua verborum multiplicatione, non de diuturna orationis protractione, quum scriptum sit apud Lucam : Erat Jesus pernoctans in *Luc.* vi, 12; oratione Dei. Qui et passione instante ora- xxii, 43. vit prolixius. *Ut Heli observaret os ejus,* id est, consideraret an aliquid loqueretur. *Porro Anna loquebatur in corde suo,* id est, cum intima attentione intra se protulit verba suæ affectionis, *tantumque labia illius movebantur.* Per motum labiorum, non excluditur motus menti ac dentium, quorum motio motum consequitur labiorum. Sed tantum labia ejus mota dicuntur, ad insinuandum quod oravit tam silenter seu basse, quod verba ejus audiri non poterant. Ideo subditur : *et vox ejus penitus non audiebatur.* Protulit tamen verba in ore ; sed circa interiora ita erat attenta, quod instrumenta vocalia a vocis exterioris formatione sonora remittebantur : et forsitan tam quiete oravit etiam ideo, ne verborum suorum strepitu, alium quempiam a suæ orationis advertentia impediret.

Æstimavit ergo eam Heli temulentam, id est ebriam vino, *dixitque ei : Usquequo ebria eris ?* Pertinuit quippe ad præsulem ac judicem populi ex suo officio, corripere reos. *Digere paulisper vinum quo mades,* id est, vade et dormi ad tempus, ut quiescendo digestio potus fiat in te, nec humores os tuum sic impleant. *Respondens Anna : Nequaquam, inquit, domine mi,* ebria sum, nec digestione vini indigeo. *Nam mulier infelix nimis ego sum,* id est valde misera, loquendo de miseriis pœnæ, non culpæ, saltem mortalis, hoc est, adversitatibus sum repleta ex sterilitate, dolore, opprobrio, et insultationibus ac derisionibus æmulæ meæ Phenennæ, ideo non delectat me vinum potare. Unde subjungitur : *Vinum et omne quod inebriare potest, non bibi,* hoc die, et alias non nisi raro ac sobrie ; *sed effudi animam meam in conspectu Domini,* id est, cordis mei affectus obtuli Deo, juxta illud : Effundite *Ps.* lxi, 9. coram illo corda vestra. *Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial,* id est, noli me computare in numero mu-

Digitized by Google

lierum gulosarum atque rebellium, quæ A sine jugo legis, et absque freno disciplinæ conversantur et peccant ; *quia ex multitudine doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens*, id est, hucusque oravi, seu alia quæque locuta sum ex vehementi dolore de mea præsenti sterilitate et mœrore persecutionis quam diu sustinui. Dolor equidem proprie est de malo præsenti ; mœror seu tristitia, de malo præterito.

Tunc Heli, compatiens mulieri devotæ in tantis afflictionibus constitutæ, *ait ei : Vade in pace,* id est, tranquillitatem pe- B ctoris et quietem forinsecus ab infestantibus habe pergendo; *et Deus Israel det tibi petitionem tuam quam rogasti eum.* Hebraica veritas habet, Dabit tibi. Hoc etenim dixit Heli ex confidentia bona, quoniam vidit Annam tam ardenter et instanter orasse; et quoniam scivit Deum specialiter pronum exaudire constitutos in gravi afflictione et adversitate, quemadmodum ait Psalmista : Cum ipso sum in tribulatione. *Ps. xc, 15.* Et forsan ex repentino instinctu Spiritus Sancti dixit hoc Heli pro mulieris conso- C latione. Prælati quippe diversimode tanguntur a Spiritu Sancto ad loquendum atque agendum propter subditorum salutem aut utilitatem. Nam et Anna verbum illud, quasi ex ore Dei prolatum accepit, et credidit sic futurum. Ipse nempe omnipotens Deus fecit verbum illud sic sonare in auribus corporis ejus ac cordis, id est, eam movit ad accipiendum taliter verbum præfatum. *At illa dixit : Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis,* id est, cupio ut digneris mihi esse gratiosus et D orans pro me.

Et abiit mulier in viam suam, redeundo a loco orationis ad suum maritum, *et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati,* id est, apparatus seu dispositio faciei ejus mansit de cetero uniformis et bene se habens, eo quod cor ejus fuerat tranquillatum, ac firmiter consolatum ex certa spe suæ exauditionis. Ex varia etenim dispositione cordis, facies et præcipue oculi diversimode disponuntur et alterantur ac colorantur, juxta quod ait Scriptura : Cor hominis immutat faciem *Eccli. xiii, 31 ; xix, 26.* ejus, sive in bonum, sive in malum. Hinc in Ecclesiastico legitur : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Quidam tamen callidi et versuti, norunt interiorem suam malitiam ficta vultus dispositione abscondere. Porro virtuosorum est, motus passionum reprimere et frenare, imo et anticipare, ne in vultu aut visu appareant. Perfectorum vero ac sapientium est, in uniformi cordis ac vultus dispositione persistere, quemadmodum de beatissimo fertur Martino, quod nemo unquam vidit eum iratum, tristem, ridentem, turbatum, aut dissolutum, imo semper quasi angelicum præferebat in facie apparatum. Quidam hæc verba exponens : Passiones, inquit, iræ et tristitiæ, quæ mutant faciem in diversos colores, recesserunt ab Anna ex consolatione exteriori verborum Heli, et ex interiori consolatione gratiæ Dei. Circa quod dicendum videtur, quod virtuosa hæc mulier, etiam ante horum auditum verborum, non subjacuit passionibus iræ atque tristitiæ, imo multum mitis et patiens erat, quia nec æmulæ suæ dura respondit aut restitit, nec viro suo contra illam conquesta videtur. Porro Petrus Comestor hæc compendiose exponens : Mulier, ait, ex promissione sacerdotali abiit secura, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati, id est, animus ejus non est deinceps distractus in varietates dubitationis.

Et surrexerunt mane Elcana ejusque comitiva, *et adoraverunt coram Domino* in atrio tabernaculi, *reversique sunt et venerunt in domum suam in Ramatha* urbem suam, quæ ante vocatur Ramathaim. *Cognovit autem Elcana uxorem suam Annam,* post reditum. Siquidem eundo ad templum seu tabernaculum Dei, exsistendoque in urbe cultus divini, tempore festi, et redeundo, continuerunt viri ac feminæ usque ad reversionem in propria. Unde et postea iverunt viri ac feminæ separatim. *Et recordatus est ejus Dominus,* id

Digitized by Google

A est, supernaturaliter dedit ei virtutem concipiendi. *Et factum est post circulum dierum, concepit Anna,* videlicet evolutis diebus suæ reditionis, quum cognosceretur a suo marito. Vel dicitur post circulum dierum concepisse, quantum ad animationem fetus in utero, quæ facta est, materia ad hoc satis parata et organizata, ad quod numerus certus dierum requiritur. *Et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel,* quod interpretatur, postulatio Dei, seu postulatus a Deo : ideo ratio nominationis hujus subjungitur, B *eo quod a Domino postulasset eum,* id est, Deum orasset pro puero isto sibi supernaturaliter dando.

Ascendit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, id est domestici, scilicet Phenenna cum sobole sua, *ut immolaret hostiam solennem Domino* pro gratiarum actione, [*et*] *votum suum,* id est sacrificium quod Deo promisit, si puerum sibi concederet, seu oblationem votivam sive spontaneam, de quibus hostiis dicitur in Levitico. (*Lev.* VII, 12 *et seq.*) *Et Anna non ascendit* illa vice cum C viro suo ad domum Dei in Silo. *Dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactetur infans, et ducam eum* ad tabernaculum Domini, *ut appareat ante conspectum Domini,* qui in tabernaculo specialiter habitare asserebatur, *et maneat ibi jugiter,* id est omni tempore opportuno. *Et ait Elcana vir suus : Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec ablactes eum; precorque ut impleat Dominus verbum suum.* Quomodo intelligenda sunt ista ? Nonne Anna tenebatur in die purificationis suæ D puerum suum cum oblationibus præsentare et offerre in domo Dei, juxta quod Dominus jusserat? (*Ibid.* XII, 6 *et seq.*) Insuper quomodo licuit devotissimæ Annæ abstinere a visitatione tabernaculi Domini, usque ad Samuelis ablactationem, quum ceteræ uxores cum suis maritis ad minus in Pascha accederent domum Dei, sicut jam dictum est de Phenenna conjuge Elcanæ ? Amplius, inconveniens fuisse videtur, ut Samuel bimus, id est duorum annorum exsistens, sit oblatus ad manendum jugiter in tabernaculo ad serviendum ibidem. Pueri equidem circa finem secundi anni solent amoveri a lacte.

Ad primum horum respondendum videtur, quod utique secundum communem legem fieri debuit, prout in præallegato libro Levitici de purificandis puerperis continetur. Sed quoniam Samuel erat Domino sic promissus et deputatus, quod in ejus cultu jugiter permaneret, apparet quod mater ejus ex inspiratione et dispensatione divina infantulum domi tenuerit, quousque ablactaretur. Ex eadem quoque ratione poterat interim a visitatione tabernaculi abstinere.

Ad tertium Magister in historiis ait : Quidam dicunt tres esse ablactationes : primam, a lacte mamillæ, quæ fit tertio anno ; secundam, a lacte infantiæ, quæ fit septimo anno; tertiam, a lacte pueritiæ, quæ fit duodecimo. Sicque removetur puer, prima ablactatione a lacte nutricis, ab ipsa nutrice; secunda ablactatione amovetur a pædagogo ; tertia, a tutore. Dicunt ergo quidam, puerum Samuelem adductum ad domum Dei post secundam ablactationem, ut litteris imbueretur. Unde in sequentibus legitur, quod per singulos annos mittebat ei mater sua tunicam parvam. Alii dicunt eum adductum post tertiam ablactationem, quasi jam idoneum ad ministrandum, quia mox subditur sequenti capitulo : Puer autem erat minister in conspectu Domini. (I *Reg.* II, 11.) Hæc in Historiis.

Alii vero dicunt : Duplex est ablactatio : una est abstractio a lacte uberum, quæ fit circa principium tertii anni, vel circiter. Alia est ablactatio, quando puer abstrahitur a lacte pueritiæ, dum scilicet incipit uti communibus cibis, quod fit circa decimum annum : de qua ablactatione loquitur jam Scriptura, quoniam ante decimum annum aut circiter pueri non sunt apti ad faciendum aliquod officium in templo Domini, sed extunc possunt aliqua parva officia exercere, sicut accendere lampades, et paulatim assuefieri ad majora. Verumtamen his obviare videtur, quod paulo post

Digitized by Google

in textu evidenter subjungitur : *Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum donec amoveret eum a lacte :* quod manifeste intelligendum videtur de ablactatione a lacte mamillæ, quod ipsamet Anna præbuit filio suo. Deinde addit Scriptura : *Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat.* Denique in historia de nativitate Virginis gloriosæ habetur, quod parentes ipsius eam, completo per triennium ablactationis tempore, ad templum cum oblationibus adduxerunt, et in illa ætate dicit eam Epiphanius per quindecim gradus templi ascendisse tam expedite, ac si fuisset ætatis perfectæ. Tunc quoque parentes ejus dimiserunt eam ibi cum virginibus aliis. Hæc autem historia in aurea Legenda adscribitur S. Hieronymo, quamvis recitative magis quam assertive forsitan referat eam, et quantum ad aliqua, dicatur apocrypha.

Itaque juxta textum videtur dicendum, quod statim post ablactationem a lacte materno, sit Samuel oblatus et relictus in tabernaculo, et ibi per tempus nutritus, deinde imbutus, sicque adhuc puerulus exorsus sit ministrare. Nam et infra habetur, Puer autem erat adhuc infantulus : quod de eo jam ibi adducto asseritur. Puer autem decem duodecimve annorum, non videtur apte infantulus dici. Est item probabile, quod in tantæ electionis puero tam supernaturaliter dato, fuit ab infantiæ annis aliquid ingeniositatis, capacitatis et agilitatis supra vires naturæ, ita quod in quinto aut sexto anno poterat aliqua parva exercere obsequia.

Præterea super id quod dictum est, Maneat ibi jugiter, scribit Lyra : In Hebræo habetur, Usque in sæculum, id est usque ad quinquagesimum annum, quia ultra non debebant Levitæ servire in templo, ut habetur in Numeris. [*Num.* IV, 3; VIII, 25.] Unde et infra legitur, quod Samuel factus judex populi, ibat per singulos annos circumiens Bethel et Galgala et Maspha, et judicabat Israel in supradictis locis. [I *Reg.* VII, 16.] Hæc Lyræ verba videntur sonare, ac si Samuel mansisset in tabernaculo Domini usque ad quinquagesimum annum : quod non est putandum, imo adhuc valde juvenis factus est judex populi et propheta, et ibat de urbe in urbem atque ad bellum, prout suum requirebat officium. Quum etenim Deo ordinante factus est judex populi, ex dispensatione divina perrexit a tabernaculo ad loca et oppida opportuna, et revertebatur in Ramatha, ubi et domus ipsius erat, judicavitque populum ibi, ut infra fertur. [I *Reg.* VII, 17.] Insuper, quamvis Levitæ ultra quinquagesimum annum non debebant servire in templo, faciendo opera laboriosa sive majora, ut habetur in libro Numerorum; [*Num.* IV, passim.] attamen post quinquagesimum manserunt ministri templi ut ante, faciendo tamen obsequia alia, juxta illud Numerorum : Quumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata; opera autem ipsa non facient. [*Ibid.* VIII, 25, 26.] Ex quibus ostenditur, quod Samuel post quinquagesimum annum non fuit licentiatus a tabernaculo Dei recedere, ex hoc quod Levitæ non ministrabant in templo modo præfato ultra quinquagesimum annum.

Et dixit Elcana : *Precor ut impleat Dominus verbum suum.* Quid necesse fuit hoc precari, quasi verus et sanctus Deus possit suum verbum non implere ? Et respondendum, quod verba divinæ promissionis intelligenda sunt sæpe sub implicita conditione, videlicet nisi homines suis excessibus mereantur oppositum : ideo Elcana hoc rogavit, ut verbum illud quod Heli dixit ad Annam, Dominus dabit tibi petitionem tuam, impleretur, ut scilicet Samuel sic Deo offerretur ac ministraret in tabernaculo, omnique tempore vitæ suæ nazaræus Dei consisteret, ut Anna promiserat.

Et adduxit eum, scilicet Samuelem Anna, *in vitulis tribus,* id est cum totidem vitulis, *et tribus modiis farinæ, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo.* Non adduxit omnia ista ad immolandum, sed unum vitulum ad offe-

Digitized by Google

rendum, alios duos ad dandum domui Heli, ut puer gratiosius tractaretur, quem gubernationi sacerdotis commiserunt. Nam subditur : *Et immolaverunt vitulum* in sacrificium per manus sacerdotis, ipse videlicet Elcana et Anna. Similiter de tribus modiis farinæ, id est similæ, et amphora vini, tantum dederunt pro libamine sacrificii sicut oportuit, atque residuum dederunt pontificis domui. *Et obtulerunt puerum Heli. Et ait Anna : Obsecro, mi domine,* supplendum est, ut patienter me audias ; *vivit anima tua, domine,* id est, quam verum est quod anima tua vivit, tam verum est quod nunc dicam, videlicet, *Ego* A *sum mulier illa, quæ steti coram te hic orans Dominum pro puero isto. Oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum : idcirco et ego commodavi eum Domino,* id est, Deo et ejus obsequio deputavi, et quasi concessi magis quam dedi, quum universa sint Dei, et istum infantem sic commodavi, ut a Domino obtineamus mercedem, tam puer quam ego, *cunctis diebus quibus fuerit accommodatus Domino,* id est per omne tempus vitæ ipsius, quo ipse in Dei cultu sponte B permanserit. *Et adoraverunt ibi* in Silo in atrio tabernaculi *Dominum* Elcana et Anna.

ARTICULUS II

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

HIC liber Regum inter Scripturas canonicas est solennis, mysteriis plenus, moralibus documentis refertus, ad informationem regum et principum, imo et prælatorum omnium, præcipue valens. Itaque allegorice per Elcanam, qui (ut habitum est præcedenti articulo) interpretatur possessio Dei, intelligitur Christus Unigenitus Patris æterni, loquens in Proverbiis : Dominus possedit me initio viarum suarum ; (*Prov.* VIII, 22.) atque in Evangelio alloquens Patrem : Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt. (*Joann.* XVII, 10.) Hic *fuit vir,* etiam a suæ conceptionis et incarnationis exordio, non magnitudine corporis et ætate, sed omni perfectione sapientiæ ac virtutum. De quo Jeremias prædixit : Mulier circumdabit, id est, in utero habebit, feret, ac pariet virum. (*Jer.* XXXI, 22.) Nempe mulierem brachiis suis circumdare aut amplecti virum, non est novum neque mirum. De tali ergo circumdatione Jeremias non loquebatur, quippe qui verbis istis immediate præmisit : Novum faciet Dominus super terram. Fuit quoque Christus vir C *unus,* id est maxime singularis et unicus, parem non habens, et summe indivisus a se, ac divisus seu distinctus ab aliis, et maxime uniformi modo se habens, utpote a luce sapientiæ ac virtutum sinceritate et æquitate nunquam recedens. Fuit item *de Ramathaim Sophim,* id est, de sublimitate altissimæ contemplationis, et ab altitudine (*Ps.* XVIII, 7.) cœli Oriens nobis ex alto. (*Luc.* I, 78.) Fuitque Ephratæus, id est frugifer, seu maxime fructuosus, et omni gratia plenus, qui dixit : Quia quæ placita sunt Patri, facio semper. (*Joann.* VIII, 29.) De D quo ab Isaia erat prædictum : Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. (*Is.* LIII, 10.) Cui et Pater ait per Isaiam : Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. (*Ibid.* XLIX, 6.) Ecce quam fructuosissimus fuit. *Et habuit duas uxores,* id est Synagogam, primo fecundam, quæ exprimitur per Phenennam, et Ecclesiam ex gentibus congregatam, primo sterilem, sed fecundissimam postmodum. Et sicut Phenenna ex sua fecunditate intumuit, et

Digitized by Google

Annam contempsit, vexavit et persecuta A est valde; sic Synagoga ex multitudine et magnitudine præstitorum sibi desuper charismatum superbivit, et gentilitatem, imo et primitivam Ecclesiam gentium, eos quoque qui ex Judaismo Ecclesiæ gentium se junxerunt, multipliciter impugnavit, et quod omni gratia Dei careret Ecclesia, improperavit eidem impia Synagoga.

Et ascendebat vir ille de civitate sua. Sic
Joann. vii, 10; x, 22, 23. et Christus statutis diebus venit Jerosolymam, intravitque templum, et secundum naturam assumptam adoravit Patrem, sacrificans ei sacrificium perfectissimæ orationis ac devotissimæ laudis. *Deditque Phenennæ partes.* Tunc enim nondum conversi erant gentiles, nisi paucissimi; sed Judæorum multi tunc erant fideles, quibus gratiæ partes seu dona diversa largitus est. Gentilitati autem dedit permodicum, et ejus sterilitati condoluit, quia secundum prædestinationem æternam, valde specialiter eam amavit. *Dominus autem concluserat vulvam* gentilitatis, id est, mentem ipsius nondum per dona gratiæ fecundavit. *Porro illa flebat, et non capiebat cibum.* Nam quidam gentilium adspirabant ad fidem et gratiam Salvatoris, et suam derelictionem deflebant. Unde et quidam illorum
Ibid. xii, 21. dixerunt Philippo, Domine, volumus Jesum videre: quia nondum pabulo Scripturarum, consolatione interna, donis charismatum erant refecti. Verum Salvator hanc gentilitatis desolationem cito consolari dignatus est, et ejus orationem implevit, dans ei copiosissimum fructum, ita quod
Galat. iv, 27. plures filii facti sunt desertæ, quam ejus D quæ fuit libera, et habuit virum.

Insuper, sicut Heli putavit Annam intentissime deprecantem, exsistere temulentam; sic principes sacerdotum, conversam gentilitatem ad Dominum affectuosissime proclamantem, reputabant insanientem.
Act. vi, 7. Tandem tamen multa turba sacerdotum legalium conversa ad Christum, confortavit et consolata fuit humilem gentilitatem, promittens ei exauditionem et fecundationem a Domino: quo facto, tranquillitatem concepit in anima, et a Christo sponso est fecundata. Quumque filios genuisset ex aqua et Spiritu Sancto, noluit eos Deo of- Joann. iii, 5.
ferre, nisi ablactatos a lacte, sciens nullum Deo acceptum, nisi qui carnalium delectationum fœditatem et immoderantiam aspernatur, dicente Apostolo: Omnis qui Hebr. v, 13.
lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ. Nec enim sapientia invenitur in Job xxviii, 13.
terra suaviter viventium, sed potius in his qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis Galat. v, 24.
et concupiscentiis. Ideo loquitur Isaias: B Quem docebit Dominus scientiam? et quem Is. xxviii, 9.
intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere. Facta igitur hac ablactatione, adduxit Ecclesia filios suos ad arcem perfectionis, ad vitam contemplativam, ad æternam salutem, *in vitulis tribus,* id est per fidem, spem et caritatem, *et tribus modiis farinæ,* hoc est in fide superdignissimæ Trinitatis, in quibus* est deitas una purissima, tanquam mundissima simila: et sicut tres modii sunt æquales, sic in tribus superbenedictis Personis est vera et summa æqualitas; *et* C *amphora vini,* id est consolatione et potatione spirituali, ac sapore justitiæ, seu communione sanguinis Christi.

* qua

Præterea, tropologice per Elcanam designatur prælatus, quem oportet esse actione præcipuum, ut vere sit vir unus, viri nomine dignus, uniformis et stabilis, et contemplatione præ cunctis suspensus: sicque sit de Ramatha, id est celsitudine speculationis, ita ut oculo contemplationis secreta mysteria, præterita, præsentia et futura, æternam et increatam veritatem, incircumscriptamque bonitatem queat conspicere, et cum summo ardore diligere. Qui habet duas uxores, unam virtuosam et aliam vitiosam, id est animam subditi boni sibi commissam, similiter animam mali. In omni etenim grege reperiuntur communiter aliquæ animæ bonæ et aliquæ malæ. Et qui boni sunt, infestationem ab impiis pa- II Tim. iii, 12.
tiuntur. Sunt etiam aliquæ animæ ad tempus devotæ et fructuosæ, quæ tamen tempore procedente extolluntur incaute ac

Digitized by Google

dilabuntur. Aliæ vero quæ diu spiritualiter fuerant infecundæ, præveniuntur a Spiritu Sancto, et convertuntur atque fructificant. Ideo in hac vita omnia incerto cursu aguntur, et necessarium est semper timere ac providere, ne qui stare videtur, labatur. (I Cor. x, 12.) Ideo in Apocalypsi monetur : Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. (Apoc. III, 11.)

Præterea, quidam per duas uxores vitam activam et contemplativam intelligunt. Estque necesse in primis assumere vitam activam, exercendo se in actibus virtutum moralium, in luctu et labore pœnitentiæ salutaris, in exterioribus misericordiæ operibus, et ita per vitam istam tanquam per januam ad vitam ingredi contemplativam. Quamvis autem vita activa, instar Phenennæ, videatur contemplativa vita fructuosior esse, contemplativa tamen secretior est atque divinior : imo interdum profert unum meritorium actum, multis vitæ activæ operibus præstantiorem. Deinde tempore opportuno sua ferventissima oratione, incalescenti amore, sincero intuitu solet quandoque multis gratiam conversionis mereri. Quemadmodum autem Phenenna Annam tanquam infecundam improbe exprobrabat, sic quidam activi contemplativis tanquam otiosis et inutilibus obloqui solent. Porro Anna plorat, nec accipit cibum, quoniam anima contemplativa ex multis causis lacrimatur ubertim, puta ex puro ad Deum amore, et ex dulci complacentia gratiosæ præsentiæ ejus, ex desiderio quoque suæ beatificæ visionis et plenæ fruitionis. Deinde sui ipsius et aliorum deflet peccata, et proprium imperfectum anxie deflet, atque cum Anna ardentissime orat, ut Deus præstare sibi dignetur fecunditatem optatam, quam Deo semper cum omni gratiarum actione adscribere proponit fortissime. Plorat demum ex meditatione et compassione passionis dominicæ. Ideo fecundatur, consolatur et tranquillatur a Domino in tantum, ut nec prosperis extollatur, neque adversis dejiciatur, nec vultus ejus amplius in diversa mutentur. Vir hujus animæ, uno modo dici potest ejus prælatus bonus, qui tali animæ vehementer congratulatur, et gratias refert Deo pro ea.

Moraliter ex isto capitulo edocemur, exemplo Annæ, patientiam in omni adversitate habere, mansuetudinem observare, nec contra injuriantes contendere; increpationes etiam eas quas forsitan non meruimus, æquanimiter tolerare, et correptores ipsos reverenter affari, ac deprecari ut orent pro nobis. In omni quoque angustia ad Deum confugere confidenter, et coram eo cor nostrum effundere orando instanter, et (Ps. LXI, 9; Thren. II, 19.) taliter exorare cum disciplina atque silentio, ne sibilo oris et gestibus indisciplinatis, aliorum devotionem impediamus, aut eorum orationes interrumpamus : imo qui taliter orat, iram colligit magis quam veniam, secundum Chrysostomum ; imo talis Deum offendit et proximum, et sua inquietudine ac indiscretione graviter lædit se ipsum. Hinc et Rabanus loquitur : Forma orandi nobis hic traditur, ut non in multiloquio, sed in compunctione et lacrimis Dominum invocemus, quoniam sacrificium Deo spiritus contribulatus. (Ps. L, 19.) Postremo, studeat quilibet nostrum esse vir unus. Nam ut disseruit Origenes : Quamdiu peccatores sumus, indigni sumus titulo hujus laudis. Peccator etenim non est unus, sed multus. Intueor equidem vultum illius, nunc irati, nunc mansueti, nunc læti, nunc tristis, nunc tranquilli, nunc perturbati, et ita non est unus, sed tot in eo personæ videntur, quot mores. Ideo ait Scriptura : Sapiens in sapientia manet ut sol, stultus autem mutatur ut luna ; (Eccli. XXVII, 12.) imo unusquisque justorum non solum est unus, sed et omnes competenter unus dicuntur, quia ipsorum est cor unum et anima una. (Act. IV, 32.)

Digitized by Google

ARTICULUS III

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI ET CANTICI SANCTÆ ANNÆ : EXSULTAVIT COR MEUM IN DOMINO.

PROPRIUM est sanctorum, de acceptis A beneficiis Dei non inaniter erigi, sed magis humiliari, et Deo piissimo ac liberalissimo grates referre. Et quædam utriusque sexus personæ, speciale atque præcipuum quodcumque beneficium Dei sortitæ, speciale etiam canticum super hoc cecinerunt ac ediderunt, et illud reliquerunt in scriptis, ut non solum propriis in personis, sed insuper corde et ore posterorum, Deum laudarent; atque ex consideratione divinorum effectuum, ipsum omnium fontem bonorum, Deum excelsum et B omnipotentem, in se ipso extollerent, contemplarentur et honorarent, quemadmodum libro Judicum Debora, et hoc loco Anna, in Evangelio quoque gloriosissima Virgo Deifera, fecisse leguntur. Itaque hoc * spiritu prophetiæ illustrata, non solum circa se facta, et sibi jam exhibita intuens, sed et quædam sibi aliisque futura prospiciens, grata et hilari voce prorumpit in laudem Dei : quæ laus seu gratiarum actio hic vocatur oratio, præsertim quia et gratiarum actio, pars ac species orationis ex- C sistit, secundum illud ad Timotheum, Obsecro primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.

Judic. v, 1-31; *Luc.* i, 46-55.

* hæc

Tim. ii, 1.

Ait ergo : *Exsultavit cor meum in Domino :* id est, tam vehementi jucunditate impletum est spirituali, quod redundavit in partem sensitivam atque in corpus, juxta illud Psalmi : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Denique omnis delectatio ordinata et bona, est in Deo. Delectatio quippe consistit in actu, et ei D annectitur, eumque concomitatur et perficit, dummodo actus conveniens sit ac placens, vel saltem conveniens reputetur. Delectatio autem ordinata et bona, non nisi in actu consistit virtutis, cujus actus ad debitum finem refertur et congruenter exsequitur. Dupliciter itaque contingit gaudere seu delectari, aut exsultare in Deo. Primo, tanquam in proprio et immediato objecto : sicque delectamur in Deo per fidem, spem, caritatem et contemplationem, hoc est, in ipsum credendo, in ipsum sperando, eum amando et contemplando. Propter quod dixit Apostolus : Deus spei vos repleat omni gaudio et pace, in credendo. Et rursus : Spe gaudentes. Sic quoque lætamur in Deo, ipsum orando, laudando, psallendo. Secundo, delectamur in Deo tanquam in objecto mediato, seu tanquam in fine, in quantum operationes virtutum circa objecta creata versantium, ordinamus ad Dei honorem, et eas secundum Deum exsequimur. Præterea, quamvis gaudium seu delectatio magis ad vires appetitivas, videlicet ad appetitum sensitivum ac voluntatem pertineat, nihilo minus experientia docet, quod etiam in aliarum potentiarum actibus delectatio vera exsistat, sicut in intelligendo, recordando, gustando, tangendo, et aliorum exteriorum interiorumque sensuum actione. Delectatio etenim oritur ex unione potentiæ cognoscitivæ aut appetitivæ cum objecto sibi conveniente, ipsaque delectatio est quasi quædam quietatio, tanquillatio, ac diffusio potentiæ in suo objecto sibi convenienti.

Ps. lxxxiii, 3.

Rom. xv, 13.

Ibid. xii, 12.

Anna igitur ex contemplatione dilectioneque Dei, et ex speculatione beneficiorum ac operum ejus, toto corde, hoc est intellectu ac voluntate, exhilarata : Exsultavit, inquit, cor meum in Domino, id est, intel-

Digitized by Google

lectus seu ratio et voluntas animæ meæ in A Deo sunt gloriatæ. Et gloriatio illa intellectualis, solet gaudium appellari; et proprie exsultatio, quasi extra se saltatio, nuncupatur, quando ex plenitudine sua redundat in inferiores animæ vires, atque per signa relucet in corpore, præsertim in visu et vultu : imo aliquando resultat in tantum, quod facit hominem tripudiare, saltare ac plaudere, quemadmodum David (II *Reg.* VI, 14.) ante arcam viribus totis saltavit, et claudus ex utero matris, a principe Apostolorum curatus, ambulavit exsiliens, ac Dominum (*Act.* III, 8.) B laudans. Nempe, ut ait Philosophus, Quemadmodum sphæra superior suo impetu rapit et post se trahit sphæras inferiores, quas quotidie circumvolvit ab oriente in occidentem, illis econtrario motu proprio ab occidente in orientem tendentibus; sic superior pars animæ, præsertim voluntas, inferiores vires, appetitumque sensitivum, sua in eas redundantia post se trahit ac rapit : quod in sublimiter contemplantibus clarissime demonstratur, quorum corpus et corporeæ vires ex vehementi occupatione C intellectualium virium circa divina objecta, sopiuntur et a suis actibus suspenduntur.

Et exaltatum est cornu meum in Deo meo. (*Ps.* LXXIV, 5.) Quum dicat Psalmista, Dixi iniquis, Nolite inique agere ; et delinquentibus, Nolite exaltare cornu ; et Amos dicat, Væ (*Amos* VI, 1, 14.) qui dicitis, Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ? quid est quod sancta hæc femina protestatur, Exaltatum est cornu meum ? Sed advertendum, quod cornu in Scripturis multipliciter sumitur : Uno modo pro regia potestate, D sicut in Daniele et Apocalypsi frequenter, ut quum apud Danielem legitur : Considerabam (*Dan.* VII, 8.) cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt. Secundo accipitur cornu pro evidenti manifestatione, juxta illud in Luca : Erexit cornu salutis (*Luc.* I, 69.) nobis. Tertio, pro fortitudine corporali seu spirituali, ut quum in Deuteronomio in benedictione Joseph asseritur : Cornua (*Deut.* XXXIII, 17.) ejus, cornua rhinocerotis, in ipsis ventilabit gentes. Quarto, pro inordinata et præsumptuosa erectione sui ipsius : et hoc vocatur cornu superbiæ ; sicque frequentius in Scripturis et in communi modo loquendi accipitur. Quinto, pro forti et virtuosa tendentia in aliquod magnum : quod vocatur cornu magnanimitatis. Hinc aliqui recte dicunt, quod cornu in Scripturis sumitur pro motu seu conatu mentis se extendentis in aliquid arduum : quod si fiat secundum rationis dictamen et divinæ legis doctrinam, vocatur cornu virtutis; sin autem, vocatur cornu elationis. Itaque Anna ait : Exaltatum est cornu meum in Deo meo, id est, motus et actus spei meæ, per Dei auxilium, consecutus est optatum effectum : quoniam quod orando obtinere speravi, obtinui. Rursus, Exaltatum est cornu meum in Deo, id est, fortitudo mihi gratiose concessa prævaluit.

Dilatatum est os meum super inimicos meos, id est, adversarios meos juste irrisi, puta Phenennam et liberos ejus, qui me oderunt et afflixerunt, quamvis ego diligerem eos. Invisibiles quoque animæ meæ hostes, qui me ad pusillanimitatem et immoderatam tristitiam trahere nitebantur, derisi et vici. Vel, Dilatatum est os meum, id est, late apertum ad laudandum et glorificandum Dominum Deum, super inimicos meos, id est de justa eorum dejectione. Vel, Super eos, id est plus quam os eorum. *Quia lætata sum in salutari tuo,* id est in salubri tuo auxilio, vel in te ipso omnium summo salutari, de quo beatissima cecinit Virgo : Exsultavit spiritus (*Luc.* I, 47.) meus in Deo salutari meo. Vel, In salutari tuo, id est in exspectatione et fide Salvatoris futuri, scilicet regis Messiæ, de quo Jacob : Salutare tuum, inquit, exspectabo, (*Gen.* XLIX, 18.) Domine. Et Simeon justus : Viderunt, ait, (*Luc.* II, 30.) oculi mei salutare tuum. Denique merito hujus fidei atque lætitiæ spiritualis prævaluit Anna, et ex ipsa lætitia dilatavit modo præfato os suum. Ex his consolationibus et donis sibi concessis, Anna se elevat ad contemplandum et laudandum Deum in semetipso.

Digitized by Google

Non est sanctus ut est Dominus : quo- A
niam ipse solus essentialiter et indepen-
denter sanctus est, et sanctitas infinita,
cujus essentia est puritas prorsus inter-
minata. De quo legitur in prima Joannis
I Joann. I, 5. epistola : Deus lux est, et tenebræ non
sunt in eo ullæ. Ceteri, sancti sunt per
participationem et gratiam ad certam men-
suram. *Neque enim est alius extra te,* id
est, præter te non est alius verus Deus, aut
tibi æqualiter sanctus. Hinc per Isaiam Do-
Is. XLIII, 10. minus contestatur : Ante me non est for-
matus Deus, et post me non erit. Et ite- B
Ibid. XLIV, 8. rum : Numquid est Deus absque me? *Et
non est fortis sicut Deus noster,* videlicet
Deus Israel qui solus est verus atque om-
nipotens Deus, cujus fortitudo est inde-
pendens, imparticipata, et penitus infinita,
quæ non potest in tot et tanta, quin possit
in infinities plura atque majora, cui omnia
Luc. I, 37; *Jer.* XXXII, 17, 27. non solum sunt possibilia, sed et facilia,
imo facillima et æque facilia.

Consequenter invehitur contra præsum-
ptuosos et arrogantes. Ad litteram quoque
loquitur contra Phenennam et sobolem C
ejus, quæ contra Annam intumuerunt. *No-
lite multiplicare loqui sublimia,* id est
verba jactantiæ et præsumptionis, *glorian-
tes* inaniter, non in Domino, sed in vobis,
I Cor. IV, 7. quasi a vobis aliquid habeatis, nisi defice-
Ps. XI, 4. re et peccare. Ideo ait Propheta : Disperdat
Dominus universa labia dolosa et linguam
magniloquam. *Recedant vetera de ore ve-
stro,* id est, a verbis iniquis ac solitis, pun-
gitivis, derisoriis contra me sæpe prolatis,
cessate, *quia Deus scientiarum Dominus
est,* id est, ipse in se ipso sapientissimus D
est, et dator ac Dominus omnis scientiæ : id-
eo omnia ei constant, et superborum verba
Prov. VI, 16-19. vitiosa detestatur ac punit ; *et ipsi præpa-
rantur cogitationes,* hoc est, ei ostendun-
tur ac innotescunt ad judicandum. Quasi
dicat : Non solum verborum, sed cogita-
tionum quoque inspector et judex est Do-
minus. *Arcus fortium superatus est,* id
est, armatura et impugnatio præsumentium
de propriis viribus succubuerunt, sicut et
jacula Phenennæ et prolis ejus amplius
mihi inferri non poterunt ; *et infirmi,* id
est propriam fragilitatem et infirmitatem
seu defectuositatem humiliter recognoscen-
tes, *accincti sunt robore,* id est gratia ac
virtutibus desuper confortati, juxta quod
in Isaia scriptum est : Qui dat lasso vir- *Is.* XL, 29.
tutem, et robur, his qui non sunt, multi-
plicat.

Repleti prius, pro panibus se locaverunt :
hoc est, qui aliquando erant abundantes
ac divites, ob suam ingratitudinem atque
superbiam, ad tantam sunt devoluti ino-
piam, quod pro necessariis vitæ se loca-
verunt et servierunt ; *et famelici saturati
sunt :* id est, qui pauperes erant, sua hu-
militate meruerunt ditari, sufficienterque
refici. In quibus verbis Anna tangit Phe-
nennam et pueros ejus, a sua præsum-
ptione dejectos, et pristina fecunditate ac
ubertate privatos. *Donec sterilis peperit
plurimos :* hoc est, ipsa hæc Anna quæ diu
fuerat infecunda, procreavit sobolem co-
piosam, videlicet tres filios et filias duas,
ut infra habetur ; *et quæ multos habebat
filios,* puta Phenenna, *infirmata est :* quia
nascentibus filiis filiabusve Annæ, filii
Phenennæ moriebantur, ut fertur. Circa
hoc in Scholastica narratur historia : Quod
in cantico legitur, Donec sterilis peperit
plurimos, etc., Hebræus pro Plurimos, ha-
bet Septem ; et pro Infirmata est, habet
Secta est, id est separata ; et tradit quod
singulis filiis Annæ nascentibus, singuli
Phenennæ filii moriebantur ; et quinque
filiis Annæ, duos filios Samuelis connu-
merat, ut sint septem. Hæc ibi. In quibus
verbis per quinque filios Annæ, intelligun-
tur tres filii ejus, et filiæ duæ : ita quod
filius notat prolem, non sexum, vel indif-
ferenter seu indistincte sexum utrumque,
sicut quum dicimus : Pater et filius sunt
correlativa.

His addit Lyra : Quidam Hebræi di-
cunt, quod quando Anna peperit puerum
unum, Phenenna sepeliebat duos de pueris
suis : ideo nato quarto puero Annæ, octo
filii Phenennæ erant mortui. Ideo Anna
propinquante ad partum quintum, timens

Digitized by Google

Phenenna de morte duorum filiorum suorum superstitum, humiliter Annam rogavit, ut oraret pro vita et conservatione filiorum suorum superstitum : quod Anna fecit. Ideo duo filii illi Phenennæ, de cetero reputati sunt filii Annæ, quoniam ejus precibus sunt conservati in vita : sicque dicitur septem peperisse. Et isti Hebræi dicunt Phenennam decem filios habuisse. His adjicit Lyra : Istæ expositiones non habentur de textu, sed ab Hebræis ponuntur ad verificandum hoc dictum, Peperit septem. Ideo verius videtur dicendum, quod translatio nostra est melior, dicens : Peperit plurimos. Nam dictio Hebraica, puta Scibeah, hic posita, æquivoca est ad significandum septem, quam significationem sequuntur hic Hebræi moderni ; et ad designandum satietatem, et hanc significationem secutus est noster translator, et forsitan tunc Hebræi hanc sequebantur. Secundum hoc ergo Anna peperit satietatem, hoc est, habuit pueros ad sufficientiam : quod expressit Hieronymus, dicendo, Plurimos. Et hoc convenientius fuit dicere, quam si dixisset, Satietatem, vel Satis, secundum quod idem dicit Hieronymus in epistola ad Pammachium, de optimo genere interpretandi, quod melior interpretatio non semper transfert verbum ex verbo, sed interdum sensum ex sensu.

Verum contra hæc scribit Rabbi Paulus, dicendo, quod dictio ista, Scibeah, in Hebræo non est proprie æquivoca, prout hic ponitur. Solum enim significat septem, in propria significatione, licet saturitatem designet secundum etymologiam. Sed translatio nostra quæ dicit, Plurimos, obtinet veritatem ex alia ratione. Nam in Hebræo Septem quandoque significat Plurimos, ut intelligatur numerus determinatus pro indeterminato, ut in Isaia (*Is.* iv, 1.) : Apprehendent septem mulieres virum unum. Sicque translator noster hic transtulit non sensum ex sensu, sed etiam verbum e verbo. Hæc Paulus, cujus verba longum est discutere. Tamen quod Lyra ait, verius reor, præsertim quum multa æquivoca sint, quamvis proprie non significent nisi unum, hoc dempto, quod dicit modernos Hebræos hic dicere Septem, quasi antiqui Hebræi ita non dixerint : quod tamen dicit opinative magis quam assertive. Sciendum ergo, quod etiam antiqui Hebræi ita dixerunt; siquidem Septuaginta sic transtulerunt : Sterilis peperit septem, et fetosa in filiis infirmata est. Textus quoque quo utitur Origenes, sic continet : Quoadusque sterilis peperit plurimos. Prætactas autem Hebræorum narrationes seu expositiones, Origenes reputat fabulas. Hoc tamen facit, ad innuendum quod versiculus iste ad litteram exponi non queat de Anna, quæ non peperit septem, sed quinque.

Dominus mortificat et vivificat. Hoc ad litteram videtur Anna dixisse, quia filios Phenennæ vidit in spiritu occidendos a Domino, filiis suis in vitam progredientibus. Sicque *deducit ad inferos* animas defunctorum, sumendo infernum sive pro loco damnatorum, sive pro limbo puerorum, sive pro limbo patrum, sive pro purgatorio, *et reducit* mortuos suscitando, vel eos qui letaliter infirmantur, curando. Tales enim erant quasi in via ad inferos. *Dominus pauperem facit et ditat.* Quosdam enim justo judicio privat terrenis divitiis, quosdam spiritualibus opibus, quos a virtutum fastigio ruere sinit ; alios contrario modo ditat. *Humiliat* superbos, *et sublevat* humiles. Litteraliter quoque insinuat Phenennam sobole divitem, esse depauperatam per filiorum interitum, et sibi oppositum contigisse. *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat :* quia frequenter pauperes atque ignobiles promovet ad principatum et regimen aliorum, quemadmodum Moysen oves pascentem toti Israelitico prætulit populo (*Exod.* iii, 1, 10.). Hinc in Ecclesiastico scriptum est (*Eccli.* x, 17.) : Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. Hæc in se ipso Nabuchodonosor expertus, fatetur (*Dan.* iv, 31, 32, 34.) : Post finem dierum Altissimo benedixi, quia potestas ejus potestas sempiterna, et omnes habitatores

Digitized by Google

terræ apud ipsum in nihilum reputantur; A juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, et gradientes in superbia, potens est humiliare. Hinc rursus se in somno audisse fatetur : In sententia vigilum decretum est, et sermo sanctorum est, donec cognoscant viventes quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit dabit illud, et humillimum hominum constituet super eo. Denique sic Deus Joseph de squalore ergastuli præfecit Ægypto, et tres pueros ex camino ignis fecit principes B in provincia Babylonis.

Dan. IV, 14. Gen. XLI, 41. Dan. III, 23, 97.

Hinc subditur : *Domini enim sunt cardines terræ.* Cardines terræ, dicuntur ejus extremitates, quæ sunt Dei, sicut et totum terræ elementum, potestate et jure creationis, conservationis, ac gubernationis. *Et posuit super eos orbem.* Hoc ait, quoniam terra est quasi fundamentum et infimum elementorum, et secundum apparentiam videtur cœlum seu orbis super extrema terræ locatus, juxta æstimationem illorum qui putabant cœlum esse velut cameram C ac semicirculum, juxta quem modum in Isaia legitur : Qui expandit cœlos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Ubi Septuaginta transtulerunt, Velut cameram. Vel sensus est : Posuit super eos orbem, hoc est, polum fecit cardinibus terræ eminentiorem.

Is. XL, 22.

Pedes sanctorum suorum servabit, hoc est, affectus et processus eorum manu tenebit ac diriget, juxta illud : Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis ; *et impii in tenebris conticescent,* hoc est, suo tempore confusi silebunt, nec evidenti veritati contradicere poterunt, præsertim in die judicii : sicque obmutescent in tenebris culpæ ac infernalis miseriæ, quamvis in inferis ejulabunt. *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir,* id est, propriis viribus nemo poterit Deo resistere, imo nec boni quid agere, aut virtuosus censeri. *Dominum formidabunt adversarii ejus:* Deus enim omnipotens ad libitum suum perterret, dejicit et condemnat omnem im-

Luc. I, 79.

piorum catervam, præsumptionem, animositatem, audaciam. Et istud generaliter potissime fiet in die judicii, sicut Isaias prædixit : Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. *Et super ipsos in cœlis tonabit :* quod et instante extremo judicio fiet ineffabiliter acrius, quam super Ægyptios olim intonuit : quod fiet in cœlo aereo. Tonabit quoque super eos, sententiam horribiliter proferendo. Hinc scriptum est : Tonabit Deus voce magnitudinis suæ, post eum rugiet sonitus. Tonabit voce sua mirabiliter, qui fecit magna et inscrutabilia.

Is. XLV, 25. Job XXXVII, 4, 5.

Dominus judicabit fines terræ, hoc est omne genus humanum : quod fit particulariter in mortibus singulorum, et universaliter fiet in die novissimo. Ideo ait Propheta : Paravit in judicio thronum suum, et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia. *Et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.* Tempore Annæ nondum præfuit aliquis rex Israeli. Ideo istud de Christo verissime explanatur, cui Pater dedit omne judicium, hoc est judiciariam potestatem, et exsecutionem particularis ac generalis judicii, juxta illud Joannis : Dedit ei potestatem et judicium facere, quia filius hominis est. Itemque : Pater omne judicium dedit Filio. Hanc etenim judicii exsecutionem Christus sua humilitate, dijudicatione et passione promeruit. Exinanivit nempe se ipsum, factus obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum.

Ps. IX, 8, 9. Joann. V, 27. Ibid. 22. Philipp. II, 7-9.

Porro cornu Christi, id est potestatem D et magnificentiam Christi Filii sui, Deus Pater multipliciter exaltavit ab exordio mundi, per mysteria et figuras, atque oracula, ac vaticinia Prophetarum ac Patriarcharum, per quos primo in lege naturæ, deinde in lege scripta adventum, excellentiam et efficientiam regis Messiæ prædixit. Deinde, instante temporis plenitudine, in ipsa salutifera et incomprehensibili Verbi æterni incarnatione, Deus Trinitas contulit Christo secundum naturam assumptam, auctoritatem, potestatem atque dominium, non

Digitized by Google

solum super totum genus humanum, sed et super omnem naturam creatam, universamque creaturam. Sicque in ipsa incarnatione exaltavit cornu Christi sui secundum rei veritatem, non tamen secundum manifestationem et exsecutionem. Hinc Christus ante suam passionem dixit *(Joann. III, 35.)*: Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. Statim vero in ipsa Christi ex Virgine nativitate, cœpit Deus Pater cornu Christi exaltare per manifestationem, per mirabilia quæ in ejus nativitate ad ipsius declarationem fiebant *(Matth. II, 2. Luc. II, 9 et seq.)*: quia tunc stella B apparuit Magis, angelus quoque pastoribus, quibus et Christi ortum ac magnificentiam patefecit; multitudo etiam cœlestis exercitus eadem cecinit hora, templum Æternitatis collapsum est, olei fons erupit. Deinde Christus inter homines conversando ac prædicando, per verba atque miracula suam cœpit excellentiam declarare et exsequi; non tamen plenarie, quia adhuc fuit passibilis, et paulo post crucifixus. Post resurrectionem vero et ascensionem, misso desuper Spiritu Sancto, exorsus est C eam sublimius exsequi et monstrare per sanctos Apostolos, primitus in Judæa, deinceps ubique terrarum : quod et interim per diversos sanctos est prosecutus. Porro in generali et extremo judicio, omnes adversarii Christi plenissime subjicientur eidem *(I Cor. XV, 24-28.)*.

Hæc de litterali hujus cantici expositione sint dicta.

Præterea, sicut hic refert Lyra, quidam magnus apud Hebræos, videlicet Joathan filius Oziel, in translatione sua Chaldaica D aliter canticum istud exponit ad litteram : quam expositionem Lyra satis prolixe prosequitur, sed eam brevius quo potero tangam. Itaque ait Joathan ille, quod propter mirabilia quæ Anna prævidit in spiritu a A filio suo Samuele fienda, quæ infra habentur in textu, dixit : *Exsultavit cor meum in Domino*. Et quia prævidit quod Heman cum filiis suis natus ex Samuele, futurus erat cantor in templo *(I Par. VI, 33; I Reg. VIII, 2.)*, adjecit : *Exaltatum est cornu meum,* id est gloria mea, *in Deo meo*. Insuper quia prævidit Philistæos propter arcam Dei plagandos et compellendos ad remittendum hanc *(Ibid. V, 6, 11; VI, 1 et seq.)*, addidit : *Dilatatum est os meum super inimicos meos*. Et quia prævidit regem Assyriorum Sennacherib cum suis dejiciendum, propter blasphemias suas in Deum *(IV Reg. XIX, 35; Is. XXXVII, 36.)*, ait : *Non est sanctus ut est Dominus,* etc. Prævidit quoque qualiter Chaldæi erant regnum Juda et templum vastaturi *(IV Reg. XXV.)*, atque ob hoc a Persis et Medis vastandi, ideo est locuta : *Nolite multiplicare loqui sublimia,* scilicet vos Chaldæi ; quasi dicat, Quia et vos in brevi estis perdendi. Præcognovit etiam qualiter tempore Antiochi erant Græci Judæos oppressuri, et per Machabæos vincendi : propter quod addit, *Arcus fortium,* puta Græcorum, *superatus est, et infirmi,* scilicet Machabæi cum suis, qui primo fugerunt, *accincti sunt robore*. Prævidit item qualiter Judæi erant sub Assuero rege per Aman affligendi, atque per Esther ac Mardochæum eruendi, idcirco apposuit : *Repleti prius,* scilicet Aman et sui primo ditissimi, *pro panibus se locaverunt,* quia per Esther sunt penitus suppeditati ; *et famelici saturati sunt,* quia tunc filii Israel liberati, fuerunt ditati et copiose refecti. Ad istam quoque expositionem sequentia applicat : de qua expositione pertranseo, quoniam falso innititur fundamento, videlicet Messiam nondum venisse. Est item satis incertum, an Anna præcognoverit omnia ista : quæ si præcognovisset, probabile reor, quod de eis clarius ac latius prophetasset.

Digitized by Google

ARTICULUS IV

SPIRITUALIS EXPLANATIO CANTICI HUJUS.

Sensus allegoricus. PER Annam, quæ interpretatur gratia, designatur Ecclesia et quæcumque fidelis persona. Itaque Christi Ecclesia, videns omnem plenitudinem gratiæ sibi a Deo collatam, et quidquid divinorum charismatum olim fuit in Synagoga, in se præclarissime esse translatum, cum gratiarum actione fatetur : *Exsultavit cor meum in Domino.* Et quia regia potestas sacerdotiumque legale Judæis ablata sunt, et Ecclesiæ sublimiori modo concessa, subjungit : *et exaltatum est cornu meum,* videlicet regnum et sacerdotium, *in Deo meo.* Unde sacratissimus princeps Apostolici agminis scribit fidelibus : (I Petr II, 9.) Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. *Dilatatum est os meum super inimicos meos :* id est, Judæos fidei adversarios juste irrideo, potenter devici ratione, miraculis et allegationibus Scripturarum veteris Testamenti multipliciter confutavi ; similiter hæreticos utriusque Testamenti Scripturis contrivi, tyrannos quoque et persecutores divino auxilio superavi. Et hoc, *quia lætata sum,* o Domine Pater æterne, *in salutari tuo,* id est in fide et gratia Christi, per quem tot bona sum consecuta, qui mihi promisit : (Luc. XXI, 15.) Dabo, inquit, vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

Ideo, o Judæi ceterique increduli, *Nolite multiplicare loqui sublimia,* id est verba præsumptuosa et vana, contra Ecclesiam *gloriantes* insipienter ; sed *recedant vetera de ore vestro :* id est, pristina infidelitatis verba relinquite, (II Cor. III, 6.) litteralem occidentem legis ac Prophetarum sensum abjicite, doctrinam et expositionem infidelium magistrorum vestrorum calcate, *quia Deus* A *scientiarum Dominus est,* qui per Spiritum Sanctum sanctos Apostolos plenissime ac verissime docuit intelligentiam legis ac Prophetarum, quemadmodum ante passionem suam Christus eis promisit, dicendo : (Joann. XVI, 13.) Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Arcus fortium superatus est :* id est, omnis armatura seu argumentatio Judæorum et philosophorum, ceterorumque perfidorum, qui olim videbantur potentes, et Ecclesiam diversimode invaserunt, soluta et victa est ; *et infirmi accin-* B *cti sunt robore :* id est, Apostoli et primi discipuli Christi induti sunt omni virtute (Luc. XXIV, 49.) ex alto, et per eos, gentiles olim omni spirituali fortitudine gratiæ destituti, effecti sunt virtuosi ac victoriosi, quemadmodum Paulus apostolus scripsit eisdem : (Ephes. VI, 10, 11.) Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus ; accipite armaturam Dei. *Repleti prius,* puta Judæi, qui olim multiplici opulentia sapientiæ ac virtutum, ac spiritualibus ferculis abundabant, *pro panibus se locaverunt :* quia privati sunt omnibus bo- C nis illis, et quidam ex eis conversi, a Christianis doctrinam veræ salutis mendicaverunt. *Donec sterilis peperit plurimos :* id est, conversa gentilitas olim infecunda, innumerabiles regeneravit ex aqua et Spiritu (Joann. III, 5.) Sancto, atque per evangelicæ legis prædicationem parturiit, sicut ait Apostolus : (I Cor. IV, 15.) In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui ; *et quæ multos habebat filios,* scilicet Synagoga, in qua frequenter fuerunt multi electi, *infirmata est,* quia jam dudum omnino succubuit, et in extremam hanc D captivitatem redacta est.

Dominus mortificat, qui per Titum et Vespasianum corporaliter trucidavit Judæos incredulos, quos et per invisibiles

Digitized by Google

hostes excæcari et indurari juste permisit, A *et vivificat,* per gratiam in præsenti, et Rom. IX, 23, 24. per gloriam in futuro, vasa misericordiæ suæ, electos ex gentibus. *Dominus pauperem facit* Synagogam, *et ditat* Ecclesiam; *humiliat* Judæos incredulos, *et sublevat* Christifideles. *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Multos enim gentiles vitiis obtenebratos, et sordibus carnalitatum involutos, ad tantam divinorum charismatum exuberantiam erexit atque provexit, quod inter aposto- B licos digne sunt connumerati, et aliorum prælati effecti, sessurique sunt inter eos, Matth. XIX, 28. quibus Salvator spopondit : Vos qui secuti estis me, sedebitis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Ad istam expositionem sequentia queunt faciliter applicari.

Sensus tropologicus. Præterea exponi potest hoc canticum in persona cujuslibet Christiani devoti, præsertim religiosi. Unusquisque ergo fidelis dicere potest : *Exsultavit cor meum in Domino:* id est, considerando seu contem- C plando infinitam bonitatem, omnipotentiam et sapientiam Dei, universamque perfectionem, excellentiam et beatitudinem ejus, gavisus sum vehementer, et toto corde congratulatus sum tam incircumscriptibili perfectioni et gloriæ Creatoris, præsertim contemplando superbeatissimæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, communicationem et emanationem ad intra; mutuam quoque trium supervenerabilium Personarum contemplationem, dilectionem, complacentiam, fruitionem, consistentiam- D que superfelicissimam et æternam. Exsultavit demum cor meum in Domino, intuendo beneficia ejus generalia ac specialia, naturalia et supernaturalia, corporalia ac spiritualia, præsertim, quæ, quanta et qualia Unigenitus Patris æterni pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit; considerando etiam divina promissa, et qualiter superoptimus et supersapientissimus et supermunificentissimus Deus Trinitas se ipsum et sui ipsius claram, immediatam, facialem, deliciosissimam visionem, æternam ac beatificam fruitionem, inæstimabiliter prorsus dulcissimam, nobis præparavit in præmium. His igitur modis exsultemus in Domino, imo et in omni actu virtuoso ad Dei honorem exhibito gloriemur, juxta illud : Servite Domino in lætitia. Et rursus : Ps. XCIX, 2. Gaudete in Domino semper. Nec solum in Philipp. IV, 4. actibus bonis, sed item in persecutionibus, adversitatibus, correptionibus et tentationibus, sicut ait apostolus Jacobus : Omne Jacob. I, 2. gaudium existimate, fratres, quum in tentationes varias incideritis. Et Salvator : Gaudete, inquit, in illa hora, et exsultate, Matth. V, 12; Luc. VI, 23. quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Qui autem lætatur quum malefecerit, aut Prov. II, 14. quia laudatur et honoratur ab aliis, aut quoniam temporaliter prosperatur, aut quia videt alios inter se discordare, contendere aut turbari, non jam in Domino, sed potius in diabolo gloriatur, et vanus et excors est.

Et exaltatum est cornu meum in Deo meo : id est, virtus seu fortitudo animæ meæ in adjutorio Altissimi, hostibus meæ salutis restitit, atque prævaluit ac profecit. Hoc dicat ad gloriam Omnipotentis, qui in Ps. XVII, 5, 7. quacumque tentatione cernit se triumphasse, aut profecisse in bonis, et gratus sit Deo, nequaquam extollens se ipsum, et semper sit cautus et timoratus, ne cadat. Absint semper a nobis diabolica cornua crudelitatis, animositatis, ambitionis. Circa hoc loquitur Origenes : Sunt cornua quædam justorum, quibus utuntur bona agendo, aut recte loquendo, sicut quum dicunt ad Dominum : In te inimicos nostros ven- Ps. XLIII, 6. tilabimus cornu. Unde et alibi dicitur : Exaltabuntur cornua justi. Oportet ergo Ps. LXXIV, 11. nos habere cornua ista, quæ justis de crucis Christi apicibus conferuntur, ut in his destruamus et ejiciamus adversarias potestates de anima nostra : quibus expulsis, plantetur in nobis vinea, quæ facta est di- Is. V, 1. lecto in cornu in loco uberi.

Dilatatum est os meum super inimicos meos. Hoc dicat ad Dei honorem, qui recordatione et allegatione Scripturæ adver-

Digitized by Google

sarios veritatis, præsertim invisibiles æmulos superavit; qui hostibus boni communis efficaciter fuerit reluctatus. *Quia lætata sum,* o Domine, ego creatura tua, *in salutari tuo,* de quo cecinit Isaias : Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. In quo qui sinceriter delectatur, exaudiri ac triumphare meretur, sicut ait Scriptura : Qui orat * Dominum in oblectatione, exaudietur. Et rursus : Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. *Non est sanctus ut est Dominus :* ideo oportet ei in sanctitate et justitia jugiter deservire. Maledictusque est qui opus ejus efficit negligenter. *Neque enim est alius extra te.* Nam Pater in Filio, et Filius in Patre, Pater quoque ac Filius in Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in Patre ac Filio. Nam singulæ Personæ in singulis vere et imperscrutabiliter ac circuminsessibiliter sunt. *Et non est fortis sicut Deus noster,* qui solus potest humanæ ac fragili creaturæ tantum conferre gratiæ robur, ut spiritibus illis callidissimis atque nequissimis, et concupiscentiis propriis ac vitiis universis prævaleat, et in Deo sit stabilita; imo et si pro fidei conservatione exegerit ratio, etiam miracula operetur, sicut prædixit Salvator: Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet.

Is. lii, 10. — Eccli. xxxv, 20. — * adorat — Ps. xxxvi, 4. — Luc. i, 75. — Jer. xlviii, 10. — Joann. xiv, 10. — Ibid. 12.

Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. Hoc præsumptuosis, superbis, vaniloquis, ex caritate est opponendum, ut cessent a verbis jactantiæ, nec laudent neque extollant se ipsos, quum et Apostolus dicat : Noli altum sapere, sed time. Salomon quoque : Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. Denique unusquisque dicat viribus animæ suæ, intellectui videlicet, cogitativæ et imaginativæ : Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes, id est, ab omni cogitatione superba, ab adinventionibus vanis, ab apprehensionibus phantasticis, a magnificatione proprii subjecti cavete, nec intra vos coram Deo proferre seu loqui audete, quod coram hominibus loqui est reprehensibile. Ab altis quoque materiis, et ab incomprehensibilium perscrutatione est temperandum, ut non audeamus de supersubstantiali Deo aliquid fari præter tradita nobis in divinis Scripturis, ut divinus Dionysius et Damascenus scripserunt. Nempe, ut Salomon protestatur : Sicut qui comedit mel multum, non est ei bonum; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Hinc Origenes disseruit : Non dixit, Nolite loqui excelsa. Ergo licet mihi aliqua loqui excelsa. Multiplicare autem loqui excelsa et ardua, mihi non licet, quum scriptum sit : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, intellige semper. Quæ sunt ergo in quibus excelsa me loqui oportet? Quando de omnipotentia Dei, de invisibilitate et sempiternitate ejus loquor, excelsa loquor; quando de Unigeniti ejus coæternitate, ceterisque mysteriis pronuntio, excelsa loquor; quando de Spiritus Sancti magnificentia dissero, excelsa loquor. Post hanc Trinitatem omnia sunt humilia et dejecta, comparatione celsitudinis ejus. Hæc Origenes.

Rom. xi, 20. — Prov. xxvii, 2. — Prov. xxv, 27. — Eccli. iii, 22.

Recedant vetera de ore vestro, id est, omnia verba inordinata, vitiosa, illicita deinceps vitate. Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Sermo vester semper in gratia sit sale conditus. Hinc ad Ephesios docetur : Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed qui bonus est ad ædificationem, ut det gratiam audienti.

I Petr. iv, 11. — Coloss. iv, 6. — Ephes. iv, 29.

Arcus fortium superatus est. Hi qui fortes et magnos se arbitrantur, justo Dei judicio permittuntur faciliter vinci omni vento tentationum ac impetu passionum, et multipliciter labi, sive dum ab aliis patiuntur adversa, sive dum laudantur et honorantur a proximis, quia radices humilitatis et fundamentum timoris Dei non habent. Interdum quoque contingit devotos et virtuosos ex sua negligentia periculosave securitate aut tentationum impulsu paulatim evacuari et cadere. *Et infirmi accincti sunt robore,* humiles scilicet et qui se jugiter infirmos, defectuosos, vilesque judicant. Nam et infirma ac stulta mundi elegit Deus. *Repleti prius,* id est, qui donis

I Cor. i, 27.

gratiæ abundabant, *pro panibus se locaverunt,* quando (ut tactum est) ad ruinam sunt devoluti, et rursus per pœnitentiam conantur ad pristinam redire mensuram, seque humiliant, et illorum orationibus, meritis ac doctrinis quærunt refici ac juvari, quibus aliquando in spiritualibus fuerant ditiores. *Et famelici saturati sunt.*
Matth. v, 6. Bene famelici sunt, qui esuriunt sitiuntque
Amos viii, 11. justitiam, et famem habent audiendi verbum Dei : qui saturari merentur et refici
Philipp. iii, 13. a Spiritu Sancto. Hi sunt qui quæ retro sunt obliviscentes, in anteriora extendunt se ipsos, non arbitrantes se apprehendisse,
Ps. cxxxviii, 16. sed assidue proprium imperfectum pensantes, toto affectu student in omni virtute proficere, quotidianas suas defectuositates et culpas uberrime deplorantes. Hæc itaque contigerunt, *donec sterilis,* id est anima prius infructuosa, *peperit plurimos* fructus virtutum ; *et quæ multos habebat filios,* id est, quæ antea erat in bonis actibus fecunda, *infirmata est,* gratiam amittendo. Ideo nullus alium, quamvis iniquum aut negligentem, incaute dijudicet aut contemnat : quia etsi hodie illo fortassis est melior, cras forsan erit deterior. Ideo ait
Matth. vii, 1. Salvator : Nolite judicare. Et Paulus : Tu
Rom. xiv, 4. quis es, qui judicas alienum servum ? Suo Domino stat aut cadit. Stabit autem : potens enim est Deus statuere illum.

Dominus mortificat, impios occidendo et condemnando, seu vitam gratiæ non præstando, aut gratiam delinquenti juste tollendo ; *et vivificat :* quia ab ipso est vita naturæ, vita gratiæ, et vita gloriæ, qui et impium per pœnitentiam pie vivificat. Mortificat quoque salubriter, dando mortificationem vivificam, de qua ait Apostolus :
Coloss. iii, 5, 3. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Et iterum : Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Hæc mortificatio, est vitiorum exstinctio, sui ipsius a vitiis refrenatio, membrorum scandalizantium abscissio, id est eorum ab omni usu pravo coercitio, et maxime privati amoris exstirpatio integra, ita ut quis dicere queat : Vivo autem, jam Galat. ii, 20.
non ego, vivit vero in me Christus. *Deducit ad inferos,* sicut expositum est, et etiam inspirando homini considerationem infernalis damnationis ac pœnæ æternæ salubrem ; *et reducit,* dando vitæ correctionem, atque levando mentem ad cœlestium intuitum gaudiorum. *Dominus pauperem facit et ditat, humiliat,* dando homini veram et humilem sui ipsius recognitionem, infundendo humilitatis virtutem, *et sublevat* mentem de vitiorum profundo, de lacu Ps. xxxix, 3.
miseriæ, de pusillanimitate, per spei fiduciam, et confessionem remediantem. *Suscitat de pulvere egenum,* etc., id est, in infimis cogitationibus, inquinamentisque carnis detentos, paulatim perducit ad vitam spiritualem et sanctam, contemplationisque apicem, ita ut tales inter viros heroicos reputentur, et digni sint aliis præsidere.

Pedes sanctorum suorum servabit, ut perseverent ac progrediantur in regia via, et nec deflectant ad dexteram aut sini- Deut. v, 32, 33; xvii, 11. Is. xxx, 21.
stram. Incessabiliter equidem indigent conservatione divina, qua sibi paulisper subtracta, mox corruunt. *Et impii in tenebris conticescent.* Obnubilati etenim tenebris ignorantiæ et errorum, passionum ac vitiorum, tacent et obmutescunt a laudibus Dei devotis, ab orationibus fervidis, ab exhortatione idonea, a correptione fraterna, et ab utilibus verbis. Et juxta Apostolum, a veritate avertunt auditum, atque ad II Tim. iv, 4.
fabulas convertuntur.

Digitized by Google

ARTICULUS V

DECLARATIO RESIDUÆ PARTIS HUJUS CAPITULI SECUNDI.

HIC recitatur reprobatio Heli sacerdotis, pontificis ac judicis Israelitarum, filiorumque ejus. *Et abiit Elcana in Ramatha in domum suam,* id est, cum Anna rediit in propria. *Puer autem* Samuel, qui ab innocentia et puritate, non a morum insolentia, puer vocatur : sed et ætate exstitit puer, moribus autem et sapientia fuit vir ; imo ut Josephus refert, duodecimo anno vitæ suæ orsus est vaticinari. Puer autem *erat minister,* Levitarum obsequio, *in conspectu Domini,* qui Samuelis ministerium approbavit, *ante faciem Heli sacerdotis.*

Porro filii Heli erant *filii Belial,* id est indomiti et absque jugo, *nescientes Dominum.* Non enim sciebant Dominum practica et formata scientia, juxta quod Dominus ait per Jeremiam [Jer. II, 8.] : Tenentes legem, nescierunt me. Attamen Dominum cognoverunt informi scientia, de qua ad Romanos asseritur [Rom. I, 21.] : Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. *Neque officium sacerdotum ad populum,* hoc est, proprium officium non curabant agnoscere, nec illud sciebant formata scientia, quæ bonæ actioni est juncta. *Sed quicumque immolasset victimam,* id est animal immolaticium in hostiam pacificam, de qua præcipue sermo, *veniebat puer sacerdotis,* id est minister alicujus filiorum Heli ex commissione domini sui, *dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem,* id est ferreum instrumentum trium dentium, quo carnes ex caldaria extrahuntur, *in manu sua, et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam sive in cacabum ; et omne quod levabat fuscinula,* id est quamcumque partem carnis exsistentis in olla, *tollebat sacerdos sibi* de

A

manu sui ministri, et fecit sibi illud lautius coqui. *Sic faciebant universo Israeli venientium in Silo.*

Etiam antequam adolerent adipem, id est, antequam offerentes exhiberent suo modo adipem sacerdotibus ad accendendum, vel antequam ipsi sacerdotes hoc facerent : nam ad eorum spectabat officium, cremare adipes super altare holocaustorum, ut patet in Levitico [Lev. III, 5, 11, 16.] ; *veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti,* videlicet viro qui animal adduxit, ut per manus sacerdotis Domino offerretur : *Da mihi carnem* de animali oblato, *ut coquam sacerdoti* seorsum juxta desiderium ejus. *Non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam :* quod fuit contra ritum et observantiam legis, secundum quam animali occiso et immolato, carnes ejus coquebantur communiter, tam sacerdoti quam offerenti : et tunc una, imo et melior pars, cessit in usum ac esum sacerdotis, alia in usum offerentis. Holocausta vero totaliter comburebantur ; nec aliqua pars hostiæ immolatæ pro peccato, cessit in offerentium usum : quæ omnia patent in Levitico, et ibi cum rationibus suis exposita sunt. *Dicebatque illi immolans : Incendatur primum juxta morem hodie,* id est legis jussionem, *adeps,* juxta illud Levitici [Ibid. 16, 17.], Omnis adeps Domini erit jure perpetuo. Ideo ad Dei honorem debuit adeps primo cremari. Unde in animalium excoriatione adeps separabatur, et primo accendebatur. *Et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua,* id est, de reliquo corpore animalis, præsertim cocto, accipe quantum vis, etiam plus quam secundum legem sacerdoti debetur, dummodo non fiat prætacta injuria Deo. *Qui respondens, aiebat : Ne-*

B

C

D

Digitized by Google

quaquam sic faciam. *Nunc enim dabis* A mihi carnem crudam, *alioqui tollam vi.*

Ecce quanta contumacia, incorrigibilitas et aspernatio Dei, imo et violentia manifesta ! Ita intumuerunt et male audaces fuerunt filii Heli et eorum ministri, videntes patrem suum esse judicem populi atque pontificem, id est civiliter ac spiritualiter præsidentem. Porro ministri illi fuerunt Levitæ sacerdotibus servientes. *Erat ergo peccatum puerorum,* maxime filiorum Heli et ministrorum eorum, *grande nimis coram Domino,* id est divino judi- B cio, quia sacrilegi erant in Deum, et violenti ac scandalosi in proximum, imo in totam communitatem ; *quia retrahebant homines a sacrificio Domini,* id est, impediebant eos a legitima immolatione, et propter abusum eorum, multi omiserunt sacrificia debita præsentare. Hinc Josephus ait : Filii Heli contra homines injuriosi, contra divinitatem impii, nulli iniquitati parcebant.

Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo, id C est tali linea veste, quali uti consueverunt Levitæ in suo officio, qua et minores sacerdotes poterant uti. (*Exod.* XXVIII, 40.) Et non erat ephod sacerdotale, id est pontificis, cujus superhumerale ephod appellabatur, ut in Exodo inductum est. Aliqui quoque affirmant, quod fuit ephod propheticum, quoniam et prophetæ aliqui tali solebant veste uti. Quod autem minores sacerdotes ea poterant uti, hinc demonstratur, quoniam infra habetur quod Doeg interfecit octoginta (1 *Reg.* XXII, 18.) quinque viros indutos ephod. *Et tunicam* D *parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solennem et votum suum.* Per tunicam, intelligi potest omnis vestitus Samuelis in illa ætate. *Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus, dixitque ei : Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore quod commodasti Domino,* id est pro eo quod hunc puerum Samuelem per modum fœnoris Deo obtulisti. Fœnus enim commodatur, ut pro eo aliquid recipiatur. Sic parentes Samuelis eum Domino obtulerunt, quatenus inter cetera etiam per hoc mererentur ampliorem fecunditatem adipisci a Domino : quod et factum est, sicut subjungitur. *Et abierunt in locum suum. Visitavit ergo Dominus Annam,* dando ei fecunditatem, *et concepit et peperit* successive *tres filios,* sic tamen, quod unus illorum fuit Samuel, ut communiter dicitur, *et duas filias.* Denique ad tantam prolificationem videtur benedictio et oratio Heli pontificis cooperata; nam et propter dignitatem tanti officii Deus tunc multa agebat. *Et magnificatus est puer Samuel apud Dominum,* id est, in virum perfectum coram Deo excrevit, proficiens sapientia, ætate et gratia.

Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli, circa eorum sacrificia, *et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi,* id est, foris ad atrium excubabant : quia venerunt ut juxta legis præceptum in Levitico scriptum (*Lev.* XII, 6.), post partum suum purificarentur et immolarent. Sicque impii illi polluebant eas, quæ venerant ut purificarentur. Aliqui tamen dixerunt, quod non dormiebant cum illis, sed sumpta pecunia, licentiaverunt eas ad dormiendum cum suis maritis infra dies purificationis : quod dictum, pro prima sui parte, videtur contrarium textui ; pro secunda vero sua parte, credibile est, ex quo sacerdotes isti erant tam scelerati. *Et dixit eis : Quare facitis res hujuscemodi quas ego audio, res pessimas ab omni populo,* id est multo pejores quam sunt quæ faciunt populares ? Vel, Pessimas ab omni populo, id est, abstrahendo a sacrificiis populi carnes crudas, etiam ante adipis cremationem, et uxores abstrahendo a suis maritis per adulterium. *Nolite, filii mei. Non enim est bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini,* communitatem scandalizando, atque a solitis sacrificiis (ut dictum est) avertendo, uxores quoque ad scelera inducendo enormia.

Digitized by Google

Si peccaverit vir in virum, seu homo in hominem, *placari ei potest Deus,* per sacrificia et orationes tam suas quam sacerdotis, non tamen sine pœnitentia vera peccantis. *Si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* quasi dicat, Irremissibile est: quod non est intelligendum, quasi sit simpliciter irremissibile, vel quasi non sint sacrificia instituta in lege pro peccatis in Deum commissis, præsertim quum pro adoratione aurei vituli Dominus jusserit certa sacrificia tam ab Aaron quam a populo immolari.

Lev. xvi, 29-34; xxiii, 27-32; Num. 7-11.

Sed istud dicitur, ad insinuandum quod peccata in Deum commissa, loquendo in generali, sint multo enormiora et difficilius remissibilia, quam peccata in proximum, secundum quem modum in Ecclesiastico habetur: Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam? Quis exorabit pro delictis illius?

Eccli. xxviii, 3, 5.

Joannes quoque in prima sua Canonica: Est, inquit, peccatum ad mortem; non dico ut pro illo roget quis.

I Joann. v, 16.

Sic et Salvator in Evangelio: Blasphemia, ait, Spiritus non remittetur in hoc sæculo neque in futuro.

Matth. xii, 31, 32; Marc. iii, 29.

Porro peccata in Deum, sunt proprie quæ sunt contra tria prima præcepta; peccata in proximum, quæ sunt contra alia septem. Et quamvis loquendo in genere, peccata in Deum, sint graviora, nihilo minus in speciali, quædam peccata in proximum, graviora sunt quibusdam peccatis in Deum: ut homicidium gravius est, quam violatio sabbati sive perjurium: nam et peccata in proximum, sunt contra Dei præcepta.

Et non audierunt vocem patris sui auribus cordis, id est, increpationi et jussioni sui patris non acquieverunt, quia obdurati erant consuetudine vitiosa; *quia voluit Dominus occidere eos.* Si hoc ita est, videtur quod excusabiles erant, et quod Deo sit imputanda eorum perditio; non enim poterant voluntati Dei resistere, neque hanc immutare. Præterea, teste Apostolo, Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

I Tim. ii, 4.

Propter quod in secunda sua Canonica beatissimus Archiapostolus contestatur: Non tardat Dominus promissum, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

II Petr. iii, 9.

Unde et per Ezechielem locutus est: Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non, ut convertatur a viis suis, et vivat?

Ezech. xviii, 23.

Verum ad omnia ista, secundum Damascenum, est una responsio, quod scilicet Deus voluntate antecedente vult omnes salvari, impiosque converti, videlicet considerando eos ut homines sunt; non autem voluntate consequente, quia pensando quosdam ut reprobos et iniquos, vult eos damnari, et interdum temporaliter perimi. Hi ergo non obtemperaverunt suo patri, quia Dominus voluit eos occidere, in quantum erant tam vitiosi: propter quod gratiam, sine qua nemo convertitur, eis juste abstraxit. Verumtamen non fuerunt necessitati ad vitia, quia remansit in eis libertas arbitrii. Et si fecissent quod erat in eis, non fuissent a Deo relicti. Idcirco eorum damnatio non est Deo imputanda. Et quoniam Deus præcognovit filios Heli per temporalem pœnam non convertendos, voluit eos etiam morte infernali occidere.

Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, et placebat tam Deo quam hominibus: quia per dona naturæ et munera gratiæ, fuit valde amabilis, affabilis, humilis, caritativus, suavis et exemplaris in cunctis. Sic et de Moyse scriptum est in Ecclesiastico: Dilectus Deo et hominibus Moyses.

Eccli. xlv, 1.

Sed objici potest illud Psalmistæ, Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent;

Ps. lii, 6.

et quod ait Apostolus ad Galatas, Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

Galat. i, 10.

Et respondendum, quod scriptura hæc loquitur de hominibus bonis et virtuosis, aut saltem bonæ inclinationis, de quibus rursus idem fatetur Apostolus, Ego per omnia omnibus placeo;

I Cor. x, 33.

non autem de perversis et induratis hominibus, de quibus ait Scriptura, Abominantur impii virum justum.

Prov. xxix, 27.

Venit autem vir Dei ad Heli. Quis fuerit iste vir Dei, nescitur; et quidam Judæi de hoc diversimode fabulantur. Nam ali-

Digitized by Google

qui dicunt, quod fuerit Phinees, quem constat jamdudum obisse. Sed dixerunt quidam Hebræi, quod fuit resuscitatus, vel idem in alio corpore : quæ omnia sunt incerta aut falsa. Alii dixerunt, quod fuit Elias, quem constat tunc nondum fuisse natum, nisi quod quidam stulti Hebræi affirmant etiam Eliam fuisse in alio corpore Phinees ipsum. Alii dixerunt, quod fuit angelus in specie viri. Quidam vero, quod fuit Elcana pater Samuelis. Sed juxta litteram verius reor, quod fuit aliquis Propheta exsistens tunc temporis, qui saltem hac vice tactus fuit gratia prophetali, sicut *Judic.* VI, 8-10. et in libro Judicum legitur Dominus misisse virum prophetam ad filios Israel increpandos. Nec puto, quod vir iste fuerit Elcana : quia jam multa sunt nominatim de eo relata, cur ergo et istud opus præclarius ceteris, non esset nominatim de eo conscriptum ? *Et ait ad eum : Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui,* imo manifeste apparui Aaron patri tuo et domesticis ejus, *quum esset in Ægypto ?* quod secundum Hieronymum fuit, *Exod.* IV, 27. quando Dominus jussit Aaron ut iret in occursum Moysi, ut legitur in Exodo : quod Dominus per angelum creditur Aaron præcepisse. Et quamvis Dominus forsitan non apparuit ita domui Aaron, tamen ipse Aaron poterat domui suæ significare apparitionem et jussionem sibi factas a Domino. Dicuntque aliqui, quod Deus tunc revelavit ipsi Aaron, quod futurus erat summus sacerdos. Hoc tamen in textu isto non exprimitur evidenter. Quod vero subjungitur, *in domo Pharaonis,* exponi potest, quoniam terra habitationis Hebræorum ad Pharaonem pertinuit.

Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, imo et in pontificem præ ceteris universis. Electio Dei æterna est, sed per exteriora quædam signa manifestatur interdum in tempore. Sicque in *Ibid.* XXVIII, 1 *et seq.* Exodo describitur, quando et qualiter Deus revelavit Moysi in monte Sinai, quod applicaret ad se Aaron et filios ejus, ut sacerdotio fungerentur, et Aaron pontifica-

A tu. Deinde in Numeris recitatur, qualiter *Num.* XVII, 8. idem ostenderit Dominus per virgæ Aaron floritionem. Josephus vero ait, quod etiam parentibus Aaron et Moysis Deus in Ægypto revelavit in somno, quod generaturi essent filium, qui filios Israel educeret de Ægypto. Tunc quoque revelavit eis de sacerdotio et pontificio Aaron. *Ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod* pontificale, scilicet superhumerale, *coram me ; et dedi domui patris tui,* id est sacerdotibus Aaronitis, B *omnia de sacrificiis filiorum Israel,* id est quasdam partes de sacrificiis universis, præsertim pacificis seu salutaribus, quæ offerebantur pro pace ad eum sive ad homines danda aut conservanda, seu pro salute data, danda, aut conservanda; et quando fiebant pro salute aut pace data, dicebantur sacrificia gratiarum actionis. De his itaque sacrificiis armus dexter et pe- *Levit.* VII, 32-34, *et* 8. ctus cedebant in usum sacerdotis offerentis; similiter pellis. Porro adeps et duo renes atque renunculi, adolebantur seu C incendebantur Domino super altare holocausti. In hostiis autem pro peccatis, plura pertinebant ad sacerdotes, quia ex eis nil cessit in usum offerentium ea pro suis peccatis. Sed quando pro totius populi peccato fiebat oblatio, totum, etiam pellis, comburebatur.

Quare calce, id est aspernanter et insolenter, sicut quod calce repellitur, *abjecistis victimam meam,* id est sacrificia mihi offerenda, non permittendo ut legitime immolentur, *et munera mea,* id est hostias D spontaneas, quæ ultra debitum ex devotione offeruntur ? Vel, Munera mea, quia hæc ipsa quæ mihi offeruntur, sunt dona et beneficia mea vobis a me collata, quemadmodum primo libro Paralipomenon David loquitur Deo : Tua sunt omnia, et quæ de *I Par.* XXIX, 14. manu tua accepimus, dedimus tibi. *Quæ præcepi ut offerrentur in templo,* id est in atrio tabernaculi, in quo atrio stetit altare holocausti. Quamvis enim immolarentur spontanee, tamen locus fuit determinatus ex lege. *Et magis honorasti filios*

Digitized by Google

tuos, quam me: quia permisisti eos impune mea violare præcepta in punctis prætactis, et partes sacrificiorum sacerdotibus deputatas voluisti eis dari; ea vero quæ mihi offerenda erant, non fecisti mihi offerri. Quamvis etenim Heli filios suos increpavit, non tamen ita districte, ut tenebatur, seu ut enormitas criminum eorum exegit. Ideo Glossa ait ex verbis Hieronymi : Coercuit et corripuit eos, sed lenitate seu mansuetudine paternali, non severitate et auctoritate pontificali. Ideo in iniquitate filiorum suorum damnatus est, videlicet in quantum ei juste imputabatur, quia non restitit eis, nec increpavit et castigavit ut debuit. Sicque etiam pro propria culpa punitus est, quia neglexit debitum sui implere officii. *Ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei,* id est, præcipuas partes sacrificiorum adhuc crudas assumeretis, faceretisque eas vobis laute et seorsum coqui contra legis præceptum : quod filii Heli fecerunt juxta præhabita, et patri eorum imputatur, quia non debite impedivit.

Propterea ait Dominus Deus Israel : Loquens locutus sum, ut domus tua, id est tu ipse et filii tui, *et domus patris tui,* id est cognatio Aaron, de cujus semine natus es, *ministraret in conspectu meo,* sacerdotale et etiam pontificale officium exsequendo in templo, *usque in sempiternum,* id est per omne tempus veteris Testamenti. Istud de summi sacerdotis officio potissimum dicitur. Quæritur ergo, ubi vel quando locutus sit Dominus, quod domus Heli fungeretur sacerdotio summo. Et apparet quod nullibi. Præceperat enim Dominus in Exodo et libro Numerorum, ut Aaron pontifex, et post eum primogenitus ejus Eleazar, sicque deinceps, pontifices essent. Heli autem non fuit de stirpe Eleazari, sed ipsius Ithamar. Respondendum, quod in casu summum sacerdotium poterat et debebat devolvi ad filios Ithamar, et ita tunc factum est, et creditur id contigisse propter peccata posterorum Eleazari, qui in executione pontificii sui valde negligentes fu- A erunt. Ideo, sicut hic legitur, Dominus dixit quod summum sacerdotium transferretur ab eis ad Heli filium Ithamar : et forte per aliquem Prophetam prænuntiavit hoc tunc, quamvis scriptum non sit. Non enim omnia scripta sunt.

Exod. XXVIII, 1; *Num.* XX, 25, 26.

Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me, id est, exigente justitia mea, non implebo illam promissionem, quæ sub conditione fuit intelligenda, utpote nisi peccando enormiter, obicem poneretis, sicut nunc posuistis. *Sed quicumque glorificaverit me,* B mihi cum debita fidelitate et reverentia serviendo, *glorificabo eum* præmio copioso. *Qui autem contemnunt me,* id est, scienter et ex habitu pravo peccant, præsertim qui incorrigibiles sunt, et suis abutuntur officiis, *erunt ignobiles,* id est, confusibiliter disperibunt : et ipsa eorum iniquitas est ignobilitas maxima. Et interdum fit istud in vita præsenti, quamvis non semper : quia frequenter impii prosperantur et florent in sæculo isto, justi vero econtrario adversitatibus affliguntur. C Dominus tamen ad litteram loquebatur potissimum de sacerdotibus illis legalibus, qui bene agendo, honorabantur in vita præsenti, Deo sic disponente.

Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, id est, potestatem et auctoritatem pontificalem tollam a te ac posteris tuis, *et brachium domus patris tui,* id est, tuam cognationem a patre tuo seu avo aut proavo procreatam, auferam de hac vita in juventute eorum. Ideo subditur : *ut non sit senex in domo tua,* id est in sobole tua D atque domesticis. Translatio ista pontificii a domo Heli ad posteritatem Eleazari, facta est tempore Salomonis, qui Abiathar pontificem natum de Heli ejecit a pontificio, et tradidit illud Sadoc ex Eleazaro nato : sicque summum sacerdotium fuit reductum ad priorem originem. *Et videbis æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel :* quoniam sub Salomone fuit mira prosperitas in Israelitico populo, et ingens honor pontificis, et hoc Heli vidit, et invidit, non personaliter, sed in sobole

III *Reg.* II, 27, 35.

Digitized by Google

sua : quia Abiathar et filii ejus de sua A dejectione et ipsius Sadoc promotione dolebant, invidiamque habebant nonnunquam, aut quidam eorum. *Et non erit senex in domo tua omnibus diebus.* Hoc verificatum est per interfectionem filiorum Heli in ju-
I *Reg.* xxii, 18. ventute eorum ; per occisionem etiam sacerdotum quos Saul impie trucidavit, qui magna ex parte fuerunt de Heli et Ithamar. *Verumtamen non auferam virum penitus ex te ab altari meo,* id est, aliqui posterorum tuorum erunt in officio sacerdotum
III *Reg.* ii, 26 ; iv, 4. minorum : in quo et Abiathar post suam B dejectionem a pontificio mansit; *sed ut deficiant oculi tui et tabescat anima tua :* id est, hoc ipsum quod aliqui posterorum tuorum erunt in sacerdotali officio, erit ad afflictionem et desolationem ipsorum, quantum ad hoc quod videbunt se ita humiliatos et subditos his, quibus patres eorum aliquando præfuerunt; *et magna pars domus tuæ morietur, quum ad virilem*
I *Reg.* xxii, 18. *ætatem venerit :* quod in sacerdotibus Nobe occisis a Saul videtur impletum. *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum* C *est duobus filiis tuis Ophni et Phinees : In die una morientur ambo,* id est, per hoc scies vera esse quæ dixi, quod duo filii tui eodem die interficientur. Quasi dicat : De propinquo do tibi signum, quoniam te sene adhuc vivente, percipies eos ambos pariter interisse.

Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet, id est, vivet, et suum implebit officium secundum meam voluntatem et intentionem. Loquitur autem Deus metapho- D rice de se, quasi de homine, dicendo, Juxta animam meam, quum ipse in sua natura sit simplicissima mens. *Et ædificabo ei domum fidelem,* id est, bonam et stabilem posteritatem ei concedam. Quidam expo-
Ps. cix, 4. nunt ista de Christo, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, cujus posteritas fuerunt sancti Apostoli et ceteri electi sacerdotes ac præsules evangelicæ legis. Cui expositioni non videtur consonare quod subditur : *et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Ideo alii exponunt ista de Sadoc pontifice justo, qui coram Salomone est fideliter conversatus III *Reg.* i, passim ; ii, 35.
plurimis annis. *Futurum est autem ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo,* id est, templum seu atrium ejus ingrediatur, non jam ad sacrificandum et orandum pro aliis, ut moris ac juris est sacerdotum, sed magis ad rogandum ut sacerdotes orent pro ipso, eisque offerat aliquid, quatenus deprecentur pro ipso. Ideo subditur : *et offerat nummum argenteum et tortam panis, dicatque* alicui sacerdotum : *Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem,* id est, ad vescendum de aliqua portione hostiæ Deo oblatæ, ad esum sacerdotum spectante, *ut comedam buccellam panis,* id est, modicum quid manducem. Potest quoque istud exponi de sacerdotibus inferioribus ex Heli descendentibus, qui ad pontificem habebant recurrere et aliquid ei offerre, ut oraret pro ipsis.

Præterea quæritur, cur tanta ultio per tot generationes inflicta est posteris Heli propter peccatum ipsius, quum alibi Dominus sæpius protestetur, se visitaturum *Exod.* xx, 5 ; *Num.* xiv, 18.
peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem. Respondetur, quod pœnæ corporales vitæ præsentis, sunt medicinales, et ordinantur a Deo in bonum animæ patientium eas : idcirco non adversatur justitiæ, quod proles pro peccato parentis talia sustinet. Hi etiam posteri aliunde culpabiles erant : propter quod majora perpeti meruerunt, nec eis debebatur dignitas pontificalis ex lege aut jure successionis. Nam et ipsum Abiathar ejecit Salomon a pontificatu propter propriam ipsius Abiathar culpam, propter quam dixit ad ipsum, Filius mortis es. In talibus III *Reg.* ii, 26.
quoque casibus parentes puniuntur in pœnis et adversitatibus sobolis suæ, Deo sic ordinante.

Digitized by Google

ARTICULUS VI

DE MYSTICO SENSU RESIDUÆ PARTIS HUJUS SECUNDI CAPITULI.

Et *abiit Elcana in domum suam.* Quum A Elcana iste vir Levites et virtuosus, complesset in tabernaculo Domini suum obsequium, et Anna uxor ipsius, pariter redierunt in sua. Per quod significatur, quod sacerdotes, pastores, prælati et prædicatores verbi Dei, mox ut in ecclesiis, et circa subditos seu proximos suum compleverunt officium, debeant evagationes et fabulationes vitare, atque ad loca intrare secreta, ut ibi conscientiæ suæ domum seu interiora cordis sui discutiant et emendent, Deoque vacent, quatenus orando et B meditando, seque devotionaliter exercendo, obtineant illuminationem tam copiosam, et fervorem tam validum a Spiritu Sancto, quod rursus tempore opportuno queant alios magis idonee informare, purificare, accendere.

Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum neque officium sacerdotum ad populum. Per impios illos sacerdotes, intimoratos, avaros, adulteros, designantur nunc universi sacerdotes et clerici, religiosi atque canonici, qui amplius quærunt C commoda sua et oblectamenta immunda, promotionesque proprias, quam Dei honorem et animarum salutem; et ecclesiastica bona, oblationes fidelium, et quæ Domino offeruntur, expendunt carnaliter aut superbe, et avaritiæ student: sicque sub professione, nomine et habitu spiritualitatis, cor gerunt repletum vanitatibus mundi aut vitiis carnis. Idcirco sunt filii Belial, membra et servi diaboli, satellites dæmoniorum, quibus inæstimabilis ira propinquat, et intoleranda damnatio proxima D est, quia peccata eorum sunt coram Deo grandia nimis: nam et populum Dei enormiter scandalizant, ac bonis ecclesiæ quæ consumunt, sunt prorsus indigni. Et quidam eorum sunt adeo intimorati ac vitiosi, quod ea quæ pro reparatione ecclesiæ ac necessariis in divino officio aut condecenti ornatu basilicæ offeruntur, in suos redigunt usus, ne dicam, in usus scortorum et filiorum suorum. Quid dicturi sunt impii et infelicissimi isti, quum divino tribunali fuerint præsentati? Resipiscant (II *Tim.* II, 26.) ergo et erubescant, et dignos pœnitentiæ (*Matth.* III, 8.) agant fructus, et Samuelis imitentur virtutes, qui ephod lineo fuit accinctus, per quod mortificatio carnis, puritas cordis, exemplaritas operis figurantur, quibus ministros Ecclesiæ decorari oportet. Nempe ut asserit Glossa: Qui Deo ministrare desiderat, necesse est ut caste et sobrie vivat, (*Tit.* II, 12.) præsertim quum cunctis fidelibus jubeat Christus: Videte ne graventur corda vestra (*Luc.* XXI, 34.) crapula vel ebrietate. Sed, proh dolor! multi cum filiis Heli quærunt non solum sufficientia, sed et superabundantia et delicatiora, et incontinentiæ præbent incitamenta.

Et tunicam parvam faciebat ei mater sua. Tunica parva, est humilis vita, quam mater Ecclesia parat ac docet filios suos, quatenus opera sua, quantumlibet magna, in humilitate custodiant, parvipendant; et quidquid boni in eis est, Deo semper attribuant: sicque juxta Judæ apostoli documentum, odiant eam quæ carnalis est, (*Judæ* 23.) maculatam tunicam. *Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus, dixitque: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore quod commodasti Domino.* Sic boni prælati, religiosorumque patres, benedicere debent sæcularibus, qui sobolem suam offerunt Deo in locis devotis: in quibus dum proles oblata seu sponte ingressa, bene se habet, gaudium parit superioribus suis,

Digitized by Google

quorum benedictione et oratione, imo et A meritis ac precibus prolis laudabiliter conversantis, Deus frequenter etiam in temporalibus benedicit parentibus, et eos mente fecundat ac corpore. Verum sunt aliqui Deo ingrati ac infideles, qui filios suos aut filias a religionis ingressu spiritualive conversatione, toto posse avertunt; et quod Deus eis gratiose concessit, malitiose abstrahunt Deo. Quod si aliquem ex fructu uteri sui habuerint mundo ineptum, hunc deputant Deo, cui non viliora, sed præstantiora sunt offerenda.

Et Heli *audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli.* Per hunc Heli, qui (quantum ad se) videtur fuisse vir mitis et pius, intelliguntur negligentes prælati et patres, imo et universi qui circa *Matth.* *xviii, 15-17.* impletionem præcepti fraternæ correptionis sunt remissi ac tardi, præsertim qui subditos suos debite increpare ac castigare non satagunt : propter quod omnia subditorum vitia redundant in ipsos, et damnantur ac puniuntur pro ipsis. Ideo periculosum est præsidere, et curam accipere C animarum. Atque, ut asserit Origenes, Bonum est non prosilire ad ecclesiasticas dignitates. Unde et Chrysostomus : Quis est, inquit, qui cupit præesse, nisi qui non timet judicium Dei? Ecce Heli filiis suis increpatorie est locutus : Quare facitis res hujuscemodi, res pessimas? Et tamen tanquam transgressor præcepti paternæ ac fraternæ correptionis, reprobatur a Domino, improperaturque ei quod magis honoraverit filios suos quam Deum. Constat ergo quod juxta gravitatem et scandalosi- D tatem culparum eorum qui peccant, dire et acriter sint a superioribus suis reprehendendi ac puniendi et reprimendi. Quid ergo damnationis imminet his, et quam detestabiles sunt coram Altissimo, qui debitum suæ prælationis et præceptum correptionis in subditis suis non implent, in tantum, ut nec molliter quidem seu remisse corripiant delinquentes, vel personarum sint acceptores, unum palpando præ alio? O quam variis modis communicant hi peccatis alienis! Insuper, quam multi præsules et archidiaconi ac decani audiunt his diebus, qualiter filii, id est subditi eorum presbyteri, canonici, seu in sacris Ordinibus constituti, dormiunt cum mulieribus conjugatis ac aliis, imo et Sponso cœlesti consecratis; nec tamen, ut tenentur, cor- B ripiunt, sed pœna pecuniaria contentantur, nec lucra quærunt animarum, sed suarum impletionem bursarum! Aut, quod sceleratissimum est, hæc ipsa facinora quæ in aliis corripere et corrigere obligantur, exercent etiam publice, et magis quam subditi, et transgredi permittunt ac faciunt populum Dei. Hi maledicti non solum privantur divinis promissis, quæ bonis sacerdotibus ac prælatis idoneis facta sunt et parata; sed cum Heli incurrunt comminationes atque punitiones multiplices ac pavendas a Judice adorando, in cujus manus *Hebr. x, 31.* incidere est horrendum; qui glorificantes se, gloriose exaltat; et eos a quibus contemnitur, qui filios suos aut proximos magis honorant, amant, aut timent, quam Deum, horribiliter confutabit.

Accendamur igitur zelo justitiæ et Deitatis fervore in primis contra nos ipsos, et contra vitia nostra et negligentias proprias, detestando, puniendo et vitando ea quotidie cum debita seriositate; deinde adversus peccata et vitia proximorum, potissime subditorum et domesticorum nostrorum : et quos magis diligimus, reprehendamus instantius; nec ex timore offendendi homines, aut desiderio complacendi hominibus, omittat quis quæ Deus requirit. Alioqui judicabitur plus honorare homines, quam hominum Creatorem.

Digitized by Google

ARTICULUS VII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : PUER AUTEM SAMUEL MINISTRABAT DOMINO CORAM HELI.

RECITATUR hic, qualiter præscripta A increpatio et reprobatio Heli pontificis, etiam manifestata sit Samueli, et per Samuelem pontifici; promotio quoque Samuelis ad gratiam prophetalem. *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus,* id est, difficulter obtineri poterat divina seu prophetalis responsio ad interrogata ac dubia. Pauci quoque tunc erant qui populum salubriter informabant. *In diebus illis non erat visio manifesta :* quia etsi alicui fiebat revelatio prophetica, sicut in præce- B denti capitulo dictum est de viro Dei misso ad Heli, hoc tunc raro et secrete fiebat. Omne autem rarum, est pretiosum, dummodo sit appetibile. Circa hæc scribit Lyra : Propter malitiam filiorum Heli, et negligentiam patris eorum in corrigendo, cessaverunt revelationes et responsiones Domini. Unde in Hebræo habetur : Sermo Domini erat prohibitus et obturatus. Contra quæ objici potest, quia (ut dicunt Thomas et alii) quamvis interdum puniat Deus unum pro peccato alterius in temporali- C bus, non tamen in spiritualibus. Denique temporibus Manassæ, Amon, et filiorum Josiæ, erat multo major iniquitas sacerdotum, imo et populi, quam tempore isto Heli : et tamen tunc erant multi et magni Prophetæ, et visiones apertæ, ut patebit infra libro quarto, et secundo Paralipomenon, atque frequenter in Jeremia. Asseritque Rabbi Paulus, dictionem illam Hebraicam, pro qua Hieronymus transtulit, Pretiosus, non significare nisi pretiosum. Itaque juxta doctrinam Augustini li- D bro de Civitate Dei, videtur dicendum, quod apud æternam et infinitam sapientiam Creatoris, invariabiliter ac sapientissime est decretum ac definitum, quando et ubi ac qualiter miracula et ceteri miraculosi effectus contingant. Sic quoque de propheticis visionibus est tenendum.

Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, id est in lecto seu thalamo juxta tabernaculum, ad dormiendum, *et oculi ejus caligaverant,* præ senectute, ex organi indispositione. Alioqui si organum visus in sene esset dispositum sicut in juvene, tam clare videret senex ut juvenis, ut ait Philosophus. *Nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur.* Hoc aliqui sic exponunt, quod non poterat videre in die, quando lucerna tabernaculi erat exstincta. Alii sic : Non poterat videre ante diem, quando lucerna exstinguebatur. Quæ expositiones obscuræ sunt, et extortæ videntur. Quidam ergo magis ad litteram et clarius sic exponunt, quod non valebat videre lucernam adhuc ardentem seu lucentem, propter visus sui debilitatem, quemadmodum vespertilio lucem diei pati non potest. Sed huic expositioni quoque objicitur, quod nemo tam debilem habet visum, nec ita cæcutiens est, quin clarius videat lucernam ardentem quam exstinctam. Hinc secundum Magistrum in historiis, Hebræi distinguunt et punctuant ita : Non poterat videre ; deinde subjungunt secundum Hebraicam veritatem, Lucerna Domini nondum exstinguebatur : sicque congruenter subjungitur, Samuel autem dormiebat. His concordat quod libro de Hebraicis quæstionibus dicitur. Et idem approbat Lyra, additque : Translatio nostra videtur hoc loco corrupta per imperitiam correctorum, qui duos versus conjunxe-

Digitized by Google

runt in unum, sicut in aliis pluribus locis A est factum : ideo consequenter posuerunt hic Lucernam in accusativo, pro Lucerna in nominativo. Unde apparet, quod veritas nostræ translationis a principio fuit hæc, Non poterat videre : ita quod versus hic terminatur. Et sequitur : Lucerna Domini antequam exstingueretur, Samuel dormiebat, hoc est, antequam lucerna Domini exstinguebatur, puta in nocte, Samuel dormiebat.

Verumtamen quia non videtur quod talis corruptio possit de facili generaliter B fieri, reor dicendum, quod textus sicut jacet, potest convenienter salvari : pro quo primo pensandum, quod in tabernaculo *Exod.* XXV, 37; *Lev.* XXIV, 3. erant septem lucernæ ardentes de nocte, quarum quatuor exstinguebantur de mane, quæ rursus de vespere accendebantur. Et istæ lucernæ erant lampades valde clare lucentes, absque intermedio rostro super candelabrum positæ : quæ omnia in Exodum exposita sunt. Insuper advertendum, quod dupliciter dicitur aliquis non posse videre lucernam ardentem seu lampadem. C Primo, quia nequaquam perceptivus est visualium specierum seu radiorum ipsius. Secundo, quia eam non potest inspicere absque sui visus pœna ac læsione. Juxta quem modum noctua nequit lumen solis videre. Dicendum ergo, quod Heli ita fuit cæcutiens, quod absque notabili visus sui tormento, nequibat lampades illas ardentes et lucentes adspicere. Sicque communiter dicitur, quod homo non potest solem in rota suæ claritatis intueri. Et ita non poterat Heli videre lucernam Dei, hoc est D lampades illas ardentes, intelligendo plurale per singulare, antequam exstinguerentur : non quod postea viderit eas. Quemadmodum fertur apud Matthæum, quod *Matth.* I, 25. Joseph non cognovit Mariam, donec peperit : non quod postea eam cognoverit. Vel forte exstinctis lampadibus in ipso crepusculo vel aurora, melius et sanius vidit eas, quam in tanti luminis conglomeratione atque vigore.

Samuel autem dormiebat in templo Domini ubi erat arca Dei. Per templum Domini, intelligitur hic tabernaculum Moysis. Arca vero erat in Sancto sanctorum, in quo nemo dormivit, imo nec in exteriori tabernaculi parte. Idcirco dicitur Samuel in templo dormivisse, hoc est in quadam appendicia ejus, puta in thalamo juxta tabernaculum, in quo thalamo solus dormivit Heli; non tamen in lecto eodem. *Et vocavit Dominus Samuel.* Hoc Dominus fecit per ministerium angeli, qui (ut apparet) vocavit Samuelem dormientem, ita quod ex illa vocatione evigilavit : sicque videtur fuisse vocatio exterior, sicut et paulo post alloquebatur eum allocutione exteriori vocali, quanquam et interiori vocatione imaginaria potuerit eum usque ad expergefactionem vocasse. *Qui* Samuel *respondens, ait : Ecce ego* paratus sum ad tuum præceptum. *Et cucurrit ad Heli, et dixit : Ecce ego* præsto sum. *Vocasti enim me* nunc. Hoc Samuel æstimavit : ideo dixit falsum materialiter, non autem formaliter; imo formaliter dixit verum, quia sic dixit, ut sensit. *Qui dixit : Non vocavi te, fili,* in hac hora. *Revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit.*

Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, fili mi. Revertere, et dormi. In quibus promptissima Samuelis obedientia commendatur, quia intempestæ noctis silentio toties et tam celeriter ac patienter surrexit et cucurrit ad Heli dominum suum, a quo se vocari putavit. Ex quo item elicitur, quod non jacuerunt remote ab invicem. *Porro Samuel necdum sciebat Dominum,* eo modo quo Prophetæ, id est, necdum cognoverat modum quo Dominus consuevit Prophetis apparere ac loqui, vel præ juventute nondum habuit scientiam de Deo notabilem ; *neque revelatus fuerat ei sermo Domini,* hoc est, allocutio prophetalis non fuit ei adhuc facta aut declarata. Dicit quoque Josephus, quod duodecimo suo anno cœpit propheticas visiones habere. *Et adjecit Do-*

Digitized by Google

minus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. A *Qui consurgens, abiit ad Heli, et ait: Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia vocaret Dominus puerum.* Heli namque innocentiam eminentemque gratiam Samuelis perpendit, ideo præsupposuit eum vocari a spiritu bono. *Et ait ad Samuelem : Vade et dormi ; et si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo.*

Et venit Dominus, id est angelus in Dei persona apparens, et loquens, *et stetit, et* B *vocavit sicut vocaverat secundo,* id est prius seu altera vice. Vel, Secundo, id est, bis expressit nomen Samuelis, ipsum vocando. Nam subditur : *Samuel, Samuel.* Quæ repetitio est signum dilectionis, vel excitatio attentionis, vel seriositatis et magnitudinis rei indicium. Porro, ut Josephus innuit, Dominus ter Samuelem vocavit, ad præfigurandum tres dignitates ipsius: quia ex hac hora est factus propheta, postea judex, obtulit quoque sacrificium ut sacerdos, eo quod parvulus esset Ichabod filius C Phinees filii Heli. Verumtamen si præinducta rite pensentur, Dominus Samuelem quater vocavit. *Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Circa hunc passum quidam scribit : Quemadmodum ars et natura procedunt de imperfecto ad perfectum, sic revelationes secundum processum temporis ; quia Prophetæ posteriores, ad tempus Christi propinquantes, habuerunt clariores prophetias de Christo, quam Prophetæ priores. Ad quod dico, quod istud in quibusdam sic fuit, sed non est D regulariter verum. Non enim Aggæus, Nahum, Habacuc, Joel, et similes eis, fuerunt magis illuminati de mysteriis Christi, quam David et Isaias, qui diu ante fuerunt ; sed econverso, quum dicat Hieronymus, quod Isaias universa Christi atque Ecclesiæ mysteria, ita ad liquidum prosecutus est, ut potius evangelista quam propheta sit judicandus.

Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel, id est, cito faciam opus tam metuendum, et plagam seu ultionem tam grandem in Israelitico populo, *quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus,* id est, quicumque fidelium illud perceperit ac bene perpenderit, vehementer mirabitur ac pavebit, instar ejus qui audit sonum tam ingentem, quod aures suæ tinniunt inde. Hoc impletum fuit in arcæ captivatione, et filiorum Heli ac populi Israel magna strage, ac ceteris quæ in sequenti scribuntur capitulo. *In die illa suscitabo adversum Heli omnia, quæ* (I *Reg.* IV, 10 *et seq.*) *locutus sum super domum ejus ; incipiam et complebo. Prædixi enim ei,* scilicet Heli pontifici per virum Dei, ut præcedenti (*Ibid.* II, 27 *et seq.*) habetur capitulo, *quod judicaturus essem domum ejus in æternum,* id est, debite puniturus tam ipsum Heli, quam filios ejus ac posteritatem pœnis perpetuis, juxta expositionem capituli præcedentis, *propter iniquitatem,* id est congeriem magnam ac enormitatem iniquitatum *ejus, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos* tam rigorose ut tenebatur, prout ista capitulo præcedenti exposita sunt. *Idcirco juravi domui Heli,* id est, irrevocabiliter de ipsis definivi, *quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum,* id est, quod eorum facinora nunquam dimittentur eis per quæcumque sacrificia legis, quantum ad pœnam vitæ præsentis : pœnitentibus tamen non præcludebatur via salutis, quantum ad remissionem culpæ ac pœnæ æternæ. Ecce quam terribiliter loquitur Dominus contra Heli, eo quod præceptum paternæ correptionis non adimplevit.

Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare Heli pontifici *visionem* præfatam, propter ipsius terribilitatem, et propter ipsius Heli auctoritatem, atque ne nimis contristaretur senior ille. *Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit : Samuel, fili mi? Qui respondens, ait : Præsto sum. Et interrogavit eum : Quis est sermo quem locutus est ad te Dominus? Oro te, ne ce-*

Digitized by Google

laveris me. Hæc faciat tibi Dominus, et hæc addat, id est, taliter te castiget et gravius te affligat per temporalia quævis adversa, prout justitiæ suæ placuerit, *si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi.* Dicunt quidam, quod ista fuit forma adjurandi quemcumque, solita apud Hebræos, et quod iste sit sensus : Faciat tibi Deus tot mala, quot fecit alicui homini, et adhuc plura. Sed videtur quod adjuratio ista sub tali sensu, fuisset illicita, quoniam imprecatio talis obviasset ac derogasset justitiæ. Non enim meruisset quis tanta incidere mala, propter hoc quod non implesset hujusmodi, ad quæ per verba illa adjurabatur. Sicque adjuratio illa fuisset maledictio inhumana, quum tamen multi justi ea usi legantur : ideo exponenda videtur sub quadam conditione implicita, sicut exposita est.

Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, id est cuncta verba sibi contra domum Heli, et contra populum Israel revelata, *et non abscondit ab eo. Et ille respondit : Dominus est,* totius creaturæ factor, princeps et judex, a quo appellari
Esther XIII, 9. non potest, et cui nullus potest aut debet resistere, quum ipse sit vere omnipotens, et prima mensura, causa ac regula totius justitiæ, sapientiæ ac virtutis : ideo quidquid dictat, bonum et sapientiale consistit. Hinc subditur : *Quod bonum est in oculis suis, faciat,* id est, quod sapientia sua dictaverit, impleat. Hinc in libro Sapientiæ
Sap. XII, 12, 13, 15, 16. legitur : Quis tibi, Domine, imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti ? Nec enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus. Quum sis ergo justus, omnia juste disponis. Virtus enim tua, justitiæ initium est. Hinc sanctus Job dixit : Quis ego,
Job VI, 10. ut contradicam sermonibus Sancti? Ex hac tam patienti et humili responsione Heli eliciunt aliqui, quod acceptando super se et suos divinæ sententiæ æquitatem, meruit, mediante sua contritione, peccatorum suorum remissionem, et pro eis temporaliter est punitus, non æternaliter condem-

A natus, quamvis et post hanc vitam etiam purgatorii tulerit pœnas : quod item ex his quæ in sequenti habentur capitulo, censetur probabile. Erat enim pavens pro arca Dei magis, quam pro filiis suis tempore belli ; auditaque arcæ captione, ex I Reg IV, 18. nimio mœrore cecidit mortuus, quum tamen filiorum suorum occisione audita manserit sedens. Denique responsionem hanc Heli secutus est David, fugiens Absalonem. II Reg. XV, 26 ; XVI, 10, 11. Porro verba sanctorum dicentium Heli damnatum, exponi possunt, quod æter-
B nam meruit damnationem filios suos non increpando condigne, et damnatus fuisset, nisi pœnituisset. Et rursus de condemnatione temporalis occisionis verificantur.

Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram, id est, cuncta quæ prophetavit et docuit, erant vera, nec quidquam ex eis fuit frustratum aut suppeditatum. Sic et Job : Lux, inquit, vultus mei Job XXIX, 24. non cadebat in terram. *Et cognovit uni-*
C *versus Israel a Dan usque Bersabee,* id est totus populus ille ab una terræ suæ extremitate usque ad aliam, *quod fidelis Samuel propheta esset Domini. Et addidit Dominus ut appareret in Silo,* id est, post præscriptam apparitionem adhuc sæpius apparuit Samueli in tabernaculo suo, quod erat in urbe Silo ; *quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo :* id est, ex quo jam semel cœpit se ibi manifestare Samueli, prout Prophetis se manifestare consuevit variis modis, videlicet in somno
D atque vigilia, et per angelos sanctos ; hinc in eodem loco dignatus est Dominus prosequi revelationes suas ad Samuelem, *juxta verbum Domini,* id est secundum quod Dominus per Moysen in Deuteronomio prædixit se responsurum populo suo per Prophetas. Propter quod jussit : Non sit inter Deut. XVIII, 11. vos qui pythones consulat neque divinos, et quærat a mortuis veritatem. Hinc loquitur Isaias : Numquid non a Deo suo populus Is. VIII, 19, 20. quæret veritatem ? Ad legem magis et ad Prophetas : et * secundum legis man- * id est

data procedite, quærendo consilia et responsa, et ad Prophetas pro talibus confugiatis. *Et evenit sermo Samuelis universo* A *Israeli,* id est, universis in generali et singulis interrogantibus eum, contigit quod eis prædixit.

ARTICULUS VIII

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI TERTII INTELLECTU.

SERMO *Domini erat pretiosus*. Hoc est Luc. x, 2. quod ait in Evangelio Christus : Messis multa, operarii autem pauci : nam etsi sint multi qui verbis abundant, pauci tamen inveniuntur, in quibus vita et mores verbis prædicationis concordent. Idcirco sermo eorum contemnitur, nec dignus est sermo Domini appellari, quum potius sit locutio vanitatis et verbum cupiditatis, quam caritatis et rectæ intentionis : alicqui in primis prædicarent sibimetipsis. Denique, prædicandum est tempore opportuno, et non nimis sæpe, nec nimis raro, ut cuncta moderetur discretio. Ideo super hunc locum ait Hieronymus : Prædicatio si rara est, non sufficit ; si assidua, vilescit. Prædicandum est itaque sæpe, sed non nimis Hebr. vi, 7. continue, quum dicat Apostolus : Terra super se venientem sæpe bibens imbrem, accipit benedictionem. Terra bibit imbrem, dum populus devote et avide audit sermonem. Porro qui indiscreta assiduitate Num. v, 2. sermocinantur, figurantur per seminifluos qui erant secundum legem immundi. Ideo Prov. xxiii, 9. ait Scriptura : In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii Eccli. xxxii, 6. tui. Itemque : Ubi non est auditus, non effundas sermonem.

In diebus illis non erat visio manifesta : quia dum negligens præest, illuminatio Prov. xxix, 2. deest subjectis. Ideo ait Salomon : Quum impii sumpserint principatum, gemet populus. *Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant.* Per Heli intelliguntur prælati remissi, inutiles, mala consuetudine et vitiis inveterati, corde obtenebrati, B qui videre non queunt lucernam, id est Sapientiam Patris incarnatam, seu verba legis divinæ, quia non habent intellectum formatum ac bene dispositum. Etenim animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei. I Cor. ii, 14. Nec sapit eis Scriptura divina, quam vocat lucernam qui ait : Lucerna pedibus meis Ps. cxviii, 105. verbum tuum. Isti quoque non possunt videre lucernam Dei, id est, divina præcepta attendere et implere recusant. Unde in Proverbiorum libro habetur : Mandatum, Prov. vi, 23. lucerna est ; et lex, lux ; et via vitæ, increpatio disciplinæ. C

Et vocavit Dominus Samuel. Quemadmodum Dominus per juvenem Samuelem redarguit senem Heli, ita quotidie quosdam, qui vitam suam in negligentiis et vitiis transegerunt, corripit Dominus per juniores devotos et fervidos. Quidam etiam in suæ conversionis exordio tantis gratiæ donis replentur, tamque strenue ac instanter proficiunt, quod seniores pigros cito præcedunt : quibus specialis humilitas necessaria semper est, atque sollicite observanda. D Postremo pensemus in textu hujus capituli, quam prompte obediens, quam vigil et alacer, quam docilis ac dirigibilis fuerit Samuel in adolescentia sua, qui tam cito ac sæpe in ipsa nocte cucurrit ad Heli, et ei in cunctis mox paruit. Quod si alicui fuerit aliquid specialis devotionis, illuminationis aut visionis superne concessum, nequaquam incaute et sine legitima ratione id prodat, pensans quod loquitur Isaias, Secretum meum mihi, ne de cetero simili Is. xxiv, 16. dono privetur.

Digitized by Google

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : ET FACTUM EST, IN DIEBUS ILLIS CONVENERUNT PHILISTIIM.

ADIMPLETIO divinæ comminationis, in duobus præcedentibus capitulis positæ, hoc loco describitur. *Et factum est, in diebus illis convenerunt Philistiim in pugnam,* id est ad pugnandum contra filios Israel, qui a tempore Samsonis cœperunt se opponere Philistæis, quibus ante quadraginta annos servierant, ut in libro Judicum scriptum est. *Egressus est namque Israel obviam Philistiim in prælium, et castrametatus est* Israel, id est, filii Israel posuerunt acies suas atque tentoria, *juxta lapidem Adjutorii,* id est in campo circa saxum grande, quod (ut infra fertur) vocatum est lapis Adjutorii, propter causam ibi descriptam. Sicque juxta ordinem historiæ, istud dicitur per πρόληψιν, id est anticipationem, quantum ad nomen loci istius; sed habendo respectum ad tempus quo ista conscripta sunt, non est anticipatio, quia tunc locus ille sic appellabatur. *Porro Philistiim venerunt in Aphec,* id est ad locum sic dictum, qui pertinebat ad urbem nomine Jezrael, *et instruxerunt aciem,* id est, exercitum suum ordinaverunt, *contra Israel.* Nam turba inordinate locata in prælio, non est nisi victima hostium, secundum Vegetium libro de Re militari. *Inito autem certamine, terga vertit Israel Philistæis, et cæsa sunt in illo certamine passim,* id est communiter, *per agros, quasi quatuor millia virorum* ex Israel. Nam et populus Israel multipliciter erat culpabilis, et sacrificia debita male persolvit.

(Judic. XIII, 1.) (I Reg. VII, 12.)

Et reversus est populus ad castra, id est ad tentoria sua : quod tam de Israelitis, quam de Philistæis accipi potest. *Dixeruntque majores natu de Israel,* id est nobiliores et duces exercitus seu principes tribuum, quibus incumbebat cura boni communis : *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistiim?* hoc est, cur permisit nos suos cultores percuti, et quosdam nostrum occidi ab idololatris istis incircumcisis? Et in his verbis insinuaverunt, hostes suos nil potuisse, nisi potestate eis a Deo concessa, quod omnium bellorum moderator sit Dominus, dans triumphum quibus voluerit, propter causas suæ sapientiæ notas. Sic ergo quasi admirando locuti sunt, Cur percussit nos Dominus? Et habita inter se collatione, putaverunt, quod propter absentiam arcæ id contigisset. Nam in desiccatione Jordanis et vastatione Jericho, arca fuit ante populum deportata, ut patet in libro Josue. Tamen in circuitione Jericho, portabatur inter bellatores et vulgus. Hinc subdunt : *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini* per Levitas seu sacerdotes. In Numerorum etenim libro habetur, quod portanda erat per Levitas. Præfatis tamen Josue capitulis, legitur portata per sacerdotes. *Et veniat in medio nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.*

(Josue III, 6, 14; IV, 11.) (Ibid. VI, 13.) (Num. IV, passim.) (Josue III, 6, VI, 6.)

Misit ergo populus quosdam Levitas et sacerdotes *in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum :* quæ dicebatur arca fœderis Domini, quia in ea continebantur tabulæ testamenti, per quod Dominus iniit pactum et fœdus percussit cum Israel ; *sedentis super Cherubim.* In libro Exodi describitur, quod propitiatorium fuit sedes Dei in Sancto sanctorum. Cur ergo dicitur Deus sedens super Cherubim, et non potius super propitiatorium? Respondetur quod ideo, quia secundum unam expositionem, quæ per verba hæc confirmari videtur, propitiatorium illud erat quædam

(Exod. XXV, 22.)

aurea mensa seu tabula super arcam levata, et in suis extremitatibus sustentata per Cherubim duos, inter quos media fuit tabula illa, propter quod et super Cherubim fertur Dominus sedens; et quia ibidem gloria Domini interdum apparere solebat: ideo quoque in Psalmo cantatur, Qui sedes super Cherubim. Denique Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur. Dicitur ergo Dominus super Cherubim residere, quoniam omnium intellectualium substantiarum intellectum, capacitatem, scientiamque transcendit. *Erantque duo filii Heli cum arca fœderis Domini, Ophni et Phinees,* tanquam principales arcæ custodes, et Phinees primogenitus Heli fungebatur officio sui patris in multis, qui et filiis suis præcepit, ne sine arca redirent ad se: propter quod timuerunt et acrius pugnaverunt, ut in Scholastica recitatur historia.

Ps. LXXIX, 2.

A

B

Quumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel voce grandi* præ gaudio, et ex spe prævalendi propter dignitatem et reverentiam arcæ præsentis, de cujus adventu Deo regratiabantur. Et forsan ad incutiendum timorem adversariis, etiam sic clamabant. *Et personuit terra, et audierunt Philistiim vocem clamoris, dixeruntque : Quænam est hæc vox clamoris magni,* id est tam alti et gaudiosi, *in castris Hebræorum? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra.* Unde hoc cognoverunt Philistæi? et quid ipsi sciverunt loqui de arca? Respondendum, quod inter Philistæos sæpe habitaverunt quidam Hebræi, et aliqui Philistæi multa audierunt ab Hebræis de Deo et lege eorum, et de efficacia ac sanctimonia arcæ, idcirco suspicabantur arcam venisse.

* clamore

C

D

Timueruntque Philistiim, dicentes: Venit Deus in castra, id est, Deus Hebræorum venit ad eos ad auxiliandum. *Et ingemuerunt, dicentes : Væ nobis. Non enim fuit tanta exsultatio heri et nudiustertius : væ nobis. Quis nos servabit,* id est eripiet, *de manu Deorum sublimium istorum?* Cur pluraliter aiunt, Deorum, quum scire potuerint filios Israel unum solum colere Deum? Dici potest, quod utebantur plurali pro singulari. Vel opinabantur, filios Israel cum summo Deo suo etiam quosdam alios colere deos, sicut et sæpe fecerunt inique. *Hi sunt Dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto,* id est, finali et consummata plaga percusserunt Ægyptios, eos mergendo in mari Rubro, quod per partem deserti Ægypti currebat, ut in Exodo legitur. Quasi dicant : Sicut Ægyptii victi sunt, ita et nos vincemur. Huic expositioni catholicorum, ut dicit quidam, non videtur consonare littera sequens, qua subditur, *Confortamini, et estote viri,* id est viriles, o *Philistiim, ne serviatis Hebræis, sicut et illi servierunt nobis;* sed dicendum, quod littera ista bene consonat præinductis. Non enim est inconveniens, quod idem exercitus ex quibusdam considerationibus formidavit, deinde ex aliis causis et considerationibus se invicem animavit et confortavit, sicut et idem homo primo veretur, deinde se consolatur: quemadmodum etiam libro primo Machabæorum de exercitu Jonathæ fertur, quod cognita comprehensione Jonathæ, de qua maxime doluerunt et territi erant, hortati sunt semetipsos, et exierunt parati in prælium. Imo de isto sunt in Scripturis multa exempla. Expositio quoque Hebræorum quam ponit, non videtur recitatione condigna. *Confortamini et bellate.*

Exod. XIV.

I Mach. XII, 50.

Pugnaverunt ergo Philistiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque de exercitu Israel, qui evadere potuit, *in tabernaculum suum. Et facta est plaga magna nimis, et ceciderunt de Israel triginta millia peditum, et arca Dei capta est, duo quoque filii Heli mortui sunt. Currens autem vir de tribu Benjamin ex acie,* quem (ut fertur) Hebræi dicunt fuisse Saul, dicentes, quod abstulit tabulas testamenti de manu Goliath Gethæi, quas ille ex arca accepit, et reportavit eas in Silo. Quod videtur ad Judaicas fabulas pertinere, quia et Saul tunc adolescens fuit, nec potuisset humana potentia tabulas abstulisse illi giganti. Si autem supernaturali virtute id egit, ca-

Digitized by Google

dem potuisset et arcam Philistæis auferre. *Venit in Silo in die illa, scissa veste et conspersus pulvere caput. Quumque ille venisset, Heli sedebat super sellam,* id est cathedram, *contra viam,* quæ duxit ad locum certaminis, *spectans,* id est exspectans, secundum quosdam, quia (ut dicunt Hebræi) jam cæcus fuit. Vel si adhuc erat cæcutiens, vidit illuc utcumque, cupiens scire exitum belli. *Erat enim cor ejus pavens pro arca Domini.* (1 Reg. II, 30 et seq.) Nam propter comminationes sibi factas, valde expavit de exitu malo; præsertim, quia audierat filios suos una die casuros. *Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit urbi. Et ululavit omnis civitas.*

Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque : Quis est hic sonitus tumultus hujus ? At ille festinavit, et venit, et nuntiavit Heli. Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant, et videre non poterat. Et dixit ad Heli : Ego sum qui veni de prælio, et ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait : Quid factum est, fili mi ? Respondens autem ille qui nuntiabat, Fugit, inquit, Israel coram Philistiim, et ruina magna facta est in populo. Insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees, et arca Dei capta est. Specialissime ergo timuit ne arca caperetur : quam quum captam audisset, cecidit retrorsum. Audita autem morte filiorum suorum ac plebis, quievit ; sed arcæ comprehensione audita, præ tristitia corruit. Unde videtur in eo affectus gratiæ et zelus Dei, pro tunc prævaluisse affectioni naturæ, amorique sobolis. Unde subditur : *Quumque ille nominasset arcam Domini, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus, mortuus est. Senex enim erat vir et grandævus,* scilicet nonaginta octo annorum ; *et ipse judicavit Israel quadraginta annis.* Sicque videtur quinquaginta octo annorum fuisse, quando effectus est judex.

Nurus autem ejus, etc. Hic enarratur, qualiter uxor Phinees auditis tam mœstis rumoribus, subito peperit, et pariendo mox exspiravit. Primo tamen puerum natum vocavit Ichabod, quod interpretatur, inglorius seu sine honore. Unde et causam nominationis adjecit, dicens : *Translata est gloria de Israel,* hoc est ipsa honorabilis res, scilicet arca ; vel, gloriatio Israelis exstincta est, ablata sibi tam sancta re. Et eadem verba protulit ex parte mariti sui defuncti et fratris illius, qui si vixissent, merito dixissent hæc verba.

ARTICULUS X

SPIRITUALIS PERTRACTATIO EJUSDEM CAPITULI QUARTI.

PER Philistæos, qui interpretantur, potione cadentes, intelliguntur invisibiles inimici, aut etiam homines impii, vitiorum superfluitate inebriati, qui invident justis, et contra eos ineunt pugnam tentationis, aut corporalis afflictionis, seu persecutionis : a quibus fideles propter sua peccata sæpe vincuntur in agris, id est in latitudine viæ ad perditionem ducentis.

Præterea, per Israelitas, de sua ruina mirantes, atque pro sua subventione arcam Domini afferentes, intelliguntur Christiani, qui instante tribulatione quacumque seu pestilentia, circumferunt Sacramentum atque reliquias, non tamen emendant suam conversationem et mores : ideo propter sua demerita non juvantur, imo interdum graviori peste cæduntur : et hoc justissimo Dei judicio, qui cordium videns arcana, scit illos pro evasione et cessatio-

Digitized by Google

ne periculorum corporalium deprecari, non ex recta radice, hoc est non ex caritate, neque sincera intentione, sed ex amore carnali, quo diligunt vitam præsentem ac Ps. cviii, 7. prospera ejus. Sicque oratio eorum fit in peccatum, et indignationem provocat Deitatis : quoniam importune et indiscrete orant pro his rebus, de quibus ignorant, an saluti eorum expediant; et ea quæ Deus requirit ab eis, et de necessitate sunt salutis, omittunt : quod totum præposterum est, et vere contrarium æquitati. Quemadmodum etiam ex clamore Israelitarum fuerunt Philistæi perterriti, sic dæmones ex cantu et pulsu, ex sacris et sacramentis Ecclesiæ solent arceri et formidare : nihilo minus vitiosam ecclesiasticorum vitam cer- Is. xxix, 13; Matth. xv, 8; Marc. vii, 6. nentes, qui Deum ore laudantes, cor suum longe ab ipso avertunt, hortantur se invicem ad impugnandum fideles, præcipue clerum, ex quibus, heu! prosternunt quotidie millia multa, quos ad diversa et gravia ducunt peccata.

Præterea, per hoc quod Hebræi arcam suam et gloriam, ac tabulas testamenti continentes Decalogum, amiserunt, figuratum censetur, quod exigentibus suis sceleribus, præsertim in Christum commissis, privandi erant omni gloria legis suæ, sapientia spirituali et scientia salutari, et quod ipsa lex, quantum ad præcepta moralia, cum libris Prophetarum ac Psalmis transferenda fuit ad gentiles : quo facto, defecit sacerdotium ac pontificium Judæorum. Quod item præfigurabatur per subitam mortem Heli pontificis, filiorumque ejus sacerdotum. Interitus quoque Synagogæ, per mortem nurus præfatæ, designabatur : quæ tamen intereundo peperit filium, quia reliquiæ ex Synagoga salvatæ sunt, sicut per Rom. xi, 5. Jeremiam Deus prædixit : Congregabo vos Jer. iii, 14. unum de civitate, et duos de cognatione.

Postremo pensandum, quod Heli et nurus ejus qui vituperantur, tantum de arcæ comprehensione tristati sunt, quod subito exspiraverunt. Quo constat, quod reprehendendi sunt Christiani quamplurimi, qui de captione sancti Sepulcri, et vastatione totius sanctæ Terræ, et sacratissimorum locorum profanatione, parva aut nulla afficiuntur mœstitia. Rursus, de corporali Israelitarum occisione ululaverunt habitantes in Silo; sed de quotidiana peccantium morte spirituali in anima, et de æterna pereuntium condemnatione, et præsertim de tam multiplici ac enormi Dei inhonoratione et offensione omni pene momento, vix est qui lacrimam fundat. Ubi spiritualis dilectio? ubi zelus divini honoris? Et tamen propter has causas, semper causa est et ratio copiosa pie lugendi omni veraciter Christifideli, ut sanctus ait Basilius.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : PHILISTIIM AUTEM TULERUNT ARCAM DEI.

MODO describitur, qualiter Philistæi propter arcam plagati sunt, hoc est propter scelera quæ commiserunt in Deum, et circa ipsius arcam. *Philistiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a lapide Adjutorii in Azotum :* quæ fuit una quinque principalium urbium terræ eorum, et forte primo occurrit eis in reditu, ideo primo in eam tulerunt arcam. *Tuleruntque Philistiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon :* ad reverentiam Dagon dei sui, adscribentes ei victoriam suam ; *et statuerunt eam juxta Dagon,* tanquam trophæum, id est spolium victoriæ. *Cumque surrexissent diluculo Azotii altero die,* ut præ solito Dagon deum suum honorarent, cujus virtute arbitrabantur se tantum sortitos triumphum, *ecce*

Digitized by Google

Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini, tanquam eam adorans, ut Josephus scribit. Quod Deus omnipotens fecit, ad reprimendum Philistinorum audaciam atque blasphemiam, dicentium se arcam cepisse virtute Dagon : cujus oppositum patuit per hoc, quod Dagon jacuit sic prostratus ante arcam. *Et tulerunt,* hoc est acceperunt, *Dagon* sacerdotes ipsius, *et restituerunt eum in locum suum,* erubescentes de dei sui tanta dejectione ; et mane ac clam restituerunt eum, ne communitas hoc ipsum perciperet.

Rursumque mane die altero consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini. Qualiter verum est hoc, quum protinus subjungatur, *caput autem Dagon et duæ palmæ manuum ejus, abscissæ erant super limen?* Caput ergo et facies erant jam separatæ a corpore Dagon : non itaque jacuit super faciem suam. Respondetur, quod Dagon jacuit super faciem suam, id est super inferiorem superficiem suam, ac si vultum habuisset terræ hærentem ; sed et caput jacuit, versa in terram facie ejus. Et in his Deus evidentius demonstravit omnipotentiam ac justitiam suam super deum et populum Philistinorum ; nec poterat plaga ista celari ut prior, quia idolum reintegrari nequivit. Et facta est ista punitio ministerio angeli ; tamen incertum videtur, an ministerio angeli boni, an mali, quoniam tales plagæ ab utrisque factæ leguntur. *Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus,* id est nullus ingredientium illud ex plebe eorum, *super limen Dagon,* id est super limen templi ejus, *in Azoto usque in hodiernum diem :* quasi limen illud sanctificatum sit ex contactu Dagon super illud sic dimembrati, propter quod indignos se reputabant super illud calcare. Sic et in Genesi habetur, quod filii Israel non comedunt nervum qui emarcuit in femore Jacob. (*Gen.* XXXII, 32.)

Aggravata est autem manus Domini super Azotios : id est, Deus omnipotentiam atque justitiam suam pœnalius adhuc monstravit in habitatoribus Azoti, quia ex prætactis mirabilibus non fuerunt conversi ab idololatria dei sui, quem tam confusibiliter a Deo Israel victum et plagatum viderunt ; *et demolitus est,* id est, destruxit seu graviter vulneravit, *eos,* sicut subjungitur. Verumtamen quod in aliquibus libris mox sequitur, istud videlicet, *Et ebullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magna * in civitate,* non est in libris correctis, quia nec in Hebræo, sed ab aliquo glossatore primo est additum per modum expositionis et glossæ, atque a minus peritis post textui additum et insertum : quod et in aliis locis Scripturæ reperitur aliquando factum. Porro sensus hujus additionis ex sequentis capituli expositione patebit. *Et percussit in secretiore parte natium,* utpote inferiorum partium, per quas egeruntur grossiora naturæ superflua, *Azotum et fines ejus,* id est, habitatores urbis illius, villarumque ejus. (* magna)

Videntes autem viri Azotii hujusmodi plagam : quæ (secundum expositores concorditer) fuit dysenteria fœda ac vehemens et crudelis, et intestinorum inferiorum corruptio et putrefactio quædam, in tantum quod vermibus scatebant et prominebant extrinsecus : quam plagam per experientiam in se videbant, id est sentiebant, aut etiam adspexerunt ad apponendum remedium. Quæritur, quare hac plaga magis, quam alia, sint percussi. Responderi potest, quod ad humiliandum eorum blasphemiam, præsumptionem, turpissimamque superbiam. Unde cantatur in Psalmo : Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. (*Ps.* LXXVII, 66.) *Dixerunt : Non maneat arca Dei Israel apud nos, quoniam dura est manus ejus,* id est ultio nobis propter eam inflicta, dura, inquam, *super nos et super Dagon deum nostrum.* Ecce quam stulti et miseri, qui illum coluerunt pro deo, qui se ipsum nequibat juvare, nec suos cultores ; nec converti

Digitized by Google

voluerunt ad eum, cujus insuperabilem experiebantur potentiam. *Et mittentes, congregaverunt omnes satrapas Philistinorum ad se, et dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderunt Gethæi: Circumducatur arca Dei Israel:* quia sperabant quod in aliis urbibus non fieret propter eam hujuscemodi plaga; vel experiri volebant, an propter arcam seu ob ejus præsentiam infligeretur eis illa punitio, quod tamen Azotii fassi jam erant. *Et circumduxerunt arcam Dei Israel. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini Dei per singulas civitates interfectionis magnæ nimis; et percutiebat viros uniuscujusque urbis a parvo usque ad majorem,* qui et præ feminis erant culpabiles; *et computrescebant prominentes extales eorum,* id est, extremæ partes eorum per quas immunditiæ emittuntur. *Inieruntque consilium Gethæi, et fecerunt sibi sedes pelliceas,* utpote mollissima sedilia, ut minus affligerentur sedendo. Siquidem illa pars sedis, super quam incumbebant parte qua sedemus, erat de pellibus forsitan ovium.

Miserunt ergo arcam Domini in Accaron. Cumque venisset arca Domini Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum. Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philistinorum: qui quinque erant, juxta numerum quinque principalium urbium. *Qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum,* id est ad populum Israel, vel ad Silo seu in tabernaculum Domini, *et non interficiat nos,* id est, propter ejus præsentiam non interficiamur, *cum populo nostro.* Multi quippe ex plagis prætactis moriebantur. *Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Domini Dei. Viri quoque qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiore parte natium, et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.* Quæri potest, cur isti idololatræ non projecerunt arcam illam in ignem; vel, cur non conciderunt eam in frusta. Respondere quis poterit, quia (ut Salomon protestatur) non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum, qui immutat corda hominum, et quocumque voluerit, vertit ea. Ipse autem noluit hoc habere. Vel, ut aliqui opinantur, non audebant hoc facere, ne pejora eis acciderent. Itaque juxta Glossam, justo Dei judicio communi plaga percussi sunt, quia culpa eorum fuit communis.

Prov. xxi, 30. *Job* xii, 24. *Prov.* xxi, 1.

Sensus mysticus.

Mystice, per arcam intelligitur Christus seu ejus humanitas. Per dejectionem ergo et detruncationem Dagon, præfigurata est destructio idolorum ubique terrarum, ex spirituali adductione Salvatoris per Apostolorum prædicationem ad gentes. Per vulnerationem quoque et interfectionem infidelium allophylorum, designata est spiritualis obcæcatio atque perpetua damnatio eorum qui christianam noluerunt recipere fidem. Per Philistinorum vero percussionem in natibus, præmonstratum censetur, quod hi, qui ex sua arrogantia et præsumptione manserunt increduli, meruerunt (ut ait Apostolus) dari in reprobum sensum, atque ignominiosas incidere passiones carnalitatis exterius prominentis, id est, usque ad vitia contra naturam se extendentes. Postremo, per hoc quod fecerunt arcam circumduci ad experiendum, an plagæ illæ fierent vere a Deo Israel propter præsentiam arcæ, designata est curiositas, imo perversitas et stulta subtilitas philosophorum et tyrannorum et aliorum obstinatorum, Porphyrii, Juliani, Averrois, Celsi, et consimilium: qui videntes signa, prodigia atque miracula sanctorum Apostolorum et apostolicorum virorum, nisi sunt ea obscurare et annihilare, volentes ea reducere ad causas naturales occultas, vel ad magicas artes, sive ad diabolicas opes et cooperationes: qui omnes defecerunt, scrutantes scrutinia, et deceperunt in primis se ipsos, ac alios multos quorum nomina scripta non erant in libro vitæ.

Rom. i, 28. *Ps.* lxiii, 7. *Apoc.* xvii, 8.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

DECLARATIO CAPITULI SEXTI : FUIT ERGO ARCA DOMINI IN REGIONE PHILISTINORUM SEPTEM MENSIBUS.

CAPITULUM hoc enarrat, qualiter arca Dei remissa sit, et de mirabilibus Dei in hoc opere perpetratis. *Fuit ergo arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus :* infra quos præfatis modis plagati sunt, et non cessantibus plagis. *Et post hæc vocaverunt Philistiim,* et communitas populi, *sacerdotes et divinos* suos, tanquam ceteris prudentiores. Vocantur autem divini, qui sibi usurpant quod Dei est, scilicet præcognitionem et annuntiationem futurorum pure contingentium seu similium notitiam secretorum, de quibus interdum a dæmonibus instruuntur eo modo, quo dæmones talia scire queunt, conjecturaliter magis quam certitudinaliter, ex subtilitate ingenita et experientia longa. *Dicentes : Quid faciemus de arca Dei? Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt : Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam,* id est inhonoratam. Quasi dicant : Pro irreverentia Deo Israel irrogata circa arcam ipsius, impendite ei honorem per oblationes et dona ; aliter non poteritis eum placare. Hinc subditur : *sed quod debetis, reddite ei pro peccato* vobis relaxando, *et tunc curabimini ; et scietis* per experientiam vestræ curationis, quum juxta nostram consultationem egeritis, *quare non recedat manus ejus a vobis,* id est, cur interim effectus divinæ potentiæ, utpote punitio vestra, non cessat. Nam hucusque fuit inter Philistæos diversa opinio de causa prædictæ plagationis. Nempe nonnulli dixerunt eam contigisse ex aeris infectione, alii ex corruptione fructuum terræ, quidam a casu, nonnulli ob arcæ præsentiam. *Qui dixerunt : Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei?* id est, quam satisfactionem, ut culpa nostra nobis dimittatur?

Responderuntque illi : Juxta numerum provinciarum Philistinorum, id est principalium urbium cum villis et attinentiis suis, quæ urbes fuerant quinque, *quinque anos aureos et quinque mures aureos facietis* formari per manus artificum, ut sint memoriale divinæ potestatis et suæ ultionis in vobis. Verumtamen Josephus dicit, quod erant quinque simulacra hominum aurea. *Quia plaga una fuit omnibus vobis et satrapis vestris,* id est eadem ultio in specie : et ideo sicut fuit communis et par plaga, debet esse satisfactio una ac generalis, ut pœna correspondeat culpæ. *Facietisque similitudines anorum vestrorum, et similitudines murium, qui* mures *demoliti sunt terram :* mures enim ebullierunt de terra, et fructus ipsius destruxerunt; imo et prominentes extales ipsorum Philistinorum mordebant et corrodebant ; *et dabitis Deo Israel gloriam,* id est, potentiam atque justitiam ejus protestabimini ista agendo : per quæ etiam fatebimini vos esse percussos ab ipso, eo quod arcam ejus ceperitis ; *si forte relevet* Deus *manum suam,* id est, plagas suas tollat, *a vobis.* Jam ante dixerunt, Et tunc curabimini : quare ergo dubitative nunc dicunt, Si forte, etc.? Respondetur, quod illud fuit verbum bonæ fiduciæ, non certæ scientiæ. *Et a diis vestris et terra vestra.* Ex hoc videtur, quod Philistæi non solum coluerunt Dagon, et quod Deus non solum exercuit ultionem in Dagon, sed item in aliis Philistinorum diis seu idolis, sicut et olim in diis Ægyptiorum. *Quare aggravatis corda*

Digitized by Google

vestra per obstinationem et impœnitentiam et per arcæ detentionem, *sicut aggravavit Ægyptus et Pharao cor suum,* id est Ægyptii qui populum Israel dimittere diu recusaverunt? *Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, et abierunt? Nunc ergo arripite, et facite plaustrum novum,* non vetus, ad reverentiam arcæ; *et duas vaccas fetas,* id est vitulos jam habentes, *quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi. Tolletisque arcam Domini, et ponetis in plaustro, et vasa aurea quæ exsolvistis ei pro delicto ponetis in capsellam ad latus ejus; et dimittite eam, ut vadat. Et adspicietis. Et si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande; si autem minime, sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.*

Exod. XII, 31, 33, 37.

Fecerunt ergo illi hoc modo. Et tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam quæ habebat mures aureos et similitudines anorum. Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur pergentes et mugientes, et non declinabant ad dexteram neque ad sinistram. Sed et satrapæ Philistinorum sequebantur usque ad terminos Bethsames. Textus planus est. Itaque omnia ista consuluerunt sacerdotes et divini ad agnoscendum pro certo, an plagæ illæ fuissent inflictæ a Deo. Quod enim vaccæ insolitæ jugum portare, et a suis fetibus separatæ, traherent currum per viam rectam, per quam ante nunquam iverunt sine ductore seu auriga, fuit multipliciter supra naturam. Ideo fuit signum sufficiens, quod tribulatio illa esset a Deo Israel propter arcam immissa.

Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle : quo constat, tempore messis hæc contigisse. Eratque Bethsames una sacerdotalium urbium in sorte Benjamin *. Ideo autem fecerunt Philistæi vaccas trahere

Josue XV, 10; XXI, 16. * Juda

A currum per viam ducentem ad urbem istam, quia fortassis primitus occurrebat egredientibus ab urbe Philistiim, a qua arca cœpit remitti. Est quoque et alia urbs sic vocata in Nephthali tribu. *Et elevantes oculos, viderunt arcam, et gavisi sunt* Bethsamitæ, *quum vidissent* arcam. *Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitis,* id est civis præfatæ urbis, *et stetit ibi :* quia vaccæ substiterunt ibidem, quasi peracto suo officio, ex instinctu divino. *Erat autem ibi lapis magnus, et conciderunt* B *ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea,* id est super ligna plaustri conscissa in frusta, *holocaustum Domino,* id est ad offerendum carnes vaccarum illarum Deo in holocaustum, quod ignis lignorum illorum voravit.

Josue XIX, 38.

Levitæ autem deposuerunt arcam Dei de plaustro, antequam plaustrum concidebatur, *et capsellam quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea,* id est præfata simulacra anorum ac murium : quæ (ut ex isto loco apparet) concava erant, ita quod C aliquid poterant continere; propter quod, juxta proprietatem Hebræi sermonis, vasa dicuntur. Etenim vasa vocant Hebræi, omnia quæ sunt alicujus rei contentiva. Quidam tamen per vasa aurea intelligunt vasa hujusmodi, in quibus, ut dicunt, positi erant ani muresque aurei : quod non est idonee dictum, quia in textu paulo ante habetur, Tolletis arcam et vasa aurea quæ exsolvistis ei pro delicto. *Et posuerunt* arcam atque capsellam *super lapidem grandem,* qui, secundum Judæorum fabulas, D fuit ara olim constructa ab Abraham, qui (ut in Genesi legitur) in pluribus locis ædificavit altaria. *Viri autem Bethsamitæ,* scilicet sacerdotes urbis illius sacerdotalis, *obtulerunt holocausta,* scilicet vaccas prædictas, aut etiam sacrificia alia. Nam subditur : *et immolaverunt victimas in illa die Domino,* pro gratiarum actione, quod arcam tam miraculose et gloriose reduxit. Unde et ligna plaustri ac vaccas, in quibus fecit Deus prodigia illa, converterunt in Dei honorem, id est in holocausti mate-

Gen. XII, 7; XIII, 18; XXII, 9.

Digitized by Google

riam et inflammationem, tanquam quæ Deo jam fuerunt quodammodo consecrata.

Et quinque satrapæ Philistinorum cum famulis suis, *viderunt* ista et mirabilia memorata, *et reversi sunt in Accaron in die illa,* certificati ex istis prodigiis, quod eorum plaga fuit a Deo. Credendum quoque videtur, quod Philistæi his gestis fuerunt sanati. *Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philistæi pro delicto suo* *. Hic exprimuntur quinque urbes præcipuæ, quarum quælibet dedit aureum anum unum. *Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum.* De numero quoque murium aureorum subjungitur: *Et mures aureos* exsolverunt *secundum numerum urbium Philistiim quinque provinciarum,* id est quinque aureos mures, secundum quod quinque erant metropoles, *ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro.* Hoc tripliciter explanatur. Primo, quod erant tantum quinque urbes Philistinorum, et ideo tantum quinque mures aureos esse oblatos. Isidorus vero et Magister in historiis dicunt oppositum, adjicientes, quod erant quinque præcipuæ urbes, et aliæ minus principales, quarum una (ut infra habetur) Siceleg fuit. Ideo dicunt, quod unaquæque principalium civitatum illarum, obtulit tam aureum anum quam aureum murem; ceteræ solum aureos mures. Tertii dicunt, quod solum offerebantur quinque aurei ani et totidem mures, et quod ceteræ urbes seu villæ adjacentes pro expensis contribuerunt. *Et usque ad Abelmagnum,* id est lapidem magnum, de quo jam supra dictum est. Hoc additur, ad monstrandum quod urbes et villæ Philistinorum porrigebantur usque ad lapidem illum ex una parte. Abel autem interpretatur, luctus : ideo lapis seu locus ille vocatus est Abel, quoniam paulo post fuit ibidem luctus ingens, propter eorum qui arcam viderunt, occisionem. Alii dicunt, per Abelmagnum, intelligi oppidum Bethsames, quod secundum eos dictum est postea Abel, ob luctum præfatum : quod non videtur, quia subjungitur, *super quem posuerunt arcam Domini, qui erat usque in illa die in agro Josue Bethsamitis :* in cujus agro non erat sita urbs illa, sed lapis præfatus.

* Domino

I Reg. xxvii, 6.

Percussit autem Dominus de viris Bethsamitis quosdam, *eo quod vidissent arcam Domini* nudam et discoopertam, secundum quod Philistæi eam remisisse creduntur : et sic arcam adspicere, prohibitum fuit, non solum undecim tribubus, sed et Levitis, sub pœna mortis. *Et percussit de populo septuaginta viros.* Hoc, ut recitat Lyra, etiam Hebræi exponunt sic, quod solum septuaginta viri fuerunt percussi, qui erant tantæ reputationis, quod æquiparabantur septuaginta millibus de plebeiis, juxta quem modum dicitur ad David infra secundo Regum : Tu unus pro decem millibus computaris. Principales enim de populo percussi fuerunt, quia debebant populum ordinare et præcavere de prædictis offensis. Sed huic expositioni obviare videtur series litteræ, in qua apertissime quasi de diversis narratur, quod Dominus percussit de populo septuaginta viros, *et quinquaginta millia plebis.* Præterea ad sacerdotes et Levitas præcipue pertinebat, instruere populum de necessariis ad salutem et spiritualibus rebus. Si ergo principales ex populo, ut optimates et judices, percussi fuissent, quia populum non compescuerunt ab intuitu arcæ, videtur quod sacerdotes et Levitæ præsertim percussi fuissent pro illo vulgi peccato. Magister quoque in historiis et alii expositores solennes aliter tenent, et litteram sicut jacet exponunt. Itaque advertendum, quod arcam dimiserunt satis diu sub dio, et magis diu quam licuit : propter quod populus Israel undique copiosissime concurrebat, et multi ex curiositate arcam intuebantur, contra illud Numerorum : Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario, priusquam involvantur; alioqui morientur. Quamvis autem peccata subditorum superioribus imputentur, non tamen sic, quin et ipsis subditis, qui et pro propriis puniuntur excessibus; nec ignorantia juris divini, quod

Num. iv, 2

II Reg. xviii, 3.

Num. iv, 20

A B C D

Digitized by Google

quis scire tenetur, puta divina præcepta, excusat.

Insuper Lyra scribit, quod una causa percussionis populi fuit, quia holocaustum indebite offerebant, offerendo vaccas in holocaustum, quum tamen in Levitico jus-
Lev. I, 3. serit Dominus, ut non nisi masculus offerretur in holocaustum. Si autem illa fuisset causa percussionis prætactæ, videtur omnino, quod sacerdotes qui hoc fecerunt, fuissent percussi. Idcirco juxta prætacta magis apparet, quod ex dispensatione seu inspiratione divina obtulerunt vaccas illas in holocaustum, sicut et sacrificabant ibi in agro extra tabernaculum et altare. Nam vaccæ illæ per mirabilia Dei in eis ostensa, erant Deo quodammodo consecratæ, et ei tantummodo offerendæ, nec sumptæ erant ex pecoribus Israeliticæ plebis.

Luxitque populus residuus, *eo quod percussit Dominus plebem plaga magna*. Quæ autem fuerit plaga illa, nescitur. *Et dixerunt viri Bethsamitæ : Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* quasi dicant : Tanta est districtio divinæ justitiæ, quod metuendum est in ejus præsentia apparere, atque difficile ei placere, et ejus percussionem evadere. Juxta quem
Josue XXIV, 19. sensum scriptum est in Josue libro : Non poteritis servire Domino, Deus enim sanctus et fortis æmulator est, et non ignoscet sceleribus vestris. *Et ad quem ascendet a nobis?* id est, quis tantæ virtutis invenie-
* arcam tur, qui dignus sit eam* suscipere? *Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim*, quæ erat urbs famosa et fortis, *dicentes: Reduxerunt Philistiim arcam Domini*. Sed cur non remiserunt eam in Silo ad tabernaculum Domini? Forsitan intendebant

A quod postea illuc deduceretur. *Descendite, et reducite eam ad vos.*

Quæritur circa prædicta, quo spiritu sacerdotes et divini Philistinorum dederunt tam sanum consilium de modo remittendi arcam ad populum Israel. Ad quod quidam respondent, quod ex instigatione revelationeque dæmonum, quos etiam dicunt divinitus compulsos ad dandum divinis tale responsum, quemadmodum sæpe leguntur dæmones propalasse virtutes Sanctorum. Porro sanctus Hieronymus in
B quibusdam locis videtur sentire, quod sicut Balaam, ita et isti ex spiritu Dei bono fuerunt inspirati ad ista dicenda. Nam prophetia et secretorum revelatio, sunt dona gratiæ gratis datæ, quæ bonis et malis communia sunt.

Iterum quæritur, quum arca fuerit res prorsus inanimata, cur propter ejus intuitum tam graviter cæsus est populus. Et respondendum, quod Deus sub pœna mor- Num. IV, 20
tis prohibuit non solum adspectum arcæ nudæ, sed et aliorum quæ in tabernaculo
C erant, ad commendandum dignitatem sacerdotalis officii, et præsertim propter mysticas significationes spiritualesque rationes super librum Numerorum expressas. Arca autem fuit figura humanitatis Christi et Sacramenti altaris, quæ non sunt nisi cum debita reverentia adspicienda.

Rursus quæri potest, cur Philistæi percussi non sunt, quia arcam viderunt nudam. Respondetur, quia non fuit eis prohibitum, quoniam lex eis data non fuit. Unde ad Romanos ait Apostolus : Scimus Rom. III, 19.
D quia quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur. Etenim hi quibus lex data est, per legem judicantur.

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SEXTI INTELLECTU.

PER terram Philistinorum, designatur A gentilitas; per arcam, Christus sapientia Patris. (I Cor. i, 24.) Fuit itaque Christus septem mensibus, id est multo tempore evangelicæ legis, in terra gentilium. Durante etenim persecutione Ecclesiæ, fideles et infideles passim habitabant commixtim. Quumque perfidi et tyranni Christum in suis membris irreverenter tractarent atque crudeliter persequerentur, fiebat frequenter, quod impii illi a Deo subitaneis ac letalibus plagis terribiliter cædebantur, ita quod territi, a Christianorum persecutione quan- B doque ad tempus cessabant, et arcam mittebant de loco ad locum, Christianos pellendo de urbe in urbem, quos tandem victi dimiserunt in pace : imo innumerabiles ex eis conversi, munera Deo Christianorum immolaverunt. Feceruntque *similitudines anorum* suorum : id est, inquinamenta et vitia sua per inhonestiora membra commissa, humiliter confitebantur. Denique ex isto, quod Philistæi fecerunt et obtulerunt similitudines membrorum in quibus erant plagati, et bestiarum per quas pu- C niebantur, videtur mos inolevisse, quod hi qui cruciantur in manu, pede aut alio membro, offerant talium membrorum similitudines cereas, aureas sive argenteas Omnipotenti.

Amplius, per plaustrum novum, in quo arca remissa est, intelligi potest cor spiritualiter innovatum seu reformatum ; vel homo perfectus, qui exemplis suis, meritis et precibus alios secum defert ad regnum cœleste, Deum quoque portat in se, ita ut ei valeat dici, quod Eliseus dixit Eliæ, et rex D Israel Eliseo : Pater mi, currus Israel et auriga ejus. (IV Reg. ii, 12; xiii, 14.) Talia plaustra Christum portant de loco et populo uno ad alium, qui et ingratis ac induratis relictis, ad dociles revertuntur : quod devotissimis prædicatoribus ac prælatis potissimum competit, quibus multos lucrifacientibus competit illud in Psalmo, Currus Dei decem millibus multiplex. (Ps. lxvii, 18.) Huic plaustro duæ vaccæ fetæ junguntur, quibus nondum impositum fuit jugum : per quas intelliguntur fideles personæ, virtuosis actibus fecundatæ, quæ jugo iniquitatis ac dæmonum subjici renuerunt, et viris præfatis cooperantur in bonis, et ipsos trahunt ad diversos hinc inde visitandos ac instruendos. Hæ personæ gradiuntur per rectam ac regiam viam, et omni sensuali affectu ad propinquos aut prolem relicto, naturali quoque amore caritati subjecto, evangelica implent consilia, parentes, sobolem, consanguineos, conjugem deserendo, quatenus Deo liberiori, stabiliori, puriorique mente intenti sint. (Matth. xix, 29.) De quibus in Deuteronomio legitur dictum figuraliter : Qui dixit patri suo et matri suæ, Nescio vos, et fratribus suis, Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum. (Deut. xxxiii, 9.) Pergunt itaque per viam quæ ducit Bethsames, hoc est per arctam viam salutis, quæ ducit ad domum non manufactam, æternam in cœlis, in qua Sol intelligentiæ atque justitiæ clare et incessabiliter cernitur ac laudatur, juxta illud Psalmi : Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. (Matth. vii, 14. II Cor. v, 1. Ps. lxxxiii, 5.) Siquidem Bethsames interpretatur, domus solis. Mugiuntque pergendo, sua ac proximorum peccata plangendo, cum gemitu deprecando, ad patriam et visionem Dei beatificam adspirando, juxta illud beati Apostoli : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? (Rom. vii, 24.) Quo affectu cecinit et Propheta :

Ps. cxix, 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et item : Sitivit anima mea ad Deum (Ps. xli, 3.) fortem vivum. Hi itaque in capsella, hoc est in conscientia humili vel pœnitentia salutari, custodiunt et reponunt bona quæ operantur.

Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle. Per Bethsames designatur non solum triumphans Ecclesia, in qua Sol justitiæ facie ad faciem lucet atque conspicitur, (I Cor. xiii, 12.) sed militans quoque Ecclesia, in qua per gratiam et virtutes, per fidem et sapientiam contemplatur et colitur. Sicque B Bethsamitæ non solum sunt cives cœlestis Jerusalem, sed et filii militantis Ecclesiæ, qui in valle hac lacrimarum et humilitatis declivitate triticum metunt, hoc est, virtutum opera et fructus spiritus intra se colligunt, ut divites fiant in operibus bonis; qui oculos cordis elevando, Christum Dominum sibi gratiose advenientem intuentur, et super hoc gloriantur; qui plaustrum concidunt in frusta, et vaccas desuper ponunt in holocaustum, dum se ipsos per contritionem et devotionem totaliter divino mancipant cultui, nihil sui relinquentes sibimetipsis, atque ad idem agendum suos inducunt discipulos et subjectos.

Erat autem ibi lapis magnus. Per quem cordis constantia, aut fidei fundamentum, aut Dominus ipse, cui ait Psalmista, Dominus petra mea, (Ps. xvii, 3; II Reg. xxii, 2.) potest intelligi : cui debet omne opus bonum inniti atque imponi, ne dejiciatur, quatenus qui bona exsequimur, viro comparemur sapienti, (Matth. vii, 24, 25.) qui domum suam ædificavit supra petram, ita ut nec venti adversitatum, nec flumina tentationum, nec impetus passionum aut vitiorum potuerint eam dejicere. *Et quinque satrapæ Philistinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa.* Per quinque satrapas istos, rite designantur filii sæculi, nobiles et potentes secundum carnem, delectationibus quinque sensuum

A dediti, qui etsi audiant verba Dei, videantque exempla justorum, et miracula Omnipotentis agnoscant, raro tamen et pauci convertuntur ad Dominum. Propter quod ait Apostolus : Videte vocationem vestram, (I Cor. i, 26.) fratres, quia non multi potentes, non multi nobiles, non multi sapientes secundum carnem, sunt inter vos.

Percussit autem Dominus de viris Bethsamitis, eo quod vidissent arcam Domini. Per hoc præfiguratum cognoscitur, quod hi qui sacramentum Eucharistiæ irreve-B renter intuentur aut sumunt, aut Christum præsumptuose contemplari attentant, aut fidei secreta curiose rimantur, percuti ac perire merentur. Quod in multis hæresiarchis, qui per septuaginta viros exprimuntur, et in illorum infelicibus discipulis, qui per quinquaginta millia figurati sunt, videmus impletum : qui olim fuerunt in Ecclesia tanquam filii et ministri ac membra, sicut ait sanctus Joannes in prima sua Canonica : In nobis erant, sed non erant ex nobis. (I Joann. ii, 19.) Frequenter quoque con-C tingit quod ecclesiastici viri notabiliter virtuosi, et in Domino spiritualiter gloriati, repente vana gloria impugnentur ac polluantur, et quadam spirituali elatione labantur. Ideo castigantur a Domino in præsenti, ne pereant in futuro. Nam et impiissima et callidissima illa vulpecula inanis gloria, seu spiritualis superbia, in spiritualium charismatum affluentia periculosius insidiatur, irrepit et maculat : propter quod jugi et timorata cordis custodia (Deut. iv, 9, 15; Prov. iv, 23.) opus est incessanter. *Luxitque populus :* D quia devoti et caritativi aliorum deplorant ruinam, et simul de proprio casu suspecti sunt. *Et dixerunt viri Bethsamitæ*, etc., quia ex propriæ dejectionis experientia pensant, quam difficile sit jugiter in via justitiæ perseverare : unde et alios exhortantur ad spiritualem cautelam et ad perfectionis constantiam, a qua dolent se corruisse.

Digitized by Google

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : VENERUNT ERGO VIRI CARIATHIARIM, ET REDUXERUNT ARCAM DOMINI.

REFORMATIO Israelitici populi facta per Samuelem, et illorum ad meliorem statum reductio, hic narratur. Nempe ut
Prov. XI, 14. Salomon protestatur, quum defecerit Propheta, populus corruet. Sic econtra, quum Propheta adfuerit, populus surget, nisi forte obstinatus, incorrigibilisque consistat. *Venerunt ergo viri Cariathiarim,* id est habitatores principales urbis illius, *et reduxerunt arcam Domini.* Credendum videtur, quod sacerdotes seu Levitæ, juxta
Num. IV, 6. legis præceptum, portaverint eam in vectibus super humeros suos. *Et intulerunt eam in domum Abinadab,* qui erat vir justus et tam famosæ virtutis, quod præ ceteris reputaverunt eum dignum præsentia hospitationeque arcæ, et fuit sacerdos *in Gabaa.* Istud quod dicitur hic, quod intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa, aliqui dicunt non fuisse tunc factum, quos sequitur Lyra : Hoc, inquiens, non fuit factum statim, sed per magnum tempus post, quia per aliquod tempus arca fuit in Cariathiarim, et inde translata fuit in Maspha, et inde in Galgala, ut dicitur in libro de Hebraicis quæstionibus; et postea translata fuit in Nobe, deinde in Gabaa, ut dicitur hic. Sed istud non videtur textui consonare, quoniam de eisdem viris et sub eodem contextu hic legitur, Venerunt viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa : quod totum videtur hic dici de eadem arcæ translatione. Denique non apparet, quod tot intermediis translationibus omissis, scriptura ista loquatur de translatione arcæ in oppidum Gabaa, post descriptionem translationis ejus de Bethsames in Cariathiarim. Hi quoque qui eam reportaverunt in Cariathiarim, diu fuerunt defuncti, antequam arca fuit translata in oppidum Gabaa : ideo de eis istud non verificatur. Potius igitur reor, quod Gabaa non sit hoc loco nomen civitatis, de qua fuit Saul; sed juxta interpretationem suam, designat excelsum seu collem, quia I Reg. X. 26. in loco eminenti constituerunt arcam propter reverentiam ejus, juxta quem modum in Evangelio fertur : Vox in Rama (id est in excelso) audita est; ita quod Rama Matth. II. 18; Jer. XXXI. 15. non sumitur ibi pro urbe. Et istud concordat dictis Hieronymi et Magistri in historiis, ut super Paralipomenon plenius est ostensum.

Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, id est instituerunt, *ut custodiret arcam Domini.* Et forte juxta ritum legis in Levitico scriptum, consecraverunt eum Lev. VIII. in sacerdotem, si ante non fuit sic consecratus. Vel si jam erat sacerdos, hortati sunt eum, ut per continentiam ab uxore ad tempus, per orationes et sacrificium, exhiberet se ad custodiendum arcam idoneum. *Et factum est, ex qua die mansit arca in Cariathiarim, multiplicati sunt dies :* id est, multis diebus seu potius annis, puta viginti annis, mansit ibidem. Unde subjungitur : *Erat quippe jam annus vicesimus,* id est, tot anni fluxerunt interim quod arca fuit illo in loco. Videtur autem Josephus velle, quod arca fuit ibi usque ad octavum annum regni Saulis, in quo anno octavo ipse deportavit eam se- I Reg. XIV. 18. cum in castra, hoc est ad locum certaminis, ut infra tangitur. *Et requievit omnis Israel post Dominum :* id est, infra hoc tempus ad Dominum sunt conversi, et quieverunt in eo, adhærentes ei fideliter.

Digitized by Google

Quum enim viderent, qualiter a Philistæis A erant percussi (I *Reg.* IV, 10, 11.) propter sua et Heli filiorumque ejus facinora, et quam graviter Deus plagaverat (*Ibid.* V, 6, 9, 12; VI, 8 *et seq.*) Philistæos propter arcæ præsentiam, atque quam miraculose arcam reduxit, compuncti sunt, et admonitionibus Samuelis obtemperarunt. Unde quod dictum est, Erat quippe jam annus vicesimus, quidam exponunt, quod tot anni fluxerunt ex eo tempore, quo post mortem Heli cœpit Samuel instruere plebem.

Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens : Si in toto corde vestro B *revertimini ad Dominum* per plenam contritionem, obedientiam, dilectionem, *auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth.* Si juxta præhabita totus populus Israel per tot annos quievit post Dominum, quid necessaria fuit exhortatio ista ? vel, qualiter apud se adhuc deos alienos habebant ? Ad hoc videtur dicendum, quod quamvis cessaverunt idola colere, adhuc tamen apud se tenuerunt simulacra. Et forsan quidam eorum nondum ex toto ab idololatria recesserunt. Totum namque C frequenter sumit varias denominationes a diversis partibus suis, ita quod diversa quasi de eodem toto prolata, ad diversas ejus partes sunt referenda. *Et præparate corda vestra Domino,* id est, ad gratiam ac virtutes seu ad earum incrementa disponite vos, faciendo quod in vobis est, et obicem auferendo, *et servite ei soli,* servitute latriæ, quæ soli vero Deo debetur, *et eruet vos de manu Philistiim. Abstulerunt ergo Baalim,* id est, idola Baal comminuerunt, et cultum ipsius abjecerunt, *et Astaroth,* D id est idola hujusmodi falsi dei, *et servierunt Domino soli.*

Dixit autem Samuel : Congregate universum Israel in Maspha. Commisit enim quibusdam, qui ex parte ipsius discurrerent per totam terram Israel ad denuntiandum, ut cuncti ad eum venirent viri ac principales de populo. Vel commisit istud principibus tribuum. *Ut orem pro vobis ad Dominum.* Nonne et alibi potuit orare pro populo etiam non præsente ? Poterat utique. Voluit tamen orare pro communitate, ea præsente et Dominum invocante, quatenus ex multarum præsentia facierum exaudibilior esset sua oratio. Ob aliam quoque causam populum convocavit, videlicet ad tractandum cum eis de bono communi, atque ad renovandum pactum inter Deum et populum. Denique ad illam urbem, scilicet Maspha, populum convocavit : vel propter convenientiam loci, vel quoniam urbs illa exstitit celebris, quoniam Josue frequenter fuerat ibi.

Et convenerunt in Maspha, hauseruntque aquam. Fuit etenim consuetudo Judæis, initum fœdus cum Deo vel homine confirmare per aliquod signum vel factum sensibile, ut patet in Josue libro, et alibi (*Josue* XXIV, 26, 27.) sæpe. Sic et hac vice renovato fœdere, quo obligaverunt se Deo servire, in signum et testimonium pacti hujus, aquam hauserunt, *et effuderunt in conspectu Domini :* tanquam ipso facto dicentes, Sic sanguis noster fundatur, et pereat vita nostra, si non servaverimus pactum ; item ad figurandum, quod sicut aqua effusa, non redit, ita nec ipsi ad idololatriam revertentur. Vel aquam haustam fuderunt, ad designandum cordium suorum effusionem coram Deo per devotam orationem, contritionem et planctum. Nam subditur : *Et jejunaverunt in illa die* ad impetrandum remissionem culparum, *atque dixerunt : Tibi peccavimus, Domine,* et ita humiliaverunt se ipsos. Propter quod aliqui dicunt, quod in signum humiliationis sui ipsorum, aquam fuderunt, quasi dicentes : Instar aquæ hujus effusæ, viles atque inutiles sumus. Quidam, quos Scholastica historia sequitur, dicunt, quod in aqua illa fuerunt maledicta congesta, quemadmodum in aqua sacrificii zelotypiæ : quam (*Num.* V, 18.) si bibisset idololatra, labia sua sibi invicem inseparabiliter jungebantur. Sicque patuit infidelitas ejus. Nonnulli dixerunt, quod Samuel idolum quoddam comminuit, ejusque pulverem misit in aquam illam : quam bibentes, discreti sunt idololatræ ab aliis, ita quod in barbis idololatrarum ap-

Digitized by Google

paruit signum impietatis eorum. Cui simile est, quod in Exodo Moyses fertur fecisse. (*Exod.* XXXII, 20.) *Judicavitque Samuel filios Israel in Maspha,* causas eorum discernendo, lites discordiasque sedando.

Et audierunt Philistiim, quod congregati essent filii Israel in Maspha, et ascenderunt satrapæ Philistinorum cum suis ministris *ad Israel,* id est ad impugnandum filios Israel, quos contra se congregatos suspicabantur. *Quod quum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philistinorum. Dixeruntque* filii Israel *ad Samuelem : Ne cesses clamare,* id est ferventer orare, *pro nobis ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum,* qui de propriis meritis non præsumimus, nec de viribus nostris confidimus, sed te esse Dei amicum cognoscimus. *Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino.* Præhabitum est, quod Samuel erat Levita, non Aaronita (I *Reg.* II, 11, 18.) : qualiter ergo licuit ei sacrificare ? nisi ex dispensatione divina, et necessitate urgente, atque ut aliqui dicunt, quoniam Ichabod filius Phinees filii Heli adhuc parvulus erat. *Et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus.*

Factum est autem, quum Samuel offerret holocaustum Domino, Philistiim iniere prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore, id est sonitu vel tonitruo, *magno in die illa super Philistiim, et exterruit eos :* quia (ut Josephus tradit, et in Scholastica historia recitatur) mota est terra, et pandebant seu patebant hiatus per loca, et fulgure quidam interierunt. Juxta quem modum Deus exterruit Sisaram et ejus exercitum, ut recitat Josephus. *Et cæsi sunt a filiis Israel. Egressique filii Israel de Maspha, persecuti sunt Philistæos, et percusserunt eos usque ad locum qui erat subter Bethchar.* Ceteri vero fugerunt, quos filii Israel insequentes percusserunt. In cujus tam gratiosi ac miraculosi triumphi memoriale perpetuum, fecit Samuel quod subditur : *Tulit autem,* id est accepit, *Samuel lapidem unum* grandem, *et posuit eum inter Maspha et Sen,* hoc est in terminis inter loca seu oppida sic vocata, in loco hujus victoriæ ; *et vocavit nomen loci illius, lapis Adjutorii,* propter supernaturale Dei auxilium ibi impensum. *Dixitque : Hucusque auxiliatus est nobis Dominus,* hoc est usque ad tempus istud seu usque ad locum hunc. Sicque locus ille vocatus est lapis Adjutorii, id est ager aut campus continens lapidem significativum et memorativum auxilii, ibi desuper dati.

Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philistæos, hoc est, divina potestas eos repressit, et debilitavit, ac refrenavit ab impugnatione Israelitarum, *cunctis diebus Samuelis,* id est omni tempore quo præfuit Israeli : quia sub Samuele Domino servierunt, et ita tam meritis Samuelis quam propriis, istam adversariorum suorum repressionem sortiti sunt. *Et redditæ sunt urbes quas tulerant Philistiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth et terminos suos. Liberavitque Israel de manu Philistinorum. Eratque pax* temporis *inter Israel et Amorrhæum,* hoc est reliquias Amorrhæorum qui adhuc morabantur in terra promissionis : quia pro tunc non resistebant Hebræis, imo (ut aliqui dicunt) serviebant tunc eis sub tributo.

Judicabat quoque Samuel Israelem, hoc est Israeliticum populum, *cunctis diebus vitæ suæ.* Contrarium hujus apparet ex sequenti capitulo, quoniam eo vivente præfuit Saul rex. (I *Reg.* X, I. 24.) Et respondendum, quod Saul regnante, Samuel adhuc erat magnus in populo, et judicavit, hoc est, judicia Dei docuit populum, ac in multis direxit tam regem ad tempus, quam multos de populo, quamdiu vixit. *Et ibat per singulos annos circumiens Bethel, et Galgala, et Maspha, et judicabat Israelem in supradictis locis,* id est tribus urbibus illis tunc famosis. Dicuntque aliqui, quod Bethel erat famosa, quoniam Jacob vidit som- (*Gen.* XXVIII, 12-19.)

Digitized by Google

nium ibi, ut in Genesi habetur; Galgala, A
Josue v, 2-10. propter secundam circumcisionem ibi factam, ut dicitur in Josue, et propter Pascha celebratum ibidem; Maspha, propter frequentiam Josue in eadem. Et juxta hoc, per Bethel esset hoc loco intelligenda Jerusalem. Fuit autem et alia Bethel. Nam et Je-
III Reg. xii, 29. roboam posuit unum aureorum vitulorum in Bethel. Itaque in tribus solennitatibus hebdomadariis, quarum scilicet quælibet duravit una hebdomada, utpote Paschæ, Pentecostes, et Scenopegiæ, ascendebat ad oppida illa, et judicavit plebem in eis. Aliis B
diebus ascendit ad eum populus in Ramatha, ut judicaretur et instrueretur ab eo. Unde subjungitur: *Revertebaturque* festis illis expletis *in Ramatha,* in qua natus
I Reg. i, 1. est. *Ibi enim erat domus ejus* paterna et hereditaria. Levitæ namque et sacerdotes habuerunt loca propria ad manendum. *Et ibi judicavit Israelem.* Infra, Samuel ait ad
Ibid. xii, 3. populum: Si de manu cujusquam munus accepi; quasi dicat, Non accepi: ex quo videtur, quod propriis expensis visitavit loca præfata ad populum judicandum et C
erudiendum. Quo plane exemplo reprehenduntur, qui in visitationibus gravant visitatos expensis, et sumunt ab eis munuscula, quod in jure frequenter ac districte etiam sub pœna excommunicationis prohibetur.

Ædificavit etiam ibi, scilicet in Ramatha, *altare Domino.* In libro Josue scribitur, Josue xxii, 10 et seq.
qualiter novem tribus volebant ascendere ad præliandum contra duas ac mediam tribus, eo quod juxta Jordanem ædificassent altare. In Deuteronomio quoque Dominus Deut. xii, 5, 6.
jussit, ut non nisi in uno loco sacrificia fierent. Quomodo igitur licuit Samueli in Ramatha altare construere? Et respondendum, quod eadem auctoritate et dispensatione, qua sacrificavit quum non esset sacerdos, ut tactum est. Nam et Gedeon ac Judic. vi, 18-24; III Reg. xviii, 30-38.
Elias, qui nec Levitæ erant, sacrificasse noscuntur. Porro quod ex Deuteronomio allegatum est, intelligendum est, sicut ex textu ibidem colligitur, pro tempore quo Dominus urbem divini cultus determinavit, Deut. xii, 5.
et templum seu tabernaculum Dei cum arca in urbe illa fuerat stabiliter collocatum.

ARTICULUS XV

DE MYSTICO SEPTIMI HUJUS CAPITULI SENSU.

VENERUNT *viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam.* Per viros illos qui cives erant urbis Israeliticæ plebis, intelliguntur conversi ex Judaismo, qui Christum per arcam designatum, cum reverentia fideliter susceperunt. Per Eleazarum vero, sacerdotes qui ex lege ad Evangelium sunt conversi, accipiuntur, de quibus
Act. vi, 7. S. Lucas ait: Multa turba sacerdotum obe-
Is. lxi, 6. diebat fidei. Et Isaias: Vos sacerdotes Domini vocabimini. De quibus et Malachias
Malach. iii, 3. ait: Erunt Domino offerentes sacrificia in D
justitia. Per hoc demum quod Eleazarus sacerdos sanctificatus est, quatenus dignus esset arcam custodire, præfiguratum est, quam puros et sanctificatos esse oporteat sacerdotes novæ legis, qui Christum Unigenitum Patris consecrant, offerunt, tractant, et sumunt.

Requievit omnis Israel post Dominum. Ita et nos, relicta inquietudine vitiorum, immoderatione passionum, sollicitudine sæculari, stabiliri et conquiescere studeamus in Deo. Ipse enim est finis noster, ad quem semper respicere et adspirare debemus, in quo solo vera et salutaris quies consistit, et in ipso per fidem, sapientiam et virtutes defigimur. Optimum etenim est, Hebr. xiii, 9.

Digitized by Google

[Ps. xi, 9.] gratia et virtute cor stabiliri. Impii autem in circuitu ambulant, quoniam rebus vanis, caducis, variabilibus, magis quam summo et incommutabili bono, inhærent : et hæc ipsa inhæsio tam inordinata, peccatum est, et agitatio mentis. Nam sicut virtutes mentem in Deo stabiliunt et quietant, sic passiones et vitia inquietam, nutantem, gyrovagam reddunt eamdem, sicut in Threnis habetur [Thren. i, 8.] : Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. Propter quod in libro Job dicitur [Job xi, 14. 15.] : Si iniquitatem abstuleris, stabilis eris, et non timebis. Hinc quoque in Ecclesiastico fertur [Eccli. xxvii, 12.] : Homo sanctus in sapientia manet ut sol. Nam stultus sicut luna mutatur. Porro stultus est omnis qui dono sapientiæ caret, et vitiis passionibusque succumbit, in quo puerilitatis vitium regnat : quoniam sicut pueri poma et pira præferunt auro et gemmis, sic talis carnalia et caduca præponit divinis atque æternis. Taliumque stultorum, juxta Salomonem [Eccle. i, 15.], infinitus est numerus.

Ait autem Samuel ad universam domum Israel : Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri. Hoc unusquisque prælatus et prædicator dicere debet toti congregationi, et unicuique cui præest aut prædicat. Oportet equidem toto corde converti ad Dominum, quem toto corde jubemur diligere [Deut. vi, 5; Matth. xxii, 37.], et cui præ omnibus tenemur intellectu et voluntate integraliter adhærere, qui ait per Joelem [Joel ii, 12.] : Convertimini ad me in toto corde vestro. De his vero qui convertuntur ad Dominum non toto corde, scriptum est in Osee [Osee x, 2.] : Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Hi sunt qui Deo et sæculo volunt inhærere ac complacere. De his quoque qui solo ore convertuntur ad Dominum, ipse per Isaiam testatur [Is. xxix, 13; Matth. xv, 8.] : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Similiter de his qui solo exteriori opere videntur converti ad Deum, scribit Apostolus [I Cor. xiii, 3.] : Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Imo de quibusdam talibus ait Salvator [Matth. vii, 15.] : Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et sicut ibidem prosequitur Christus, vestimenta ovium sunt, jejunium, oratio, eleemosyna [Ibid. vi, passim.] : quibus, id est quorum fictis imaginibus, seductores suam celant impietatem. Insuper deos alienos auferamus de medio nostri, hoc est, unusquisque de corde suo tollat ac jugiter pellat omnem affectionem vitiosam ad creata ac peritura, vana phantasmata, cogitationes perversas, inutiles phantasias. Quod enim quis amplius colit et amat, quam Deum, hoc sibi impie efficit deum seu ultimum finem.

Et præparate corda vestra Domino. Hoc incessanter agamus, vitando occasiones peccandi, et exteriora virtutum adminicula amplectendo, examinando quoque conscientias nostras, et quidquid in nostris est viribus faciendo, Deique opem assidue invocando : et tunc Dominus copiose juvabit, et quod suum est, gratiose implebit, qui ait per Jeremiam [Jer. xxx, 21.] : Quis est iste qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi ? quasi dicat, Talem protinus mihi conjungam. *Et servite ei soli.* Qui servit hominibus propter Deum, soli Deo quodammodo servit. Quod esse agendum docet Apostolus ad Ephesios [Ephes. vi, 5-7.] : Servi, inquiens, obedite dominis carnalibus in simplicitate cordis, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, servientes sicut Domino, et non hominibus. *Abstulerunt ergo,* etc. Quemadmodum filii Israel Samueli in his protinus obedierunt, sic subditi suis prælatis et prædicatoribus debent mox obtemperare.

Dixit autem Samuel : Congregate universum Israel in Maspha. Sic majores prælati et Pontifex summus deberent opportunis et præfixis temporibus, præsertim instantibus arduis causis, synodum convocare, ac devotissime celebrare. *Hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini.* Ita et nos aquam lacrimosæ con-

Digitized by Google

tritionis ac devotionis hauriamus precibus ex fonte divinæ et incircumscriptibilis pietatis, Patrem misericordiarum fervide deprecantes, ut hujusmodi contritionem et devotionem nobis conferre dignetur, et effundamus sicut aquam cor nostrum in conspectu Domini Dei nostri, aut* precibus nostris abstinentiam, jejunium et humilitatem semper jungamus, dicentes ex intimo corde : Tibi peccavimus, Domine. *Et audierunt Philistiim, quod congregati essent filii Israel.* Sic invisibiles hostes præcipue impugnare non cessant congregationes devotas, et quanto diligentius ad profectum virtuosum nos damus, tanto invidiosius et insolentius instant. Tunc ergo devoti clament ad Dominum, et superiorum suorum, præsertim virorum virtuosorum, imo et Beatorum in patria, suffragia orationesque postulent.

Threm. II, 19. — * et — Jer. XIV, 20.

Tulit autem Samuel agnum lactentem. Sic devotus pastor pro sibi commissis et recommendatis celebrare debet, et Patri æterno offerre Unigenitum suum, Agnum qui tollit peccata mundi. Quemadmodum autem Samuele sacrificante et orante, intonuit Dominus magno super Philistæos fragore; sic meritis orationum et celebrationum devotorum sacerdotum, atque virtute Sacramenti altaris quod offerunt, Deus fugat et conterit invisibilium hostium turbam. Tonat quoque Altissimus, dum per os efficacium prædicatorum loquitur populo suo, per quod spirituales hostes vertuntur in fugam, ut Rabanus ait. *Tulit autem Samuel lapidem unum.* Per hunc lapidem Adjutorii, inter Israelitas Philistæosque positum, intelligitur Dominus et Salvator, qui est lapis angularis, petra refugii, et pretiosissima gemma, ac robur et fons adjutorii nostri, qui inter electos et reprobos stat defensor. Unde Septuaginta transtulerunt, Inter Maspha novam et veterem. Alia quoque quædam translatio continet, Inter Maspha et Siceleg, quæ sunt urbes Philistinorum.

Joann. I, 29. — Is. XXVIII, 16; Act. IV, 11; I Petr. II, 6.

Facta est itaque manus Domini super Philistæos cunctis diebus Samuelis. Sic præsidentibus viris virtuosis ac sanctis, repelluntur a subditis contrariæ potestates. Nempe qualis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. Quo constat, quantum bonum, et quam præfulgidum Dei donum sit, pastor idoneus et condignus. Ideo vere ait Scriptura : Rex sapiens, populi stabilimentum est. Itemque : Multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum. *Et redditæ sunt urbes.* Sic virtuosus prælatus animas a dæmonibus victas Christo reducit, et congregationes deformatas reformat, atque ab ecclesia malignantium in ecclesiam Deo militantium multos restituit ac deducit. *Eratque pax inter Israel et Amorrhæum.* Sic boni fideles cum peccatoribus, quantum sine offensa Dei queunt, libenter pacem habere conentur, dicente Apostolo : Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Sit etiam in unoquoque nostrum pax ordinata inter Israel et Amorrhæum, hoc est inter spiritum rationalem divina contemplantem, et inter carnem, ita quod corpus in cunctis prompte obediat rationi, et ratio Deo. Absit autem a nobis pax inordinata et pessima, qua spiritus acquiescit desideriis carnis, et ratio concupiscentiis servit, ita quod fatua famula dominæ principatur. Hæc est pax inquinata, quam cum Eva habuit Adam, quando ad Evæ suggestionem comedit fructum prohibitum.

Eccli. X, 2. — Sap. VI, 26. — Ibidem. — Rom. XII, 18. — Gen. III, 6.

Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ. Sic is qui præest, omni tempore præsidentiæ suæ infatigabiliter debet suum implere officium, et subditos sine personarum acceptione judicare, corripere, corrigere, informare, sicut Timotheo jubet Apostolus : Prædica verbum ; insta opportune, importune ; argue, obsecra, increpa in omni patientia. Hoc est contra eos, qui dum senescunt, substituunt sibi vicarios, et sollicitudinem pastoralem remittunt, quum tanto plus deberent esse pro commissis solliciti, quanto plus appropinquant suo fini, atque examini Judicis summi. *Et ibat per singulos annos circumiens.* Sic omnino, sic veri episcopi,

II Tim. IV, 2.

Digitized by Google

archidiaconi, abbates et ceteri visitatores omni tempore opportuno, et in jure determinato, debent subditos suos, cœnobia, collegia, parochias, caritative ac strenue visitare, vitia exstirpare, collapsa et deformata totis viribus reformare, bonos confir- A mare in bonis, et provocare ad meliora, præcipua quoque loca diligentius custodire : sicque reverti ad propria, ad providendum propriis suis ovilibus, atque ut ibi prompte inveniantur a cunctis qui eorum consilio aut judicio egent.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : FACTUM EST AUTEM QUUM SENUISSET SAMUEL.

HISTORIA hujus narrat capituli, cur et qualiter Israeliticus populus petiit præfici sibi regem : cujus postulationis duplex fuit causa, ut infra habetur. *Factum est autem quum senuisset Samuel,* ita quod solito more non potuit exercere labores in visitando et omnibus serviendo, ac exteriora tractando : quod viris sanctis onerosum est valde, quippe quibus dulcissimum atque carissimum est, vacare divinis, et spiritualibus occupari. Propter quod Augustinus vir sanctus dixit : Mallem quotidie aliquid manibus operari, quam causas et lites vestras audire et expedire. *Posuit filios suos judices super Israel,* id est, constituit eos plebis Israeliticæ judices, non reges aut principes. Hoc sanctus Samuel non fecit carnali affectu, sicut nunc multi promovent suos cognatos, ne dicam et filios, ad præbendas et ecclesiasticas dignitates ; sed quoniam judicavit eos ad judiciale officium vere dignos, et forsan tunc digni erant, quamvis post suam promotionem corrupti sint corde, quemadmodum Saul. (1 *Reg.* xv, 11.) Principatus quippe ostendit virum, et honores mutant in multis mores. Verumtamen non recolo me legisse, quod aliquis Judicum ante Samuelem, vel vivens sive in extremis constitutus, posuerit aliquem filiorum suorum judicem populi. Nam ut in prima secundæ asserit Thomas, et idem dicunt Alexander de Hales, aliique communiter, et infra patebit, Deus elegerat B sibi filios Israel in populum peculiarem (*Deut.* vii, 6; xiv, 2?) et prædilectum : ideo voluit per se ipsum eis præficere judices et rectores. Unde de judicibus communiter scriptum est, quod Dominus suscitavit eis salvatorem seu judicem. (*Judic.* iii, 9, 15.) Hinc Moyses nullum filiorum suorum instituit judicem, sed petiit sibi revelari a Domino, quem vellet sibi succedere. (*Num.* xxvii, 16.) Unde videtur, quod Samuel ex divino instinctu fecerit istud, et quod filii ejus primo boni fuerunt.

Fuitque nomen filii ejus primogeniti C *Joel, et nomen secundi Abia, judicum in Bersabee.* Magister in historiis ait : Quum senuisset Samuel, posuit filios suos Joel et Abiam, alterum in Bethel, alterum in Bersabee, ut ibi sedentes, judicarent populum. Quomodo ergo hic dicitur, Judicum in Bersabee, quasi ambo fuerint judices ibi ? Ad quod videtur dicendum, quod Scriptura brevitati hic studens, per expressionem unius loci, dat alterum locum intelligi. Vel forte successive sederunt ambo in Bersabee. Iterum quæri potest, quomodo Ma- D gister in historiis dicat unum eorum positum fuisse in Bethel, quum Josephus dicat, In Bethlehem ; quod etiam Rabanus sequitur, imo et Magister præfatus circa exordium libri hujus. Ad quod dicendum, quod per Bethel, intelligit Bethlehem. Vel vitio scriptorum, pro Bethlehem, scriptum est Bethel. *Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus,* hoc est, virtutes et opera virtuo-

Digitized by Google

sa sui patris secuti non sunt; *sed declinaverunt* a recto itinere *post avaritiam,* illam sectando : quod judicibus summe vitandum est; *acceperuntque munera* intentione sinistra, *et perverterunt judicium,* hoc est, injuste judicaverunt scienter ad complacendum his, a quibus munera acceperunt. Contra quod scriptum est in Exodo : Non accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. Porro judex debet esse quasi animata justitia, et tanquam lex viva, ut nec amore, nec odio, nec cupiditate, nec timore, nec aliquo modo ab æquitate et veritate discedat. Et quocumque modo contrarium fecerit, ad satisfactionem seu restitutionem tenetur his, quibus impie judicando damnum aut molestiam infert.

Exod. XXIII, 8.

Congregati ergo universi majores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei Samueli : *Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis,* hoc est, rectitudinem judiciorum operumque tuorum non imitantur. *Constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes,* id est ceteræ gentes communiter, vel quædam de omnibus. Si nobiliores isti, juxta evangelicæ sapientiæ documenta, primo admonuissent judices illos, vel patri eorum denuntiassent, ut filios suos corriperet, consultius processissent. Nunc autem statim processerunt ad depositiones illorum. *Displicuitque sermo in oculis,* hoc est in intellectu et ratione seu sapientia, *Samuelis, eo quod dixissent, Da nobis regem, ut judicet nos,* et non potius, Corrige filios tuos, ut juste se habeant. Displicuit ergo illa petitio Samueli, non ex ambitione, sed æquitate et amore ad bonum commune, quia sciebat populo potius expedire quod regeretur per judices, et quoniam scivit quod Deus sibi retinuit regale atque monarchicum regimen populi hujus. Insuper displicuit Samueli quod voluerunt gentibus conformari, instar gentium regem habendo, quasi non regerentur excellentiori modo a Deo, quam gentes. Displicuit quoque sancto viro suorum perversitas filiorum. *Et oravit Samuel ad Dominum,* ut ei revelaret quid sibi esset agendum.

Matth. XVIII, 15-17.

A

Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi de ista materia, id est, præfice eis regem. Si peccaverunt regem petendo, cur Dominus jussit satisfieri eorum petitioni? Respondetur, quod Deus justo judicio istud permisit sive mandavit, in pœnam et humiliationem superbientium, et quoniam regem habere non erat malum in se, et quia ex adimpletione petitionis illorum, seu regum institutione, decreverat multa bona elicere. Nam et per Jacob patriarcham prædixit reges ex tribu Juda nascituros. Ad Abraham quoque: Reges, inquit, egredientur ex te. Unde quod Dominus dixit, Audi vocem eorum, quasi iratus, locutus est. *Non enim te abjecerunt, sed me,* id est non te solum aut principaliter, sed me qui hucusque fui eorum rex, et de vicario regiminis mei eis providi, judices suscitando. Idcirco oportet patientiam te habere. Quamvis autem Samuel filios suos instituit judices, dicuntur tamen filii Israel eum abjecisse, quia eum in suis filiis abjecerunt, vel quia adhuc mansit judex supremus in populo illo, ita quod ad eum fiebat in majoribus et dubiis causis recursus. Nam super illud, Quum senuisset, loquitur Glossa : Ætate et curis gravatus, solennia non poterat celebrare judicia. *Ne regnem super eos,* per me ipsum circa eos exercendo præsidentiam regiam. Nam secundum doctores, ipsi judices non habebant super populum aliquid prælaticæ auctoritatis aut juris, nisi quod populus Israel in tribulationibus suis utebatur illorum consilio aut prudentia, prout de hoc super librum Judicum plenius recolo dictum. Sic igitur abjecerunt me et te, *juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto, usque ad diem hanc :* hoc est, sicut et ipsi et patres eorum frequenter se male habuerunt, a tempore egressionis eorum ex Ægypto usque in præsens, sic et in isto male egerunt. Itaque non est intelligendum, quod

B C D

Gen. XLIX, 10.

Ibid. XVII, 6.

Digitized by Google

isti de quibus hæc dicebantur, fuerunt de A Ægypto educti, nisi in lumbis patrum suorum; vel quod in omnibus actibus suis interim peccaverunt, quum et præcedenti capitulo multa bona de istis conscripta sint. *Sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis* interdum, non semper, *sic faciunt etiam tibi,* hoc est, ingrati sunt tibi, et præsidentiam tuam abjiciunt, sicut mihi fuerunt ingrati, et meam gubernationem dereliquerunt, subdentes se alienorum dominationi deorum. Ecce quam pie et dignantissime loquitur Deus majestatis B immensæ ad labilem atque ex se fragilem creaturam, se comparans homini. *Nunc ergo vocem eorum audi. Verumtamen contestare,* id est, cum protestatione certifica, *eos, et prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos.*

Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui a se petierat regem, et ait hoc Samuel populo : *Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis : Filios vestros tollet et ponet in curribus suis,* hoc est, faciet eos aurigas quadrigarum sua- C rum, *facietque sibi equites,* id est, quosdam filiorum vestrorum faciet esse equites suos, *et* quosdam *præcursores quadrigarum suarum; et constituet sibi* ex eis *tribunos,* qui præsunt mille viris, *et centuriones,* ita quod oportebit eos patere assiduis præliorum periculis, sicque dignitati eorum erunt annexa onera gravia, *et aratores agrorum, et messores segetum, et fabros armorum et curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias et focarias,* hoc est unguentorum paratrices et D coctrices, *et panificas,* id est panum factrices. *Agros quoque vestros et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. Sed et segetes vestras, et vinearum redditus addecimabit,* hoc est, ad decimam accipiet, *ut det eunuchis,* id est custodibus lecti sui aut puellarum, *et famulis suis. Servos etiam vestros et ancillas et juvenes optimos et asinos auferet, et ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.*

Circa hæc arguit Thomas in prima secundæ, quæstione 105 : Sicut regnum est optimum regimen, ita tyrannis est pessima corruptio regiminis. Sed Dominus regem instituendo, instituit jus tyrannicum. Dicitur enim primo Regum : Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis, Filios vestros tollet, etc. Ad idem Doctor respondet : Jus illud non determinatur regi ex institutione divina, sed magis prænuntiatur ibi usurpatio regum, qui sibi constituunt jus iniquum, in tyrannidem degenerantes, et subditos deprædantes. Quod patet per hoc, quod in fine subjungitur, Vosque eritis ei servi : quod proprie ad tyrannidem pertinet, quia tyranni suis subditis principantur ut servis. Unde ista dicebat Samuel ad deterrendum eos, ne peterent regem. Nam sequitur : Noluit autem populus audire vocem Samuelis. Verumtamen potest contingere, quod etiam bonus rex absque tyrannide filios subditorum tollat, et constituat tribunos et centuriones, et multa a subditis suis accipiat ad procurandum bonum commune. Hæc Thomas. Hinc dicunt et alii, quod quædam sunt de jure regis in necessitate constituti, quæ non sunt de jure ejus extra casum necessitatis, imo tunc ad tyrannidem pertinerent. Prædicta ergo omnia possunt in necessitate ad jus regis spectare, quia in tali casu sunt regis seu principis ad utendum, et disponendum de eis secundum exigentiam boni communis. Si vero rex aut princeps modo prætacto utatur bonis ac sobole subditorum, extra necessitatis articulum, puta ad proprium commodum, tyrannicum est.

Insuper advertendum, quod duplex est dominatio : Una videlicet naturalis et ordinata, qua quis aliis præest ad illorum profectum et utilitatem : quæ dominatio etiam quædam servitus appellatur, in quantum ad inferiorum commodum, non ad emolumentum proprium, ordinatur. Hæc tamen est servitus administrationis et prælationis ac dignitatis, secundum quam summus Prælatus Ecclesiæ vocat se Servum

Digitized by Google

servorum. Alia est dominatio innaturalis, inordinata, et quodammodo violenta, qua quis aliis præsidet solum ad commodum suum, quæ est tyrannis. Verumtamen inter has duas est dominatio quædam media, quæ quamvis ordinetur ad commodum dominantis, tamen hoc ipsum fit sine injuria servientis, imo cum utilitate et mercede ipsius. Itaque etiam subditi regis virtuosi, sunt servi ipsius servitute ordinatæ subjectionis, et etiam casti timoris atque spontaneæ voluntatis.

Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis, hoc est, a rege tali liberari petetis, propter pressuras et præfatas injurias quas inferet vobis, *et non exaudiet vos Dominus in die illa* in prætacta petitione, quia inobedientiam vestram puniet, *quia petistis vobis regem.*

Noluit autem populus audire vocem Samuelis, id est, admonitioni qua hortatus est eos, ut cessarent petere regem, acquiescere noluerunt, *sed dixerunt : Nequaquam,* id est, nullo modo succedet nobis tam male cum rege, ut comminaris. Vel, Nequaquam obtemperabimus tibi in hac tua persuasione. Vel, Nequaquam clamabimus a facie regis nostri, nec omittet Dominus nos exaudire, eo quod petierimus regem. *Rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes.* Quasi dicant : Inferiores et viliores esse videmur ceteris gentibus, quoniam non habemus regem seu principem tantæ dignitatis, ut illæ, sed solum judicem et rectorem consiliativum. *Et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis. Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini. Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem eorum, et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel : Vadat unusquisque in civitatem suam,* hoc est, ad propria revertamini, patientiamque habete, quousque Dominus mihi revelet quem ipse velit vobis regem creari. Quamvis enim Deus a principio non instituit eis regem, attamen circa regem instituendum duo instituit. Primum, ut in ejus electione exspectarent judicium Dei, juxta illud Deuteronomii : Eum constitues regem, quem Dominus Deus elegerit. Secundum fuit, ut non facerent sibi regem alterius gentis. Propter quod subditur ibi : De medio fratrum tuorum.

Deut. XVII, 15.

Ibidem.

Sensus moralis.

Moraliter docemur ex isto capitulo, quam detestanda sit in judicibus omnis avaritia, et quanta ex ea sequantur peccata : quia ut ait Glossa, pro munere facit justitiam opprimi, et ad epulas ac pretiosa convivia ab aliis præparata inducit, imo gignit dolos, mendacia, perjuria, inviscerositatem, testimonia falsa, innocentium oppressionem, et innumerabilia mala. Patet quoque ex dictis, quam periculosum et malum exsistat in subditis, immansio proprii sensus, nec superioris sui sanis obtemperare consiliis. Item, quod servi Dei non debent velle assimilari filiis et amatoribus sæculi. Et rursus ex præhabitis innotescit, quod Deus interdum exaudit petitiones malorum in pœnam eorum, exaudiens eos ad votum, non ad salutem. Idcirco in his, de quibus sumus incerti an sint pro nostra salute, debemus sic Dominum invocare, ut ejus moderamini sapientissimo atque piissimo committamus ipsam precum nostrarum exauditionem, in quantum expediat nostræ saluti exauditio ipsa : et hoc est cum conditione saltem implicita exorare.

Circa capitulum hoc quæritur, an populus Israel peccavit postulando regem. Et apparet quod non, quia secundum Philosophum tertio Politicorum, regimen monarchicum seu regale, quo unus toti multitudini principatur, est optimum : ergo hoc petere, non est culpa. Insuper Dominus dedit formam et modum petendi regem, dicendo : Quum ingressus fueris terram, et dixeris, Constituam super me regem, eum constitues quem Dominus elegerit. Oppositum tamen hujus patet ex dictis, atque ex eo quod infra habetur : Scietis quia grande malum feceritis in conspectu Domini, petentes super vos regem. Ad hanc quæstionem Lyra ex verbis S. Thomæ re-

Deut. XVII, 14, 15.

I *Reg.* XII, 17.

Digitized by Google

spondet : Filii Israel peccaverunt regem A petendo, quoniam Deus elegit sibi filios Israel in populum peculiarem et specialem, ideo voluit esse immediatus rex plebis illius, propter quod legem dedit ei in monte Sinai per se ipsum, id est per angelum in persona ipsius loquentem, et non per hominem mediatorem. Hinc voluit homines gubernatores populi illius institui a se immediate, tanquam vicarios suos, non tanquam reges et dominos, ut patet de Moyse et Josue, et de judicibus sequentibus, de quibus in libro Judicum legitur, Suscitavit B Dominus illum aut illum : et ideo filii Israel fecerunt contra ordinationem Dei, petendo super se regem hominem mortalem. Dicendum ergo ad primum objectum, quod si gubernatio regis est optima, ergo optimum est habere Deum regem immediate. Ad aliud respondendum, quod verba illa Dei de rege constituendo, fuerunt permissio, non concessio proprie dicta.

Deut. VII, 6. *Exod.* XXIV. *Ibid.* III, IV; *Num.* XXVII, 18 *et seq.* *Judic.* III, 9, 15. *Deut.* XVII, 15.

Sed contra hæc scribit Rabbi Paulus, dicendo : Institutio regis in aliquo populo, non tollit immediatam gubernationem Dei C ab eis. Stat enim quod Deus sit immediatus rex alicujus populi, ipsum in principalibus per se regendo, et tamen populus ille habeat regem hominem, ut patet de populo christiano. Denique populus christianus non est minus peculiaris et specialis populus Dei, quam olim populus Hebræorum ; sed longe plus, juxta illud : Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Et tamen populus christianus gubernatur per homines reges. Insuper Deus dedit populo christiano legem, non D per angelum in sua persona apparentem, sed per se ipsum in humanitate assumpta : ergo magis est peculiaris populus Dei, quam populus Israel. Et tamen competit sibi regi per reges. Amplius, si filii Israel peccaverunt regem petendo, ergo perseverassent semper in illo peccato, durante regimine regio. Propter has rationes Paulus dicit, quod populus Israel non peccavit, regem petendo, sed quia petierunt regem aliter quam eis fuit concessum. Nam petierunt regem qui eis præesset cum plenaria potestate, ita quod esset absolutus a legibus. Non enim solum postulabant esse sub rege modo eis concesso a Deo, videlicet qui eis præesset secundum Dei præcepta, sed ut rex judicaret eos eo modo, quo reges gentilium communiter judicabant eos absque limitatione potestatis, et absque refrenatione appetitus. Ista responsio Rabbi Pauli, nullius videtur valoris. Nulla enim gens in mundo tam fatua fuit aut est, quæ cupiat talem habere regem, qui regat eos absque limitatione potestatis, et absque refrenatione appetitus, quum hoc sit tyrannice gubernari : imo Romani et alii multi gentiles interfecerunt aut ejecerunt reges suos se ita habentes.

I Petr. II, 9.

Dicendum ergo, quod populus Israel peccavit regem petendo. Nam et super illud Deuteronomii, Eum constitues, etc., loquitur Augustinus : Cur populus Israel Deo displicuit regem petendo, quum hoc fuerit eis permissum? Sed intelligendum est, non hoc fuisse secundum voluntatem Dei qui id fieri non præcepit, sed desiderantibus permisit. Glossa etiam super illud, Constitues, ait : Permittit, non committit. Præterea, infra Samuel ait : Videntes quod Naas rex filiorum Ammon venisset contra vos, dixistis, Nequaquam, sed rex imperabit nobis, quum Dominus Deus vester regnaret in vobis. Deinde ait : Invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias, et videbitis, quia grande malum feceritis, petentes super vos regem. Quo facto, populus dixit : Ora pro servis tuis ; addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem. Quibus Samuel dixit : Vos fecistis universum malum hoc. Ecce apertissime docet Scriptura, quod peccaverunt, regem petendo.

Deut. XVII, 15. *I Reg.* XII, 12. *Ibid.* 17. *Ibid.* 19. *Ibid.* 20.

Nunc ergo ad instantias respondendum. Ad quas dicendum, quod tempore Mosaicæ legis ceteræ gentes communiter ad idololatriam declinabant, imo et summi Dei providentiam negaverunt. Ideo Deus voluit in regimine Judæorum suam providentiam multipliciter demonstrare, exercendo in eis

Digitized by Google

regiam gubernationem per se et judices A suscitando, qui auctoritatem prælaticam non habebant in populo (ut communiter) secundum doctores catholicos. Insuper voluit eis monstrare, quis fieret rex eorum, quando imo * requirerent regem : et hoc modo immediate regi a Deo, non stat cum regimine regis mortalis. Ad aliud respondendum, quod populus christianus non est populus unius tantummodo nationis, sed juxta Prophetarum oracula, omnes tribus, linguas et gentes includit, et per prædicationem evangelicæ legis, universis nati- B onibus multipliciter patefacta est veritas unius summi Dei, et generalis atque distincta ac plena providentia ejus. Idcirco, quamvis populus christianus, ad quem et Apostoli, ac primitiva Ecclesia ex Judaismo conversa, est pertinens, sit maxime peculiaris plebs Dei ; non tamen præfata ratio habuit locum in eo, quod immediate absque regali humano regimine gubernaretur. Et per hoc patet ad tertiam objectionem responsio. Ad quartum dicendum, quod quamvis filii Israel peccaverunt, regem petendo, tamen nec ipsi, nec eorum posteri peccaverunt, illum suscipiendo in regem, quem Deus perhibuit se elegisse in regem ipsorum, puta Saulem, David, et posteros ejus.

* omnino

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI NONI : ET ERAT VIR DE BENJAMIN, NOMINE CIS.

INSTITUTIO primi regis Israel, hoc loco C describitur. *Et erat vir de Benjamin,* id est de tribu Benjamin natus, *nomine Cis, filius Abiel.* Primo libro Paralipomenon habetur, Ner genuit Cis, et Cis genuit Saul : quomodo ergo Cis vocatur filius Abiel? Ad hoc in libro præallegato Paralipomenon est responsum. *Filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini.* Aiunt quidam, quod Jemini fuit vir quidam vilissimus in tribu Benjamin, qui posteris suis sæpe legitur improperatus. Nam et Saul infra se humiliando, et quasi indi- D gnum ad regnandum probando : Numquid non, inquit, filius Jemini ego sum, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? Verumtamen Josephus protestatur, quod Cis fuit vir potens ac nobilis, et Saul strenuus. Hinc alii dicunt, quod Benjamin et filius Jemini, idem significent, quoniam BEN est idem quod filius, et JAMIN idem quod Jemini, quod interpretatur dextera. Sed huic responsioni obviare videtur, quod ait, Numquid non filius Jemini ego sum? Nempe si idem significant Benjamin et filius Jemini, tunc idem est dicere, Numquid non filius Jemini ego sum? et, Numquid non Benjamin ego sum? Nisi forsan dicatur, quod Jemini hic sumatur pro Benjamin, ut sit sensus, Filius Jemini, id est, Benjamita seu de semine Benjamin ego sum. *Fortis robore,* id est, ipse Cis fuit robustus, et forsitan non solum corpore, sed et corde, utpote virtuosus.

I *Par.* VIII, 33. — I *Reg.* IX, 21. — *Ibidem.*

Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus. Posset quis dicere : Si electus, ergo et prædestinatus. Sed electus, in Scripturis frequenter aliter quam pro prædestinato accipitur, ut in Psalmo : Non communicabo cum electis eorum. Et : Electos Israel impedivit. Fuit ergo electus, id est vir elegans et magnæ prærogativæ in naturalibus, et bonus moraliter. *Et non erat vir de Israel melior illo,* id est convenientior eo ad officium regis, quoniam fuit magnus, robustus, pulcher et virtuosus, ut quidam exponunt. Verumtamen, per hæc

Ps. CXL, 4. — *Ps.* LXXVII, 31.

Digitized by Google

verba videtur specialiter insinuari præcipua excellentia ipsius Saul in omni virtute, seu magna valde virtuositas ejus, propter quam nemo in populo Israel fuit dignior eo ad regnum. Qui enim melior, qui perfectior, qui sapientior in omni populo, eligendus est ad præsidendum, secundum Origenem. Et quamvis in foro contentioso sufficiat eligere bonum et sufficientem, tamen in foro conscientiæ necesse est eligere meliorem, seu eum quem conscientia judicat optimum atque dignissimum ad primatum. *Ab humero et sursum eminebat super omnem populum,* id est, valde elegantis erat staturæ : quod competit principi. Sicque de eminentia in naturalibus atque gratuitis commendatur.

Perierant autem asinæ Cis patris Saul, id est, perditæ seu amissæ erant ad tempus, et perditæ putabantur. *Et dixit Cis ad Saul filium suum : Tolle tecum unum de pueris,* id est de ministris, *et consurgens, vade et quære asinas.* Propter viæ solatium, vel propter negotii expeditionem, aut propter ipsius Saul honorabilitatem voluit pater suus ut non iret solus, sed cum ministro. *Qui quum pertransissent montem Ephraim et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim :* de qua apud Joannem scriptum est : Erat Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, id est locum seu oppidum sic vocatum; *et non erant; sed et per terram Jemini.* Hic per Jemini designatur vir quidam notabilis et famosus, ut videtur. *Et minime repererunt. Quum autem venissent in terram Suph.* Per hunc Suph quidam intelligunt atavum Samuelis, de quo Suph in exordio hujus libri habetur. Sed quum Suph ille fuerit Levites, juxta præhabita, non videtur terram habuisse hereditariæ possessionis : nisi forte dicatur terra Suph, ratione originis, vel quia ad alenda pecora sua habuit eam. *Et non invenissent ; dixit Saul ad puerum qui erat cum eo : Veni, et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis,* id est, ne forte tam anxius sit propter nos, timendo de nostro periculo, quod desierit sollicitari pro asinabus. Sciebat etenim Saul, se esse valde dilectum, imo carissimum patri suo : tamen ex humilitate connumerat sibi suum ministrum, dicendo, Et sollicitus sit pro nobis. In hoc quoque apparet bonitas Saul, imo et prudentia ejus, quod patris sui dolorem verisimiliter æstimavit, et eidem condoluit.

Joann. III, 23.

I Reg. I, I.

Qui puer *ait ei : Ecce vir Dei est in civitate hac,* puta in Ramatha, cui propinqui sumus, *vir nobilis,* quia erat judex populi, et propheta, et omnium nobilitate virtutum ornatus; *omne quod loquitur, sine ambiguitate venit,* id est, quidquid futurum prædicit, certissime adimpletur, loquendo de prophetia. *Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet,* id est, quia forsitan indicabit, *nobis de via nostra, propter quam venimus,* id est de negotio viæ nostræ, scilicet de asinabus quas quærimus. Mirum, quod Saul ista non scivit, aut non consideravit, videlicet Samuelem esse prophetam, et habitare in Ramatha, et venientibus ad se dare responsa. Puto autem quod habitualiter sciverit ista.

Dixitque Saul ad puerum suum : Ecce ibimus. Quid feremus ad virum Dei ? Panis defecit in sitarciis nostris, id est, viaticum quod nobiscum accepimus in peris, saccis seu repositoriis nostris, jam pene consumptum est; *et sportulam non habemus,* id est munusculum in sportella, seu argentum in pera parva, *ut demus homini Dei, nec quidquam aliud.* Unde secundum Lyram, in Hebræo habetur, Encænium ; sed potius reor, nomen illud Hebraicum ad utrumque esse æquivocum. *Rursum puer respondit Sauli, et ait : Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti,* id est, manum meam mittendo in bursam meam, extraxi nummum qui valet quartam partem stateris argenti. Stater autem est medietas unciæ, valens (ut dicitur) quinque nummos usuales. Et idem dicuntur siclus et stater. *Demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram,* id est, quid

Digitized by Google

agere debeamus, et qualiter habeat se materia, propter quam arripuimus iter hoc. Præterea, si Saul et puer ejus intendebant pecuniam dare Prophetæ pro spirituali actu seu prophetica denuntiatione veritatis, tanquam pretium rei, fuisset illicitum, quia simoniacum est. Si autem tanquam victus stipendium, vel ex urbanitate et tanquam liberale munusculum, ne vacui coram Propheta starent; vel quasi benevolentiæ suæ indicium ad provocandum Prophetam ad insinuandum quod scire optabant, seu ad captandum ejus benevolentiam, sicut religiosis aliquid datur, ut orent pro dante, non fuisset illicitum dare neque accipere. Verum, ut Josephus scribit, erravit Saul, putans Prophetam munera accepturum. Tamen nec Samuel legitur accepisse, nec Saul obtulisse : atque ut ait Hieronymus, Si accepit stipes, fuit vitæ, non prophetiæ pretium.

Demum quod sequitur, Olim in Israel, usque ad id, Et dixit Saul, non sunt verba pueri Saul, sed auctoris libri istius, secundum Hebræos. Verumtamen secundum Bedam, non sunt verba historiographi, id est scriptoris seu auctoris libri, sed Esdræ, qui reparando hunc librum, sicut et ceteras veteris Testamenti Scripturas a Chaldæis combustas, interposuit verba ista. *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum,* et pergens ad inquirendum consilium de agendis, sive oraculum aut responsum a Deo per Prophetam, per cujus os Spiritus Domini loquebatur, juxta quod in secunda Petri Canonica asseritur : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. (II *Petr.* I, 21.) *Venite, et eamus ad Videntem,* id est Prophetam. Interdum tamen aliqui iverunt vel soli vel secrete ad Prophetam, et tunc non dixerunt hæc verba ad alium. *Qui enim Propheta dicitur hodie,* id est tempore isto, *vocabatur olim Videns.* Eidem etenim rei imponuntur et competunt diversa nomina secundum diversas proprietates et actiones, entitates seu habitudines ejus. Dicebantur ergo Videntes, ab

A actu et excellentia interioris visionis, quia ex supernaturali revelatione cognoverunt et mentaliter præviderunt multa secreta atque futura : et iidem Prophetæ vocati sunt a denuntiatione talium quæ sic viderunt, videlicet a profando, id est a loquendo et denuntiando procul posita, id est futura seu ab aliorum cognitione remota.

Et dixit Saul ad puerum suum : Optimus sermo tuus. Jam ante dixit ad suum ministrum, Ecce ibimus ; nunc vero, Optimus sermo tuus. Ex quibus consideratur B bonitas, docilitas, humilitas et affabilitas ejus. Dicunt autem Hebræi, puerum istum fuisse Doeg Idumæum, qui postea fuit potentissimus pastorum Saul, (I *Reg.* XXI, 7.) ita quod Saul postea taliter eum promovit, quia hac via secum perrexit, quando in regem est unctus, et duxit eum ad Samuelem. *Veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei.*

Quumque ascenderent clivum civitatis, id est, montuosum ascensum sive flexuosum urbis Ramatha, *invenerunt puellas* C *egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis* puellis : *Num hic est Videns?* hoc est, Estne Propheta in urbe hac? *Quæ respondentes, dixerunt illis, Hic est. Ecce ante te* est, id est, parum distas ab eo, quia in oppido est in loco altiori, quam sit locus, in quo nunc stas. *Festina nunc. Hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso,* hoc est, ipse ex parte populi offeret hodie hostiam pacificam in loco sublimi : cujus (*Lev.* VII, 34.) hostiæ una pars ad sacerdotem pertinuit D sacrificantem, aliæ partes ad offerentes spectabant, et edebantur ab eis. Hieronymus videtur sentire, quod sacrificium hic sumatur pro prandio quod paraverat Samuel in calendis, id est exordio mensis. Sed prætacta expositio verior reputatur. Qualiter autem licuerit Samueli, qui non fuit sacerdos, sacrificare, et qualiter in excelsis offerri licebat, præhabitum est. (I *Reg.* VII.) *Ingredientes urbem, statim invenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum. Neque enim comesurus,* id est co-

Digitized by Google

mesturus, *est populus* a Samuele invitatus, *donec ille veniat : quia ipse benedicet hostiæ,* id est cibo proponendo pransuris, qui fuit oblatus in pacificam hostiam, *et deinceps comedent qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.* Puellæ istæ primo singulariter locutæ sunt ad Saul, Ecce ante te, festina nunc; jam vero pluraliter loquuntur ei et ejus ministro. Loquebantur enim singulariter Sauli, ut principali, et forte ipse interrogavit puellas; deinde cernentes quam familiariter ac socialiter habuit se ad suum ministrum, locutæ sunt pluraliter simul ambobus. Fueruntque puellæ istæ satis diffusæ in verbis more femineo, multo plura dicentes, quam erant interrogatæ, et velut instruentes viros ignotos. Etenim tanquam contribules tanti Prophetæ, pandebant aut etiam jactitabant se scire ritus et consuetudines Vatis sancti. Quidam vero affirmant, quod admirantes decorem et elegantem staturam Saulis, ac delectatæ pulchritudine ejus, cupiebant eum diutius intueri : ideo detinebant eum in verbis.

Et ascenderunt in civitatem. Quumque illi, Saul et puer ejus, *ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam illis,* non casualiter, sed ex proposito, cujus causa subjungitur : *ut ascenderet in excelsum. Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis,* id est, secrete manifestaverat Samueli, sicut qui aliquid intimat alteri in aure, *ante unam diem, antequam veniret Saul,* id est die immediate præcedente, eadem hora qua contigit obviatio ista, seu egressus Samuelis ad obviandum Sauli, *dicens : Hac ipsa quæ nunc est hora, cras mittam ad te virum de terra,* id est de sorte et tribu, *Benjamin, et unges eum ducem,* id est regem, *super populum meum Israel, et salvabit populum meum de manu Philistinorum,* qui tunc erant populo Israel magis infesti. Deus autem sæpe plus tribuit, quam promittit, sicut ad liberalissimum Dominum pertinet. Unde et postea salvavit populum suum per Saul, non solum de manu Philistinorum, sed et aliorum multorum, et specialiter paulo post de manu Naas regis filiorum Ammon. *1 Reg. x 11.*

Quocirca quæstio oritur, quum infra Samuel dicit filiis Israel, Videntes quod *Ibid. xii. 1[?]* Naas venisset adversum vos, dixistis, Nequaquam, sed rex imperabit nobis : ita quod adventus regis illius fuit filiis Israel occasio regem petendi : cur Dominus non dixit, Salvabit populum meum de manu Ammonitarum? Ad quod dici potest, quod Ammonitæ non erant tam duri ac potentes, ut Philistæi : ideo data promissione de Philistinorum refrenatione, satis dabatur intelligi dejectio Ammonitarum. Salvavit autem Saul filios Israel de manu Philistinorum frequenter et pro magna parte; non tamen semper neque totaliter : imo tandem occisus fuit ab eis. Unde quod *Ibid. xxxi. 3.* Dominus ait, Salvabit, etc., potest intelligi, quod penitus superasset Philistæos, nisi peccando meruisset succumbere. Siquidem hujusmodi promissiones intelliguntur sub conditione, nisi videlicet obex ponatur.

Quia respexi populum meum oculo pietatis ad succurrendum : quod mirum videtur, quum Dominus quasi indignatus *Ibid. viii. 7 et seq.* dederit regem. Unde videtur, quod rege dato, et se quasi repulso a regia præsidentia, magis debuerit eos relinquere, quam ante : quod quamvis justum fuisset, tamen piissimus Dominus reddidit bona pro malis. Ad quod etiam quorumdam bonorum devotæ preces cooperabantur. Propter quod subditur : *Venit enim clamor eorum ad me,* id est, fervens oratio horum mihi accepta est. Vel, Clamor eorum, id est gemitus afflictionis et oppressionis eorum, qui est unum de quatuor quæ coram Deo ultionem efflagitant, juxta illud :

Clamitat ante Deum vox sanguinis, et Sodomorum,
Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Hinc ait et in Exodo Dominus : Clamor filiorum Israel venit ad me. *Exod. ii. 9[?]*

Quumque adspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei, videlicet Samueli per

Digitized by Google

revelationem seu allocutionem internam, factam per angelum, quia per angelos factæ sunt revelationes propheticæ, ut divinus Dionysius docet. *Ecce vir quem dixeram tibi,* est iste qui tibi propinquat, teque affabitur. *Iste dominabitur populo meo.* Est quædam dominatio ordinata et recta, qua superior imperat subditis, juxta legis divinæ tenorem, ad subditorum utilitatem. Sicque Saul dominatus est populo, quamdiu bene se habuit. Sic Moyses appellatus est dominus a filiis Israel, imo et ab Aaron fratre ac subdito suo. (*Exod.* xxxii, 22.) Alia est dominatio fastus et usurpata, qua quis alteri præest ac imperat injuste secundum propriæ libitum voluntatis. Sicque pro majori temporis parte dominatus est Saul populo, cui frequenter impie jussit secum procedere contra David. (I *Reg.* xxii; xxiii, 5; xxiv, 3; xxvi, 2, etc.) Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Iste retinebit populum meum : quia ad regem pertinet populum retinere, ne in bellis præcipitanter se ingerant, et etiam tempore pacis, ne injuste contra proximos agant. Verumtamen potius puto, quod verbum illud Hebræum, utrumque significet, et ita in Hebræo non magis habetur, Retinebit, quam Dominabitur; aptiusque translatum est, Dominabitur, quam si transferretur, Retinebit : quoniam filii Israel petierant regem qui eis imperaret ; et dominari communiter adscribitur regibus. Saul quoque permodico tempore retinuit populum, ne injuste contra proximos ageret : quia biennio, ut legitur, præfuit bene, diu autem induxit populum suum ad persequendum David et cuneum ejus.

Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait : Indica mihi, oro, ubi est domus Videntis. Ecce quam humile verbum. Istud autem contigisse videtur in porta, per quam Samuel exiit urbem versus excelsum, in quo fuerat oblaturus : quia jam dictum est, Quumque illi, scilicet Saul et puer ejus, ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam illis, ut ascenderet in excelsum. *Respondit Samuel Sauli, dicens : Ego sum Videns.* Non jactanter hoc dixit, sed veritatis amore, et quoniam publicum fuit, atque ex Dei præcepto tenebatur ei dicere et facere quæ sequuntur. Sacratissimus vero Joannes Baptista interrogatus, Propheta es tu? alio intuitu dixit, Non. (*Joann.* i, 21.) *Ascende ante me in excelsum, ut comedas hodie mecum.* Quare non dixit, Sequere me, vel, Perge mecum in excelsum, sed, Ascende ante me? An ad præfigurandum, quod Saul erat sibi et aliis præficiendus in regem? Samuel quoque erat senex, nec potuit per iter illud montuosum celeriter scandere. *Et dimittam te mane. Et omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* Quod non dixerit hoc de asinarum inventione, constat ex verbis sequentibus, quia de illis tanquam de alia re, mox subdit : *Et de asinis quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt.* Itaque, sicut Magister in historiis refert, est sensus : Omnia quæ sunt in corde tuo, id est ea quæ tibi præcipuam faciunt admirationem et dubitationem, indicabo, id est exponam tibi. Quemadmodum enim in Scholastica fertur historia, dicunt Hebræi Saulem vidisse per somnium, se collocatum in vertice palmæ : quod Samuel sibi exposuit, dum unxit eum in regem ; nam hoc præfiguravit visio collocationis illius in summitate arboris palmæ. *Et cujus erunt optima quæque in Israel?* id est, ad quem pertinebunt maximæ dignitates atque præcipuæ opes Israeliticæ plebis? *Nonne tibi et omni domui patris tui?* id est, tibi et tuis consanguineis ac soboli tuæ deputabuntur ac conferentur. Nam regia dignitas data est Sauli, et filio ejus Isboseth ad tempus post eum. Saul quoque suos cognatos promovit ad diversa officia. Ideo ait Glossa : Uno de familia sublimato, omnibus suis prodest. Denique etiam per hæc verba Samuel dedit Sauli intelligere visionem præfatam, quam et Saul ex verbis his intellexit, utpote quod sublimandus esset in principem populi. Nam sequitur :

Respondens autem Saul, ait : Numquid non filius Jemini ego sum? Hoc jam in isto articulo expositum est. *De minima tribu*

Digitized by Google

Israel, id est de tribu Benjamin, quæ tunc A erat paucissima numero, quoniam tempore Judicum fuit quasi exstincta propter crimen in uxorem Levitæ commissum, ut in Judicum historia legitur. (*Judic.* xx, 46, 47; xxi, 3, 6.) Vel ideo ait, De minima tribu, quoniam Benjamin fuit junior inter filios Jacob. (*Gen.* xxxv, 18.) Juniores autem solent vocari minores, sicut et Jacobus, frater Simonis et Judæ, dicitur Minor, quia vocatione posterior respectu Jacobi fratris Joannis. Propter quod Joseph dixit de Benjamin : Iste est frater vester parvulus? (*Ibid.* xliii, 29.) Ubi alia translatio habet, Minimus. Et tamen B Benjamin erat tunc singulis fratribus suis sobole major, utpote decem filios habens. (*Ibid.* xlvi, 21.) *Et cognatio mea novissima,* id est, extrema seu infima est, *inter omnes familias* natas *de tribu Benjamin.* Juxta hunc modum Gedeon quoque ait : Ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei. (*Judic.* vi, 15.) Tales autem locutiones ex humilitate et urbanitate prolatæ, faciliter verificantur : quia quod altero majus est uno respectu, alia consideratione potest eo minus consistere. Sic quippe et C Paulus : Ego, inquit, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. (I *Cor.* xv, 9.) Item, Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. (I *Tim.* i, 15.) Rursus, quod dicitur minima seu novissima, potest exponi valde parva. *Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?* videlicet, Cujus erunt optima quæque? quasi dicat, Non videtur credibile, quod tam ignobilis sit taliter sublimandus.

Assumens itaque Samuel Saulem et puerum ejus: hoc fuit sacrificio jam completo; D *introduxit eos in triclinium.* Per triclinium, secundum Glossam, intelligitur cœnaculum sic nuncupatum a triplici ordine lectulorum seu mensarum ipsorum discumbentium in eisdem. Nam olim super lectos sedendo edebant. *Et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati,* id est in loco supremo illorum propter futuram Saulis dignitatem, et quia electus erat ad eam a Domino. *Erant enim quasi triginta viri. Dixitque Samuel coquo : Da partem quam dedi tibi, et præcepi ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem coquus armum, et posuit ante Saul.* Sicque partem regalem posuit ante futurum regem. *Dixitque Samuel : Ecce quod remansit,* id est, quod residuum fuit de hostia immolata, ceteris partibus ejus deputatis pro aliorum hic invitatorum refectione. Nam ceteras oblatæ carnis partes, Samuel pro aliorum deputaverat esu, et armum pro Saul : ideo subditur, *pone ante te, et comede : quia de industria servatum est tibi,* quando aliæ partes determinatæ fuerunt pro aliis, *quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. Et descenderunt de excelso,* juxta quod fuit triclinium, *in oppidum* Ramatha, prandio facto extra urbem. *Et locutus est* Samuel *cum Saule in solario* domus Samuelis. Ibi enim locutus est Samuel de pertinentibus ad salutem cum Saul, admonendo eum ad meliora. *Stravitque Saul in solario, et dormivit.*

Quumque mane surrexissent, et jam dies lucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens : Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul. Egressique sunt ambo, ipse videlicet, scilicet Saul, *et Samuel* domum Samuelis, et secutus est eos puer Saulis. *Quumque descenderent in extremam partem civitatis, Samuel dixit ad Saul : Dic puero ut antecedat nos, et transeat,* ne audiat verba mea, nec videat quod facturus sum tibi. Hoc videtur dixisse in oppido. *Tu autem subsiste paulisper :* hoc extra oppidum creditur protulisse in loco quo unxit Saulem; *ut indicem tibi verbum Domini,* id est, tibi denuntiem quæ Deus jussit tibi dici et fieri per me.

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII

DE SPIRITUALI HUJUS NONI CAPITULI SENSU.

PER Cis, designatur quicumque prælatus; per filium Cis Saulem, subditus virtuosus, quem Deus Pater per Samuelem, id est per Christum, præficit gregi suo, regem (id est prælatum) petenti. Qui enim inter subditos ceteris eminet sapientia et virtute, dignus est prælatione. Tali Sauli præcipitur quærere asinas perditas, id est rudes animas deviantes per loca diversa, id est hinc inde per vitiorum abrupta : quas quum invenire nequiverit, debet ad Christum confugere, ut ejus directione juvetur. Sicque Christus talem pro aliorum salute sollicitum, invitat ad vescendum secum in mensa sapientiæ, et reficit eum quadruplici intellectu Scripturæ, panditque ei qualiter inventæ sint, invenirive possint animæ oberrantes, quæ interdum per alios bonos, et non per pastores proprios, convertuntur. Denique Christus est in civitate, id est in militante ac triumphante Ecclesia, et qui ad ipsum vult pergere, debet aliquid ei deferre, quum scri-
Exod. xxiii, 15; xxxiv, 20. ptum sit : Non apparebis in conspectu Dei tui vacuus. Debet ergo ei offerre orationem, laudem, aut gratiarum actionem vel debitam servitutem.

Porro per puellas egredientes ad hauriendum aquas, recte intelliguntur animæ innocentes, personæve simplices, quæ per
Hebr. iv, 16. desideria pia et opera bona accedunt ad
Eccli. i, 5; xv, 3; Is. xii, 3. thronum gratiæ confidenter, ad fontem sapientiæ Verbum Dei in excelsis, ut aquam sapientiæ ex evangelicis libris, tanquam ex fontibus Salvatoris, atque ex prædicantium sermonibus, ex evangelicis quoque hauriant sacramentis, quæ et gratiam sibi communicatam, aliis caritative impartiuntur, et qualiter Christus valeat inveniri, pro posse ostendunt. Nam dicunt, *Hic est* Christus. Etenim ubique est præsens, qui et suis promisit : Ecce ego vobiscum sum Matth. xxviii, 20.
cunctis diebus. *Ecce ante te.* Non enim longe est ab unoquoque nostrum : imo præoccupat eos qui se concupiscunt, et in viis ostendit se eis hilariter. Act. xvii, 27. Sap. vi, 14, 17.
Siquidem facienti quod in se est, Deus gratiose mox adest : dat enim omnibus affluenter, qui in veritate eum accedunt ac deprecantur. Jac. i, 5.
Multoties etiam prævenit non quærentes. *Festina nunc.* Nemo quippe, ut sanctus ait Ambrosius, cum desidia digne quærit Christum ; et incomparabile illud infinitumque bonum cum pigritia et negligentia quærere, est parvipendere illud. Idcirco ait per Isaiam : Si quæritis, quærite; convertimini et venite. Is. xxi, 12.
Si quæritis, inquit, id est, si Deum per gratiam adipisci cupitis et studetis, quærite eum condigne, utpote toto corde Deut. iv, 29.
et tota tribulatione animæ vestræ. Ideo ait : Convertimini ad me in toto corde Joel ii, 12.
vestro.

Hodie enim venit in civitatem. Dominus et Salvator quotidie intrat Ecclesiam per sacramentalem præsentiam, per gratiosam inhabitationem, per multiplicem actionem, sicut fatetur : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Joann. v, 17.
Quia sacrificium est hodie populi in excelso. Populus christianus per manus sacerdotum suorum quotidie offert atque sacrificat Patri æterno unigenitum Filium ejus in sublimitate catholicæ veritatis, et in devotionis sanctæ excelso, contemplationisque arce. *Ingredientes urbem, statim invenietis eum.* Qui enim incorporatur Ecclesiæ, mox unitur Christo ; et civitatem hanc per fidem et caritatem intranti, protinus dicitur quid Act. ix, 7.
eum oporteat facere. *Nunc ergo conscendite.* Hoc est quod monet Apostolus : Quæ Coloss. iii, 1, 2.

Digitized by Google

sursum sunt quærite, ubi Christus est in A dextera Dei; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram : id est, divina, cœlestia et æterna contemplamini et amate, quorum intuitu et amore cuncta sensibilia atque carnalia pro nihilo habetote.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : TULIT AUTEM SAMUEL LENTICULAM OLEI.

Unctio Saulis in regem facta secrete, B et publicatio ejus, hic describuntur. *Tulit autem,* id est, in manu sua accepit et secum portavit, *Samuel lenticulam olei,* quo reges atque pontifices ungebantur in lege, dicebaturque oleum unctionis : de quo dictum est in Levitico. Porro secundum Magistrum in historiis, lenticula est vas quadrangulum fictile, habens foramen in latere. Alii scribunt, quod fuit vas aureum sive argenteum, in quo ponebatur oleum memoratum. Ait namque Isidorus : Lenticula est vas olearium, ex argento aut C ære factum, a liniendo vocatum, quia exinde reges et sacerdotes liniebantur. *Et effudit super caput ejus,* in signum interioris unctionis, qua cor ejus regia auctoritate perfundebatur. *Et deosculatus est eum,* in signum dilectionis præcipuæ, quia electus fuit a Deo in regem et salvatorem plebis suæ ab impugnatoribus ejus. In signum quoque, quod non invidit, imo et favit promotioni suæ, quum tamen per eam ipse Samuel ac filii sui dejicerentur a principatu : in quo patet virtuositas Sa- D muelis. *Et ait : Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem,* id est, per unctionem istam statuit te regem super Israeliticum populum, qui est plebs Dei hereditaria peculiaris. Unde per Isaiam loquitur Dominus : Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio; hereditas autem mea Israel. *Et tu liberabis populum ejus de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt.*

Lev. VIII; Exod. XXX, 25 et seq.

Is. XIX, 25.

Et hoc tibi signum, quia unxit te Dominus in principem. Totum hoc nec de textu est, nec in Hebræo habetur, sed ab aliquo veterum commentatorum fuit pro glossa adjectum, postmodumque ex scriptorum imperitia litteræ est insertum. Lyra.

Quumque abieris hodie a me. Hic dantur Sauli signa veritatis præfatæ prænuntiationis propheticæ, vel quia aliqualiter dubitabat ex consideratione sui humilis status, vel ut fides ejus certior redderetur. *Invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin in meridie.* Rachel juxta Bethlehem, in sorte et terra tribus Juda, sepulta est, ut legitur in Genesi. Si ergo viri isti in termino tribus Juda inventi sunt, quomodo in finibus Benjamin sunt reperti? Respondetur, quod sepulcrum Rachel situm fuit in extremis finibus Juda, quod fuit in confinio Benjamin, quoniam tribus istæ erant contiguæ, erantque iidem fines ambarum. Quidam tamen exponunt sic : Invenies duos viros, supple, nunc exsistentes juxta sepulcrum Rachelis, qui erunt in finibus Benjamin dum eos reperies, *salientes magnas foveas,* id est, præ gaudio magno transilientes fossata, vel causa exercitii id agentes. Secundum quosdam, Hebræus habet, Ad claras foveas, quod secundum eos potest esse proprium nomen, quemadmodum Clara Vallis. Verumtamen magis periti asserunt istud, videlicet, Salientes magnas foveas, in Hebræo non haberi. *Dicentque tibi : Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas; et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, et dicit : Quid faciam de filio*

Gen. XXXV, 19.

Digitized by Google

meo? quasi dicat, Tam mœstus sum, eo quod tempore æstimato non rediit, ut ignorem quid agere debeam. Quo constat, quam valide eum dilexit, non solum ut filium, sed et quia tam elegans fuit in naturalibus et supernaturalibus donis.

Sequitur signum secundum. *Quumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor.* Dicunt nonnulli, quod Thabor sit hic nomen viri, non montis, ita quod quercus illa a viro illo cognomen sortita est ab eventu, sicut in Genesi dicitur, quercus Fletus, ubi sepulta est Debora. *Invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hædos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini,* id est ad offerendum atque orandum in excelso urbis sic dictæ: in quo loco dicebatur Deus esse sicut in ceteris locis divini cultus. Sicque ascendendo ad locum illum, dicebantur ad Deum ascendere quum tamen ad incircumscriptibilem infinitumque Deum ubique præsentem, motibus corporis non accedatur. *Quumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum.*

(Gen. xxxv, 8.)

Sequitur tertium signum. *Post hæc venies in collem Domini,* id est in collem in quo morabantur prophetæ, secundum Glossam. Quidam vero per collem hunc Domini, intellexerunt collem Cariathiarim, in quo exstitit arca Dei : quod alii reprobant, quia inde jam erat translata per Samuelem in Maspha, quod nihilo minus faciliter solveretur, quoniam multa retinent nomina sua antiqua, quamvis prima appellationis cessaverit causa, sicut in Evangelio dicitur Simon leprosus. *Ubi est statio Philistinorum :* quia in loco illo aliquando castrametati sunt Philistæi ; sive ut alii opinantur, per stationem Philistinorum designatur locus munitus seu castrum, in quo Philistæi constituerant quosdam ex suis homines bellicosos ad refrenandum Hebræos, quemadmodum primo libro Machabæorum multoties fertur, quod in arce Jerusalem alienigenæ positi erant. Unde infra quoque narratur, quod Jonathas percussit stationem Philistinorum quæ erat in Gabaa. *Et quum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso,* id est præfato Domini colle in quo commorabantur, *et ante eos* obviam habebis *psalterium et tympanum et tibiam et citharam,* id est quosdam in his musicis instrumentis ludentes atque psallentes : et hoc ex spirituali jucunditate ; ad provocandum quoque spiritualem fervorem et alacritatem, aut etiam propheticam revelationem, prout infra libro quarto legitur Eliseus dixisse : Adducite mihi psaltem. Diversæ equidem melodiæ diversas in homine excitant affectiones. Nam quædam planctum, quædam gignunt lætitiam, imo et devotionem, elevationemque mentis ad contemplandum sublimia. *Ipsosque prophetantes. Et insiliet in te Spiritus Domini,* id est, Spiritus Sanctus repente ac prompte descendet in te per quosdam suos effectus, multiplicationemque gratiæ ac donorum. Ideo subditur : *et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium,* id est, solito devotior ac spiritualior eris.

(Matth. xxvi, 6; Marc. xiv, 3. — I Mach. i, 35, 36; iii, 45; vi, 18, 26, etc. — I Reg. xiii, 3. — IV Reg. iii, 15.)

Magister in historiis recitat, quod Samuel primus instituit conventus religiosorum jugiter psallentium Domino, et dicebantur conventus eorum cuneus, quasi couniens, vel counitus; dicebanturque prophetare, id est Deum jugiter laudare, et forte quidam ex eis aliquando prophetabant. Hæc ibi. Præterea, tripliciter dicitur aliquis prophetare. Primo, prænuntiando futura pure contingentia ex revelatione divina : a quo actu proprie, imo et in communi modo loquendi appellantur Prophetæ. Secundo, quia Scripturas exponit, sicque loquitur Paulus : Prophetæ duo aut tres dicant. Tertio, quia spiritualia cantica seu psalmos decantat, seu Deum collaudat. Potest addi et quartus modus, quo falsi prophetæ interdum Prophetæ dicuntur, sicut in Jeremia Hananias propheta, ceterique prophetæ qui apprehenderunt Jeremiam prophetam, dicentes : Judicium mortis est huic viro. Itaque in illo cuneo prophetarum, erant tribus prætactis modis prophe-

(I Cor. xiv, 29. — Jer. xxvi, 8, 11.)

Digitized by Google

tæ, ut creditur : imo fuerunt ibi nonnulli, quorum unusquisque vaticinabatur futura, et Scripturas exposuit minus peritis, et psallebat cum aliis.

Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, id est ista quæ tibi prædixi, quæ naturaliter pro certo præsciri non poterant, quum mere contingentia fuerint, quamvis respectu divinæ providentiæ certa, *fac quæcumque invenerit manus tua,* id est, quidquid rationabiliter agendum tibi occurrerit : et iste est modus loquendi, ad insinuandum quod dirigeretur a Deo; ideo subditur, *quia Dominus tecum est* per gratiam specialem. *Et descendes ante me in Galgala.* Sicut Andreas expositor dicit, Samuel per hæc verba docuit Saulem, quid sibi agendum esset in arduis causis, non statim post præinducta, sed postquam esset a populo susceptus in regem, ut scilicet in arduis casibus imminentibus nil attentaret agere sine præsentia directioneque Samuelis, qui pro Saule Dominum sacrificiis orationibusque placaret, si opus esset, Dominum quoque consuleret. Itaque ait, Descendes ante me in Galgala, quoniam locus ille famosus et aptus est ad sacrificandum et orandum pro te. *Ego quippe descendam ad te,* dum te ibi esse cognovero, *ut offeras,* per manum meam, *oblationem* pro peccato seu holocaustum, *et immoles pacificas victimas :* id est, ego pro te offeram ista, nec recedes quousque venero. Ideo subditur : *Septem diebus exspectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias :* instruendo te de agendis, ut sine Propheta et sacerdote nil agas. Verumtamen istud complexum, Septem diebus, referunt et conjungunt quidam ad verbum hoc, Offeras, ut sit sensus, quod septem diebus sacrificaret pro eo quotidie
Exod. XXIX, 35-37. semel, quemadmodum in consecratione pontificum fieri jussit Dominus. Verum Andreas hoc reprobat, eo quod nullibi in Scripturis legatur, quod in inunctione novi regis deberet talis sacrificatio fieri tot diebus ; nec legitur facta pro aliquo rege, nec sequenti capitulo in quo legitur de

A innovatione regni Saulis, fit aliqua mentio de hujusmodi oblatione pro Saul. Aliqui autem potius tenent, quod Samuel loquebatur Sauli non indeterminate pro quocumque casu arduo sibi in posterum imminenti, sed pro certo casu, qui sibi post suam designationem in regem, hoc est post suæ unctionis et electionis publicationem, instaret.

Itaque quum avertisset humerum suum, ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, id est, per gratiæ suæ visitatio-
B nem dedit Sauli cor virtuosius et specialiter magnanimius ; *et venerunt omnia signa hæc in die illa :* ex quo probatur clara et plena divinæ providentiæ cognitio, sublimitas quoque gratiæ prophetalis Samueli concessa. *Veneruntque ad prædictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius. Et insiluit in eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum. Videntes autem omnes qui noverant eum heri et nudiustertius, quod esset cum prophetis et prophetaret* ipse Saul, *dixerunt ad in-*
C *vicem : Quænam res accidit filio Cis ?* Admirati sunt enim de tanta tamque repentina immutatione Saulis : quasi dicant, Quo ordine, aut qua ex causa factum est istud ? Siquidem prophetæ illi, erant viri devoti et quasi sequestrati a sæculo. *Num et Saul inter prophetas ?* tanquam dicant, Mirum est hoc, et tamen videmus sic esse. *Responditque alius ad alterum, dicens : Et quis pater ejus ?* ac si dicant : Hoc auget admirationem, quoniam constat, quod pater istius non sit propheta. Porro, ut dici-
D tur, in Hebræo habetur, Et quis pater eorum ? quasi dicant, suam admirationem quodammodo solvendo ac moderando : Idem est Pater omnium prophetarum, videlicet Deus qui dona gratiæ suæ libere impertitur, quibuscumque voluerit ; nec ex carnali propagatione prophetiæ gratia obtinetur : ideo Pater cœlestis potuit et huic gratiam hanc conferre. *Propterea versum est in proverbium, Num et Saul inter prophetas ?* De rebus namque miris et inopinatis solet interdum aliquod formari

Digitized by Google

proverbium seu verbum vulgare, figurale, obscurum. Itaque proverbium istud dicebatur, non tantum de Saule, sed et de quocumque inopinate aut subito exaltato, aut gratiam prophetiæ adepto : quasi dicatur, Et ipse Saul, quamvis hoc mirum et inopinatum exstiterit, computatus est inter prophetas, et tale quid ceteris quoque potest accidere. *Cessavit autem prophetare.* Dicunt Hebræi, atque in libro de Hebraicis quæstionibus, qui liber sancto Hieronymo a multis adscribitur, recitatur, quod prophetavit de Gog et Magog, et futuris eorum bellis, de præmiis quoque justorum, suppliciisque pravorum. Merito ergo dixerunt, Quænam res accidit filio Cis? quasi dicant, Res inopinata, mira et magna. Saul quippe vir elegantis staturæ, strenuus et robustus, reputatus fuit idoneus ad exteriora et bellica opera, magis quam ad prophetandum. *Et venit ad excelsum,* de quo descenderat cuneus prophetarum.

Dixitque patruus Saul, videlicet Ner frater Cis, *ad eum et ad puerum ejus: Quo abistis? Qui responderunt : Quærere asinas. Quas quum non reperissemus, venimus ad Samuelem. Et dixit ei,* scilicet Sauli, *patruus suus : Indica mihi, quid dixerit tibi Samuel. Et ait Saul ad patruum suum : Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei, quem locutus fuit ei Samuel :* quia res satis incredibilis videbatur, et Samuel voluit id latere ad tempus præfixum a Domino. Propter quod fecit puerum Saulis præcedere, ipsumque Saul unxit secrete. Et item, ne videretur inaniter gloriari. Ex quibus innotescunt humilitas atque prudentia Saul, qui secretum illud tam congrue siluit, nec proximis suis innotuit quod et illos valde potuit exhilarare, et de se admirationem inducere. Quo exemplo quorumdam jactantia, vanitas, insipientia arguuntur, qui nil norunt celare: et præsertim si quid gloriæ et honoris eis exhibitum fuerit, aut exhibendum, silere non valent, et propriam pandunt stoliditatem. Quod si proprium nequeunt celare secretum, quomodo hi quibus revelaverint illud tacebunt? Non ergo glorificemus nos ipsos, sed manum Domini exspectemus.

Et convocavit Samuel populum in Maspha, quia in urbem illam jam transtulerat Samuel arcam Dei, *et ait ad filios Israel : Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos,* id est patres vestros, *de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos. Vos autem hodie projecistis Dominum Deum vestrum,* id est, beneficiis ejus ingrati fuistis, et improbe recessistis de ejus regimine, *qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris; et dixistis : Nequaquam* volumus diutius regi per judices, *sed regem constitue super nos,* prout supra patuit. Ex his innotescit, I *Reg.* VIII. quod peccaverunt regem petendo. *Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras et per familias. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors super cognationem Benjamin. Et applicuit tribum Benjamin et cognationem ejus, et cecidit sors super cognationem Metri, et pervenit usque ad Saul filium Cis.* Pro Metri, in Hebræo habetur Macheri, ut Josephus protestatur : atque ut dicunt Hebræi, est nomen commune, significans peritos in arte sagittandi aut projiciendi lapides fundis. Gabaanitæ autem, de quibus ortus est Saul, ab antiquo fuerunt peritissimi fundibularii, prout in Judicum libro *Judic.* XX, 16. legitur. Inde cognominata est una familia urbis illius, cognatio Macheri Metri, de qua natus est Saul. Sed qualiter pervenit sors usque Saul, quum fuerit absens? Respondetur, quod Scriptura non exprimit quales fuerint illæ sortes, idcirco non constat. Porro Magister in historiis ait : Creditur Samuel temperasse sortes juxta cor suum. Ideo dicunt, quod a Deo temperatæ fuerunt, secundum illud Proverbiorum : Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino *Prov.* XVI, 33. temperantur.

Quæsierunt ergo eum, et non est inventus illic in populo ibi præsente. *Et consuluerunt post hæc Dominum* per Samue-

lem, qui oraculum Dei poposcit, *utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus : Ecce absconditus est domi.* Dicunt aliqui, quod Saul sciens se quæri, mansit in domo sua in Gabaa. Alii probabilius
1 Reg. x, 17. asserunt, quod venit cum aliis usque in Maspha, juxta Samuelis edictum, et ne de singularitate vel inobedientia notaretur ; sed in hospitio suo in Maspha se occultavit ex humilitate et pudore, reputans se indignum regali fastigio et honore. Cui assertioni videtur consonare quod subditur : *Cucurrerunt itaque, et tulerunt eum inde.* Si autem fuisset adhuc in Gabaa, tædiosa intervenisset mora antequam fuisset adductus, nec tam celeriter potuisset afferri. *Stetitque in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum. Et ait Samuel ad omnem populum : Certe videtis quem elegit Dominus,* ut sit rex : quia tam excellens statura consona fuit regiæ dignitati, et quia fuit vir fortis, pulcher ac strenuus, imo quod amplius est, virtuosus, et optimus Samuele excepto. Hæc Samuel dixit, ne tribus nobiliores ægre ferrent promotionem Saulis. *Quoniam non est similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus,* id est, quidam de omnibus tribubus, seu major pars populi, vel prima facie omnes propter novitatem rei conclamabant, *et ait : Vivat rex* diu et prospere.

Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, id est, jura regis exposuit plebi, quid scilicet regi tenerentur, et qualiter rex ac populus de cetero ad invicem se

A haberent, *et scripsit in libro,* forte antequam ibi advenit, *et reposuit coram Domino,* puta in tabernaculo arcæ. *Et dimisit Samuel omnem populum singulos in domum suam. Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa. Et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda,* id est, viri boni qui consenserunt electioni divinæ, et verbis Samuelis credebant, certi quod Deus per quemcumque sibi placentem posset populum suum salvare. *Filii vero Belial,* quorum indomita erat mali-

B tia, qui suam superbiam jugo legis divinæ non refrenabant, *dixerunt : Num salvare nos poterit iste?* tanquam dicant : Non est aptus pro rege quum sit simplex, nec satis exercitatus in bellicis rebus. *Et despexerunt eum* tanquam de tribu natum ignobiliori seu minori : et forsitan isti superbi fuerunt de nobilioribus tribubus oriundi ; *et non attulerunt ei munera :* prout tunc fuerat consuetudo principibus et regibus noviter institutis dare encænia : quod nunc usque apud quosdam est moris. *Ille*

C *vero dissimulabat se audire :* quod fuit prudentiæ. Commisit namque dispositioni providentiæ Dei conservationem suæ institutionis, nec voluit regnum suum a turbatione, lite et sanguine inchoare. Denique, si ostendisset se verba illa audire, nec vindicasset, pusillanimis videretur. Si vero ulcisceretur, ferocitati et arrogantiæ adscriptum fuisset : ideo debet unusquisque suæ præsidentiæ principatum a pietate, modestia, et patientia inchoare. Roboratur Prov. xx, 28.
namque clementia thronus regis.

ARTICULUS XX

DE SPIRITUALI HUJUS DECIMI CAPITULI SENSU.

SICUT præhabitum est, per Samuelem intelligitur Christus, qui suos vicarios spiritualiter ungit, gratiarum charismata eorum cordibus influendo, per quæ ad su-

D orum exsecutionem officiorum sunt idonei, nisi obicem ponant. Itaque per lenticulam olei, ecclesiastica possunt sacramenta designari, quæ gratiæ sunt vasa, ex quibus

fideles multiplicem hauriunt gratiæ largitatem. Rursus lenticula olei, potest intelligi ipsa omnipotentia et munificentia Dei, in qua omnia virtualiter et supereffluentissime continentur, de qua et copiosissime effunduntur. *Et deosculatus est eum :* per quod designatur, quam specialiter amet Salvator suos vicarios, aliorum efficaces pastores, per quorum diligentiam et conatum passio sua fructificat, Deus Pater honoratur, et animæ, propter quas ipse Filius Dei factus est homo ac crucifixus, salvantur.

Et ait : Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem. Hereditas Dei est populus christianus, quem omnium Dominus emit et redemit pretio magno, qui (I Cor. vi, 20.) per inspirationem internam sive per superiorem prælatum loquitur vicario suo noviter instituto in prælationis officio : Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem, hoc est, attende tui dignitatem officii, et satisfac ei, ut oratione cordis, prædicatione oris, exemplo virtuosæ conversationis pascas gregem tuum tibi commissum. Unde Apostolus Colossensibus scribens : Archippo, inquit, dicite : Vide (Coloss. iv, 17.) ministerium tuum quod accepisti in Domino, ut illud impleas. *Inventæ sunt asinæ.* Diligente pastore suos undique visitante, et reducere cupiente errantes, interdum denuntiatur a bonis hominibus, quod etiam hi quos nondum personaliter adiit aut instruxit, conversi sunt : quod Deus interdum agit exemplis, meritis et precibus solliciti ac devoti pastoris. *Et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis.* Quamvis enim officium prælationis sit sanctum, nihilo minus est valde periculosum. Fit aliquando, ut qui alios cupit convertere, pervertatur ab aliis, et paulatim refrigescat a caritatis suæ fervore, ita ut (Matth. xxiv, 12.) illud Apocalypseos ei dicatur a Domino : Habeo adversum te, quod caritatem tuam (Apoc. ii, 4.) primam reliquisti.

Post hæc venies in collem Domini. Per collem Dei, contemplationis gratia seu virtutum perfectio designatur, ad quam a Spiritu Sancto perducitur, qui aliorum regimine fideliter occupatur, et in vitæ activæ exercitiis se caritative exercet. In hoc colle *est statio Philistinorum :* quoniam invisibiles hostes acriter contra tales præliari non cessant. Nam et angelus Satanæ Paulum colaphizavit. (II Cor. xii, 7.) *Ibi obvium habebis gregem prophetarum :* quia in vita contemplativa occurrunt homini psalmi et cantica ac vaticinia patrum ac vatum, in quorum decantatione, intelligentia, meditatione multipliciter oblectatur, ita quod insilit in se Spiritus Sanctus, et vaticinatur cum illis Deum laudando, futuraque contemplando, et mystica ex divina illuminatione intelligendo : sicque mutatur in alterum virum, quia divinus et spiritualis prorsusque theoricus efficitur, et hominem in homine exuens, super se elevatur, ita ut cum Jeremia queat fateri : Factus est sermo Dei (Jer. xx, 9.) in corde meo quasi ignis æstuans, et defeci, ferre non sustinens. *Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua :* quia dum homo tantis gratiæ charismatibus adimpletur, secure a Spiritu Sancto dirigitur, et agere potest quodcumque ratio seu conscientia sua esse agendum dictaverit. Tunc tamen descendere debet *in Galgala,* hoc est ad religiosa secretaque loca, in quibus sacrificium laudis, thymiama orationis, et observantiam mandatorum immolet Deo, et Christum ibidem præstoletur *septem diebus,* omni videlicet tempore opportuno, ut de agendis illustretur ac doceatur ab ipso. Sicque ibidem in abscondito hauriat, quod postmodum ovibus publice communicet et propinet, juxta quod ait Scriptura : Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. (Ps. cxliv, 7.) Præterea, viro quocumque sæculari tam spirituali et contemplativo effecto, multi mirantur, et dicere queunt : *Num et Saul inter prophetas ?*

Instruamur demum ex isto capitulo, ad imitandum primam illam Saulis humilitatem, prudentiam, atque modestiam, qui sciens se electum et unctum in regem, abscondit se, reputans se indignum. Væ igitur eis, qui quum adhuc passionibus suis

Digitized by Google

sordescant, et vanitate repleantur, ingerunt A se ad præsidendum, et ad prælationem cæca et indurata mente adspirant. Rursus, exemplo Saulis adhuc pii ac humilis, discamus proprias laudes, etiam si magnum quid in nobis exstiterit, humiliter reticere, jactantiam omnem vitare, et quæ in secreto accepimus, inviolabiliter ac prudenter *Eccli.* xxvii, 17, 24. celare, quum Ecclesiasticus affirmet : Qui denudat arcana amici, perdit fidem. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Propria quoque mysteria et secreta nequaquam incaute panda- B *Ibid.* viii, 22. mus, quum scriptum sit : Omni homini cor tuum ne reveles, ne postea convitietur tibi. Sunt autem qui celare nil norunt, nec propria, nec aliorum occulta, etiam si ea receperunt in fide, quum tamen ea sine mortali culpa non valeant prodere : quibus *Ibid.* xix, 12. illud Ecclesiastici poterit dici, Sicut sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti.

Dixit Samuel ad populum : *Vos hodie projecistis Dominum, qui solus salvavit vos.* Hoc dici potest perversis subditis, qui C de bono et humili simplicique prælato non contentantur, sed eum et Christum in eo conantur abjicere aut repellunt, prudentiorem aut nobiliorem secundum carnem petentes : imo de omnibus qui bonum suum a se removere quærunt pastorem, hoc verificatur, qui valde insipienter agunt, Deo ingrati sunt, atque enormiter peccant, et frequenter acquirunt pejorem aut minus sufficientem. *Abiit cum eo pars exercitus.* Per illos divinitus tactos, qui iverunt cum Saul, eique munera attulerunt, figurati sunt boni et timorati subjecti, qui corde et opere suo adhærent superiori, imo et corpore tempore opportuno, ac debitam ei obedientiam reverentiamque impendunt. Porro per filios Belial, qui Saul electum a Deo in regem aspernabantur, nec ei detulerunt encænia, designantur subditi intimorati, superbi, rebelles, non pensantes illud Apostoli : Omnis anima potestatibus *Rom.* xiii, 1, 2. sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo : quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Ille vero dissimulabat se audire.* Sic et nos discamus improborum hominum insolentias, improperia, injuriationes surda aure transire, quemadmodum scriptum est : Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt *Ps.* xxxvii, 13, 14. vanitates. Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum. Postremo etiam is qui præest, subditorum suorum improbitates, et præsertim propriam injuriam, debet quandoque dissimulare, quando videlicet opportune emendare non potest. Sed proh dolor! multi sunt qui Dei injurias et offensas dissimulant ; propriam vero injuriam, quamvis permodicam, protinus ulciscuntur, quum tamen dicat Chrysostomus : Propriam injuriam æquanimiter tolerare debemus, Dei vero injuriam nec usque ad aures dissimulare.

ARTICULUS XXI

EXPLANATIO CAPITULI UNDECIMI : ASCENDIT NAAS AMMONITES, ET PUGNARE COEPIT.

PRIMA Saulis victoria hic narratur, per D quam Dominus patefecit ipsum ex divina ordinatione regem fuisse effectum. Lyra. Præmittitur autem in aliquibus libris, Et factum est quasi post mensem : quod non est de textu, quum nec in Hebræo contentum sit. *Ascendit* autem *Naas Ammonites,* id est rex Ammonitarum, *et pugnare cœpit*

Digitized by Google

adversus Jabes Galaad. Jabes, nomen est civitatis situatæ ultra Jordanem in terra Galaad, in sorte mediæ tribus Manasse. Galaad quoque quandoque est proprium nomen viri, quandoque montis, interdum territorii, aliquando civitatis, quemadmodum super librum Numerorum et alibi est ostensum. Itaque Naas cum suo exercitu urbem nomine Jabes obsedit et impugnavit, et forsan ex eodem motivo, quo rex filiorum Ammon, terram filiorum Israel trans Jordanem tempore Jephthe invasit, affirmans eam sibi injuste ablatam a populo Judæorum, quando de Ægypto egressi sunt.

Num. XXXII.

Judic. XI, 4, 13.

Dixeruntque omnes viri, id est habitatores, *Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos,* id est, pacis pactum ini nobiscum, *et serviemus tibi,* annuum dando tributum. Videbant enim se non posse regi huic resistere, nec erat eorum spes stabilita in Deo. *Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam,* per manus et ferra servorum meorum, *omnium vestrum oculos dextros:* quatenus illis erutis, sitis de cetero inepti ad prælia, in quibus oculi sinistri scutis teguntur; *ponamque vos opprobrium in universo Israel:* id est, in toto Israelitico populo faciam vos aspernabiles et abominandos, seu cunctis formidabiles, ita quod visa plaga vestra terrebuntur, quatenus non præsumant mihi resistere. Quamvis enim utroque oculo excæcari, majus fuisset damnum, tamen dextero privari, fuisset majus opprobrium. *Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis septem dies* induciarum et dilationis, *ut* interim *mittamus nuntios ad universos terminos Israel,* id est ad singulas tribus, *et si non fuerit* rex aut populus *qui defendat nos* a tua impugnatione, *egrediemur ad te* ad faciendum seu sustinendum quod jusseris.

Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis, in qua natus fuit et morabatur. Concessit quippe rex ille quod petierunt, non ex pietate, sed animositate, quasi auxilia virorum Jabes contemnens, ut Josephus loquitur. *Et locuti sunt verba hæc* Naas comminatoria, *audiente populo. Elevavit omnis populus vocem suam, et flevit* ex compassione fratrum suorum in tantis angustiis positorum, et quia viderunt populum Israel ita contemni, vel quia demeruerunt sic tribulari. *Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro.* Dicunt quidam, quod casu venit post boves; alii, quod egressus erat in agrum ad exercitandum se in sagittando vel gratia spatiandi, sicque reversus sit hora qua boves reducebantur. Porro Josephus protestatur, quod venit de agricultura. Non enim propter regnum dimisit adhuc prius officium; vel forsan ex humilitate hoc egit, et inter alios qui boves suos ac pecora reducebant, familiariter ivit ac conferebat. *Et ait: Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei* præfati nuntii, vel etiam cives Gabaa, *verba virorum Jabes:* siquidem nuntii fuerunt specialiter missi ad Saul.

Et insiluit Spiritus Domini in Saul, quum audisset verba hæc, hoc est, ex instinctu et operatione Spiritus Sancti, seu voluntatis divinæ, ad magnanimitatem, audaciam, et iram per zelum motus est vehementer ac subito, non obstante sua humilitate. Etenim simul stat, quod aliquis ex consideratione propriæ parvitatis, vilitatis, ac defectuositatis sit humilis, atque ex consideratione divini subsidii seu aliarum rerum quæ ad magnanimitatem inducunt, exsistat magnanimus. *Et iratus est furor ejus nimis,* id est, ipse valde ad iram per zelum est concitatus, ægerrime ferens quod rex idololatra populum Dei sic sprevit ac tribulavit, quia in hoc Deum contempsit, cujus inhonorationem Saul ægrius tulit, ac magis optavit ulcisci. *Et assumens utrumque bovem, conscidit in frusta,* id est, duos ex bobus suis per se vel per ministros frustatim divisit, *misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum* propriorum, vel et eorum qui erant missi a Jabitis, *dicens: Quicumque* aptus ad bellum *non exierit, secutusque fuerit Saul et Samuelem, sic fiet bobus*

Digitized by Google

ejus, hoc est, pecoribus suis privabitur. A Nominavit autem se ante Samuelem, quia volebat recognosci ac timeri ut rex. In regum quoque edictis rex debet præponi, sed et Saul jam major seu dignior, quamvis non sanctior fuit Samuele : quoniam dignitas penes prælationem præsidentiamque pensatur, bonitas vero seu sanctitas penes virtutem. Comminabatur autem in primis Saul pecorum ablationem, non hominum trucidationem, ut temperate inciperet suam exercere jurisdictionem.

Invasit ergo timor Domini, id est timor B incussus a Deo, vel timor bonus Deo placens, cui placet ut populus timeat suos superiores Dei vicarios, *populum, et egressi sunt quasi vir unus,* id est omnes concorditer, *et recensuit eos,* id est numeravit, *in Bezec,* id est juxta urbem sic dictam, in
Judic. I, 5. qua (ut in Judicum libro legitur) Adonibezec imperavit. Recensuit autem non ex
II Reg. XXIV, 1. elatione, ut David, sed ut melius sciret qualiter et in quot partes divideret tantum exercitum. *Fueruntque filiorum Israel trecenta millia; virorum autem Juda triginta millia.* C Viri autem Juda numerabantur seorsum, tanquam præcipue bellicosi, fortes ac nobiles. Sed mirum videtur, quod filii Israel non erant multo plures, quum
Num. I, 46; XXVI, 51. in utraque numeratione facta per Moysen in deserto, fuerint quasi in duplo plures. Verumtamen satis probabile est, quod infra tam paucos dies universi viri Israel non poterant convenire. Rursus putandum, quod hi qui secundum legem erant
Deut. XX, 5-8. removendi a prælio, removebantur, præsertim quum Samuel fuerit præsens.

Et dixerunt Saul, Samuel ceterique majores, *nuntiis qui venerant : Sic dicetis viris qui sunt in Jabes Galaad : Cras,* hoc est de proximo, utpote tam cito sicut venire poterimus, *erit vobis salus,* id est auxilium liberationis ab hostibus, *quum incaluerit,* id est, calorem in inferioribus causando ascenderit, *sol.* Proposuerunt enim valde mane super hostes irruere, ut infra insinuatur. At vero in Scholastica fertur historia, quod Saul in Gabaa promisit Jabitis se tertia die venturum in auxilium eis, et quosdam ex nuntiis retinuit secum qui ducerent eum. Videtur tamen quod in populo erant satis multi qui viam noverunt. *Venerunt ergo nuntii, et annuntiaverunt viris Jabes,* quæ Saul et Samuel ac ceteri eis demandaverunt. Estque credibile, quod Samuel ex divina revelatione cognovit quod Saul cum suis triumpharet. *Qui lætati sunt* de instanti subsidio, *et dixerunt* Ammonitis ironice, et ut deciperent ipsos : *Mane exibimus ad vos,* tanquam victi, *et facietis nobis omne quod placuerit vobis.* Quasi dicant : Non est qui adjuvet nos. Hoc dixerunt die immediate præcedente adventum Saul. *Et factum est quum venisset dies crastinus,* id est die immediate sequente, postquam viri Jabes dixerunt Ammonitis, Mane exibimus ad vos, *constituit Saul populum,* hoc est exercitum suum divisit, *in tres partes. Et ingressus est media castra* Ammonitarum, *in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret dies.* Ex tribus etenim locis irruit super improvisos, et de sua victoria quasi tutos, et ita occidit eos a primo diluculo usque ad altum diem. *Reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur ex eis duo pariter.*

Et ait populus ad Samuelem, cujus ordinationem voluerunt laudare : *Quis est iste* vir aut cœtus virorum, *qui dixit, Saul non regnabit super nos?* Hoc enim formaliter aut æquivalenter dixerunt, qui præcedenti capitulo dixisse leguntur : Num I Reg. X, 27.
salvare nos poterit iste? *Date viros,* id est, D tu et Saul, tradite illos manibus nostris, *et interficiemus illos* tanquam rebelles. *Et ait Saul : Non occidetur quisquam in die hac,* quum ista sit dies jucunditatis et laudis, quam diem nolumus sanguinis effusione, et multorum mœrore obnubilare. Ideo subditur, *quia hodie fecit Dominus salutem in Israel,* id est, victoriam contulit nobis : ideo, sicut misericordiam consecuti sumus a Domino, sic debemus misericordiam facere proximis nostris, et gratiarum actioni sacrificiisque insistere. *Dixit au-*

Digitized by Google

tem Samuel ad populum : Venite, eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum, id est, regiam unctionem et auctoritatem regalem Saulis confirmemus in urbe illa, ut de communi omnium consensu suscipiatur pro rege, nullo contradicente. Hoc locutus est Samuel, quoniam vidit omnes jam unanimiter inclinatos ad hoc, et consentire in præsidentiam Saulis. *Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala,* id est, confirmaverunt eum in regno, subjiciendo se sponte jurisdictioni ipsius. *Et immolaverunt ibi victimas coram Domino pacificas,* id est, per manus Samuelis vel aliorum sacerdotum, obtulerunt ibi hostias pro pace habita et conservanda, atque pro gratiarum actione concesso triumpho. *Et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israel nimis.*

ARTICULUS XXII

SPIRITUALIZATIO EJUSDEM UNDECIMI CAPITULI.

QUUM filii Israel regem obtinuissent virum justum et bonum, et Samuel tam regem quam populum informasset, qualiter invicem se haberent, ac Domino deservirent, statim contra eos ascendit rex Ammonitarum : ita diabolus videns Ecclesiæ seu cuicumque congregationi esse de bono pastore provisum, et prælatum cum credito sibi grege Deo concorditer deservire, nititur eos invadere, perturbare, et discordes efficere. Cui interdum respondent fideles : *Habeto nos fœderatos,* id est, desine nos tentare de mortalibus vitiis, ne penitus separemur a Deo, *et serviemus tibi,* in venialibus culpis : quas etsi singulas, non tamen omnes vitare valemus, sicque carne servimus legi peccati, (Rom. VII, 25.) propter quod aliquid in nobis habet princeps mundi, et septies cadimus omni die. (Prov. XXIV, 16.) Ad quod diabolus respondet fidelibus : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros,* id est, oculos interiores, quibus conspicitis spiritualia et divina, obtenebrem, quatenus nihil salubriter cognoscatis, et quidquid salutis est parvipendatis ; oculos vero sinistros, quibus carnalia et caduca, vana et mundana consideratis ac sortiri conamini, vobis dimittam ; *ponamque vos opprobrium in universo Israel,* id est in tota militante Ecclesia, quæ contemplatur æterna.

His cognitis, pensantes Christifideles, quod invisibilis hostis non aliud quærat, quam damnationem ipsorum perpetuam, ad totius Ecclesiæ suffragia convertuntur, et undique petunt orari pro se. Denique istis auditis, verus prælatus et fervidus pastor contra invisibiles adversarios inflammatur, et universos sibi commissos hortatur, ut pro afflictis, tentatis et lapsis concorditer deprecentur. Habet quoque tres ordines subditorum, quoniam aliqui sunt incipientes, quidam proficientes, nonnulli perfecti : quibus omnibus juxta dona sibi collata laborantibus, et suum præsidentem juvantibus, invisibiles hostes vincuntur, dum fulgor gratiæ menti infunditur, ita quod in corde diescit, et Sol justitiæ Christus caritatis calorem producit in ipso. Ecce quid ad verum spectet pastorem, ut scilicet totis præcordiis de subditorum suorum spirituali detrimento, læsione, pressura tristetur, et contra adversarios animarum armetur, indignetur, succurrat cum omni plebe sibi subjecta, nec cesset, quousque sortiatur triumphum. Rursus, tres

Digitized by Google

in Ecclesia sunt ordines, religiosi, militares, vulgares; item activi, contemplativi, et ex utraque commixti.

Iterum, sicut Gabaanitæ levaverunt vocem suam, et ploraverunt auditis angustiis proximorum suorum, utpote Jabitarum; sic unaquæque devota congregatio seu persona lugere debet ex animo, dum alicujus devotæ congregationis aut suppositi deformationem aut dejectionem perceperit: pro cujus reformatione cum omni fervore debet conari; obtenta demum victoria, offerendæ sunt Deo pacificæ hostiæ, sacrificia scilicet laudis et gratiarum actionis, ut totus triumphus, profectus, et quidquid per-

A fectionis fuerit quis sortitus, totum Omnipotenti datori ac adjutori sincerissime adscribatur.

Postremo, exemplo Saulis discant reges et principes esse ad misericordiam proni, et pœnitentibus indulgere, atque in die sui honoris, prosperitatis et triumphi, non superbire nec malignari : quod totum unicuique Christiano sectandum est. Hinc Tullius in laudibus Julii ait : Nulla te virtus gratiosiorem exhibet, quam tua clementia. Inclytus quoque Pompeius : Præclarissi-B mum, inquit, victoriæ genus est, posse ulcisci et nolle. Hinc rex apum, disponente Auctore naturæ, caret aculeo.

ARTICULUS XXIII

DECLARATIO CAPITULI DUODECIMI : DIXIT AUTEM SAMUEL AD UNIVERSUM ISRAEL.

IN fine præcedentis capituli scriptum est, qualiter Saul et populus ejus in Galgala (I *Reg.* XI, 15.) lætati sint nimis. Volens itaque Samuel gloriationem illorum moderari, et revocare ipsos a præsumptione, ne scilicet præsumerent se bene egisse regem petendo, ostendit eisdem, verbis atque prodigiis, quod regem petendo peccaverint. *Dixit autem Samuel ad universum Israel* ibi congregatum cum Saul : *Ecce audivi vocem vestram,* id est, postulationem vestram implevi, *juxta omnia quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem,* eum ungendo ac vobis monstrando, quem Deus elegit et fieri jussit regem. *Et nunc rex graditur ante vos; ego autem senui et incanui,* id est, canus effectus sum ex senectute : (*Ibid.* XXV, 1.) et tamen, ut infra patebit, Samuel multis annis vixit post hæc. *Porro filii mei vobiscum sunt,* tanquam parati ad obsequium regis et communitatis, vel ut exigatis ab eis, si aliquid habent a me, quod alicui vestrum injuste abstulerim ; *itaque conversatus vobiscum* * *ab adolescentia mea*

(* *coram vobis*)

C *usque ad diem hanc :* quia adhuc adolescens exsistens, cœpit populum judicare. *Ecce præsto sum,* id est præsens et paratus ad respondendum. *Loquimini de me coram Domino, et coram christo ejus,* videlicet Saule rege inuncto, *utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum :* id est, justam contra me querelam proponite coram Deo et rege, si alicui subtraxi bovem aut asinum aut simile quidquam; *si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem,* id est, facto aut verbo aut iniquo judicio irro-D gavi alicui injuriam, *si de manu cujusquam munus accepi; et contemnam illud hodie,* id est, fatebor nunc donum illud esse injuste acceptum et contemnendum, et tanquam vile abjiciam, *restituamque vobis. Et dixerunt : Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti,* id est, non accepisti, *de manu alicujus quidpiam* muneris pro exercendo aut pervertendo judicio, imo nec aliquo reprehensibili modo.

Dixitque ad eos : Testis est Dominus adversum vos, et testis christus ejus in

Digitized by Google

die hac, quia non inveneritis in manu mea quidpiam : id est, tam Deus quam rex iste Dei vicarius testes sunt, quod personaliter fassi estis non invenisse vos aliquid reprehensibilitatis aut violentiæ in omni conversatione mea aut officio meo, et hoc ipsum testimonium valet ad vestram reprehensionem, quod scilicet injuste repulistis me a principatu judicii. *Et dixerunt : Testis. Et ait Samuel ad populum : Dominus qui fecit Moysen et Aaron,* eorum substantiam producendo, et eos filiis Israel præficiendo, *et eduxit patres nostros* B *de terra Ægypti,* supple, adest et est testis horum : qui per Jeremiam locutus est, Ego sum judex et testis; de quo Job, Ecce enim in cœlo est testis meus, et conscius meus in excelso. Dicitur autem Deus testis actuum humanorum, non quod ipse coram superiori judice testimonium ferat, sed quoniam omnia ei constant, et ipse tempore opportuno, tam judex erit quam testis.

Jer. xxix, 23
Job xvi, 20.

Sed quæritur, cur Samuel se ita commendaverit, quum in Proverbiis scriptum sit : Laudet te alienus, et non os tuum. Et C in Ecclesiastico : Non te justifices ante Deum. Unde sanctus Job profitetur : Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Et respondendum, quod Samuel populum increpaturus, primo ex rationabili causa expurgat se coram Deo et rege, ne postea inculparetur injuste; atque ad innuendum, quod purus et inculpabilis esse debet, qui accusaturus seu judicaturus est alios. Et item ad Dei honorem, aliorumque ædificationem hoc egit. Et propter has ac alias quasdam causas, le- D guntur viri sancti interdum suas commemorasse justitias, non ob propriam laudem, aut præsentis vitæ honorem, nec sic, quasi a venialibus culpis immunes fuerint : et hoc prætendunt auctoritates inductæ. Præterea, ad litteram patet ex præinductis magna valde sancti Samuelis justitia atque perfectio, qui in tanti regimine populi infra tot annos irreprehensibiliter vixit ac præfuit, et propriis suis expensis judiciale explevit officium visi-

Prov. xxvii, 2.
Eccli. vii, 5.
Job ix, 20.

A tationisque actum, nec unquam quæsivit proprium commodum aut honorem : quod totum cunctis judicibus est valde pensandum ac imitandum. Hinc quoque in Ecclesiastico asseritur : Dilectus a Deo suo Samuel, testimonium præbuit in conspectu Domini et christi; pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo.

Eccli. xlvi, 16, 22.

Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, hoc est, ut probem vos reos, atque ingratos beneficiis Dei, sicut in foro contentioso solet causa probari : et probem hoc *de omnibus misericordiis Domini,* id est gratiosis beneficiis Dei, *quas fecit Dominus vobiscum, et cum patribus vestris : quomodo Jacob ingressus est Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum, et misit Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto, et collocavit eos in hoc loco. Qui obliti sunt Domini Dei sui,* idola colendo, *et tradidit eos* puniendos, *in manu Sisaræ magistri militiæ Asor,* id est Jabin regis urbis nomine Asor, ut scribitur in Judicum libro, *et in manu Philistinorum et in manu regis Moab* ac gentium aliarum, sicut in libro Judicum diffuse scriptum est; *et pugnaverunt adversum eos. Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth. Nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi. Et misit Dominus Jerobaal,* hoc est Gedeonem, *et Badan,* id est Samsonem qui fuit de tribu Dan, *et Barac*, et Jephte, et Samuel :* sicque loquitur de se quasi de alio. Misit quoque Dominus alios judices, scilicet Othoniel, Aod, Samgar, Jair, etc., ut in libro Judicum recitatur. *Et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum,* quando conversi clamastis ad Dominum, vexatione dante vobis intellectum, *et habitastis confidenter,* quamdiu Deo obedientes fuistis, et de judicum directione eratis contenti.

Judic. iv, 2.
* Alias *et Barac* non est in textu.
Is. xxviii, 19.

Vidistis autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis*

* Videntes

I Reg. VIII, 19. *mihi : Nequaquam, sed rex imperabit nobis : quum Dominus Deus vester regnaret in vobis,* hoc est, immediatus rex vester fuit, ita quod sub eo non habuistis hominem præsidentem, nisi judices. Præcedenti Ibid. XI, 11. capitulo patuit, qualiter Naas rex cum populo suo a Saule rege et populo Israel victus est. Quomodo ergo nunc dicitur, quod filii Israel petierunt regem, videntes quod Naas contra eos venit, quasi petitio regis secuta sit adventum Naas contra Israelitas? Ad hoc ex Josepho respondetur, quod ante unctionem Saulis petitionemque regis, Naas multos vastavit ex filiis Israel trans Jordanem : quod fuit una causa, ex qua moti Ibid. 1. sunt petere regem. Deinde post mensem inunctionis Saulis venit Naas rex contra Jabes. *Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petistis.* Quomodo verum est hoc? Non enim videntur filii Israel elegisse Saulem in regem, sed Dominus eum ad hoc elegit ac designavit, non præcedente populi electione. Respondetur, quod dicuntur eum elegisse, hoc est unanimiter acceptasse in regem magis quam alium. *Ecce dedit vobis Dominus regem.*

Si timueritis Dominum, filiali aut saltem initiali timore, *et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini,* id est, sapientiam ejus non provocaveritis ad indignationem et ultionem adversus vos; *eritis et vos et rex vester, sequentes Dominum Deum vestrum,* hoc est Deo veraciter adhærentes, cui non adhærent in veritate, nisi qui ei obediunt. *Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermonem ejus,* id est, eloquia et præcepta Dei amare seu aspere acceperitis, non caritative ac dulciter; *erit manus Domini super vos, et super patres vestros :* hoc est, tam vos quam patres vestri qui vos ad mala inducunt, seu a vitiis non refrenant pro posse, incurretis debitas pœnas Dei; vel, Super patres vestros defunctos condemnatos, quorum damnatio seu tormentum augebitur ex iniquitatibus et condemnationibus vestris, in quantum præbuerunt et reliquerunt vobis occasionem et exemplum peccandi, et pœna unius damnati redundat in alium. Quidam exponunt sic : Erit manus Dei super vos, et super patres vestros, id est, ita erit super vos in posterum, sicque puniemini, sicut jam ante fuit, et sicut puniti fuerunt patres vestri transgressores.

Consequenter per miraculum probat Samuel suorum veritatem verborum. *Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie?* hoc est, imo jam est tempus triticeæ messis. *Invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias,* id est, subito et super naturam tonabunt tonitrua, micabuntque fulgura, et imber copiosus descendet, quum tamen jam sit aura serena, nec naturales causæ præcesserunt; *et scietis et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. Exclamavit,* id est, ferventer oravit, *Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluvias in die illa,* imo et grandinem, ut in Scholastica narratur historia. *Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem :* siquidem propter tam vehementem, miraculosam, insolitam tempestatem horrore percussi sunt, præsertim quia culpabiles erant, et lædi seu perimi formidabant. *Et dixit universus populus ad Samuelem : Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur* hac tempestate. *Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem,* id est, ceteris peccatis nostris adjecimus vitium istud, videlicet regis postulationem.

Dixit autem Samuel ad populum : Nolite timere quod nunc moriemini ex hac tempestate, nec timeatis timore ex diffidentia procedente aut desperationem causante, nec solo servili timore, et omnem carnalem, sæcularem, inordinatum timorem abjicite. Sic consolatus est Samuel illos, quoniam vidit quod pœniterent, et inordinate timerent. *Vos fecistis universum malum hoc. Verumtamen nolite recedere a tergo Domini,* id est, non cessetis Deum

Digitized by Google

sequi per adhæsionem fidelem et obedientiam A perseverantem. Loquitur autem de incircumscriptibili et simplicissimo Deo metaphorice more humano. *Sed servite Domino in omni corde vestro; et nolite declinare post vana,* id est, omnem idololatriam, superstitionem et magicam artem, ac ceteras vanitates a vobis repellite, *quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum :* id est, propter sui ipsius piissimam majestatem, et propter excel- B lentiæ suæ famam dilatandam et conservandam propitiabitur vobis, quemadmodum Ezech. xxxvi, 22, 32. per Ezechielem testatur : Non propter vos ego faciam, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum. Unde in Isaia Is. xlviii, 11. fatetur : Propter me ego faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo. Hinc Josue orans pro populo, locu- Josue vii, 9. tus est Domino : Quid facies nomini tuo Eccli. ii, 12. magno? Denique non relinquit Deus hominem, nisi prius relinquatur ab eo; et II Petr. iii, 9. quantum in se est, nullum permittit peri- C re. *Quia juravit Dominus vos sibi facere populum,* id est, per se ipsum testatus est, quod per dona gratiæ suæ faciet vos sibi devotos, nisi obicem peccando ponatis. Deut. iv, 20. Hinc scriptum est in Deuteronomio : Eduxit vos Dominus de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hereditarium. Et rursus ibidem loquitur Moyses Israelitico Ibid. 31. populo : Non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti in quo juravit patribus tuis.

Absit autem a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis. Nempe ex quo pœnituerunt, atque humiliter petierunt orari pro se, peccasset utique Samuel, si propter præteritam eorum improbitatem, injuriamque sibi ab ipsis illatam, renuisset orare pro ipsis, nec jam erant inimici ipsius. In hoc tamen Samuel specialiter commendatur, quod tam fideliter oravit pro his, a quibus ejectus erat ex principatu : imo ut infra habetur, oravit I Reg. xv, 11. quoque pro Saule sibi inimicante. Ideo efficaciam orationum Samuelis Dominus tangit apud Jeremiam dicens : Si steterint Jer. xv, 1. Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. *Et docebo vos viam bonam et rectam,* id est salutaria documenta, vitiorum obliquitate carentia, per quorum observationem pertingere poteritis ad veram felicitatem. Deinde via ista docetur : *Igitur timete Dominum* filiali timore, quæ est fuga mali culpæ. Sic quippe Deum timere, est timere separari ab eo, et abominari peccata, in quantum sunt Dei offensiva, et separativa ab illo qui summe diligitur, quemadmodum bonus filius timet patris sui offensam. *Et servite illi* servitute latriæ, *in veritate* vitæ, justitiæ et doctrinæ, *et in toto corde vestro,* absque simulatione et admixtione hypocrisis. *Vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit Dominus,* id est mirabilia opera et præclara beneficia ejus, quibus grati esse debetis. *Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.*

ARTICULUS XXIV

DE MYSTICA INTELLIGENTIA CAPITULI HUJUS DUODECIMI.

EXORDIUM capituli hujus docet uni- D versos qui præsunt et judicant alios, quam juste et irreprehensibiliter debeant conversari coram sibi commissis, ne dispergant et perdant quos reducere et salvare tenentur. Præterea, si unicuique est damnabile, scandalizare unum pusillum : Matth. xviii, 6. quanto magis eis qui præsunt, ineffabili-

Digitized by Google

ter est damnosum, scandalizare gregem eis commissum? Quum ergo qui præsunt, non solum ex caritate, sed etiam ex debito justitiæ et obligatione sui officii teneantur fraternæ correptionis præceptum in subditis suis implere: tales, hoc est, tam virtuosos et exemplares se studeant exhibere, ut digni exsistant id facere, ne eis dicatur, *Luc.* IV, 23. Medice, cura te ipsum; et illud Apostoli, *Rom.* II, 21. Qui alium doces, te ipsum non doces. Væ ergo pastoribus et prædicatoribus verbi Dei, qui in officiis suis potius quærunt propria commoda et honorem, quam Omnipotentis honorificentiam et animarum salutem. Quibus per Ezechielem Dominus *Ezech.* XXXIV, 2, 3. comminatur: Væ pastoribus qui pascebant semetipsos. Lac comedebatis, et lana operiebamini, gregem autem meum non pavistis. De tali prælato seu prædicatore apud *Zach.* XI, 17. Zachariam habetur: Brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus obtenebrescens obscurabitur. O pastor et idolum derelinquens, gregem! Itaque is qui *Lev.* XIX, 13, 15. præest, nullum calumnietur aut opprimat, et personarum acceptor nequaquam efficiatur. Tempore quoque visitationis libenter exponet se accusationi subditorum suorum et emendationi Visitatorum, non contemnens subire judicium cum servo et subdito suo. Judex autem omnem prorsus cupiditatem devitet. Insuper sicut Samuel *Num.* XVI, 15. hic, ita et Moyses locutus est Deo: Tu scis quod nec asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quemquam illorum. Sed et Vas electionis suis ait discipu- *Act.* XX, 33, 34. lis: Argentum et aurum et vestem nullius concupivi, ipsi scitis. Sed heu! jam vide- *Is.* I, 23. tur impletum quod asserit Isaias: Omnes diligunt munera, sequuntur retributionem.

Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos. Quemadmodum sanctus Samuel volens populum digne corripere, recitavit eis in primis beneficia Creatoris collata eis, eorumque patribus, deinde eorum ingratitudines et excessus; sic pastor seu prædicator debet fidelibus frequenter proponere beneficia Salvatoris: quæ, quanta et qualia fecit, assumpsit et tolera- A vit pro nobis, et quoties ac quam multum misertus est nostri, quanta bona fecit Ecclesiæ suæ. Deinde debet proferre ingratitudines, perversitates, recidivationesque populi, quatenus opposita invicem comparata, clarius pateant et salubrius advertantur. Quemadmodum autem in veteri Testamento misit Dominus viros electos, videlicet judices, reges, Prophetas, per quos plebi multipliciter succurrebat; ita in novo Testamento misit innumerabiles, præclarissimos ac sanctissimos viros, marty- B res, confessores, præsules, abbates, prædicatores, qui prædicando egregie, vivendo sanctissime, ac miranda operando prodigia, purgaverunt, illuminaverunt et reformaverunt Ecclesiam.

Numquid non messis tritici est hodie? id est, tempus convertendi et colligendi homines in horreum Dei, id est in Ecclesiam, prout in Evangelio Veritas contestatur: Levate, inquiens, oculos et videte *Joann.* IV, 35. regiones, quia jam albæ sunt ad messem. Et item: Messis quidem multa, operarii *Matth.* IX, 37; *Luc.* X, 2. C autem pauci. *Invocabo Dominum, et dabit voces,* id est comminationum seu sublimium doctrinarum tonitrua, *et pluvias* gratiarum cœlestium, quibus semen verbi Dei in mente fecundatur, crescit in opus, et fructificat per exemplum. *Nolite recedere a tergo Domini.* Hoc est quod admonet Christus: Qui vult venire post me, abne- *Luc.* IX, 23. get semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Siquidem Christus passus est pro nobis, vobis relinquens *I Petr.* II, 21. exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *Et* D *nolite declinare post vana,* quærendo carnales delicias, terrenas divitias, temporales honores, risus, jocos, ludos, spectacula aut choreas, ne illud Jeremiæ Dominus vobis improperet: Elongaverunt a me, et *Jer.* II, 5. ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt. Verum ut ait Psalmista: Beatus vir *Ps.* XXXIX, 5. cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis. Quamvis hoc dicere debeat quilibet Christianus, quum dicat

Digitized by Google

[Matth. v, 44.] Salvator, Orate pro persequentibus et calumniantibus vos; maxime tamen prælatus et prædicator, qui quantumcumque a proximis aut subditis offendatur, nihilo minus orare debet pro ipsis : imo tanto plus compati et subvenire, quanto plus illos viderit insanire, instar indulgentissimi patris, qui quanto plus a phrenitico filio suo invaditur, tanto amplius miserans miseretur, totisque viribus insanienti auxi- A liatur. Hinc Filius Dei cruci affixus, pro crucifixoribus et blasphematoribus suis [Is. LIII, 12; Luc. XXIII, 34; Act. VII, 59 : Exod. XXXII, 32; Rom. IX, 3.] oravit; et Stephanus pro lapidantibus se intercessit : imo Moyses et Paulus, deleri de libro vitæ, anathemaque fieri a Christo, deprecabantur, nisi pro errantibus exaudirentur. Postremo, quamvis omnis Christifidelis, maxime tamen prælatus implere debet, quod ait Apostolus : Noli vinci a [Ibid. XII, 21.] malo, sed vince in bono malum.

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : FILIUS UNIUS ANNI ERAT SAUL QUUM REGNARE CŒPISSET.

TRANSGRESSIO et reprobatio Saulis hic recitatur. *Filius unius anni erat Saul quum regnare cœpisset.* Hoc duobus modis exponitur : Primo, ut nomen hoc Saul, sit nominativi casus : eritque sensus, quod Saul in exordio regni sui fuit unius anni, non quoad temporis fluxum, sed quantum ad cordis sinceritatem, utpote humilis tanquam parvulus, prout ait Salvator : Nisi [Matth. XVIII, 3.] conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Fuit itaque unius anni, id est purus et innocens, tanquam puerulus anni unius. Quum enim omnipotens Deus promovet hominem ad aliquam dignitatem aut præsidentiam sive officium, efficit eum dignum ad illa per gratiarum charismata, nisi homo ponat obstaculum; nec Deus directe promovere solet indignos, sed permissive. Denique quo præsidentia altior est, eo præsidens majoris debet esse perfectionis : ideo regem decet esse virtuosissimum ac divinum. Secundo exponitur, prout Saul est dativi casus, ut sit sensus, quod ipsi Saul erat filius, id est, filium habuit anni unius, videlicet ipsum Isboseth, quum ipse Saul regnare cœpit, et duobus annis regnavit ipse Isboseth. Con- B tra quod instatur, quia (ut infra habetur) Isboseth, qui mox post mortem Saul cœpit regnare, fuit quadraginta annorum in sui [II Reg. II, 10.] exordio regni, Saul autem viginti annis regnavit. Denique Scriptura non intendit hic explicare ætatem aut tempus regnationis filii Saulis, sed Saulis regis.

Quidam demum exponunt sic, Filius unius anni, id est viginti unius annorum, erat Saul quum regnare cœpit, quia (ut in libro Numerorum habetur) a viginti an- [Num. I, 3.] nis et supra eligebantur ad prælia : sicque C fuit unius anni, id est, unum habuit annum ultra vicesimum. Quod stare non valet, quia (ut tactum est) filius Saul præfatus erat quadragenarius quum regnare exorsus est, et Saul præfuit annis viginti. Verumtamen contra hoc objici potest, quod in Actis legitur : Dedit eis Deus Saul filium [Act. XIII, 21.] Cis annis quadraginta. Ad quod Beda ibidem, aliique concorditer dicunt, quod ibi in annis illis Saul, includuntur viginti anni quibus præfuit Samuel. Aliter non videtur, qualiter accipi posset computatio anno- D rum ab exitu de Ægypto, usque ad tempus quo Salomon cœpit templum ædificare, ut infra in tertio libro habebitur. Idem affirmat et Josephus. Nihilo minus contra hæc

Digitized by Google

argui potest, quoniam juxta præhabita, Samuel adhuc adolescens cœpit esse populi (I *Reg.* III, 20, 21; VII, 15; XII, 2.) judex, statim post obitum Heli. Fuit autem senex in exordio regni Saul, ut præcedenti habetur capitulo : ergo diutius præfuit quam annis viginti.

Et duobus annis regnavit ipse Saul *super Israel,* quia duobus annis præfuit virtuose, deinde tyrannice. Circa hoc scribit quidam : Potest dici, quia post duos annos regni Saulis ipse David in regem a Samuele est unctus, et extunc Saul non regnavit de jure, sed tantum usurpative : ideo sequentes anni regni ipsius hic resecantur. Sed contra hoc, utpote quod Saul extunc non regnavit de jure, objicitur, quia adhuc, imo usque ad finem vitæ suæ, retinuit sibi jus regale seu regiam potestatem et auctoritatem. (II *Reg.* I, 15.) Propter quod David occidi jussit adolescentem, qui se Saulem occidisse perhibuit, (I *Reg.* XXVI, 9.) Davidque sæpius dixit : Quis extendet manus suas in christum Domini, et innocens erit ? (*Ibid.* XXIV, 6.) Unde et pectus suum percussit, eo quod chlamydem abscidisset illius. Itaque Saul adhuc permansit verus ac legitimus rex Israel, habendo respectum ad ejus auctoritatem et regiam potestatem ; sed quantum ad potestatis suæ abusum, fuit tyrannus. Talibus autem principibus ac prælatis, quantum ad ea quæ ad ipsorum officia pertinent, tenentur subditi obedire, tanquam veris superioribus, prout super secundum Sententiarum, distinctione ultima, Thomas declarat.

Et elegit sibi Saul tria millia de Israel, id est tria millia virorum Hebræorum, quos reputavit ad præliandum fortiores et audaciores : atque (ut aliqui opinantur) hoc fecit, quum regnasset per annum unum et duos, id est post tres annos. Tamen de illis tribus millibus dedit mille sub manu Jonathæ filii sui primogeniti ac strenuioris. Unde subjungitur : *Et erant cum Saul duo millia in Machmas et in monte Bethel,* id est in locis seu urbibus illis, per quarum terminos magis poterat Philistæis patere ingressus ad Israel : ideo Saul ibi opposuit se. *Mille autem viri erant cum*

A *Jonatha in Gabaa Benjamin,* id est urbe illa in sorte Benjamin sita, quæ (secundum Magistrum in historiis) fuit civitas Phinees filii Eleazari, id est urbs sibi deputata ad habitandum, et in illa Eleazar fertur sepultus. Verumtamen in Josue libro legitur : Eleazar mortuus est, et sepelierunt eum in Gabaath, quæ data est ei in (Josue XXIV, 33.) monte Ephraim : in quo monte non videtur sita fuisse Gabaath seu Gabaa Benjamin. *Porro ceterum populum remisit, unumquemque in tabernacula sua. Et percussit*

B *Jonathas stationem Philistinorum, quæ erat in Gabaa.* Philistæi tanquam dominantes filiis Israel, construxerunt seu habuerunt in terra ipsorum loca munita seu fortalitia, in quibus posuerunt bellatores, qui populum Israel servarent sub jugo Philistiim. Est itaque sensus, quod Jonathas in urbe Gabaa tale castrum obtinuit, et Philistæos inibi constitutos occidit.

Quod quum audissent Philistiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens : Audiant Hebræi. Saul pro certo conjecit,

C quod Philistæi cognito eo quod fecerat Jonathas, ex indignatione mox convenirent ad impugnandum Israeliticum populum : ideo voluit super hoc suum populum avisare, ut se observarent. Hinc misit nuntios qui præmisso buccinæ sonitu, annuntiaverunt hæc ipsa. Hinc subditur, *Et universus Israel audivit hujuscemodi famam : Percussit Saul stationem Philistinorum,* juxta sensum præhabitum. Quod enim Jonathas egerat, rex terræ, videlicet Saul, judicabatur fecisse, sicut victoria militum adscri-

D bitur principi. *Et erexit se Israel adversus Philistiim.* Supra scriptum est, Humiliati (I *Reg.* VII, 13.) sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel ; quod factum est tempore Samuelis : quomodo ergo statio Philistinorum fuit adhuc in terra Israel, Saul regnante ? Iterum dictum est ibi, Facta est manus Domini super Phili- (*Ibidem.*) stæos cunctis diebus Samuelis : ergo jam ante imperium Saul, erexit se Israel contra Philistiim. Ad primum respondetur, quod ad certum tempus non introierunt terram

Digitized by Google

Israelitarum, vel non cum tanta potentia sicut ante; vel dato quod ultra non introierunt Samuele populum judicante, tamen filiis ejus præsidentibus male, judicantibusque injuste, potuerunt forsitan intrare. Dato quoque quod non introierunt, attamen potuerunt ibi in munitionibus relinquere eos quos ante posuerunt ibidem. Ad aliud respondetur, quod Samuele præsidente, multum refrenata fuit potestas Philistinorum super filios Israel, non tamen in toto ablata, sicque sub Saul *erexit se* populus *Israel adversus Philistiim* magis quam ante. *Clamavit ergo populus post Saul in Galgala,* ex timore Philistinorum Saulem exhortando, ut provideret sibi ac regno suo contra Philistinorum invasionem.

Et Philistiim congregati sunt ad prœliandum contra Israel triginta millia curruum. Mirum quod tot currus habebant, quum de Pharaone legatur in Exodo, quod tulit secum sexcentos currus electos, quando videlicet insecutus est filios Israel. Hinc aliqui dicunt, quod ponatur hic continens pro contento, videlicet numerus curruum pro numero bellatorum, qui erant in curribus et pugnabant ex eis, ut erat tunc moris. *Et sex millia equitum.* Aliqui textus habent, Sexcenta millia equitum; sed melius dicitur, Sex millia. *Et reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima,* id est innumerabile instar arenæ: quod tamen hyperbolicum verbum est. *Et ascendentes, castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven.*

Exod. XIV, 7.

Quod quum vidissent viri Israel se in arcto positos, id est in grandi periculo vel in loco angusto, *(afflictus enim est populus)* scilicet viri præfati de Israel, qui timore, lassitudine seu aliis modis erant tribulati, *absconderunt se in speluncis et in abditis, in petris quoque et in antris, et in cisternis : Hebræi autem transierunt Jordanem terram* * *Gad et Galaad,* id est, transmigrantes Jordanem, ingressi sunt terram duarum ac mediæ tribuum. Hoc sonat, ac si Hebræi non fuissent Israelitæ. Ad quod in Scholastica respondetur historia : Quidam erant in Israel, sic appropriato vocabulo dicti, qui præ timore creduntur in castra Philistiim descendisse ad obsequendum illis. Vel (ut aliqui scribunt) ideo dicebantur Hebræi, quia frequenter transibant Jordanem. Nam Heber interpretatur, victor seu transiens. Inde Hebræi, quasi transeuntes. Verumtamen hi Hebræi videntur potius a Philistæis fugisse, quam ad ipsos confugisse : quia Jordanis erat a plaga orientali, respectu terræ promissionis; terra autem Philistinorum, a parte occidentali. *Quumque esset Saul adhuc in Galgala, universus populus perterritus est qui sequebatur eum :* quoniam erant paucissimi comparatione exercitus Philistinorum, nec plene confidebant in Domino.

* in terram

Et exspectavit septem diebus Samuelem juxta placitum, id est, prout Samuel ei injunxerat. Unde scriptum est supra, quemadmodum Samuel dixit Sauli in prima sua inunctione : Descendes ante me in Galgala. Ego quippe descendam ad te, ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas. Septem diebus exspectabis me. Quod ibi tripliciter fuit expositum, et juxta expositionem illam triformem, potest et istud tripliciter exponi. Primo, quod exspectavit Samuelem septem diebus oblationis fiendæ quotidie per tot dies pro sua unctione in regem : quæ expositio non videtur conveniens, quoniam Saul jam fuit in regem bis unctus, ideo non apparet quod usque ad tempus istud fuerit oblatio illa dilata. Secundo a quibusdam exponitur, quod exspectavit juxta placitum Samuelem, quatenus Samuel sacrificaret et consuleret Deum pro ipso Saule. Debuit autem Samuelem exspectasse per septem integros dies, et non exspectavit eum hac vice, nisi per sex dies, quoniam diem quo significavit Samueli ut veniret ad se, inter septem dies exspectationis annumeravit, quum tamen post diem illum debuerit septem præstolari diebus Samuelis adventum. Sed huic expositioni videtur contradicere littera, asserens quod Saul septem diebus exspectavit Samuelem. Tertio ergo exponitur, quod

I *Reg.* X, 8.

Digitized by Google

non exspectavit plenarie per septem dies, imo septimo die ante occasum per aliquot horas usurpavit sacrificare, quod per Samuelem fieri debuit : sicque peccavit in hoc, quod non exspectavit septem integros dies ; et item quod sacerdotale assumpsit officium, sicut Ozias rex Israel : quibus duobus excessibus adjecit et tertium, excusando se ipsum. *Et non venit Samuel in Galgala* tam cito ut Saul putavit eum venturum. Venit tamen septimo die, ut infra habetur. *Dilapsusque est populus ab eo,* id est, populus Israel, qui fuit cum Saul, recessit ex timore ab eo.

II *Par.* XXVI, 16.

Ait ergo Saul : Afferte mihi holocausta et pacifica, id est materias seu pecora, quæ offeram Deo in holocausta, ut remittat nobis nostra peccata : et tale sacrificium totaliter incendebatur, præsertim dum offerebatur pro peccatis multitudinis, ut in Levitico habetur, ideo holocaustum vocatum ; et item quæ offeram in hostiam pacificam, id est pro pace atque victoria obtinendis. *Et obtulit holocaustum. Quumque complesset offerens holocaustum,* id est, hostiam holocautomatis jam obtulisset rex Saul, quod non erat sui officii, *ecce Samuel veniebat* satis tempestive ad offerendum. Legalia namque sacrificia licite immolabantur usque ad horam, in qua sacrificium juge vespertinum offerebatur, post quod illo die aliud sacrificium non offerebatur, quoniam illud erat consummatio omnium sacrificiorum diei. *Et egressus est Saul obviam ei, ut salutaret eum.* Honoravit enim Samuelem propter ejus senectutem et sanctitatem, prophetalemque gratiam ; et quoniam jam ante judex fuerat populi, et suis orationibus ac meritis multa bona a Deo obtinuit populo : sed et hac vice speravit juvari per Samuelem. *Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti ?* quasi dicat, Graviter jam peccasti, et mirum quod ita egisti. *Respondit Saul : Quia vidi quod dilaberetur populus a me, et tu non veneras juxta placitos dies, porro Philistiim congregati fuerant in Machmas, dixi : Nunc descendent Philistiim ad me* A *in Galgala, et faciem Domini non placavi,* satisfaciendo pro peccatis meis ac populi mei. *Necessitate compulsus, obtuli holocaustum Domino.* Saul mendose se excusavit, quia non erat necessitas vera, absoluta, sufficiens : talisque usurpata oblatio, fuit magis offensiva Dei, quam placativa.

Lev. IV, 21.

Dixitque Samuel ad Saul : Stulte egisti, quia contra mandata Dei, *nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepi tibi* ex parte Dei, ut scilicet exspectares me septem diebus totalibus, nec propriis B manibus sacrificares. *Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum :* id est, si istos excessus non commisisses, nec postea similes, Dominus firmasset præsidentiam tuam regiam super Israeliticam plebem, per omne tempus veteris Testamenti, quantum est ex parte tui, seu respectum habendo ad merita tua. Verumtamen providentia Dei omnia pariter intuens, et universa complectens, nec fallitur nec mutatur. Qualiter autem hujusmodi prænun- C tiationes, promissiones, seu comminationes invariabilis Dei, sint intelligendæ sub conditione, et mutationi subjectæ per respectum ad ordinem proximarum contingentium naturaliumque causarum, quum tamen prorsus incommutabilis sit in se ipsa præordinatio, præscientia ac providentia Dei, frequenter dictum est alibi, et primo Sententiarum determinatur. Denique, sicut asserit Augustinus, Deus instituit Saul in regnum, non ad permanendum, imo tribui Juda præordinavit tribuere regnum ; sed D totum hoc, utpote Saulem esse prævaricaturum ac removendum, et tribum Juda in principatu mansuram, fuit infallibiliter in præscientia Dei. Hinc ait Gregorius : Deus non mutat decretum, quamvis mutet sententiam, non illam quæ exprimit æternam præordinationem, sed eam quæ temporalem exprimit dispositionem. *Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget,* id est, nullus filiorum tuorum succedet tibi in regno super totum Israeliticum populum. Nam et filius Saul qui ei successit,

Digitized by Google

II Reg. II, 10. non nisi duobus regnavit annis. Non tamen super Juda; nec super ceteras tribus pacifice.

Quæsivit sibi Dominus virum secundum * *cor suum.* Non quasi a casu aut ex incertitudine Dominus aliquem quærit, quamvis sic faciat aliquid quæri; sed per modum quærentis se habet, dum omnium corda considerat, et unum præ alio ad aliquid sibi assumit, eligit seu acceptat: quem tamen ipse per dona gratiæ suæ efficit talem, et ab æterno sic ordinavit. Loquebatur quoque Samuel more prophetico de futuro per modum præteriti, propter certitudinem prophetiæ : ut sit sensus, Quæsivit sibi Dominus virum secundum cor suum, id est, decrevit sibi assumere in regem virum virtuosum, divinæ voluntati conformem et beneplacentem. *Et præcepit ei,* id est præcipiet, *Dominus ut sit* * *dux super populum suum :* vir iste est David, qui dum ista dicebantur, erat puer; *eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus.*

* juxta

* esset

Surrexit autem Samuel : ex quo elicitur, quod post increpationem prætactam mansit ad tempus cum Saul in Galgala; *et ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin.* Illuc namque perrexerunt et filii Israel cum Samuele, vel cito post eum, adversus Philistiim, ideo pro confortatione populi Israel ivit ad Gabaa. *Et reliqui populi* Israel, qui non iverunt cum Samuele, *ascenderunt post Saul,* eum sequendo, *obviam populo* Philistinorum, *qui* Philistæi *expugnabant eos,* videlicet Israelitas, *venientes ex* * *Galgala in Gabaa,* id est ad urbem sic dictam, *in colle Benjamin,* in quo contigit expugnatio illa. *Et recensuit,* id est numeravit *Saul populum,* scilicet filios Israel, *qui inventi fuerant cum eo,* et erant ceteris (ut videtur) constantiores, quoniam illis fugientibus, seque abscondentibus, manserunt cum rege ad præliandum, *quasi sexcentos viros.* Sic cum Gedeone non manserunt, nisi trecenti viri ; et cum Juda Machabæo, octingenti. *Et Saul et Jonathas filius ejus, populusque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin. Porro Philistiim consederant in Machmas. Et egressi sunt ad prædandum,* id est ad spoliandum bona Judæorum, *de castris Philistinorum tres cunei :* et tamen nullum cuneorum illorum audebant invadere filii Israel, timore prostrati et inermes. Ideo quoque fecerunt tres cuneos, ut magis nocerent, et quia resistentiam non timebant. *Unus cuneus pergebat contra viam Ephraim ad terram Saul* *. *Porro alius ingrediebatur per viam Bethoron. Tertius autem verterat se ad iter termini in terram Sabaa imminentis valli Seboim contra desertum.*

* de

Judic. VII, 6. 7.

I Mach. IX, 6.

* Sual

Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel. Cujus subjungitur ratio : *Caverant enim Philistiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam :* id est, idcirco non permiserunt inter Hebræos commorari aliquem fabrum, ne faceret eis ensem aut lanceam. Ex quo constat, quod filii Israel erant adhuc multum gravati jugo dominii Philistinorum. Ideo autem fertur in textu, Faber ferrarius, quia sunt quidam fabri lignarii, id est carpentatores, sicut in Evangelio legitur Joseph fuisse faber. *Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim,* scilicet in terram Philistinorum, quando pacem habuerunt cum illis, *ut exacueret,* id est, per fabros Philistinorum acui faceret, *unusquisque vomerem suum, et ligonem, et securim, et tridentem, et sarculum. Retusæ itaque erant acies vomerum et ligonum et tridentium et securium,* id est cessante pace, et lite durante, ex defectu præfatæ exacutionis acumen ferri instrumentorum istorum erat reductum et hebetatum, *usque ad stimulum corrigendum,* id est, inclusive usque ad reformandum seu exacuendum instrumentum, quo boves arantes punguntur ad laborandum, seu alium quemcumque aculeum. *Cumque venisset dies prælii* inter Hebræos et Philistæos, *non est inventus,* id est non fuit, *ensis aut* * *lancea in manu totius populi qui erat cum Saul et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus.*

Matth. XIII, 55; Marc. VI, 3.

* et

Quod ait, Excepto, refertur ad illud, Totius populi, non ad illud, Qui sequebatur Saul, qui se ipsum non sequebatur. Sed contra hæc argui potest, quoniam filii Israel jam ante interfecerunt filios Ammon, quod sine armis et gladiis facere non valebant : imo et occisorum illorum arma diripuisse videntur, sicque abundasse armis. Ad hoc Josephus ait, quod Philistiim abstulerunt arma dumtaxat illis qui erant in Gabaa juxta eos, et hi soli manserunt cum Saul et Jonatha, ceteris in fugam versis atque latentibus. Porro in prælio contra Ammonitas universæ tribus fuerunt, inter quas multi gladios habuerunt et lanceas.

I Reg. XI, 11.

Egressa est autem statio Philistiim, ut transcenderet in Machmas. Jam in textu præhabitum est, quod Philistiim consederant in Machmas, quomodo igitur egressa est statio eorum ut transcenderet in Machmas? Et respondendum, quod statio Philistinorum tunc exsistens in Machmas, egressa est inde, ut transcenderet versus Saul. Vel, Egressa est, ut transcenderet in Machmas, id est, in illo loco inciperet transcendere ad alium locum.

ARTICULUS XXVI

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI TERTIIDECIMI INTELLIGENTIA.

F*ILIUS unius anni erat Saul quum regnare cœpisset.* Per Saul in exordio sui regni instar infantuli humilem, innocentem et mitem, et modico tempore juste regnantem, deinde superbum, ferocem, et tyrannizantem, intelligitur quicumque prælatus, princeps seu præsidens, qui in præsidentiæ suæ initio pius, justus et innocens est; deinde honores mutant in eo mores, ita quod asper et arrogans redditur, præsidetque injuste tanquam tyrannus, quærens plus propria commoda et honores, quam bonum commune et subditorum salutem. Et istud est insipientia maxima et excæcatio detestanda, quum unumquemque oporteat esse tanto sollicitiorem et timoratiorem coram Altissimo, quanto pro pluribus daturus est rationem, et quo majora desuper sortitus est dona, quo in altiori est gradu, et quo durius sibi judicium imminet. Hæc igitur pensent qui præsunt, et ex honoribus sibi impensis potius affligentur, quam gloriabuntur vel extollentur.

Et elegit sibi Saul tria millia. In hoc Saul gerit Christi personam, et possunt per tria millia designari universi prædestinati, qui in statu sunt triplici, videlicet animalium, rationalium, et spiritualium. Nam et quidam sunt servi fideles, alii autem interni amici, ceteri vero occulti filii; quidam sunt in via purgativa, alii in via illuminativa, ceteri in via perfecta. Rursus, per tria millia figurantur universi tribus virtutibus theologicis decorati, et superbenedictæ Trinitatis cultores, qui contra invisibiles adversarios præliantur. Per ceteros qui remittuntur ad propria, denotantur qui a catholicæ fidei sinceritate elongant se. Insuper, sicut Saul secum detinuit duo millia, et mille suo filio assignavit, sic superiores prælati debent se ipsos in primis vallare fortissimis auxiliariis multis, qui sint consiliarii justi, prædicatores idonei, pastores devoti. Tales quoque esse oportet archidiaconos, præpositos et decanos, quibus omnibus in jure certa et ardua dantur præcepta. Quod si contigerit superiorem prælatum, archiepiscopum sive episcopum, tentari, nutare, deficere, debet horum orationibus, exhortationibusque fulciri ac erigi, imo et modeste redargui. Præterea, debet prælatus talis superior

Digitized by Google

quosdam ex his auxiliariis suis, communicare et associare suffraganeo suo, antistiti seu prælato inferiori, quatenus talium subventione et cooperatu, universum sibi creditum gregem digne gubernet, sicque instar Jonathæ percutiat stationem Philistinorum, id est, dæmones tentatores gregis sibi subjecti, orando, efficaciter prædicando, juste exemplariterque vivendo dejiciat.

Quod quum audissent Philistiim, Saul cecinit buccina. Quemadmodum Philistæi audita suorum strage, se collegerunt ad impugnandum acerrime filios Israel, sic invisibiles hostes victis quibusdam ex suis, vehementius insaniunt et insurgunt contra fideles victores. Ideo debet prælatus buccina prædicationis suos super hoc avisare, eosque informare de modo et constantia fortiter resistendi. *Quum vidissent viri Israel se in arcto positos, absconderunt se.* Sic aliqui Christiani cernentes se undique a diabolo, mundo et carne tentari, pusillanimes fiunt, et quærunt tentationum certamen evadere. Quidam vero succumbunt, tentatoribus consentientes. (Cant. II, 14; Is. II, 10.) Nonnulli quoque in foramine petræ, in fossa humo, id est in Christi vulneribus et in dominicæ passionis memoria, salubriter se occultant, et in propriæ humiliationis profundo se celant, atque in tantum parvipendunt, et quasi nihil se reputant, quod a dæmonibus nequeunt tangi. *Et exspectavit* Saul *septem diebus Samuelem.* Per septem dies, universum hoc tempus septem diebus decurrens, exprimitur. Prælatus igitur indesinenter gratiosam Christi subventionem ac præsentiam debet fiducialiter præstolari, nec præstolando deficere, nec sibi illicita usurpare.

Egressi sunt ad prædandum de castris Philistinorum tres cunei. Per hos tres cuneos intelliguntur tyranni et hæretici at-

A que hypocritæ, seu infideles Judæi, gentiles perfidi, et superbi philosophi; item spiritus maligni, superbiæ, fornicationis, et avaritiæ : a quibus omnibus boni fideles multipliciter impugnati fuerunt. *Porro faber ferrarius non inveniebatur in Israel.* Per fabros istos intelliguntur virtuosi prælati, doctores condigni, prædicatoresque sancti, qui spiritualia arma fidelibus præparant, et gladium spiritus quod est verbum Dei, ac lanceam militarem, videlicet caritatis fervorem, seu discretionis (Ephes. VI, 17.)

B acumen, omnia penetrantem et adversariorum interiora pungentem. Cavent autem Philistiim, id est, dæmones et omnes sanctæ fidei inimici machinantur et student tales fabros auferre Ecclesiæ, sicut jam, proh dolor! pro maxima parte ei ablati sunt, in tantum quod fideles quamplures ad Philistiim pergunt, ut sua acuant ferramenta : quia vera et spirituali sapientia derelicta, ad philosophica documenta, ad prudentiam sæculi, imo ad mundanas versutias se convertunt, atque in talibus suam

C acuunt mentem, suntque sapientes ut faciant mala, obtusi vero, imo et cæci, in pertinentibus ad salutem. (Jer. IV, 22.) Postremo, per hoc quod prælio imminente non sunt inventi ensis et lancea, nisi in manibus Saul et Jonathæ, præfigurabatur, quod prælati et eorum vicarii debeant tantæ esse perfectionis, quod quantumcumque subditi spiritualibus armis priventur, et passionum immoderantiis agitentur, ipsi tamen in omni virtute, in rationis splendore, in luce sapientiæ perseverent firmissime, et

D mala vincant in bono, suaque bonitate (Rom. XII, 21.) ac probitate aliorum defectuositates reprimant et reforment, quoniam ipsi sunt velut mensura et regula subditorum : mensuram vero et regulam oportet exsistere uniformem. (Lev. XIX, 35, 36.)

Digitized by Google

ARTICULUS XXVII

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ET ACCIDIT QUADAM DIE.

HIC recitatur qualiter Deus miraculosam victoriam Judæis contulerit super Philistiim. *Et accidit quadam die ut Jonathas filius Saul diceret ad adolescentem armigerum suum : Veni, et transeamus ad stationem Philistinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit,* quia videbatur opus prorsus periculosum. Ideo Jonathas conjiciebat quod pater suus, a quo tenerrime amabatur, non sineret quod se periculo tanto exponeret. *Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranata quæ erat in agro Gabaa; et erat cum eo populus quasi sexcentorum virorum. Et Achias* sacerdos, *filius Achitob fratris* I Reg. IV, 21. *Ichabod filii Phinees, qui* Phinees *ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo,* prout de his dictum est supra, *portabat ephod,* id est vestimentum ac ornamentum illud sacerdotale, quo pontifex utebatur, cui etiam vesti jungebatur rationale judicii : quæ detulit secum, quatenus in his consuleret Dominum coram arca ibi tunc exsistente, si necessarium videretur. *Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas:* quia nec populo suum notificavit propositum, ne quispiam manifestaret illud patri suo. *Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petræ ex utraque parte,* et ita inter eas exstitit vallis prærupta, *et quasi in modum dentium scopuli hinc inde prærupti,* id est eminentia saxa acuta superius quasi dentata. *Nomen uni Boses, et nomen alteri Sene. Unus scopulus prominens ad aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad meridiem contra Gabaa.*

Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, id est infidelium Philistinorum : quos zelo justitiæ ex magnanimitate Jonathas sprevit in quantum hujusmodi, juxta illud Psalmi, Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; Ps. XIV, 4. *si forte faciat Dominus pro nobis.* Quod ait, Si forte, non dicit quasi volens tentando experiri an Dominus eos juvaret, sed ex confidentia divini auxilii : cui tamen confidentiæ inest incertitudo ex consideratione propriæ culpæ, per quam redditur homo frequenter indignus divino subsidio. Idcirco ad excludendum præsumptionem locutus est, Si forte. Secundum quem modum Caleb ait : Da mihi montem Josue XIV, 12. istum, si forte sit Dominus mecum, et potuero delere eos sicut promisit mihi. *Quia non est Domino difficile salvare vel in multis vel in paucis,* id est omnipotenti Deo, cujus fortitudo est infinita, eique perfacile est conferre victoriam populo per paucos bellatores, et per multos. Unde etiam secundo Paralipomenon libro Asa rex ait : Domine, non est apud te ulla di- II Par. XIV, 11. stantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus. *Dixitque ei armiger suus : Fac omnia quæ placent animo tuo. Perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris:* quo innotescit confidentia, magnanimitas, audacia hujus armigeri, quem Jonathas sibi elegit quia consideravit virilitatem animi ejus et corporis robur.

Et ait Jonathas : Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, Manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, tanquam parati exspectare eorum acces-

Digitized by Google

sum, *nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos, ascendamus ad eos, quia tradidit,* hoc est dare decrevit, *eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum* dandæ victoriæ. Et forsan revelatum hoc fuerat Jonathæ, vel ex occulto Dei instinctu hoc protulit : imo secundum Josephum, Jonathas Dominum fervide exoravit pro triumpho, et sic Dominus præstitit ei signum prætactum. Denique, obviam ire adversariis, majoris videtur esse audaciæ ac virtutis, quam eorum præstolari accessum ad se.

Apparuit igitur uterque stationi Philistinorum. Dixeruntque Philistiim : En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant. Et locuti sunt viri de statione ad Jonathan, et ad armigerum ejus; dixeruntque : Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem, hoc est, expediemus vos cito, et invenietis quos quæritis præparatos. Vel, Ostendemus vobis rem amissam quam quæritis. Jonathas quippe et armiger ejus pergebant hinc inde pro via aptiore invenienda, quasi quæsissent quid perditum. Ideo Philistæi sic responderunt ironice. *Et ait Jonathas ad armigerum suum : Ascendamus; sequere me. Tradidit enim eos Dominus in manus Israel. Ascendit Jonathas reptans,* id est, trahens se per viam ascensionis tortuosam, non tritam, *manibus et pedibus, et armiger ejus post eum. Itaque quum vidissent faciem Jonathæ, alii cadebant ante Jonathan,* hoc est, ipse Jonathas quosdam Philistæorum prostravit virtute divina ipsum confortante, et Philistæorum robur ac animum infirmante, *alios armiger ejus post eum interficiebat* eodem modo, *sequens eum.* In Scholastica vero historia fertur, quod Deus exterruit illos. Porro Josephus scribit, quod nebula spissa repente surrexit de terra Philistæorum, visum ita offuscans, quod nec se ipsos ad invicem, nec Jonathan ac ejus armigerum cognoscebant. Aliqui opinantur, quod Deus percussit illos acrisia, qua aliquid confuse cognoscitur, non distincte, sicut Sodomitæ erant percussi in foribus Lot, et Syri ad instantiam Elisei. Gen. XIX, 11; IV Reg. VI, 18.

Et facta est plaga prima quam percussit,* hoc est percutiendo inflixit, *Jonathas et armiger ejus quasi viginti virorum* Philistinorum *in media parte jugeris, quam par boum in die arare consuevit.* In fine præcedentis capituli dictum est, quod non fuit inventus ensis aut lancea, nisi in manu Saul et Jonathæ. Quid ergo gestavit in manu armiger Jonathæ ? Dici potest, quod fustem aut clavam, et forsan alicui occisorum abstulit gladium. *Et factum est miraculum in castris per agros* Philistinorum, quia miraculose fuerunt percussi acrisia seu nebula, imo et interiori virium enervatione atque formidine. *Sed et omnis populus stationis eorum qui ierant ad prædandum, obstupuit,* id est, tres cunei Philistinorum, de quibus in præcedenti habetur capitulo, visa strage suorum, præ admiratione et timore defecerunt. *Et conturbata sunt castra,* hoc est, Philistæi in suis tentoriis sunt confusi, et recessit ab eis mens atque consilium, *et accidit quasi miraculum a Deo.* Quasi, dicit hic veritatem, non similitudinem tantum, sicut et apud Joannem : Vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti a Patre. Vere namque fuit miraculum, quod ita prostrati sunt.

* qua

I Reg. XIII, 22. — Ibid. 17. — Joann. I, 14.

Quocirca quidam reprobat prætactam Josephi positionem de nebula : quia (ut ait) si contigisset per nebulam, non fuisset miraculum, quoniam nebula repente et frequenter consurgit. Nebula quoque illa ita obnubilasset visum Jonathæ et sui armigeri, sicut Philistinorum. Sed reprobatio ista parvi vigoris est. Quamvis enim nebula ex naturali causa consurgat, tunc tamen quantum ad modum quo consurrexit, fuit miraculum, quemadmodum supra habitum est de vocibus et pluviis ad preces Samuelis concessis. Quoniam nebula illa supernaturaliter data est ad infidelium dejectionem, non decuit ut filios Israel obscuraret. I Reg. XII, 17, 18.

Et respexerunt speculatores Saul qui erant in Gabaa Benjamin, sedentes in al-

Digitized by Google

to ad inspiciendum longe ac late quid fieret, *et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens.* Qui prostrati erant, non fugerunt hinc inde, sed ex toto Philistinorum exercitu multi jam erant occisi, alii perturbati huc illucque fugerunt, et se invicem peremerunt, quia non cognoverunt se mutuo. Tres etiam cunei Philistiim redeuntes ad suos in castra, impugnaverunt eosdem: quemadmodum in libro Judicum legitur de Madianitis, quod fu-
Judic. VII, 22. gientes et undique discurrentes, mutua se cæde truncabant. *Et ait Saul populo qui* B *erat cum eo : Requirite et videte quis abierit ex nobis.* Hoc dixit postquam speculatores nuntiaverunt ei prædicta. Tunc enim Saul optavit scire per quos facta erat strages illa Philistinorum. *Quumque requisissent, repertum est non adesse Jonathan et armigerum ejus. Et ait Saul ad Achiam : Applica arcam Domini,* hoc est, arcam assume, ut coram ea consulas ac invoces Dominum, quatenus nobis revelet, quid agere debeamus. *Erat enim ibi arca Domini in die illa cum filiis Israel. Quumque lo-* C *queretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus ortus est in castris Philistinorum. Crescebatque paulatim et clarius resonabat,* quia se invicem invaserunt. *Et ait Saul ad sacerdotem : Contrahe manum tuam,* id est, retrahe eam, ab inceptis cessando. Jam enim extenderat manus ad applicandum sibi arcam, atque ad exorandum; et dum Dominus tardaret dare responsum, cupiens Saul hostes invadere, et filio suo succurrere, dixit sacerdoti verba prætacta.

Conclamavit ergo Saul et omnis popu- D *lus qui erat cum eo,* exhortantes se invicem ad persequendum Philistiim, *et venerunt usque ad locum certaminis. Et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, et cædes magna nimis. Sed et Hebræi qui fuerant cum Philistiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris,* qui ex timore confugerunt ad Philistæos, *reversi sunt* ad adsistendum Saul, *ut essent cum Israel, et his qui erant cum Saul et Jonatha. Omnes quoque Israe-* A *litæ qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philistæi, sociaverunt se cum eis in prælio. Et erant cum Saul quasi decem millia virorum,* cum quo paulo ante non erant, nisi sex- I Reg. XIII, 15.
centi, ut patet capitulo præcedenti. Tamen hic versus fertur non esse de textu. *Et salvavit Dominus Deus Israel in die illa. Pugna autem pervenit usque ad Bethaven,* quia usque ad urbem illam insecutus est Saul hostes. *Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa.*

Adjuravit autem Saul populum Israel, *dicens : Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperam,* hoc est, hoc juro, quod morte dignus erit, et occidetur, quicumque ex meo exercitu comederit aliquid, *donec ulciscar de inimicis meis,* id est, Philistæos fugientes occidam. Timuit enim, quod populo circa refectionem intento, illi aufugerent. Vidit quoque populum ad manducandum inclinatum de præda fugientium Philistinorum. *Et non manducavit universus populus panem,* hoc est, nullus de exercitu Saul ausus fuit quidquam comedere ante horam præfixam. *Omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus* Saul *saltum,* hoc est silvam seu nemus, *et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum,* id est, nemo eorum qui adjurationem Saulis audivit, ausus fuit aliquid de melle illo imponere ori suo. *Timebat enim populus juramentum.* Dicit autem Magister in historiis : Fertur quod tanta copia mellis ibi sit in cannis arborum et cavernis petrarum et abditis terræ, quod plures reperiantur favi super terram decidentes.

Porro Jonathas non audierat, quum adjuraret pater ejus populum. Extenditque summitatem virgæ quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis. Et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus, hoc est exhilarati et melius colorati ex aliquali virium reparatione, qui ex lassitudine famis et belli calore depressi et reverberati, ac discolo-

Digitized by Google

rati fuerunt, sicut et facies ejus. Asserit Josephus, Jonathan invenisse apum cubilia in quercu, quæ in sorte Ephraim fuit. *Respondensque*, hoc est, ad verbum factum Jonathæ proportionabiliter loquens, *unus de populo ait : Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens : Maledictus vir qui comederit panem hodie*, hoc est ante vesperam, puta hoc die artificiali. *Defecerat autem populus. Dixitque Jonathas : Turbavit pater meus terram*, id est, incauta illa obligatione nocuit populo, et inquietavit eumdem. *Vidistis ipsi quod illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto : quanto magis, si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? Nonne major plaga facta fuisset in Philistiim ?* quasi dicat, Utique. Si enim stando celeriter aliquid comedissent, et bibissent, confortato stomacho, velocius insecuti fuissent adversarios suos.

Percusserunt ergo Philistæos in die illa a Machmas usque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis ex itinere, labore, cursu, jejunio; *et versus ad prædam*, hoc est, pecora ac cetera quæ Philistæi reliquerunt in campis seu alibi, apprehendens, *tulit oves et boves et vitulos, et mactaverunt in terra :* hoc est, ex festinatione et vehementia famis, occiderunt pecora illa, ubicumque ea ceperunt indifferenter, et non in loco elevato seu saxo eminenti, unde sanguis potuisset effluere. Ideo sequitur: *Comeditque populus cum sanguine* carnes illas, non satis purgatas a suo cruore. Comederunt quoque cum sanguine, id est illicite et contra legem, secundum quam debuerunt primo sacrificia Deo offerre de hostium præda. *Nuntiaverunt autem Sauli*, tanquam regi, cui attinebat reos corripere, cui etiam imminebat periculum ex populi transgressione, *dicentes, quod populus peccasset Domino*, hoc est ad irreverentiam Dei, *comedens cum sanguine*, id est carnes ex quibus sanguis non fuit sufficienter eliquatus, quum tamen in Deuteronomio Dominus dicat : Comedes absque (*Deut.* xii, 15, 16, 23, 24.)

A esu dumtaxat sanguinis, quem quasi aquam super terram effundes. *Qui ait : Prævaricati estis; volvite ad me jam nunc saxum grande*, super quod animalia occidantur.

Et dixit Saul satellitibus suis : *Dispergimini in vulgus*, hoc est, hinc inde inter vulgares sparsim discurrite, *et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem*, hoc est, quod quicumque habuerit bovem, aut aliud animal mundum esibile, et voluerit illud occidere, perducat illud ad me, *et occidite super istud* B saxum elevatum, ex quo sanguis valeat eliquari, *et vescimini :* et istud jussit fieri coram se, ne faceret quis occulte. Forsan hic ponitur singulare pro plurali, videlicet saxum pro saxis, quum non videatur probabile, quod in tanta famis inedia suffecerit tot millibus hominum unum saxum ad mactandum super illud pecora manducanda. *Et non peccabitis Domino, comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem, et occiderunt ibi.* C *Ædificavit autem Saul altare Domino*, hoc est, aram construi fecit, super quam Deo fieret oblatio gratiarum actionis pro concesso triumpho. *Tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.* Ex quo elicitur, quod ante obtulit sacrificium super altare antea constructum ab aliis. Vel si et antea construxit altare, istud tamen dicitur primo ædificasse, quoniam in aliis oblationibus factum ejus displicuit Deo. Qualiter autem licuit tunc alibi immolari, quam in tabernaculo Domini, et super altare atrii, D tactum est sæpe.

Et dixit Saul : Irruamus super Philistæos nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus : Omne quod bonum tibi videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos præfatus Achias : *Accedamus huc ad Deum*, id est, a Deo quæramus consilium. *Et consuluit Saul Dominum* per sacerdotem. Ad pontificem autem præcipue pertinebat consulere Dominum, id est per orationes et oblationes a Deo consi-

lium quærere de agendis. Nam et per Moysen Dominus dixit, quod Eleazar pro Josue consuleret Dominum. *Dicens : Num persequar Philistiim? Si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei Dominus in die illa.* Jam habitum est, quod Saul dixit, Irruamus super Philistæos nocte; moxque sacerdos subjunxit, Accedamus huc ad Deum, et protinus Saul consuluit Dominum : quomodo ergo nunc additur, Non respondit ei in die illa? Respondetur, quod dies hic sumitur pro die naturali, qui noctem includit. Deinde dicendum, quod nec nocte illa, nec die sequenti responsum a Deo sortitus est.

Num. XXVII, 21.

Dixitque Saul suis officiatis : *Applicate huc universos angulos populi.* Per angulos populi, quidam intelligunt principes, qui sunt quasi lapides angulares, quoniam sicut in lapide tali concurrunt parietes, ita populares confluunt et concurrunt ac uniuntur in principe suo. Unde et Christus dicitur lapis angularis, quia in ipso convenerunt et fide uniti sunt Judæi atque gentiles. Alii per angulos populi, intelligunt ejus extremitates, et contenta in eis, ut sit sensus : Applicate huc universos angulos populi, id est universum populum ab extremitatibus suis. *Et scitote et videte* per missionem sortis, *per quem acciderit peccatum hoc,* propter cujus demeritum negatur nobis responsio Domini *hodie.* Præsupposuit Saul, quod non nisi propter peccatum alicujus de populo suo, Deus responsum renueret aut differret. Siquidem tempore illo communiter dabantur divina responsa, præsertim pontifici Dominum consulenti : nihilo minus potuit Deus omnipotens liberrime agens, etiam ex alia causa negare et differre responsa. *Vivit Dominus salvator Israel, quia si per Jonathan filium meum factum est, absque retractatione morietur.* Quasi dicat : Per viventem Dominum juro, quod is qui suo peccato causa est negationis divinæ responsionis, jam occidetur absque revocatione prioris sententiæ meæ, qua dixi, Maledictus homo, etc., quantumcumque ille fuerit mihi

Is. XXVIII, 16; *Act.* IV, 11; I *Petr.* II, 7.

A carus et utilis, in tantum quod nec carissimo filio meo Jonathæ parcerem. Hoc Saul jurasse videtur zelo quodam justitiæ, præsertim quia (ut sibi apparuit) ille per suam culpam nocuit communitati, et inobediens fuit regi; et ipse Saul fuit judex totius populi sui, voluitque culpam absque personarum acceptione ulcisci. *Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.*

Et ait ad universum Israel : Separamini vos in partem unam, et ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Responditque
B *populus Israel ad Saul : Quod bonum tibi videtur in oculis tuis, fac. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel : Domine Deus, da judicium,* seu indicium, hoc est, per sortis directionem ostende : *Quid est,* id est, cur accidit, et quid istud significat, *quod non responderis servo tuo,* videlicet mihi, *hodie? Si in me aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem ; aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem :* hoc est, fac peccatum hoc expurgari per pœnam, ut purificemur a
C tanti transgressoris consortio. Verumtamen istud, Da sanctitatem, non est de textu, quum non habeatur in Hebræo. *Et deprehensus est Jonathas et Saul, populus autem exivit,* id est, immunis apparuit ab hac culpa, quia super nullum de populo stante seorsum sors corruit. *Et ait Saul : Mittite sortem inter me et Jonathan filium meum. Et captus est Jonathas,* hoc est, deprehensus est sorte.

Dixit autem Saul ad Jonathan : Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Jona-
D *thas, et ait : Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis : et ecce ego morior,* id est, paratus sum mori, secundum Josephum, vel mortem evadere nequeo. *Et ait Saul : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris, Jonatha.* Iste fuit modus loquendi apud Hebræos, et est sensus : Nisi implevero quod juravi seu dixi, inferat mihi Dominus pœnam hujus peccati, imo et ampliorem, seu pœnis aliarum culparum mearum eam apponat. Et ita istud fuit quasi

Digitized by Google

juramentum exsecrationis, sicut et illud A II Cor. I, 23. quod ait Apostolus : Ego testem invoco Deum in animam meam. *Dixitque populus ad Saul,* quasi admirando de tali rigore patris in filium tam elegantem atque amabilem, et toti regno tam utilem : *Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel?* Quod inquirendo negant esse agendum. *Hoc nefas est.* Quasi dicant : Non decet, nec licet. *Vivit Dominus, si ceciderit,* hoc est, non cadet, *capillus de capite ejus in terram :* id est, nullam penitus læsionem permittimus ei infligi B pro causa hac ; *quia cum Deo operatus est hodie,* hoc est, per Dei auxilium prævaluit hostibus, et salvavit nos de manu Philistiim. *Liberavit ergo populus Jonathan, ut non moreretur. Recessitque Saul, nec persecutus est Philistiim. Porro Philistiim abierunt in loca sua.*

At Saul confirmato regno, hoc est principatu suo, *super Israel, pugnabat per circuitum adversus omnes inimicos ejus, contra Moab et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philistæos ; et quocumque* C *se verterat, superabat* adversarios suos fre- I Reg. XXXI, 1. quenter et diu, quamvis tandem ab hostibus victus sit. Secundum Lyram, in Hebræo habetur : Quocumque se verterat, impie agebat, vel impius fiebat. Sed verius creditur, quod Rabbi Paulus affirmat : Dictio, inquiens, Hebraica hic posita, æquivoca est. Uno modo significat, Superabat; alio modo, Impie agebat. Unde nostra translatio vera est, concordans cum littera præcedenti, qua dictum est, Pugnabat adversus omnes inimicos ejus ; cum littera D quoque sequenti, qua dicitur, Et eruit Israel de manu vastatorum ejus. *Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum ejus.*

Fuerunt autem filii Saul, Jonathas et Jessui et Melchisua. Cur non exprimitur hic Isboseth filius Saul? Respondetur, quia non erat virilis, neque magnanimus aut militans, sed pusillanimis et ineptus ad bellicos gestus. Unde nec bello interfuit, in quo pater suus ac fratres interierunt. *Et nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, et nomen minoris Michol ; et nomen uxoris Saul, Achinoam, filia Achimaas. Et nomen principis militiæ ejus, Abner, filius Ner, patruelis Saul. Porro Cis fuerat pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel.*

Erat autem bellum potens ipsius Saul ac populi sui *adversus Philistæos omnibus diebus* regni *Saul,* id est frequenter omni tempore quo regnavit, ita quod totum a parte denominatur. Philistæi equidem erant valde bellicosi, duri, multi et fortes, et Dominus eos reliquit, ut in ipsis experire- Judic. III, 4. tur Israelem, utrum audiret mandata Domini, an non, ut legitur in libro Judicum. *Nam quemcumque viderat Saul virum fortem et aptum ad prælium* ex populo Israel, *sociabat eum sibi,* id est, exercitui suo eum conjunxit, si potuit. Et bene ait, Fortem et aptum ad prælium. Quidam enim sunt corpore fortes, inepti tamen ad bella, quoniam timidi, pusillanimes, aut obtusi. Oportet enim ut bellatores, sint etiam animo fortes, ne pericula mortis immoderate formident. In bellis quoque plus prodest prudentia quam corporeæ vires.

Circa præhabita quæritur, an Saul peccavit adjurando populum, et dicens, Maledictus vir qui comederit panem donec ulciscar me de inimicis meis. Apparet, quod non, quia Philistæi erant tyranni, et letales adversarii plebis Dei, sicque Saul amore rei publicæ et zelo justitiæ voluit eos occidere, atque ex eadem radice juravit illud. Porro Jonathas deprehensus est sorte, tanquam culpabilis, et ob ejus transgressionem, qua patris sui violavit præceptum, negavit Deus responsum. In oppositum argui potest, quoniam sicut sunt tres comites voti, ita et juramenti, videlicet discretio, justitia, veritas, quemadmodum super illud Jeremiæ, Jurabis, Vivit Jer. IV, 2. Dominus, in veritate et justitia et judicio, scribit Hieronymus : Præfato autem juramento Saulis, videtur defuisse discretio, quia nec casum necessitatis intendebat ex-

Digitized by Google

cipere, ut apparet, eo quod paulo post voluerit Jonathan occidere, qui ex quadam necessitate parum manducavit de melle. Insuper Jonathas videtur patris sui præceptum rationabiliter reprobasse, dicendo : Turbavit pater meus terram, etc., sicut expositum est.

Ad istud quidam respondent, quod indiscrete culpabiliterque juravit. Quod item peccavit, volendo occidere Jonathan, qui patris sui præceptum non audivit, nec scivit, et ex necessitate contra id egit. Et addunt, quod sors super Jonathan venit ad ostendendum innocentiam ejus, non culpam, ut scilicet deprehensus, se coram omnibus excusaret. Asserunt quoque, quod Deus negavit responsum, non propter Jonathæ culpam, sed ob causam aliam sibi notam. Verum ista responsio non videtur textui consona. Quum etenim Deus non respondisset, Saul intente oravit, ut Dominus manifestaret, ob cujus culpam non dedit responsum, atque ad hoc agnoscendum sortem mitti præcepit, quæ inter tot millia cecidit super Jonathan. Sortes autem in veteri Testamento potissime temperantur a Domino, ut Salomon contestatur : (Prov. XVI, 33.) ideo Jonathas videtur fuisse culpabilis, præsertim quum dicat Scriptura, quod captus est Jonathas. Nec alia causa negationis divini responsi videtur in textu insinuari, nisi hujusmodi culpa. Jonathas quoque deprehensus, non se excusavit a culpa, sed facto suo simpliciter recitato, adjecit : En ego morior, id est, paratus sum mori, secundum Josephum.

Itaque dici potest, quod in bello necesse est plurima sustinere, propter liberationem et defensionem rei publicæ, et frequenter contingit, quod per integrum diem prælium durat : sicque juramentum Saul non videtur omnimode discretione caruisse. Nam et si populus suus cœpisset comedere, non ita faciliter ac celeriter potuisset avelli a refectione. Denique juxta hæc videtur Jonathas quoque peccasse, patris sui præceptum reprobando tam absolute, quum dixit : Turbavit pater meus terram. Quum vero objicitur, quod ignoravit patris sui præceptum seu juramentum, respondere quis potest, quod ignorantia illa eum non excusavit in toto, quia fortassis non debuit se ita ab exercitu patris sui abstrahere, patre suo id ignorante, nisi ex speciali divino fecerit hoc instinctu. Oportet enim ut in bellicis rebus magna vigeat disciplina et obedientia. Unde in gestis legitur Romanorum, quod Torquatus princeps proprium filium interfecit, eo quod se absente et nesciente commiserit bellum, quum tamen obtinuisset triumphum : quod etiam Thomas in libro de Regimine regum allegat.

Præterea circa hoc quæritur, an populus bene fecit Jonathan liberando. Videtur, quod non, quia culpabilis fuit. Ad quod arbitror respondendum, quod in hoc bene egerunt. Jonathas namque etsi non a toto, tamen a tanto excusabilis fuit, et propter commune bonum, præceptum seu juramentum patris sui rationabiliter in ipso Jonatha dispensationem admisit, quoniam evidens fuit utilitas, tam idoneum virum in tali casu a morte eripere.

ARTICULUS XXVIII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI QUARTIDECIMI INTELLECTU.

ACCIDIT *ut Jonathas diceret ad adolescentem armigerum suum : Veni, et transeamus ad stationem Philistinorum.* Jonathas juxta præhabita inferiores prælatos et prædicatores præfiguravit, per cujus armigerum adolescentem egressi * sunt

* expressi

Digitized by Google

talium prælatorum et doctorum cooperatores, vicarii atque discipuli : qui pergunt ad stationem Philistinorum, quando ad sæcularium et carnalium societates hominum properant, ut eorum vitiis expugnatis, dæmonibus quoque quorum vasa erant, depulsis, reducant ipsos ad Dominum. Unde Salvator dixit discipulis : Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. *Patri autem suo hoc ipsum non indicavit :* opera quippe supererogationis secrete fieri solent. *Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas :* quia pusilli et imperfecti non sciunt interna exercitia, incrementaque spiritualia perfectorum. *Erant autem inter ascensus,* etc. Per tortuositates et difficultates illas itineris Jonathæ atque armigeri ejus, figurabatur, quod arcta sit via salutis, et semita pertingendi ad spiritualem victoriam vitiorum ac dæmonum ardua : quam tamen oportet incedere volentem salvari, potissime eos qui aliis sermocinantur aut præsunt, et illos secum salvare nituntur. Ita occurrunt eis *scopuli* instar dentium *prærupti,* id est adversitates acutæ, et *eminentes petræ ex utraque parte,* id est gratiosa subsidia Dei, et utriusque Testamenti scripturæ, exempla quoque Sanctorum novæ ac veteris legis, ut sint muniti per arma justitiæ a dextris et a sinistris : nam et plures nobiscum sunt, quam contra nos.

(Matth. XII, 29. — Luc. X, 3. — Matth. VII, 14. — II Cor. VI, 7. — IV Reg. VI, 16.)

Transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis : quia non est Domino difficile salvare vel in multis vel in paucis. Incircumcisi corde, sunt omnes qui irreformati sunt mente, qui passionum suarum immoderantias non refrenant : ad quorum informationem et conversionem virtuosi prælati et prædicatores confidenter accedunt, non obstante difficultate negotii, quoniam Omnipotentis auxilio innituntur, qui ita potest per paucos convertere multos, sicut per plurimos. Magnanimes igitur sint in Deo, pleni spe ferventi ac humili, pensantes illud Apostoli : Omnia possum in eo qui me confortat. Et illud : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Porro nonnulli sunt pusillanimes, nec plene confidunt in Domino : ideo viam pœnitentiæ et salutis seu religionem verentur arripere, propter rei difficultatem, non respirantes in Omnipotente, qui paratissimus est auxiliari, nec ullum in se sperantem relinquit.

(Philipp. IV, 13. — Rom. XVI, 20. — Eccli. II, 11.)

Dixeruntque Philistiim : En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant. Per Philistæos durissimos fidelis populi inimicos, intelliguntur obstinati in vitiis ; hæretici quoque et schismatici ac tyranni, et ceteri perfidi, qui domesticos fidei aspernantur, et Catholicorum doctrinas, disputationes ac invasiones contumaciter parvipendunt, et tamen per Dei auxilium miraculose vincuntur. Denique invisibiles hostes spernunt nos, tanquam mures. Et sicut mures capiuntur muscipula, pedibusque cattorum, sic dæmones suarum tentationum astutiis nos involvunt, et virium suarum crudelitatibus capiunt, et occidunt. Et sicut cattus ludit cum mure ferociter, sic dæmones ludunt nobiscum sævissime, dum per delectationes et ludicra nos pertrahunt ad inferna.

Et respexerunt speculatores Saul : quia præfatum triumphum fidelium considerant boni pastores ac prædicatores ferventes, et eum cum gaudio annuntiant suo superiori : quo cognito, ille cum suis inflammatur ad succurrendum tam fructuose præsidentibus aut sermocinantibus ; et applicat sibi arcam, id est, ex sacra Scriptura sumit consilium et doctrinam, qualiter sit procedendum ; sicque venit ad locum certaminis, in quo contra aciem vitiorum præliari oportet. *Et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, et cædes magna nimis.* Istud assidue lamentabiliterque impletur, dum unusquisque animam proximi sui venatur ad mortem, et homines se invicem scandalizant, et vitiose inflammant ad concupiscendum verbis et factis, gestu, incessu, ornatibus, imo et omissionibus : sicque quotidie innumerabiles pereunt. *Sed et Hebræi qui fuerant*

(Mich. VII, 2.)

Digitized by Google

cum Philistiim, reversi sunt, ut essent cum Israel. Multi etenim aliorum exemplo convertuntur ad Dominum, relicta societate iniqua; et qui aliquando timuerunt spiritualia aggredi bella, ex aliorum profectu et perseverantia animantur, aggrediunturque ardua virtutum molimina.

Adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Sic prælatus seu prædicator populum debet inducere ad abstinentiam atque jejunia, ut per ea invisibiles superet hostes, et tanto studiosius insistat, ac suos insistere faciat virtutibus, quanto acrius a dæmonibus fuerant impugnati aut læsi. Nam et de pessimis quibusdam spiritibus Christus testatur (*Marc.* IX, 28): Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. Quumque populus sic abstinet et jejunat, occurrit et repræsentatur ei mel copiosum, quia tunc dæmones proponunt eis delectabilia mundi et carnis, a quibus interdum etiam boni, instar Jonathæ, alliciuntur et seducuntur, nec informationi et increpationi mox acquiescunt: imo interdum eis apparet, quod illuminentur oculi eorum ex talibus, dicentes (*Eccli.* XXXIV, 10. *Rom.* V, 20): Qui non est expertus, quid scit? Et: Ubi abundavit iniquitas, abundat et gratia. Illuminantur etiam ex talibus eo modo, quo oculi primorum parentum (*Gen.* III, 7) aperti sunt in esu vetiti fructus: quia ex sua transgressione experimentaliter discunt et sentiunt, quam malum et damnosum sit ipsis, divina violasse præcepta.

Defatigatus est autem populus nimis, etc. Sic frequenter contingit, quod fideles jejuniis et spiritualibus actibus fatigati, excedunt in refectione et repausatione carnali, et manducant cum sanguine. Insuper, per hoc quod Saul proprio filio noluit parcere, prælati ac judices instruuntur sine personarum acceptione justitiam exercere. Per hoc vero quod Jonathas propter alia sua laudabilia opera liberatus fuit a populo, edocetur, quod bonis hominibus non ex malitia lapsis, aut semel deceptis, sit specialiter condolendum, et quantum congrue poterit fieri, ignoscendum. Nam et Deus multis parcit, gratiamque largitur propter eorum præcedentia merita, quamvis ad tempus mortificata, seu propter eorum occulta opera ex suo genere bona.

At Saul confirmato regno suo *super Israel, pugnabat per circuitum adversus omnes inimicos ejus.* Sic quilibet præsidens christianus debet esse omni virtute armatus, et præliari contra universos nequissimos spiritus, a quibus vel ipse vel hi, quibus præsidet, impugnantur: utpote virtute humilitatis, contra superbiæ spiritum; virtute castitatis ac sobrietatis, contra spiritum gulæ et fornicationis; virtute liberalitatis, contra spiritum cupiditatis. Sicque de aliis. *Erat autem bellum potens adversus Philistæos omnibus diebus Saul.* Sic bono præsidente prælato, aut strenuo imperatore rempublicam gubernante, acerrimum geritur bellum contra visibiles aut invisibiles sanctæ fidei inimicos. *Nam quemcumque viderat Saul virum fortem et aptum ad prælium, sociabat eum sibi.* Hoc ad litteram regibus atque principibus est sectandum. Spiritualiter quoque episcopi et ceteri majores prælati, suis collegiis ac familiis et numero sui cleri debent gratis ac sapienter adjungere litteratas et virtuosas personas, quibus dumtaxat conferre debent præbendas, dignitates, et parochiales ecclesias: quorum cooperatione, consilio, opere, prudentia et virtute cunctis valeant hostibus prævalere. Quidam vero instar Pharaonis masculos necant, feminasque reservant (*Exod.* I, 16, 22): quia indoctos promovent et carnales, devotos vero et sapientes refutant.

Digitized by Google

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ET DIXIT SAMUEL AD SAUL.

RECITATUR hic, qualiter Saul expugnavit Amalecitas, et quomodo circa hoc dire peccavit. *Et dixit Samuel ad Saul : Me misit Dominus,* id est direxit, *ut ungerem te regem super populum ejus Israel.* Ideo mihi credere et acquiescere debes. Supra legitur Dominus dixisse ad (I Reg. IX, 16.) Samuelem : Mittam ad te virum de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israel. Si ergo Dominus misit Saul ad Samuelem, ut Samuel ungeret illum, quomodo misit Samuelem ad Saul pro causa illa ? Et respondendum, quod missio qua dicitur Dominus mittere vates suos seu alios ad aliquid, non est semper intelligenda de missione locali, sed sæpe potius de directione mentali. Unde infra tertio libro, Ahias propheta senex et cæcus sedens in domo sua, dixit uxori Je- (III Reg. XIV, 6.) roboam venienti ad se : Ego missus sum ad te durus nuntius. Sic et Abdias in exordio suæ visionis loquitur de se ipso : (Abdiæ 1.) Legatum ad gentes misit Dominus.

Nunc ergo audi vocem Domini, hoc est præceptum quod tibi per me præcipit Dominus, et noli circa istud inobediens fieri, sicut jam circa alia excessisti. *Hæc dicit Dominus exercituum : Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via quum ascenderet de Ægypto,* id est, recordatus sum malorum pœnalium, quæ rex et populus Amalecitarum intulerunt filiis Israel in deserto egressis de Ægypto : quemadmodum scriptum est in (Exod. XVII, 8.) Exodo, Venit Amalec et pugnavit contra Israel in Raphidim. Quod in Deuteronomio (Deut. XXV, 17, 18.) plenius recitatur, Domino ibi jubente : Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame et labore A confectus. Denique, quando Deus peccata nostra ulciscitur, dicitur ea recensere, seu ad memoriam revocare ; sed dum ea dimittit, ultionemve differt, dicitur ea quodammodo oblivisci. *Nunc ergo vade, et percute Amalec et demolire,* id est destrue, *universa ejus,* videlicet urbes et habitacula. *Non parcas ei,* nec regi nec populo, *nec concupiscas ex rebus ipsius aliquid ; sed interfice* per te et tuos ministros *a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem* inclusive, id est universos vi- B ros, et mulieres, atque infantes, *bovem et ovem, camelum et asinum,* id est universa pecora eorumdem.

Circa hoc quæritur, qualiter istud conveniebat divinæ justitiæ, quod propter peccata parentum tamdiu defunctorum, jussit occidi posteritatem eorum, præsertim feminas et puellas ac parvulos, imo et pecora, quum infantes et jumenta fuerint prorsus innoxia. Respondetur, quod propter peccata parentum enormia Deus frequenter percussit illorum posteritatem, in quantum C posteri secundum carnem descenderunt ab illis, et erant aliquid suorum parentum, ita quod parentes puniebantur in eis, et quia suorum parentum sequebantur excessus, consenseruntque eis, atque in detestationem paternorum facinorum. Propter quod parvuli quoque et pecora trucidabantur. Nec in hoc parvulis præjudicabatur, qui et propter originale peccatum erant mortis debitores, et expediebat eis tunc mori : quia si ad ætatem pervenissent adultam, patrum suorum secuti fuissent facinora, D æternaliterque perissent. Et ne in virili ætate efficerentur populo Dei nimis molesti. At vero pecora propter homines facta sunt : ideo de eis est disponendum secun-

Digitized by Google

dum merita vel demerita, seu congruentiam hominum, quia de mediis secundum exigentiam finis disponitur. Refert quoque Magister in historiis : Sunt qui dicunt, Amalecitas fuisse maleficos ac habuisse peritiam se vertendi in pecudes : ideo, ne sub forma illa evaderent, Dominum præcepisse, ut pecora quoque perirent. Hoc idem Rabbi Salomon asserit, ut recitat Lyra, quod tamen dicit esse ficticium. Nihilo minus Augustinus libro de Civitate Dei, multa narrat de hujusmodi transformatis : certumque est multos gentilium fuisse intentos hujusmodi magicis artibus.

Præcepit itaque Saul populo, hoc est, Saul per litteras aut nuntios populo Israelitico jussit ad certum locum confluere, et esse paratum ad pugnam : siquidem verba Dei per Samuelem sibi denuntiata, eis significavit ; *et recensuit eos,* id est, numeravit et ordinavit, seu convenienter disposuit, *quasi agnos,* hoc est ad libitum suum, ita quod obediebant sibi, et sub ejus regimine ibant, quemadmodum agni sub virga pastoris, *ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda.* Viri de tribu Juda communiter numerantur seorsum, tanquam potentiores, nobiliores, et amplius bellicosi. Non est autem putandum, quod in tribu Juda non fuerint pro tunc, nisi decem millia virorum, et in ceteris tribubus non nisi ducenta millia, quum in bello contra Naas regem Ammonitarum, fuerint triginta millia virorum Juda, et trecenta millia de tribubus aliis, ut supra ; (I *Reg.* xi, 8.) sed Saul hac vice cum præfato numero contentus fuit, præsertim quum ex divina promissione esset de victoria certus. *Quumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec.* In regno Amalecitarum fuerunt plurimæ civitates : idcirco per civitatem Amalec hic intelligitur vel metropolis regni, vel urbs prima in via occurrens, vel per singulare designatur plurale. *Tetendit insidias in torrente.*

Dixitque Saul Cinæo, id est posteris natis ex Jethro, qui alio nomine cognominatus est Raguel, et Cin, cujus filia fuit (*Exod.* ii, 18, 21.) Moysis uxor, ut in libro Exodi habetur : ex cujus videlicet Raguelis semine natus est Rechab. *Abite* corde, *recedite* corpore, *atque discedite* cum proposito non redeundi, *ab Amalec, ne forte involvam te cum eo,* id est, ne aliqui de populo meo improvise aut casualiter noceant vobis cum ceteris habitatoribus terræ hujus. Quum pluraliter præmisisset, Abite, cur singulariter subdit, Te, nisi forsan ad aliquem eminentiorem inter Cinæos id specialiter dixerit ? *Tu enim,* id est pater tuus Jethro, seu Hobab frater uxoris Moysis : quem tamen Hobab quidam dicunt fuisse ipsum Jethro. Quibus obviare videtur illud Numerorum : Dixit Moyses Hobab filio Raguel, etc. (*Num.* x, 29.) *Fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, quum ascenderent de Ægypto :* quoniam Jethro salubre consilium præstitit Moysi, (*Exod.* xviii, 17-23.) ut in Exodo describitur. Hobab vero ductor fuit filiorum Israel in deserto, ut in Numeris scriptum est. (*Num.* x, 31.) *Et recessit Cinæus de medio Amalec.* Sicque deinceps habitaverunt Cinæi inter filios Israel.

*Percussitque Saul Amalec ab Hevila donec venit** *ad Sur, quæ est e regione Ægypti,* id est ab una extremitate regni ad aliam, quemadmodum in Deuteronomio jusserat Moyses, dicens : Quum Dominus dederit tibi requiem, delebis nomen Amalec de sub cœlo. (*Deut.* xxv, 19.) *Et apprehendit Agag regem Amalec vivum :* quem et viventem secum duxit ad propria ad ostensionem suæ victoriæ, quod fuit superbiæ ; vel ut multa extorqueret a rege capto pro ipsius dimissione, quod fuit avaritiæ. Verumtamen Josephus velle videtur, quod Saul pepercit et misertus fuit ipsi Agag propter pulchritudinem ejus. *Omne autem vulgus,* imo et nobiles, *interfecit in ore gladii,* id est acumine ensis. *Et pepercit Saul et populus, Agag et optimis gregibus ovium et armentorum, vestibus et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt.*

* venias

Factum est autem verbum Domini, id est, Dominus per angelum dixit, *ad Samu-*

Digitized by Google

elem, dicens : Pœnitet me quod constituerim Saul regem, id est, per modum pœnitentis me habeo circa hoc, reprobando quem ante approbavi ac promovi ad regnum. Constat autem, quod in invariabili, supersapientissimo et incomprehensibili Deo non cadat dolor seu pœnitentia, sed more humano loquitur Deus hominibus. *Quia dereliquit me*, per mentis suæ aversionem a me, per inobedientiam, arrogantiam et cupiditatem, *et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel. Et clamavit* Samuel *ad Dominum tota nocte.* Unde apparet, quod in ipsa nocte facta sit ei allocutio ista. Non dicitur hic, quod clamavit ad Dominum pro Saul. Ideo aliqui dicunt, quod sciens Samuel Saulem reprobatum, clamavit, id est ferventer oravit, pro regno et populo. Nihilo minus dicendum, quod etiam clamavit pro Saule, ut infra in isto patet capitulo. Oravit ergo ut Dominus ignosceret Sauli. Circa quod aliqui dicunt, quod Samuel forsitan ignoravit an prætacta verba, videlicet, Pœnitet me, Dominus dixerit definitive, an comminatorie. Quibus obviare videtur, quod
I *Reg.* XIII, 14. supra Samuel dixit ad Saul : Nequaquam ultra regnum tuum consurget. Quæsivit sibi Dominus virum secundum cor suum, et præcepit ei ut esset dux super populum suum. Quod propter certitudinem prophetiæ Samuel prædixit de David futurum per modum præteriti, sicut ibidem expositum est.

Quumque de nocte surrexisset Samuel ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, quod venisset Saul in Carmelum, id est ad montem illum sublimem, *et erexisset sibi fornicem triumphalem,* sequens in hoc arrogantiam gentium, id est arcum de myrtis et palmis seu olivis in signum adeptæ victoriæ, sicque in monte illo invenit materiam fornicis hujus. Et in isto patet superbia Saul, qui ad jactantiam suam hoc fecit, quum illam victoriam debuerit humiliter Deo adscribere. *Et reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul* in Galgala, *et Saul offerebat holocaustum Domino,* per manus sacerdotis, pro gratiarum actione de concesso triumpho secundum legem, quamvis non fecerit hoc ex pura et debita humilitate, *de initiis prædarum, quæ attulerat de Amalec,* id est de primitiis spoliorum, seu optimis spoliis acquisitis ab Amalecitis. *Et quum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul : Benedictus tu Domino,* id est ad gloriam Dei, *implevi verbum,* id est præceptum *Domini* de occidendis Amalecitis. *Dixitque Samuel,* probando falsitatem sermonis Saulis : *Et quæ est hæc vox gregum,* scilicet boum et ovium, *quæ resonat in auribus meis, et armentorum quam audio?* quasi dicat, Per experientiam innotescit, quod non implesti Dei præceptum, qui pecora et omnia Amalecitarum jussit occidi. *Ait Saul,* se excusando, et populum accusando, imo et excusando partim eumdem : *De Amalec adduxerunt ea. Pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus.*

Ait autem Samuel ad Saul : Sine me, id est, pacifice audi me, *et indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei : Loquere. Et ait Samuel : Nonne quum parvulus esses in oculis tuis,* id est vilis et modicus propria reputatione, *caput in tribubus Israel factus es,* id est rex duodecim tribuum Israel? Ideo sicut per humilitatem meruisti sic promoveri, ita per arrogantiam tuam jam meruisti regno privari. *Unxitque te in regem super Israel, et misit te Dominus in viam, et ait: Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum. Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini? Et ait Saul ad Samuelem,* se pertinaciter excusando : *Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag* [*regem*] *Amalec.* In hoc Saul se ipsum accusat, quoniam Dominus jussit ipsum Agag una cum populo suo interfici.

Digitized by Google

Et Amalec interfeci. Tulit autem de præda populus oves et boves. Hic rursus imponit populo, quod ipse fieri jussit aut saltem permisit, quod tamen debuit prohibere. *Et primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolent Domino Deo suo in Galgalis.* Verumtamen illa non fuit principalis totave causa, imo ex cupiditate magis quam ex devotione fecerunt hoc.

Et ait Samuel : Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? quasi dicat, Utique. Præsertim, quoniam sacrificia illa legalia non erant per se accepta, sed ex obeditione, caritate et devotione offerentium ea : ideo quando contra obedientiam offerebantur, prorsus displicuerunt, sicut in casu isto. Obedientia autem per se placet, per quam homo se ipsum et propriam voluntatem offert ac subjicit Deo : quod majus fuit, quam pecora alienamque carnem Deo sacrificare. Et intelligitur istud de obedientia, seu potius actu ipsius interiori, prout obedientia est virtus specialis respiciens præceptum superioris sub propria ratione præcepti. Alio modo obedientia est virtus generalis, dum sumitur pro adimpletione cujuscumque præcepti. *Melior enim est obedientia quam victimæ,* præsertim obedientia qua propria mens subditur Deo; *et auscultare* mandata superiorum cum promptitudine cordis, *magis* bonum est, *quam offerre adipem arietum.* Et recte exprimit specialiter adipem, quia præcipue
Lev. III, 16, 17. offerebatur, juxta illud Levitici : Omnis adeps Domini est jure perpetuo. *Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare,* id est præcepto superioris resistere et reniti, propriam inobedientiam palliando; seu alio modo, tam grave est crimen ut ariolari, quod est genus superstitionis seu species magicæ artis; *et quasi scelus idololatriæ* est, *nolle acquiescere,* id est ex proposito et certa malitia esse inobedientem. Quemadmodum enim ariolator atque
Rom. I, 25. idololatra serviunt creaturæ magis quam Creatori; ita qui sic inobediens est, magis audit, colit, honorat voluntatem propriam,

A quam divinam. Hoc testimonium, sicut in statutis ordinis Cartusiensis asseritur, sufficientem habet obedientiæ laudem, sufficientem quoque inobedientiæ vituperationem. Hinc loquitur Paulus : Qui potestati Rom. XIII, 2.
resistit, Dei ordinationi resistit. Salomon quoque : Melior, inquit, est obedientia quam Eccle. IV, 17.
victimæ. Itemque : Vir obediens loquetur Prov. XXI, 28.
victorias. Denique verbis his Samuelis pulchre consonat illud Michææ : Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, Mich. VI, 7, 8.
aut in multis millibus hircorum pinguium?
B Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, aut quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium, et sollicitum ambulare cum Deo.

Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, id est, Dei præceptum transgressus es, et illud de corde tuo repulisti, *abjecit te Dominus,* id est, decrevit abjicere, et certissime abjiciet in sobole tua, *ne sis rex.* Nempe quum pœna debeat culpæ correspondere, justum est, ut qui Deum inhonorat, et ejus parvipendit præcepta, deprimatur et vilipendatur ab eo, juxta quod
C supra dixit : Quicumque glorificaverit me, I Reg. II, 30.
glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Dixitque Saul ad Samuelem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini et verba tua, quæ erant verba Dei. Saul ambitiosus, audita suæ depositionis sententia, territus fuit, et cœpit se humiliare potius ficte, et ex servili timore suæ temporalis confusionis, quam ex vera caritate, humilitate, contritioneque cordis : et forsan suspicabatur ac metuebat, quod
D Samuel ex Dei præcepto mox alium constitueret regem. *Timens populum :* qui timor ex prava processit radice; siquidem quia superbus fuit, et amator propriæ laudis, ac humani favoris, formidavit populo displicere, ne minus solito honoraretur et commendaretur a plebe. *Et obediens,* id est acquiescens, *voci,* id est suggestioni *eorum,* persuadentium mihi quod meliora et pretiosiora reservarentur. *Sed nunc, quæso, porta peccatum meum,* id est, condole mihi, et culpam meam pie suffer et

Digitized by Google

satisfac pro eadem, *et revertere mecum, ut adorem Dominum,* quatenus ex tua præsentia exaudibilior fiat oratio mea, te per tuam orationem supplente meum defectum. *Et ait Samuel ad Saul : Non revertar tecum.* Hoc dixit Samuel, quia pro tunc ita intendebat, quamvis paulo post ad magnam Saulis instantiam mutavit propositum, ideo non mentiebatur formaliter. Vel dicere voluit, quod non rediret cum ipso pro tunc. Cui simile est, quod apud Joannem ait Salvator, Ego non ascendam (Joann. VII, v. 10.) ad diem festum hunc : et tamen paulo post ascendit ad eum. Vel, Non ascendam tecum, ut orem pro te, eo modo quo optas, ut scilicet Deus ita ignoscat tibi, quod in regno permaneas in sobole tua : quoniam Samuel scivit Deum oppositum definivisse. Et huic expositioni concordat quod subditur : *quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus ne sis rex super Israel.*

Et conversus est Samuel ut abiret. Ille autem, videlicet Saul, *apprehendit summitatem pallii ejus,* utpote Samuelis, qui verterat se ad recedendum, ut retraheret eum ; *quæ et scissa est* ex vi retractionis. *Et ait Samuel ad eum : Scidit,* id est, hac scissione pallii mei præfiguravit, *Dominus,* scindendum esse *regnum Israel a te hodie :* hoc, inquam, hodie præsignavit, *et tradidit,* id est, tradet seu tradere definivit, *illud proximo tuo meliori te,* scilicet ipsi David, qui vel tunc erat, aut futurus fuit virtuosior Saule. *Porro Triumphator in Israel,* id est Deus omnipotens, cujus virtute et gratia conceditur victoria Israeli, et cui omnis adscribenda est victoria, quum tamen tu victoriam a Deo concessam, tibi, plus quam licet, adscripseris, *non parcet,* id est, præfatam pœnam non relaxabit, quia immobiliter statuit, quod in tua successione regalis principatus non permanebit. Vel, Non parcet, quia non permittit peccatum omnino inultum transire, qui nullum bonum dimittit irremuneratum, nullumque malum impunitum, secundum illud Job : Deus inultum abire non (Job XXIV, 12.) patitur. Nihilo minus vere pœnitentibus culpam dimittit, imo et pœnam æternam quam meruerunt, commutat in temporalem. Hinc in libro Sapientiæ dicitur Deo : Ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis : quod etiam ideo (Sap. XII, 16.) dictum est, quoniam Deus citra condignum punit, tam in purgatorio, quam in inferno. *Et pœnitudine non flectetur :* quia in incommutabili Deo non potest consistere pœnitudo, dolor seu pœnitentia (proprie dicta) de sententia ab ipso prolata. Nec etiam flectitur pœnitudine nostra, ita ut in se ipso mutetur vel revocet quod definivit, quamvis in Genesi legatur, quod tactus dolore cordis intrinsecus, dixit, Pœnitet me fecisse hominem : quod metaphorice intelligendum est, sicut et multa (Gen. VI, 6, 7.) similia. Porro super eos qui non habent contritionem ex corde, sicut nec Saul hac vice, non parcit nec flectitur Dominus, juxta illud Deuteronomii : Reddit odientibus se statim, ita ut disperdat illos, et (Deut. VII, 10.) ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. *Neque enim homo est* in propria natura, *ut agat pœnitentiam,* sed est invariabile et supersimplicissimum ens, qui per Malachiam protestatur : Ego Dominus, et non mutor. Hinc in Numerorum (Malach. III, 6.) libro Balaam ait : Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut (Num. XXIII, 19.) mutetur. Denique, quum Deus sit sapientiæ infinitæ, omnia æternaliter perfectissime intuens, non potest in eum cadere pœnitentia de eo quod dixit aut fecit.

At ille ait : Peccavi. Sed nunc honora me coram senioribus populi mei et coram Israel. Si ex condigna et profunda humilitate dixisset, Peccavi, non tam sollicitus fuisset de sua honoratione : imo pro publico peccato, coram omnibus publice se humiliasset, honoreque regio se recognovisset indignum. *Et revertere mecum,* comitando et sequendo me tanquam regem, *ut adorem Dominum Deum tuum. Reversus ergo Samuel, secutus est Saulem,* propter regiam dignitatem condescendens ac deferens ei, tanquam vicario Regis altissimi. At

Digitized by Google

vero super illud, Scidit Dominus regnum a te, narrant quidam Judæi, quod Samuel contulit Sauli signum tunc, dicens : Ille regnabit pro te, qui abscindet oram chlamydis tuæ. Unde quum David fecisset
1 *Reg.* xxiv, 21. hoc, locutus est Saul ad eum : Nunc scio quod certissime regnaturus sis. *Et adoravit Saul Dominum.* Samuel quoque rogavit pro ipso.

Dixitque Samuel : Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus, id est adductus, *est ei Agag pinguissimus, tremens* ex formidine mortis, quæ omnium terribilium terribilissimum est. *Et dixit Agag : Siccine separat amara mors?* Hoc quidam exponunt tanquam dictum a Samuele, ut sit sensus, quod Samuel dixit Agag, id est ipsi Agag regi, Siccine, id est sicne, separat amara mors, id est timor mortis amaræ, sensum et animum tuum a te, qui præ mortis horrore es quasi alienatus a sensu et impos mentis? Secundo exponitur, tanquam dictum ab Agag, qui cernens se occidendum, ex desolatione et admiratione tanti infortunii sui locutus est, Siccine separat amara mors? id est, sicne dividit mors acerba viventem a societate et loco vivorum? quasi dicat, Utique. *Et ait Samuel : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus,* id est, sicut tu multos juvenes occidisti, per quod matres eorum privasti filiorum suorum solatio. Quidam tamen exponunt hoc de Agag in persona
Exod. xvii, 8; *Deut.* xxv, 17, 18. regis Amalecitarum, qui tempore Moysis quosdam filiorum Israel in deserto occidit, et matres eorumdem filiis suis privavit. *Sic absque liberis erit inter mulieres mater tua,* id est, tu quoque nunc interficieris : quo facto, mater tua absque filiis erit. Dicunt autem nonnulli, quod mater hujus Agag jam inter alios Amalecitas fuit occisa. Sicque per verba ista insinuatur, quod nullus ex filiis illius esset superstes,

A ipso Agag occiso : quia etsi habuit alios, jam fuerunt occisi. *Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* Non simpliciter concidit eum in frusta, sed coram Domino fecit hoc, id est virtuose et zelo justitiæ, non ex crudelitate aut amore inordinatæ vindictæ. Nam sicut fecerat Agag, sic factum est ei.

Abiit autem Samuel in Ramatha, Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa, et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ. Quod ait, Usque ad diem
B mortis suæ, referri potest tam ad mortem Samuelis, quam Saulis. Potest quoque intelligi vel inclusive, vel exclusive. Sed quocumque horum intelligatur modorum, non videtur posse verificari, quum infra scriptum sit, quod Saul cum ceteris prophetavit coram Samuele. 1 *Reg.* xix, 24. Ad quod respondetur, quod Samuel vidit tunc Saulem non in regio apparatu, sed prophetica dispositione. Insuper Saul morti vicinus, vidit Samuelem suscitatum ad horam, *Ibid.* xxviii, 14. si tamen vere in sua persona apparuit; et Samuel
C Saulem vidit. Alii quoque dicunt, quod Saul cum ceteris venit ad Samuelem in extremis laborantem, quum infra scriptum sit : Mortuus est autem Samuel, et congregatus est ad eum universus Israel. *Ibid.* xxv, 1. Sed istud non videtur verum, quia congregatio illa potius facta est ad sepeliendum honorifice Samuelem. Potest etiam dici, quia quod modicum est, pro nihilo reputatur. Unde, si postea vidit eum, hoc fuit quasi in transcursu seu incidentaliter et sine affatu. *Verumtamen lugebat Samuel Saul,*
D *quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset regem Saul super Israel,* id est, peccata Saulis deflevit, et ipsum propter sua peccata, per quæ meruit ita reprobari a Domino; et ita quem increpavit in publico, deploravit in abdito : quo constat, quod ex caritate prodiit increpatio illa.

Digitized by Google

ARTICULUS XXX

DE TROPOLOGIA EJUSDEM CAPITULI QUINTIDECIMI.

PER Amalec designantur dæmones et A tyranni, hæretici et omnes iniqui, qui impugnant filios Israel ex Ægypto egressos, in deserto ac solitudine exsistentes, id est electos et bonos vitia sæculi relinquentes, seu religionem ingressos : qui in deserto, id est in abstractione et secreto pœnitentiæ, ascendunt ad terram æternæ hereditatis seu cœlestis promissionis, de qua dicitur :
Ps. xxvi, 13. Credo videre bona Domini in terra viventium. Præcepit ergo Dominus principibus et prælatis, ut talibus Amalecitis inferant pugnam, et quidquid vitiositatis in ipsis B est, demoliantur, atque ipsorum confutent errores, persecutionesque superent, et tentamenta elidant : imo quæ pretiosa reputantur ab illis, penitus aspernentur, videlicet prospera mundi, honores, opes, delicias, nec ullo modo cum ipsis communicent in peccatis. Itaque Saul, id est principes et prælati, imo et cuncti vere Christifideles, contra illos tendunt insidias in torrente,
Eccli. xv, 3. id est in profluvio lacrimarum, in aqua sapientiæ salutaris, in consideratione dominicæ passionis, quia per hæc separant C acies vitiorum, Satanamque prosternunt, et suæ salutis adversarios vincunt. Dicunt quoque Cinæo, ut ab Amalecitis discedat. Nam inter iniquos commorantur communiter aliqui boni, quibus est persuadendum, ut a periculosa se retrahant societate, et ad minus mente elongentur ab illis, ne
Ps. xvii, 27. cum perversis pervertantur.

At vero per hoc, quod Saul pepercit Agag regi, et melioribus Amalecitarum pecoribus, et rebus eorum pretiosis, datur intelligi, quod hi qui aliis præsunt, fre- D quenter periclitantur, dum ad ea quæ mundi sunt, immoderate afficiuntur, atque hominibus placere desiderant, et propria commoda quærunt, imo magnatibus adulantur : sicque vel amore vel timore aut cupiditate seu desiderio propriæ laudis, omittunt fraternæ correptionis implere præceptum, et huic sæculo conformantur. Hinc tales prælatos ac principes reprobat Dominus, eo quod non sint ei plene fideles, et pœnitet eum quod ipsos in officiis prælaturæ locaverit. Ipsi vero frequenter arbitrantur se justos, et si corripiantur, mox se excusant et indignantur, aliosque inculpant. Malunt tamen se superficialiter humiliare, quam de stationibus suis expelli. Præterea unicuique qui in promotionis suæ primordio fuit humilis, procedenteque tempore videns se quasi radicatum in præsidentia, assumit sibi arrogantiæ cornua, dici potest : *Nonne quum parvulus esses in oculis tuis, caput in Israel factus es?* Nunc autem, quia extollis te, reprobari a Domino promereris. Unde in Ecclesiastico legitur : Sedes ducum super- Eccli. x, 17.
borum destruxit Dominus, et sedere fecit mites pro eis.

Insuper docemur ex isto capitulo, quantæ excellentiæ sit virtus obedientiæ, quæ et in religiosis potissime commendatur. Imo, quemadmodum universi qui præsunt, volunt sibi a suis subditis obtemperari ; sic ipsi in primis cum omni reverentia ac diligentia divinis obediant jussis, et sibi commissos ad idem inducant : quos et a transgressionibus districte cohibeant, ne involvantur eorum excessibus ; nec irrationabilibus vulgi suggestionibus acquiescant.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : DIXITQUE DOMINUS AD SAMUELEM.

REPROBATIONE Saulis recitata, nunc A describitur substitutio electi regis pro illo. *Dixitque Dominus ad Samuelem : Usquequo tu luges Saul,* id est, reprobationem ejus a regni dominio defles, compatiendo amotioni ipsius, *quum ego projecerim eum, ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo* tali, quali inungi solent reges atque pontifices, ut dictum est plenius in expositione superiorum ; *et veni* ad me spirituali accessu per promptitudinem cordis, *ut mittam te ad Isai Bethlehemitem,* hoc est civem et habitatorem B oppidi Bethlehem. Superius dictum est,
1 *Reg.* x, 1. quod Samuel unxit Saulem oleo lenticulæ, quæ est vas fictile : quod mystice factum videtur, ad præfigurandum instabilitatem et fragilitatem regni Saul. David vero ungi jubetur oleo cornu, ad præsignandum regni sui soliditatem, quoniam cornu vas solidum est. Oleum tamen fuit ejusdem speciei, quia in utrisque fuit eadem specie dignitas regia. *Providi enim in filiis ejus mihi regem. Et ait Samuel : Quomodo vadam?* quasi dicat, Periculosum est C mihi hanc exsequi jussionem, nisi tu provideris, et congruentem mihi ostenderis modum. *Audiet enim Saul,* quod alium unxerim regem, *et interficiet me,* nisi tu protexeris me. Hoc Samuel dixit, non diffidenter aut temere asserendo, aut mortem superflue formidando, sed prudenter conjiciendo, quia probabile erat secundum humanam considerationem, quod sic eveniret. *Et ait Dominus : Vitulum de armento tolles in manu tua,* id est tecum duces, *et dices : Ad immolandum Domino* D *veni.* Hoc ita erat. Fuit tamen et alia causa principalior, quam caute subticuit. Veritas quippe interdum rationabiliter occultatur, quamvis falsitas nunquam sine culpa proferatur. *Et vocabis Isai ad victimam,* ut ipse et filii ejus intersint oblationi, *et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque monstravero tibi.*

Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem. Et admirati sunt seniores civitatis Bethlehem, de hoc quod Samuel venit ad eos, *occurrentes ei* cum reverentia. Mirabantur autem, tum quoniam solitarie venit, aut cum paucissimis, tum quoniam raro venerat illuc. Siquidem sanctus et senex Propheta non consuevit quoquam pergere, nisi ex ardua causa. *Dixeruntque : Pacificusne est ingressus tuus?* Hoc interrogaverunt, timentes ne eum suscipiendo, offenderent regem quem sciebant non bene stare cum Samuele. Vel metuebant quod missus esset a Deo vel a rege, ad increpandum vel ad denuntiandum adversa. *Et ait : Pacificus.* Quasi dicat : Non imminet vobis periculum ex meo adventu. *Ad immolandum Domino veni. Sanctificamini,* id est, ad devotionem specialem vos præparate per orationes, vestium lotiones, continentiam a conjugibus, aut simili modo consueto in lege ; *et venite mecum, ut immolem* in excelso : quod licuit Samueli, quamvis sacerdos non fuerit, sed Levita, ex dispensatione divina. *Sanctificavit ergo* Samuel *Isai et filios ejus,* adspergendo eos aqua lustrationis, et orando pro ipsis, exhortando eos ad devotionem, *et vocavit eos ad sacrificium,* quod et pro ipsis specialiter immolavit.

Quumque ingressi essent Isai et filii ejus coram altari, ut quidam exponunt, vel potius locum secretum in domo Isai, ut ibi fieret unctio regis occulte, *vidit* Samuel

Digitized by Google

ipsum *Eliab, et ait: Num coram Domino* A *est christus ejus?* id est, nonne iste coram Deo mihi adductus, est electus a Deo in regem? Hoc enim Samuel æstimavit, quoniam Eliab fuit primogenitus Isai, et elegantior ceteris in statura. Ideo, sicut de I Reg. x, 24. Saul proceræ staturæ dixerat populo, Certe videtis quem elegit Dominus, quia non est similis ejus; ita putavit de Eliab. *Et dixit Dominus ad Samuelem.* Qualiter dixit Dominus Samueli verba sequentia in aliorum præsentia? Non dubium quin per angelum; sed an angelus foris apparuit Samu- B eli, et verba extra sonantia protulit, an potius intra ipsum loquebatur in visione imaginaria seu intellectuali, non est adeo certum. Credibile tamen est, quod intra loquebatur ad aures ejus mentales : quo dato, tenendum est, quod etiam Samuel prætacta verba dixit, id est, intra se cogitavit et interiori ejus interrogationi angelus in persona Dei apparens et loquens, respondit. *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus,* id est, non sic reputes apparatum suæ faciei virilem, et C sublimem suæ personæ staturam, ut inde arbitreris eum electum in regem; *quoniam abjeci eum,* id est, decrevi eum ab hac eminentia regia repellendum : et forsan pro tunc fuit vitiosus, imo ex sequenti Ibid. xvii, 28. capitulo elucescit, quod satis elatus erat et iracundus, sicut patebit. Magister tamen in historiis ait : Videns Eliab primogenitum procerum et optimum, existimavit futurum regem. Sed optimus, accipitur ibi pro eleganti.

Nec juxta intuitum hominis ego judi- D *co,* id est, sententiam de dignitate aut indignitate, bonitate aut pravitate rerum, præsertim rationalium creaturarum, non profero secundum exteriorem earum dispositionem. *Homo enim videt ea quæ parent,* id est apparent forinsecus : quæ primo apprehendit per sensum exteriorem, deinde per sensum communem et vim imaginativam, deinceps per cogitativam, et tandem per vim intellectivam; sicque ex cognitione exteriorum, procedit ad interiorum notitiam : in quo processu frequenter decipitur, præsertim quia mens libera est, et auxiliante gratia Dei, potest refrenare ea, ad quæ inclinat natura, et quæ indicant exteriora. Aliqui etiam assumunt sibi forinsecus per industriam aut versutiam signa, quorum signata longe sunt ab interioribus eorumdem, quemadmodum Joab, cum amicitiæ apparatu inimicaliter dixit ad Amasam, Salve, mi frater. Ideo II Reg. xx, 9. scriptum est : Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Eccli. xix, 23. *Dominus autem intuetur cor,* id est cogitationum et affectionum secreta, qui in Apocalypsi fatetur : Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda et renes. Apoc. ii, 23. Hinc ait Salvator : Nolite judicare secundum faciem. Joann. vii, 24. In Proverbiis quoque habetur : Qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit. Prov. xxiv, 12.

Et vocavit Isai Abinadab filium suum secundo genitum, *et adduxit eum coram Samuel, qui dixit: Nec hunc elegit Dominus* ad regnandum. Hoc Samuel ex revelatione cognovit, sicut de ceteris non electis ad regnum. *Adduxit autem Isai Sammaa, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuel.* Si Isai adduxit septem filios suos coram Samuele, excepto David, ergo habuit filios octo, quum tamen primo Paralipomenon libro non nisi septem filios habuisse legatur. I Par. ii, 13-15. Respondetur, quod hic inter filios Isai computatur Nathan, seu (ut alii dicunt) Jonathan filius Sammaa filii Jesse *, quem filium Sammaa adoptaverat sibi ipse Isai in filium, et eum inter proprios filios enutrivit. *Et ait Samuel ad Isai : Non elegit Dominus ex istis. Dixitque Samuel ad Isai : Numquid jam completi sunt filii,* id est plenarie coram me præsentati? *Qui respondit : Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, et adduc eum. Nec enim discumbemus,* id est, non ponemus nos ad edendum, *priusquam huc ille veniat.* Sciebat equidem illum electum esse in regem, et voluit eum jejuno stomacho

* Samma filii Isai.

Digitized by Google

ungere, et ante refectionem præceptum Dei implere.

Misit ergo et adduxit eum. Erat autem rufus, id est rubicundus, *et pulcher adspectu, decoraque facie.* Fuit equidem elegantis complexionis atque egregiæ indolis, et per elegantiam naturalium eminenter dispositus ad bonitatem eximiam gratuitorum. *Et ait Dominus* Samueli : *Surge.* Exspectando namque adventum David, sedebat; et unctio illa fieri debuit, cum devotione et reverentia, stando. *Et unge eum, ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus. Et directus est Spiritus Domini a die illa in David, et deinceps,* id est, ab illa hora infusus est ei Spiritus Sanctus, quantum ad gratiæ incrementum, et quoad specialia quædam bona. Hieronymus vero et Josephus dicunt, quod spiritus prophetiæ cœpit ex hac hora esse in David. Quidam vero specialiter istud exponunt de gratia fortitudinis, qua hucusque Saul prævaluit hostibus, et deinceps cœpit esse in David. Potius autem reor esse intelligendum de infusione Spiritus Sancti, quantum ad dona seu incrementa gratiæ gratum facientis et gratiæ gratis datæ, per quæ David de die in diem magis aptus reddebatur ad regnandum. Non enim unctus fuit in regem, quatenus mox regnaret, sed ut tempore opportuno rex esset; nec adhuc habuit jurisdictionem regalem ad populum. *Surgens autem Samuel, abiit in Ramatha.*

Spiritus autem Domini recessit a Saul, id est, Deus dona quædam Spiritus Sancti subtraxit Sauli, cui jam ante ablata erant charismata gratiæ gratificantis; sed ex nunc privatus fuit etiam gratia naturalis discretionis atque constantiæ; *et exagitabat eum spiritus nequam a Domino,* id est, diabolus permissione divina et justo Dei judicio inquietavit et vexavit Saulem. *Dixeruntque servi Saul ad eum : Ecce spiritus Domini malus,* puta diabolus, quantum ad suam naturam a Deo creatus, et divinæ justitiæ subserviens, malus vero ex propria voluntate. Itaque, spiritus Dei ratione creationis et acceptæ potestatis, malus vero per potestatis abusum et corruptam in cunctis intentionem, *exagitat te. Jubeat dominus noster rex, et servi tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem bene psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras. Et ait Saul ad servos suos : Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me. Et respondens unus de pueris,* id est ministris, *ait : Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere,* id est in cithara melodizare, *et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum; et Dominus est cum eo.* In verbis his David multipliciter commendatur, tam ab excellentia naturalium, quam a donis gratuitis; videlicet a fortitudine corporis, ab audacia seu magnanimitate cordis, a prudentia in sermone, et a pulchritudine corporali; a donis quoque gratuitis, quum dicitur, Et Dominus est cum eo.

Circa hæc recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod puer hæc recitans, fuit Doeg principalis inter famulos Saul, qui jam concepit odium contra David, et eum sic commendavit, quatenus Saul in sua vesania ipsum sibi adductum occideret. Unde in commendatione David aliquid addidit quod non videtur verum, dicendo, Et virum bellicosum, quia adhuc juvenis erat, propter quod Saul postea dixit ei : Non vales resistere Philistæo isti, quia puer es. Sed istud videtur ad fabulas pertinere Judaicas, quum quotidie multi coram Saul adsisterent quos non invasit. Nec pro tunc verisimile fuit, quod illum specialiter trucidaret, a quo specialiter refocillationem et liberationem accepit. Argumentum quoque prætactum non videtur idoneum, quoniam in Scripturis juvenes sæpe viri vocantur, quemadmodum infra libro secundo decem armigeri Joab juvenes appellantur, de quibus constat, quod ultra vicesimum annum erant. Viri autem secundum veteris Testamenti scripturas vocantur, qui vicesimum annum sortiti sunt. Denique

I Reg. xvii. 33.
II Reg. xviii. 15.
Num. i, 3.

paulo post in isto fertur capitulo, quod Saul dilexit ipsum David nimis, et factus est armiger ejus. Dicebatur autem David vir bellicosus, loquendo de præliis justis, quæ præcipue ordinantur ad bonum rei publicæ : ad quæ zelo justitiæ fuit bonus, et strenuus in eisdem. Verumtamen de isto nil assero, quia et S. Hieronymus prætactam opinionem Hebræorum approbare videtur, nisi forsan recitative loquatur. Potius tamen reor, quod puer iste fuit amator ipsius David, et promotor ipsius ex corde.

Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens : Mitte ad me David filium tuum qui est in pascuis. Tulit itaque Isai asinum plenum, id est bene oneratum, *panibus,* quibus fecit illum asinum onerari, *et lagenam vini, et hœdum de capris, et misit per manum David filii sui Sauli :* ne in conspectu regis vacuus appareret, et illa erant quasi jocalia sive encænia. *Et venit David ad Saul, et stetit coram eo. At ille dilexit eum nimis, et factus est armiger ejus. Misitque Saul ad Isai, dicens : Stet David in conspectu meo. Invenit enim gratiam in oculis meis. Igitur quandocumque spiritus Dei malus arripiebat Saul,* qui per temporum intervalla vexabatur velut phreniticus, *David tollebat citharam,* id est, in manu eam accepit, *et percutiebat manu sua* citharæ chordas; *et refocillabatur Saul, et levius ferebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.*

Circa hoc quæritur, an virtute citharizationis aut symphoniæ fugentur dæmonia, et obsessi refocillentur. Videtur quod imo, quia (ut apparet) Glossa hoc sentit, allegando Boetium, recitantem quod quidam philosophus tactu citharæ fugavit ab obsesso quodam dæmonium. Magister quoque in historiis ait hic : Tradunt mathematici, quod multi dæmones harmoniam ferre non possunt, et quandoque nulli. Insuper in libro Tobiæ Raphael protestatur, quod je-
Tob. VI, 8. cur seu cor piscis quem dejecit Tobias, fumo suo expellit omne dæmonum genus a viro seu femina. Et circa hoc in Scholastica fertur historia : Nec super hoc mirari debemus, quum fumus cujusdam arboris adustæ, eamdem vim habere perhibeatur. Præterea in libro Confessionum loquitur Augustinus : Omnis affectus, spiritus et natura, proprios habent motus seu modos in cantu, quorum occulta familiaritate excitantur. Melodia igitur, quæ naturali virtute alterat passiones animæ, sic immutare potest hominis dispositionem, quod dispositio illa passiva, qua disponitur ad recipiendam dæmonis vexationem, tolletur, sicque cessabit in homine talis afflictio. Amplius, Josephus libro de Judaico bello narrat fuisse in exercitu Titi, obsidentis urbem Jerusalem, virum quemdam, qui per lapidem annulo inclusum, expellebat dæmonia ab obsessis. Postremo, ad idem videtur sacra Scriptura conferre, hoc loco asserens manifeste, quod ad sonitum citharæ recessit dæmon a Saule.

In oppositum tamen arguitur, quia quum dæmones sint incorporales et spirituales substantiæ, non sunt susceptivæ immutationis ab objectis sensibilibus atque corporeis. Iterum, de diabolo scriptum est,
quod non sit potestas super terram quæ *Job* XLI, 24.
comparetur ei. Non ergo potest refrenari aut expelli virtute sonorum aut consimilium naturalium rerum. Glossa quoque ex verbis Isidori ait : Non propter citharæ sonum recessit diabolus, sed propter citharæ mysterium, quoniam crucem Christi significat. In cithara quippe est lignum, et chorda superextensa; et lignum exprimit crucem, chorda carnem Salvatoris in cruce distentam : cujus rei significatio, virtus et apprehensio terruerunt diabolum. His rationibus consentiunt multi, dicentes, quod si dæmones essent animalia, corpore aerea, animo passiva, mente rationalia, tempore perpetua, ut dixerunt Platonici, dici posset quod ex melodia, fumo et consimilibus immutarentur et fugarentur; sed quum sint immateriales, sensibilia et corporalia non possunt in eos imprimere.

Sed objici potest, quod in gemmis sunt miræ et occultissimæ vires imprimentes in animam rationalem, et disponentes eam

Digitized by Google

ad scientiam et virtutes. Denique quamvis A sensibilia directe non imprimant in substantias spirituales, tamen dum applicantur ad agendum aliquid circa eas, ipsæ substantiæ tales separatæ cognoscunt vires illorum, ex quarum apprehensione, et secreta ac cœlesti virtute, causantur in eis diversi effectus. Certum est enim, in rebus naturalibus et materialibus esse quamplures vires actionum primarum qualitatum omnino supergredientes, quas ex secretis influentiis atque respectibus cœlestium corporum sortiuntur, in tantum B quod vires illæ sunt quodammodo spirituales, prout Guillelmus Parisiensis in libro de Universo, Alkindus quoque astrologus libro de Radiis stellicis docent. Insuper rationabiliter dicitur, quod quum melodiæ habeant vim lætificativam in multis, et multum sibi alliciant audientis attentionem, possunt in arrepticiis et obsessis causare dispositiones et affectiones, per quas minus subjiciantur impressionibus dæmonum, et eorum vexationes minus advertant. Præterea sicut ait Petrus Comestor, C physici dicunt, quod harmonia lætum efficit lætiorem, et tristem tristiorem. Verum ex hoc sequi videtur, quod Saul ex sua vexatione mœstus, ex citharizatione fuisset mœstior factus. Ad quod respondetur, quod dictum illud physicorum intelligendum sit de læto et tristi ex complexione, non de tristi ex superinducta vexatione.

Sensus moralis. Postremo, moraliter docemur ex isto capitulo, quod justi debeant alios moderate deflere, non nimis intense aut diuturne, præsertim propter mala pœnalia, temporaliave adversa : imo divino judicio debeant se sapienter conformare, certi quia quem Deus spernit, nemo corrigere potest. Rursus patet ex isto capitulo, quod ea quæ alios possunt inflammare ad iram, superbiam et persecutiones justorum, caute celanda sint. Ex hoc demum, quod Samuel dixit, *Sanctificamini, et venite mecum ut immolem,* innotescit, quantum se debeant ad devotionem ac cordis munditiam præparare, qui celebrationi cupiunt interesse, potissime qui volunt communicare. Simili modo ex hoc quod Dominus dixit ad Samuelem, *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus,* instruimur non multum ad naturalia dona attendere, sed ad gratiarum charismata, et eos magis diligere, qui virtuosiores esse censentur, neque ob naturalium elegantiam alicui inordinate aut sensualiter affici. Amplius, per Saul a dæmone tribulatum, designatur quicumque iniquus a quo discessit Spiritus Sanctus. Propter quod suis passionibus ac vitiis tanquam dæmonibus agitatur. Per David vero citharistam, notatur quicumque homo devotus, cui Dominus linguam contulit eruditam, ita quod verbis bonis, verbis consolatoriis informatoriisque abundat, per quæ tentatos et passionatos ad relevamen et tranquillitatem perducit, implens illud Apostoli : Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Itemque : Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Qui hoc agit, dæmonia multa saluberrime fugat.

Eccle. VII, 14. — *Galat.* VI, 1. — I *Thess.* V, 14.

ARTICULUS XXXII

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : CONGREGANTES AUTEM PHILISTIIM AGMINA SUA.

DESCRIBITUR hic præclara victoria David de Philistæo. *Congregantes autem Philistiim,* id est rex et quinque satrapæ D Philistinorum, *agmina sua* ad faciendum unum totalem exercitum ex particularibus agminibus suis, quibus seorsum præerant

satrapæ, *in prælium convenerunt in Socho Judææ,* id est juxta urbem nomine Socho, pertinentem ad tribum Juda. (Josue xv, 35.) Fuit autem et alia urbs sic dicta ultra Jordanem, de qua in libro Judicum narratur, (Judic. viii, 5.) Dixit Gedeon ad viros Socho *. (* Socoth) *Et castrametati sunt inter Socho et Azeca,* id est inter oppida sic vocata. Estque Azeca urbs, usque ad quam Josue percussit exercitus quinque regum. (Josue x, 10.) *In finibus Dommim.* Dommim quandoque est nomen civitatis in sorte Judæ, quandoque deserti inter Jerusalem et Jericho situati. *Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in vallem Terebinthi :* in qua scilicet valle stetit terebinthus, sub qua Jacob infodit absconditque idola domesticorum suorum, ut legitur in Genesi. (Gen. xxxv, 4.) *Et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philistiim. Et Philistiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat super montem* alium oppositum *ex parte altera; vallisque erat inter eos :* et stetit utraque turba in monte, quatenus ex loco illo eminenti impugnaret adversarios contra se venientes per vallem, ita quod montis præsidium habuisset, per quod facilius oppressisset contra se ascendentes.

Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum nomine Goliath de Geth urbe Philistiim. Circa hoc in Scholastica fertur historia : Iste dictus est spurius, quoniam natus est de patre ignobili, id est gentili, et nobili matre Judæa. Spurius quippe et hybrida dicitur ignobilis ex patre, quemadmodum manzer et nothus ex matre. Alii dicunt, quod manzer appellatur natus de scorto, spurius de concubina, nothus de adultera. *Altitudinis sex cubitorum et palmi.* Palmus dicitur sexta pars cubiti. Cubitus vero continet pedem usualem cum medio, quamvis aliqui dicant, quod duos contineat pedes. Porro, qualiter secundum geometricam artem unus cubitus contineat sex cubitos nostros, expositum est super Genesim. (Ibid. vi, 15.) Itaque Goliath iste fuit de semine giganteo et giganteæ staturæ. *Et cassis ærea,* id est ferrea, erat *super caput ejus :* nam æs pro omni metallo accipitur. Nec cassis fieri solet de ære proprie sumpto, sed de ferro. *Et lorica hamata induebatur,* id est, lorica ferreis laminis cooperta, quatenus imperforabilior esset, nec per ejus foramina pertransiret ensis, sagitta aut spiculum. Hamus autem est ferreum instrumentum, quo pisces capiuntur, et macula seu lamina loricæ : inde hamatum, de hamo factum. *Porro pondus loricæ ejus, quinque millia siclorum æris erat; et ocreas æreas habebat in cruribus, et clypeus æreus tegebat humeros ejus.* Clypeus ille (secundum quosdam) fuit ferrea lamina, descendens a casside usque ad scapulas, et inter eas in acutum procedens ad muniendum collum, connexionemque armorum capitis et corporis. *Hastile autem,* id est stipes, *hastæ ejus, erat quasi liciatorium texentium :* ex quo patet soliditas, fortitudo, complanatio, mobilitas hastæ illius. Est autem liciatorium, lignum circa quod licia involvuntur. *Ipsum autem ferrum hastæ ejus, sexcentos siclos habebat ferri,* id est, tantæ molis, tantique ponderis fuit. *Et armiger ejus antecedebat eum.*

Stansque clamabat adversum phalangas, id est turbas seu agmina, *Israel.* Quamvis enim ex toto populo constabat unus totaliter exercitus, distinguebatur tamen ille exercitus per tribus et cuneos. *Et dicebat eis : Quare venistis parati ad prælium?* quasi dicat, Qualiter audetis vos opponere nobis? seu, Quare vultis generale certamen committere, quum per duellum possit controversia inter nos terminari? *Numquid non ego sum Philistæus?* tanquam dicat, Utique ego de præclara hac natione et plebe sum Philistinorum, et gigas ac pugil eorum. *Et vos estis servi Saul :* ideo non deberetis contra nos convenire, qui jam diu dominati fuimus vestri. *Eligite ex vobis virum, et descendat* de monte in quo statis adversum me, *ad singulare certamen* in valle hac. *Si quiverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi; si autem ego prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis. Et*

Digitized by Google

* aiebat

*ait * Philistæus : Ego exprobravi agminibus Israel hodie,* id est, opprobriose et contemptibiliter locutus sum eis, imponendo ipsis, quod sint servi Philistinorum: quod tanto confusibilius eis est, quanto plus de propinquo hoc irrogatum est ipsis. *Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. Audiens autem Saul et omnes Israelitæ sermones Philistæi hujuscemodi,* id est tam audacia et animosa verba ipsius, seu verba ipsius Goliath tam proceri et fortis, *stupebant* de altitudine suæ staturæ, *et metuebant nimis,* propter fortitudinem, audaciam, ferocitatem, et armaturam ipsius, nec quisquam præ timore audebat contra illum duellum assumere.

David autem erat filius viri Ephratæi, id est de Ephrata, quæ alio nomine vocata est Bethlehem, *de quo supra dictum est, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios :* computato filio filii sui, ut in præcedentis capituli expositione est tactum; *et erat vir in diebus Saul senex* ætate et morum maturitate, sagacitateque animi, *et grandævus,* id est magnæ reputationis et probitatis, *inter viros. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium. Et nomina trium filiorum ejus qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertius quoque Sammaa. David autem erat minimus,* id est ultimus natu, maximus tamen virtute. *Tribus ergo majoribus secutis Saulem, abiit David, et reversus est a Saul ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem.* Præcedenti capitulo dictum est, quod jam ante hæc David factus est armiger Saul : cur ergo non prodiit secum ad prælium ? Respondetur, quod Saul hac vice pepercit ei de hoc, propter adolescentiam ejus, et quia nondum expertus fuerat ejus potentiam in bellicis gestis. In hoc quoque patuit humilitas David, quod post tantam sui apud regem promotionem, acquievit rursus pecora custodire.

I Reg. xvi, 1.

Procedebat ergo Philistæus mane et vespere, hoc est, quotidie bis processit modo prætacto ad exprobrandum populo Israel, A semel mane, et semel de vespere, *et stabat quadraginta diebus.* Tot enim diebus uterque exercitus pro majori sui parte mansit in monte, stans et exspectans, ut pars sua adversa primo in vallem descenderet, et sic eam facilius superaret. Philistæus quoque quotidie opportunis horis stetit cum suis.

Dixit autem Isai ad David filium suum : Accipe fratribus tuis ephi polentæ. Polenta est grana tritici tosta, et manibus confricata, instar grani pilo tusi. Aliqui tamen dicunt, quod polenta sit pulmentum de fa- B rina purgatissima factum. Unde legitur in Josue libro : Comederunt de fructibus terræ, et polentam ejusdem anni. Porro ephi, mensura est trium modiorum, juxta modum illius loci ac temporis. Est itaque sensus, Accipe polentam trium modiorum, ut portes eam fratribus tuis. *Et decem panes istos; et curre in castra,* hoc est, festinanter vade in tentoria seu in agmina Israel, *ad fratres tuos* tres seniores; *et decem formellas casei has deferes ad tribunum,* id est, hos decem caseos parvos atque C recentes dabis principi, sub quo militant fratres tui, ut se habeat favorabiliter circa ipsos, præcavendo pro posse eorum pericula. Præcepit etiam Isai filio suo David, secundum Josephum, ut tolleret secum pignora fratrum, id est libellos repudii, de quibus in Deuteronomio : quia pergentibus ad pugnandum, erat consuetudo dare uxoribus libellum repudii, ut si infra annos tres non redirent, liceret uxoribus nubere aliis viris. *Et fratres tuos visitabis, si recte agant; et cum quibus ordinati sunt, disce.* D *Saul autem et illi,* videlicet fratres David, *et omnes filii Israel, in valle Terebinthi pugnabant adversum Philistiim.* Jam habitum est, quod uterque exercitus stetit in monte, nec generale prælium commiserunt hucusque : quomodo ergo Saul cum omnibus suis pugnavit in valle Terebinthi contra Philistiim? Respondetur, quod quotidie aliqui egrediebantur bellantes, sicque totum a parte denominatur; vel, Pugnabant, id est, ad præliandum se disponebant, et invicem nocumenta aliqua inferebant.

Josue v, 11.

Cf. Hist. Scholast.

Deut. xxiv, 1-3.

Digitized by Google

Surrexit itaque mane David, et commendavit gregem custodi, et onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, id est sic nominatum : sicque Magala est proprium nomen loci. Vel, ut aliqui dicunt, est nomen commune, significans circulum seu fossatum, quia per gyrum exercitus expedit fieri aliquam fossam, qua contra adversariorum repentinam et improvisam impugnationem muniatur, et aliquo modo tutetur. *Et ad exercitum, qui egressus ad pugnam, vociferatus erat in certamine,* quemadmodum in congressibus solet vociferatio exhortationis ad prælium fieri. Ex quo constat, quod singulis diebus quidam hinc inde egrediebantur ad pugnam. *Direxerat enim aciem Israel ; sed et Philistiim ex adverso fuerant præparati. Derelinquens ergo David vasa,* id est instrumenta seu modios polentæ et consimilia, scilicet panes et caseos, *quæ attulerat :* derelinquens, inquam, *sub manu custodis ad sarcinas,* quia commisit ea alicui custodienda in loco ubi talia custodiebantur, *cucurrit ad locum certaminis,* quia ultra castra fuerat, *et interrogabat si,* id est an, *omnia recte agerentur erga fratres suos.*

Quumque adhuc ille loqueretur eis, scilicet fratribus suis inventis, vel, *eis* quos interrogavit, *apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philistæus de Geth, de castris Philistinorum. Et loquente eo,* utpote Goliath, *hæc eadem verba,* quibus ante exprobravit filiis Israel, *audivit David* exprobratorem illum tam arrogantem. *Omnes autem Israelitæ quum vidissent virum, fugerunt a facie ejus, timentes eum valde :* id est, nullus eorum audebat contra illum procedere, et unusquisque se elongavit ab illo pro posse ; *et dixit unus quispiam,* id est quidam seu quicumque *de* populo *Israel : Num vidisti virum hunc qui ascendit? Ad explorandum enim Israel ascendit. Virum ergo qui percusserit eum,* id est, Goliath istum occiderit, *ditabit rex* Saul *divitiis magnis, et filiam suam dabit ei* uxorem, *et domum ejus faciet absque*
A *tributo in Israel.* Hoc jam promulgatum fuit ex imperio regis, antequam David advenerat, ut fortiores ex Israel animarentur spe præmii tanti ad dimicandum adversus Goliath.

Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens : Quid dabitur viro qui percusserit Philistæum hunc, et tulerit opprobrium de Israel? id est, populum Israeliticum per suum triumphum liberaverit ab improperiis et irrisionibus Philistæi istius. *Quis est enim hic Philistæus incircumcisus, qui*
B *exprobravit acies Dei viventis?* Ista protulit David zelo fidei et æmulatione justitiæ, atque amore boni communis, et tanquam rex motus est, contemnens impium illum corde magnanimo, quemadmodum scriptum est : Ad nihilum deductus est in con- *Ps. xiv, 4.*
spectu ejus malignus. Ac si dicat : Infidelis iste idololatra, nimis vilis et detestabilis est ad injuriandum sic plebi fideli verum Deum colenti, cujus injuria in Deum redundat. Denique David tam diligenter inquisivit de mercede victori Goliath præ-
C standa, non quod intuitu terrenæ remunerationis aut amore temporalis honoris, principaliter incitabatur ad pugnandum contra Goliath, sed zelo divini honoris ac boni communis; secundario autem et concomitanter amore præfatæ remunerationis, præsertim quia a Deo etiam movebatur ad hoc. *Referebat autem ei populus eumdem sermonem, dicens : Hæc dabuntur viro qui percusserit eum.*

Quod quum audisset Eliab frater ejus *I Reg. xvi, 6.*
major, videlicet primogenitus, *loquente eo*
D *cum aliis, iratus est contra David,* formidans quod David juvenili audacia arriperet contra Goliath conflictum et caderet, et ita ex fraterno amore ira illa manavit; *et ait : Quare venisti? et quare dereliquisti paucula illas oves in deserto?* quasi dicat : Utilius tibi esset, quod non venisses, ad quem potius pertinet pauculas pascere oves, quam contra gigantem duellum assumere. *Ego novi superbiam tuam,* qua adspiras ad conjugium filiæ regis. Unde aliqui dicunt, quod Eliab æstimavit ipsum

Digitized by Google

David ex arrogantia motum, eo quod præ ceteris unctus fuit in regem. *Et nequitiam cordis tui, quia ut videres prælium, descendisti,* id est, tam malitiosum et nequam te esse cognosco, quod gloriaris in sanguinis effusione, et in bellis secundum se : propter quod et nunc venisti, ut videas talia. *Et dixit David : Quid feci? Numquid non verbum est?* David prudens et mansuetus adolescens, increpationem acerrimam fratris sui senioris æquanimiter tulit, et commotionem illius cum quadam urbanitate et jucunditate dissimulavit ac pertransivit, dicendo : Quid feci? Numquid non verbum est? ac si dicat : Quo excessu merui tantam correptionem? An non licet mihi modice loqui, et interlocutorie interrogare? Nec adhuc aliud feci nisi quod inquisivi de facto : et interrogatio ista verbum est, non res aut bellum. Cur ergo tantum irasceris super hoc? *Et declinavit paululum ab eo ad alium. Dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus eumdem sermonem sicut prius.*

Audita sunt autem verba quæ locutus est David, et annuntiata sunt verba David *in conspectu Saul.* Quibus auditis, Saul jussit sibi adduci David. *Ad quem quum fuisset adductus, locutus est ei,* scilicet Sauli : *Non concidat cor cujusquam in eo,* id est, nemo vestrum perdat fiduciam aut cadat pavore. *Ego servus tuus vadam et pugnabo adversus Philistæum. Et ait Saul ad David : Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es,* id est adolescens, et necdum ad robur virilis ætatis perductus, nec expertus multum in armis. *Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.*

Dixitque David ad Saul : Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, id est leo et ursus, ut ex consequentibus constat, *et tollebat arietem,* id est duos arietes, scilicet quilibet unum, *de medio gregis; et persequebar eos et percutiebam,* id est, interficiebam eos, *eruebamque de ore eorum :* quod fuit per supernaturale robur atque auxilium Dei exhibitum

A David. Quocirca scribit Hieronymus, quod David ex hoc concepit audaciam, quoniam Spiritum Sanctum accepit, expertus adjutorium Dei in suffocatione leonis et ursi. Verumtamen ubi et quando hoc factum sit, ignoratur, nec Scriptura hoc docet. Nihilo minus puto quod factum sit, postquam David unctus fuit in regem, quia ex tunc gratia fortitudinis corporalis ac spiritualis data est ei. Imo ex tempore illo cœpit anagogicos motus, ardentissimosque affectus habere in Deum, et per sapientiam uniti-
B vam ac mysticam theologiam contemplari divina. *Et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus. Erit ergo et Philistæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam, et auferam opprobrium populi. Quoniam quis est iste Philistæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis? Et ait David : Dominus qui eripuit me de manu,* id est potestate invasioneque, *leonis, et*
C *de manu ursi, ipse liberabit me de manu Philistæi hujus.* Secundum Hieronymum, catholicosque doctores, David ex revelatione divina præscivit se triumphaturum in isto conflictu : ideo verba ista et alia quæ in littera continentur, non solum sunt verba bonæ spei, sed certitudinis absolutæ.

Dixit autem Saul ad David : Vade, et Dominus tecum sit, dando tibi victoriam. Ex hoc aliqui opinantur, quod etiam Saul ex revelatione cognovit, quod David prævaleret. Verumtamen hoc ex verbis istis
D non sequitur, nec præcedentia verba hoc sonant. Nam statim ante hæc verba dixerat Saul : Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es. Attamen ex verbis David prætactis saltem concepit quamdam fiduciam. *Et induit Saul* ipsum *David vestimentis,* hoc est armis *suis, et imposuit galeam æream super caput ejus,* etc. *Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cœpit tentare, si posset armatus incedere. Non enim habebat consuetudinem.* Ex hoc inferunt qui-

Digitized by Google

dam, quod David jam fuit vir, ac virilis A staturæ. Alioqui Saul non induisset eum arma sua, præsertim quum Saul fuerit magnæ staturæ. Alii dicunt, quod ista fuerunt arma Saul, non quia corpori suo serviebant : sic enim non convenissent ipsi Da-
1 Reg. x. 23. vid, eo quod Saul ab humero omnibus emineret; sed quia erant accepta de armamentario regis. *Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere.* Ex hoc videtur, quod erant propria arma Saul. Propter quod David dixit sibi non competere ea, quia et valde gravabant eum. Isidorus etiam et Ri- B chardus affirmant, quod David præ ætate et parva statura non poterat portare arma Saul. Ex quo apparet, quod erant propria arma Saulis. Aliam quoque tangit rationem, subdendo : *quia non consuetudinem habeo,* esse et ire in armis. *Et deposuit ea, et tulit baculum quem semper habebat in*
* manibus *manu* *, hoc est virgam seu baculum suum pastoralem, quem omni tempore opportuno consuevit habere in manibus, dum gregem pascebat. Vel, Semper, quia illum habebat consuetudinarie in manu, et non C alium. *Et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente,* id est saxa clara, rotunda, et plana, non angulata, quoniam talia saxa rectius celeriusque moventur, dum projiciuntur; et juxta ripam torrentis, vel in fundo siccato jacebant; *et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum,* in qua victui necessaria deportavit, dum exivit cum grege ad pascua, *et fundam manu tulit, et processit adversum Philistæum.*

Ibat autem Philistæus, incedens et ap- D *propinquans adversum David, et armiger ejus ante eum. Quumque inspexisset eum Philistæus, et vidisset David, despexit eum. Erat autem adolescens rufus et pulcher adspectu. Et dixit Philistæus ad David : Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo?* quasi dicat : Stultissime agis, quod inermis contra me, quasi contra canem venis cum baculo, non cum ense, quum ego non sim canis, sed fortissimus expertissimusque pugnator. *Et maledixit Philistæus David in diis suis,* hoc est, per invocationem et virtutem deorum suorum imprecabatur ipsi David mala pœnalia. *Dixitque ad David : Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cœli et bestiis terræ. Dixit autem David ad Philistæum: Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo ; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie. Et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te. Et dabo cadavera castrorum Philistiim hodie volatilibus cœli et bestiis terræ, ut sciat omnis terra, quia est Dominus Deus in Israel; et noverit universa ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus. Ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras.*

Quumque surrexisset Philistæus, et veniret et appropinquaret contra David, festinavit David, et occurrit ad pugnam ex adverso Philistæi. Et misit David *manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit, et circumducens, percussit eum in fronte. Et infixus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem suam super terram.* Ex hoc apparet, quod uno jactu David occidit Goliath. Magister tamen in historiis dicit, quod in eodem vulnere percussit Philistæum secundo lapide, deinde et tertio, ita quod tertio jactu et saxo illum dejecit. Unde et glossa quædam super Matthæum disseruit, quod sicut David vicit Goliath tribus lapidibus, sic Christus diabolum tribus tentationibus. Præterea quæritur, qualiter potuit David Goliath capite armatum, in fronte contingere. Ad quod quidam Judæi respondent, quod ferrum galeæ cessit lapidi miraculose. Alii dicunt, quod galea circa frontem fuit discooperta. Hinc in Scholastica fertur historia : Fabulantur quidam Judæi, quod ferrum galeæ et loricæ obsequium præstitit Deo, locum dans lapidi, ut intraret ad hominem occidendum. Propter quod circumcisio deinceps facta est cultello ferreo, quæ prius fiebat petrino. Hæc ibi. *Prævaluitque Da-*

vid adversum Philistæum in funda et lapide, percussumque Philistæum interfecit. Quumque gladium non haberet in manu David, cucurrit et stetit super Philistæum, et tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua, et interfecit eum Goliath gladio suo, quem de vagina extraxit, *præciditque caput ejus.*

Videntes autem Philistæi quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. Et consurgentes viri Israel et Juda, vociferati sunt, et persecuti sunt Philistæos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accaron. Cecideruntque vulnerati de Philistiim in via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron. Et revertentes filii Israel, postquam persecuti fuerant Philistæos, invaserunt castra eorum, id est, bona eorum quæ reliquerunt in tentoriis, diripuerunt. *Assumens autem David caput Philistæi, attulit illud in Jerusalem,* non hac vice, sed postea diu quando Jebusæos in arce Jerusalem habitantes voluit perterrere, ut dicitur. Unde ad incutiendum eis timorem, monstravit eis caput gigantis, quem divina prostravit virtute. Nam illi in fortalitii sui firmitate gloriabantur. *Arma vero ejus posuit in tabernaculo suo.* In Hebræo, ut dicitur, non habetur, Suo; sed simpliciter, In tabernaculo : idcirco exponitur de tabernaculo Domini, in quo, in signum divinæ victoriæ, posuit arma illa. Unde et postea accepit ab
1 *Reg.* xxi, 9. Achimelech pontifice ensem Goliath. Vel forsan ad tempus posuit ea in domo sua, deinde in tabernaculo.

Eo autem tempore quo vidit Saul egredientem David contra Philistæum, ait ad Abner principem militiæ suæ : De qua stirpe descendit hic adolescens? Dixitque Abner : Vivit anima tua, rex, si novi, id est, quam verum est, quod tu, domine rex, vivis, tam verum est, quod istud ignoro. *Et ait rex : Interroga tu, cujus filius sit iste puer. Quumque regressus esset David, percusso Philistæo, tulit eum Abner, et introduxit coram Saule, caput Philistæi in manu habentem. Et ait ad eum Saul : De*

A *qua progenie es tu, o adolescens? Dixitque David : Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.* Hoc Saul toties tamque sollicite interrogavit non solum ex admiratione tam strenui facti, sed specialiter, quoniam filiam suam promisit dare victori Goliath ; et quum esset valde superbus, anxius erat, ne cogeretur eam dare uxorem ignobili; sed cognito quod David esset de nobilissima tribu Juda, et filius Isai viri famosi ac nobilis, fuit gavisus atque contentus. Præterea mirum apparet, quod nec Saul nec Abner B cognovit ipsum David, quum tamen non diu ante multis diebus fuerit in regis palatio, imo in regis adspectu. Ad quod quantum ad Saul, datur responsio, quod ex frequenti sua exagitatione a spiritu malo, factus fuit modicæ debilisque memoriæ, et vis ejus imaginativa fuit non parum impedita a sua cognitione. Atque ut Glossa tangit ex verbis Augustini, interim quod David a Saul recesserat, creverat sua barba, quam nec Judæi tunc abradebant : ideo cito immutavit dispositionem apparatum- C que vultus. Insuper Saul et Abner fuerant quotidie in multis et arduis occupati, propter quod particularis personæ poterant faciliter oblivisci : imo de Abner probabile est, quod propter bella undique imminentia, raro fuerit domi, et ita raro aut nunquam viderat ipsum David in regis palatio.

Postremo, quia in isto capitulo facta est mentio de David et Goliath duello, oritur quæstio, an duellum sit licitum : et videtur quod imo, auctoritate Scripturæ istius et D sancti David exemplo. Præterea sancti principes, ut Carolus Magnus, et sanctus Ludovicus, duella sustinuisse et approbasse videntur. Amicus quoque optimus miles, pro Amelio suo carissimo assumpsit duellum. In oppositum est doctrina Ecclesiæ, et jura quamplura.

Et respondendum, quod secundum Ostiensem, Gaufredum, Durandum ac alios, duellum proprie est bellum duorum contra se invicem pro veritatis ostensione assumptum, ita ut qui vicerit, justus appa-

Digitized by Google

reat ; qui victus fuerit, reus putetur : et istud duellum, dicitur omnino esse illicitum etiam inter vulgares. Nam quamvis David cum Goliath duellum inierit, non tamen est hoc sumendum pro lege : quia ut Hieronymus ait, privilegia paucorum communem legem non faciunt. David quoque ex dispensatione et revelatione divina hoc fecisse credendus est. Ideo vero illicitum Deut. vi, 16; Matth. iv, 7. est, quia est contra illud præceptum, Non tentabis Dominum Deum tuum. Verumtamen alii quidam distinguunt, quia aut offert quis duellum, aut suscipit. Et si offert aut suscipit, aut suscipit illud sponte, aut judicis auctoritate et injunctione. Itaque dicunt eos peccare mortaliter, qui offerunt aut suscipiunt duellum spontanee; eos vero excusari a culpa, qui suscipiunt illud judice sententiante, quum aliter nequeant periculum corporis sui aut rerum suarum damna evadere. Tertia demum est opinio dicentium, quod omnes isti peccant mortaliter, quamvis non æque enormiter, quoniam culpa ejus qui invite suscipit illud judice judicante, extenuatur pro magna parte ; deinde plus peccat, qui sponte suscipit illud ; maxime vero, qui præbet. Similiter peccant mortaliter judices illud fieri judicantes, et assessores qui ad hoc consilium, auxilium aut favorem impendunt. Secundæ autem opinioni prætactæ magis consentit Guillelmus, dicens eam rationabilem esse, præsertim dum innocens accusatur ad mortem : qui si duellum sibi oblatum recuset, statim suspendetur. Nam durum videtur tenere, quod talis potius teneatur permittere se suspendi, quam se defendere in duello. Nec talis videtur Deum tentare, quum propter necessitatem vitæ id faciat. Etenim dum humanum deest subsidium, potest homo confugere ad divinum.

Insuper advertendum, quod duellum quandoque communius sumitur, utpote pro singulari bello unius cum alio, sine divini præstolatione auxilii, sed ut per fortitudinem, artem aut fortunam terminetur inter aliquos controversia civilis aut criminalis. Et de hoc duello iterum aliqui dicunt, quod A in nullo casu sit licitum, nec ex parte præbentis, nec ex parte judicantis, neque ex parte suscipientis : quia intentio taliter duellantium, est interficere adversarium suum, quod nulli privatæ personæ est licitum. Ad quod videtur valere illud Augustini in libro de Libero arbitrio : Quomodo arbitrandum est, hos carere libidine, qui pro rebus his gladiantur, quas amittere possunt inviti? Verum ista positio aliis nimis dura videtur. Ideo dicunt, quod si appellato de duello, negetur alia probatio ac B appellatio, possit se licite defendere duellando, tam in causa criminali pro sua vita tuenda, præsertim si innocens sit, quam in causa civili pro suis rebus : quoniam sicut licet alicui pugnare pro corporis sui defensione, ita pro rerum suarum conservatione.

Ad instantiam vero præhabitam dicunt, quod in tali duello directe intenditur propriæ vitæ seu rei suæ defensio, per accidens autem, adversarii interfectio ; et de judicis auctoritate id facit, qui ad duellum est ap- C pellatus. Asserunt tamen isti, quod appellans ad duellum, et judex auctoritatem aut licentiam ad hoc præstans, semper mortaliter peccant. Ad prætactam quoque Augustini auctoritatem respondent, quod loquitur inquisitive, non determinative. Sed quoniam juxta præinducta, aliqui principes justi leguntur admisisse aut concessisse duella, aliqui opinantur, quod duella in aliquo casu a judice possunt sine peccato permitti, sicut dum nobiles superiorem habentes, inter se movent guerram, D et terras suas ac subditos mutuo vastant igne et ferro, unusque illorum alium coram superiore provocet ad duellum, et alius mox suscipiat illud, superior quoque probabiliter æstimet, quod præfata subditorum et innocentium vastatio, per duellum valeat terminari, non videtur peccare tale duellum permittendo : quia habenti curam communitatis, licitum est interdum permittere mala minora, ut vitentur majora.

Hanc opinionem refert et sequitur Lyra, et addit : Huic dicto videtur concordare

Digitized by Google

Thomas in sua Summa, dicendo, quod quando in duello non exspectatur aliquis miraculosus eventus, ut in proposito, tale duellum propinquat ad communem sortium rationem, quibus in aliquibus casibus uti est licitum. Hæc Lyra. Quocirca dubitatio aliquantula oritur, cur more solito non alleget magis determinate, ubi Thomas hoc dicat. An quia non occurrebat memoriæ, vel forsan ex alia causa? Itaque advertendum, quod Thomas in secunda secundæ, quæstione 95, sic scribit : Judicium ferri candentis seu aquæ ferventis, propter percipiendam alicujus occulti notitiam, est illicitum. Primo, quoniam ordinatur ad manifestandum secreta quæ divino judicio reservantur. Secundo, quia non est divina auctoritate sancitum. Hinc in decreto Stephani Papæ prohibetur, ac superstitiosum vocatur. Et est partim simile de duello, præsertim si pugiles sint multum dissimiles virtute corporali aut arte. Alias minus A illicitum esset, eo quod non exspectetur ibi miraculosus effectus, sed magis pertineat ad communem rationem sortium. Hæc Thomas. In cujus verbis non habetur, quod in præhabito casu duellum licite permittatur a judice, sed quod in casu prætacto sit minus illicitum. Ex quo sequi videtur, quod secundum eum etiam in tali casu illicitum sit.

Hæc tamen recitative scripsi, non declinando assertive ad unam positionem istarum potius, quam ad aliam. Verumtamen B quantum ad propositum pertinet de duello sancti David, videtur quod sponte inire duellum contra adversarium fidei, pro fidei defensione, et ad removendum nominis divini blasphemiam, aut contra tyrannum et publicum hostem totius communitatis, pro defensione boni communis, sit licitum atque laudabile : et ita operatus est David. Sic quoque fecisse legitur Heraclius imperator.

ARTICULUS XXXIII

DE MYSTICIS SENSIBUS EJUSDEM CAPITULI SEPTIMIDECIMI.

Congregantes Philistiim agmina sua, etc. Quemadmodum Philistiim non cessaverunt sua agmina contra Israelitas colligere, et fines ipsorum intrare, sic invisibiles hostes, perversi quoque et perfidi homines, indesinenter impugnant vere Christifideles et justos, et contra eos se congregant, armantes se multitudine, non virtute et ratione. Est quippe et in dæmonibus quædam prælatio, et superiores dirigunt suos satellites ad varia maleficia peragenda. *Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in vallem Terebinthi.* Per vallem designatur humilitas; per terebinthum, quæ est arbor de qua fluit resina multum medicinalis, figuratur crux Christi, qui suæ merito passionis et per san- C guinem crucis suæ, omnium curat vulnera vitiorum. Fideles ergo et veri Israelitæ, in valle se collocant Terebinthi, hoc est in humili recordatione dominicæ passionis, cujus ope et merito triumphare confidunt et vincere omnes æmulos suæ salutis. *Et Philistiim stabant super montem ex parte hac.* Impii etenim stant in monte elationis, quæ est ex parte diaboli, de quo Zacharias inducit : Quis tu, mons magne, coram Zach. IV, 7. Zorobabel in planum? Hi stant in monte vanitatis, qui confidunt in viribus suis, et D de sua potestate præsumunt. *Et Israel stabat super montem ex parte altera.* Electi enim et virtuosi se figunt in Christo, in sapientia salutari, in altitudine caritatis, in sublimitate virtutum, in apice fidei chri-

Digitized by Google

stianæ, in doctrina et unitate militantis Ecclesiæ. Unde Isaias et Michæas prænuntiaverunt: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. *Is.* II, 2; *Mich.* IV, 1. *Vallisque erat inter eos,* hoc est humilitas, quæ inter electos et reprobos dividit. *Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum.* Per Goliath capitaneum blasphemorum ac pugilem hostium plebis Dei, qui ad singulare certamen evocavit quemcumque de Israel, intelligitur princeps tenebrarum, seu quilibet hæresiarcha, aut rex perfidorum impugnantium Ecclesiam Dei: B qui omnes a Christo, unico et invictissimo pugile Patris æterni, vincuntur.

David autem erat minimus. Sic Dominus ac Salvator, vere humillimus fuit inter suos discipulos, quibus locutus est: Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. *Luc.* XXII, 27. *Dixit autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ.* Quemadmodum Isai misit filium suum David ad visitandum tres fratres suos in prælio constitutos, sic Pater æternus Unigenitum suum misit in sæculi hujus campum, ad visitan- C dum genus humanum, cujus assumpsit naturam, quod bellis periculosissimis laboravit; misitque hominibus per Christum ephi polentæ, scilicet mensuram trium modiorum, hoc est superbeatissimæ Trinitatis fidem et cultum, *et decem panes,* puta Decalogum. Nam fide adorandæ Trinitatis et observantiis præceptorum optime reficiuntur fideles. *Et decem formellas casei deferes ad tribunum.* Per tribunum significantur prælati; per decem recentes par- D vosque caseos, spiritualia oblectamenta, quæ in observatione Decalogi sentiuntur a viris perfectis, quales esse oportet prælatos, qui Decalogum tanto sublimius debent implere, quanto in altiori sunt gradu et ordine. Rursus, per tres fratres David, tres status fidelium exprimuntur, puta incipientium, proficientium, et perfectorum, quibus Deus per Christum proportionata misit cibaria: quoniam incipientibus misit polenta seu pultem, hoc est facilem simplicemque doctrinam; proficientibus A panes, id est solidum cibum; perfectis formellas casei, hoc est evangelicorum consiliorum adimpletionem. Quemadmodum enim caseus additur pani, et gustum facit utriusque suavem; sic consilia superadduntur præceptis, et amborum exsecutionem contemperant.

Præterea, sicut Saul promisit vincenti Goliath dare in conjugem propriam filiam, sic Christo victori diaboli desponsata est universalis Ecclesia, quæ est filia Regis æterni, imo et quælibet anima virtuosa. Et sicut ipsi David volenti confligere contra Goliath, dure locutus est senior frater suus, sic Christo durissime loquebatur superior pars Judaici populi, utpote sacerdotes, Scribæ, Pharisæi: quod Christus patientissime tulit. Rursus, sicut David leonem vicit et ursum, sic Filius Dei spiritum superbiæ, qui tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret; *I Petr.* V, 8. spiritum quoque carnalitatis, qui per ursum exprimitur.

Et induit Saul David vestimentis suis. Nam populus Judæorum voluit Christum sibi assimilare in vita et observantiis litteræ: sed sicut David abjecit arma Saul, sic Dominus Jesus omnem mundi ornatum, divitias et honores, corpoream armaturam, sæcularem potentiam, multitudinem famulorum; sicque expeditus ab omnibus illis *tulit baculum quem semper habebat in manibus,* id est potestatem suam regalem et auctoritatem pontificalem, salvativam ac judiciariam potestatem, qua prostravit diabolum. *Elegit* quoque *sibi quinque limpidissimos lapides de torrente,* id est pulcherrima ac solidissima documenta ex quinque Moysis libris, et ex abundantia sapientiæ legalis, quæ *misit in peram* suam *pastoralem,* id est in cor sive in os suum, *et funda jecit,* id est, per suam prædicationem documentum fidei sparsit, et præceptum perfectæ caritatis effudit, per quod diabolum superavit, quem etiam vicit, quando dixit ad Patrem: Si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas *Matth.* XXVI, 42. tua. Iterum, quinque limpidissimi lapides ex torrente electi, possunt intelligi quin-

Digitized by Google

que sapientissima verba Christi, ex fonte suæ sapientiæ sumpta, quæ protulit pendens in cruce, quorum primo vulneravit in fronte diabolum, dicens : Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. (Luc. xxiii, 34.)

Postremo, sicut David occidit Philistæum ense illius, sic Christus condemnavit diabolum propter propriam illius crudelitatem et impietatem. *Arma* quoque diaboli A *posuit in tabernaculo suo,* quoniam manifestavit Ecclesiæ, qualiter et per quæ machinamenta diabolus Christum tentavit, et fideles impugnet : quod per Evangelistas descripsit. Juxta prætacta autem, debemus et nos contra diabolum omni virtute armari, et fortiter præliari, innitendo solius Dei auxilio et animo indefesso virtuosis actibus insistendo.

ARTICULUS XXXIV

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : ET FACTUM EST QUUM COMPLESSET LOQUI AD SAUL.

GESTA sancti David hic plenius recitantur, et qualiter prosperitatibus ejus adversitates mox admisceri cœperunt; specialiter, cur et qualiter odium regis incurrit, et multa sustinuit ab eodem. *Et factum est quum complesset* David *loqui ad Saul* verba in præcedenti capitulo scripta, *anima Jonathæ colligata* * *est animæ David* ferventissimæ et indissolubilis vinculo dilectionis, *et dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* Per hoc quod dicitur, Anima Jonathæ colligata est animæ David; et rursus, Dilexit eum quasi animam suam : insinuatur, quod ista dilectio fuit sincera et spiritualis : nihilo minus fuit socialis, sed ad caritatem sanctam referebatur. *Tulitque eum Saul in die illa,* id est, Saul accepit ipsum David secum tanquam strenuissimum militem, ut secum maneret de cetero; *et non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui.* Istud duravit ad tempus, quousque concepit contra David rancorem.

(* conglutinata)

Inierunt autem David et Jonathas fœdus, id est inviolabilis amicitiæ pactum, adstringendo se invicem primo per verba ad perpetuam, socialem et familiarem dilectionem, et forsan juramento aut promissione firmaverunt hoc pactum. Jonathas quoque in signum tantæ dilectionis B egit quod subditur : *Diligebat enim eum quasi animam suam. Nam exspoliavit se Jonathas tunica qua erat indutus,* forsan superius, *et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum.* Per hoc quod in fine hujus clausulæ fertur, Et usque ad balteum, datur intelligi, quod istud quod narratur de gladio et arcu ac balteo, intelligendum sit inclusive. Itaque dedit Jonathas Davidi vestimenta sua et arma, innuens quod reputaret eum quasi se ipsum. C Amicus etenim, præsertim tam carus, est alter ipse. Et item ad insinuandum, quod David dignus esset amictu armaturaque filii regis. Et rursus hæc fecit, quia amicis omnia solent esse communia. Item, quia jam habiturus fuit suam sororem in conjugem. Præterea, amor fundatur in quadam similitudine : nam omne animal diligit simile sibi; amicitia vero in quadam communione. (Eccli. xiii, 19.) Itaque Jonathas vir inclytus atque magnanimis, et laudabiliter bellicosus ac fortis et juvenis pulcher, et præclaræ D complexionis ac optimæ indolis, et naturaliter affectuosus, videns ipsum David in cunctis sibi tam convenientem et similem, concepit repente ad eum tam maximam amicitiam et amorem, quæ præcipue fundabatur in bono honesto. Talis quoque

Digitized by Google

dilectio singulariter fulsit et arsit in viris evangelicæ legis, Amelio et Amico, quorum præclarissimi actus habentur.

Egrediebatur quoque David ad omnia, scilicet *ad quæcumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat,* id est, se ipsum ad omnia illa cum circumspectione et discretione movebat. *Posuitque eum Saul super viros belli,* id est, bellatoribus præcipuis eum præfecit : tamen sub Abner, et quibusdam, non omnibus; *et acceptus erat in oculis universi populi* Israel, *maximeque in conspectu famulorum Saul,* id est specialium et domesticorum satellitum, bellatorumque Saul. Erat enim David in naturalibus eminenter bene dispositus et valde amabilis atque affabilis, strenuus quoque et victoriosus, ac fideliter quærens bonum commune, et laboriose desudans pro illo. Tales autem rei publicæ tam utiles, valde amantur communiter.

Porro quum reverteretur David percusso Philistæo, et ferret caput ejus in Jerusalem. Istud (ut tactum est) non fuit statim post occisionem Goliath, sed postea diu. Siquidem sicut jam patuit, post occisionem Goliath David fuit pacifice multis diebus in domo Saulis. *Egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel,* id est, de principalibus urbibus regni exierunt feminæ quædam in musicis tritæ, *cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis in tympanis lætitiæ :* quia suo sono pariebant audientibus jucunditatem, et ipsæ feminæ ex lætitia luserunt in eis; *et in sistris.* Sistrum dicitur genus tubæ, seu aliud instrumentum, quod percussum, gignit sonum ut tympanum vel cymbalum. *Et præcinebant mulieres, ludentes atque dicentes,* nam simul ore cantabant, et manu in instrumentis illis ludebant : *Percussit Saul mille, et David decem millia.* In Scholastica historia recitatur, quod mulieres præcinebant, Percussit Saul mille; et virgines respondebant, Et David decem millia. Verumtamen textus magis videtur innuere, quod totum istud præcinebant feminæ illæ : quo facto, virgines totum re-

A petierunt, ut fieri solet in cantilenis, quæ de bellorum exitibus ac triumphis solent componi. Præterea dicitur David decem millia percussisse, vel quia principalior causa fuit occisionis Philistinorum quam Saul : siquidem Goliath vincendo, fuit causa quod universi Philistæi fugerunt; vel, quoniam ipsum trucidavit Goliath, qui pro decem millibus reputabatur propter fortitudinem suam, secundum quod infra secundo libro habetur de David : Tu unus II *Reg.* xviii, 3. pro decem millibus computaris.

B *Iratus est autem Saul nimis,* id est indignatus, eo quod servus suus excellentius laudabatur quam ipse, *et displicuit in oculis ejus* interioribus *iste sermo,* id est, intellectui suo displicens fuit cantus ille, *dixitque : Dederunt David decem millia,* hoc est, dejectionem decem millium Philistinorum adscripserunt ipsi David, *et mihi mille dederunt. Quid ei superest, nisi solum regnum ?* id est, hoc sibi præcipue videtur restare, ut promoveatur in regem. Itaque Saul ambitiosus timuit regno pri-
C vari; sciensque sibi per Samuelem prædictum, quod Dominus alium ipso meliorem I *Reg.* xv, 28. elegisset in regem, protinus cœpit suspicari, quod David is esset. Hinc concepit contra eum invidiam, quæ est dolor de prosperitate alterius, in quantum illa concipitur, ut minorativa seu impeditiva proprii præconii seu honoris : et quanto is cui quis invidet plus prosperatur, et ceteris melius placet, tanto miser invidus magis intra se cruciatur. Sicque contigit misero huic Saul, ut infra in textu docetur. *Non*
D *rectis ergo oculis Saul adspiciebat David a die illa, et deinceps.* Hoc quidam de corporalibus intelligunt oculis, quoniam invidi eos quos odio habent, solent ex obliquo respicere, quum graves eis sint ad videndum. Potest quoque de interioribus accipi oculis, qui in Saule erant infecti invidia : ideo perverse judicavit de David, nec recto, sed erroneo cordis intuitu ipsum consideravit.

Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus, puta diabolus a bono Deo

Digitized by Google

creatus, sed voluntarie impius, *Saul, et prophetabat in medio domus suæ,* id est, more arrepticiorum protulit aliena, et instar prophetantium loquebatur quasi de rebus secretis, ut exponit Hieronymus. Sicque, Prophetare hic improprie sumitur, quum prophetia sit donum Spiritus Sancti, non maligni. *David autem psallebat manu sua* in cithara, *sicut per singulos dies* facere consuevit, quando Saul affligebatur a spiritu nequam. *Tenebatque Saul lanceam, et misit,* id est extendit, *eam* ad perfodiendum David, *putans quod configere posset David,* id est transfigere, *cum pariete,* ita quod lancea pertransiens corpus David, intraret quoque parietem, et ei affigeret ipsum David. *Et David declinavit a facie ejus secundo.* Nam et ante hanc horam semel recessit a Saul, redeundo ad (I *Reg.* XVII, 15.) proprium patrem instante bello, de quo habetur præcedenti capitulo. Sed quia ille recessus fuit alterius rationis ab isto, nam fuit spontaneus, iste vero ex timore et quasi coactus; ideo quidam exponunt istud, quod Saul hac die nisus est bis ipsum David perfodere, et ideo bis se retraxit ab illo : sicque exponit Rabbi Paulus.

Et timuit Saul ipsum *David,* id est, regnum timuit esse transferendum a se ad David ac posteros ejus, *eo quod Dominus esset cum eo* per gratiam copiosam ac multiformem, *et a se recessisset. Amovit ergo Saul eum a se,* id est a sua præsentia, quia ex odio eum invite vidit, non tamen a suo palatio, *et fecit eum tribunum super mille viros,* id est chiliarchum seu millenarium : quod fecit perversa intentione, ut scilicet David cum illis contra Philistæos congrediendo, occideretur. *Et egrediebatur, et intrabat in conspectu populi. In omnibus quoque viis suis David prudenter se agebat, et Dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum. Omnis autem Israel et Juda diligebat David. Ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos.*

Dixitque Saul ad David : Ecce filia mea major, id est senior, nomine *Merob,* A *ipsam tibi dabo uxorem; tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini,* id est, hoc tantum requiro a te, ut strenue prælieris, quatenus scilicet desiderio primogenitæ filiæ meæ exponas te periculis præliorum incaute, et cadas. *Saul autem reputabat dicens : Non sit manus mea in eo, sed sit super eum manus Philistinorum. Ait autem David ad Saul,* non tantum conjugium recusando, sed comparatione regalis fastigii se urbane humiliando : *Quis ego sum? aut quæ est vita mea, aut co-* B *gnatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis?* quasi dicat, Nec ratione personæ meæ, nec ratione vitæ, nec ex parte cognationis dignus sum tanto connubio : quod aliquo modo potuit verificari, secundum quod locutiones ex humilitate prolatæ, solent secundum aliquam considerationem veræ censeri. Absolute tamen loquendo, David erat dignissimus matrimonio illo, et suo contra Goliath triumpho promeruit illud. *Factum est autem tempus quum deberet dari Merob filia Saul David, data* C *est Hadrieli Molathitæ uxor :* sicque in hoc violavit Saul, quod ipsi David promisit. Causa tamen hujus mutationis non exprimitur in hoc loco.

Dilexit autem David Michol filiam Saul alteram. Et nuntiatum est Saul, et placuit ei. Dixitque Saul : Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philistinorum, id est occasio ruinæ et mortis. *Dixitque Saul ad David : In duabus rebus gener meus eris hodie.* In Hebræo, ut dicitur, non habetur, In duabus rebus, sed, D In duabus gener : ut sit sensus, In ambabus filiabus meis eris nunc gener meus, quia primogenitam habuisti, quantum ad sponsalia, et nunc aliam habebis sponsam et conjugem. Vel, In duabus rebus, id est pro interfectione Goliath, et pro præputiis Philistinorum, quæ requiram a te, obtinebis in conjugium filiam meam. Verumtamen Hieronymus dicit, duas res fuisse centum præputia Philistinorum, quæ David prius dederat Sauli pro filia ejus Merob, atque ducenta præputia, quæ dedit

Digitized by Google

pro Michol. *Et mandavit,* id est præcepit, A *Saul servis suis : Loquimini ad David clam me,* id est me quasi nesciente, *dicentes : Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis,* quatenus eis hoc dicentibus, rege non audiente, David plus crederet, quod dicerent hoc sincere, non adulatorie. *Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David : Num parum vobis videtur, esse generum regis?* quasi dicat, Magnum est. *Ego autem sum pauper vir et tenuis :* pauper in substantia, tenuis B in potestate. Ac si dicat: Facultatibus et potentia impar sum, et vix habeo dona quæ in tali conjugio sponsus solet dare sponsæ et propinquis ipsius. *Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes : Hujuscemodi verba locutus est David.*

Dixit autem Saul : Sic loquimini ad David : Non habet rex necesse sponsalia, nisi tantum centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis regis, id est, alia munera a David non exigo, nisi ut centum Philistæis abscidat eorum præ- C putia, et mihi præsentet ac numeret ea. Triplici causa petiit Saul istud. Primo, quia præcipue odiebat Philistæos, tanquam sibi molestiores. Secundo, quoniam Philistæi maxime horruerunt et contempserunt circumcisionem, ideo pro majore eorum afflictione et confusione voluit eos sic circumcidi. Tertio, ut certus esset quod percussisset Philistæos, non Israelitas, quibus jam abscisa erant præputia. *Porro Saul cogitabat David tradere in manus Philistinorum. Quumque renuntiassent servi ejus David verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis. Et post paucos dies surgens David abiit in Accaron cum viris qui sub ipso erant; et percussit* David cum viris suis *ex Philistiim ducentos, et attulit præputia eorum, et annumeravit ea regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque ei Saul Michol filiam suam uxorem,* tamen invite, ut Magister in historiis ait. *Et vidit Saul et intellexit, quod Dominus esset cum David. Michol autem filia Saul, diligebat eum; et Saul magis cœpit timere David. Factusque est Saul inimicus David cunctis diebus,* id est usque ad mortem suam. *Et egressi sunt principes Philistinorum. A principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David, quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen ejus nimis.*

ARTICULUS XXXV

DE SPIRITUALITATE EJUSDEM CAPITULI OCTAVIDECIMI.

DAVID pene in omnibus est evidens D Christi figura. Saul vero typum gerit principum Judæorum, Scribarum et Pharisæorum. Jonathas autem significat electissimos illos Judæos, qui Christo inter Israelitas corporaliter conversanti familiariter adhæserunt. Itaque *Factum est quum complesset* David *loqui ad Saul, anima Jonathæ colligata est animæ David :* id est, dum Christus sermocinatus fuisset superioribus ac senioribus Judæorum, Apostoli ceterique discipuli ac feminæ sanctæ, totis præcordiis cœperunt diligere Salvatorem, admirantes in verbis gratiæ quæ procede- *Luc.* IV, 22.
bant de ore ipsius. Nam loquebatur sicut potestatem habens, non sicut Scribæ et *Matth.* VII,
Pharisæi, et ea quæ docuit, in primis ope- 29; *Marc.* I, 22.
re excellentissime adimplevit. Testimonia quoque quæ prædicavit, credenda comprobavit per innumerabilia gloriosa miracula. Quemadmodum etiam Jonathas se ipsum totaliter exuit, vestesque suas et arma

Digitized by Google

tradidit David, sic præfati discipuli omnia
*Matth.*xix, 27. sua propter Dominum reliquerunt. Rursus, David se in cunctis prudenter agendo, et omnia sibi commissa strenue expediendo, Christum præfiguravit, qui loquitur Patri :
*Joann.*xvii, 4. Opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem ; qui se in cunctis sapientissime et irreprehensibiliter egisse protestans, di-
*Ibid.*viii, 46. xit Judæis : Quis ex vobis arguet me de peccato ?

Insuper, per mulieres quæ cecinerunt in choro, *Percussit Saul mille, et David decem millia,* intelliguntur animæ devotæ ex Judaismo conversæ, quæ dixerunt de Chri-
Luc. vii, 16. sto : Propheta magnus surrexit in nobis. Istæ professæ sunt, quod Christus decies plures convertit ad Dominum, et saluberrime mortificavit atque correxit, quam sacerdotes, Scribæ et Pharisæi. Hinc pontifices, seniores, Scribæ et Pharisæi inexstinguibile odium conceperunt in Christum. Et quanto Filius Dei in sapientia, eloquentia, sanctitate, fama, miraculis gloriosior et eis excellentior fuit, tanto invidiosius persecuti sunt eum, cupientes eum transfodere : quorum rabiem Christus interdum
*Ibid.*iv, 30; *Joann.*x, 39. patientissime declinavit, seque abscondit, quousque hora suæ passionis desuper præ-
* præstituta stita *, fuit impleta. Iterum, sicut furente Saule, David psallebat ut illius mitigaret insaniam ; sic furentibus contra se præfatis Judæis, Salvator mundi sapientissimæ prædicationis cecinit melodiam, divinorumque operum magnificentiam demonstravit, ut vel sic converterentur ad fidei veritatem. Ipsi vero, tanquam phrenitici insanientes in medicum, ipsum transfigere sunt conati. Præterea, sicut David in omnibus prospere peragente, et omnibus complacente, Saul timuit eum, dicens, *Quid ei superest, nisi regnum?* sic Christo quotidie crescente in fama et ostensione sapientiæ ac virtutum, timuerunt principes Judæo-
Joann. xii, 19. rum, dicentes : Videtis quia nihil proficimus. Ecce totus mundus abiit post eum.
*Ibid.*xi, 47, 48. Itemque : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Quemadmodum etiam Saul, quantum in se fuit, tradidit David in manus Philistinorum ; sic præfati Judæi Christum tradiderunt manibus paga- *Matth.* xxvii, 2, 27.
norum, Pilato et satellitibus ejus Romanis.

Moraliter in isto capitulo docemur caritatem, prudentiam, obedientiam, patientiam, fortitudinem, fidelitatem, humilitatem et fructuositatem electi David, in quibus omnibus ipsum imitari debemus : quod ad præsidentes potissime pertinet, ut inter eos eorumque subditos, sit fervens inviolabilisque dilectio, et ipsi coram subditis suis prudenter et exemplariter intrent et exeant, sintque in cunctis virtutibus fructuosi. Præterea, sicut David promptissime obedivit Sauli, et nihilo minus tot ab illo toleravit adversa, nec tamen mala, sed bona rependit pro malis, et impio illi cessit humiliter ; ita et nos superioribus nostris fideliter obtemperemus. Quod si aliquando grave aliquid intulerint nobis corripiendo aut disciplinando, etiam absque nostris demeritis, totum hoc æquanimiter patiamur, et illis humiliter deferamus ; atque in universis prudenter agamus nos, omnia *I Cor.* xiv, 40.
ordinate ac decenter agentes, et per discretionem dirigamus omne obsequium nostrum, et taliter conversemur, ut omnis Israel, id est omnes proximi et domestici nostri, nos diligant. Postremo, sicut David et Jonathas fœdus amicitiæ inierunt, sic volenti in Christo proficere, expedit fidelem, sincerum, virtuosum et familiarem amicum habere, quatenus se invicem caritative corripiant, exhortentur, juvent et dirigant semper. Nempe, ut Ecclesiasticus asserit : Amicus fidelis, protectio fortis. *Eccli.* vi, 14-16.
Qui invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio ; et non est digna ponderatio auri et argenti, contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis ; et qui metuunt Dominum, inveniunt illum. Ad hanc amicitiam in bono honesto fundatam exigitur, ut unus in alio nequaquam dissimulet malum culpæ, nec aliquid contrarium virtuti optet ab alio, nec propter alium agat quidquam iniquum. Ideo in Ec-

Digitized by Google

Eccli. vi, 1. clesiastico dicitur : Noli fieri pro amico, inimicus proximo. Si ergo videris amicum tuum cum alio quocumque contendere, non eum adjuves contendendo, imo a contentione averte eumdem. Innotescit demum A ex præinductis, quod frequenter hi qui specialibus et eminentioribus gratiæ donis ornantur, plures habeant æmulos et persecutores : in quo patientes exsistere debent, nec extolli, nec alios aspernari.

ARTICULUS XXXVI

ELUCIDATIO CAPITULI NONIDECIMI : LOCUTUS EST AUTEM SAUL AD JONATHAN FILIUM SUUM.

VITIA interiora quibus non statim resistitur, crescunt paulatim, et tandem sic invalescunt et sæviunt, ut amplius intus latere non queant, sed per verba et facta iniqua erumpant forinsecus. Sic contigit Sauli, qui quum sanctum David per occulta machinamenta non potuisset occidere, cœpit eum persequi manifeste, nec odium suum in David, ab intimo David amico quivit abscondere. Sic peccata faciunt miserrimum hominem insanire, ut jam nec Deum nec homines erubescat aut vereatur. Hoc totum in isto monstratur capitulo.

Locutus est autem Saul ad Jonathan filium suum et ad omnes servos suos speciales domesticos, *ut occiderent David.* Putavit Saul, quod Jonathas magis eligeret David, quamvis amicissimum virum atque sororium, trucidare, quam se patrem suum offendere. Non enim consideravit bonitatem et æquitatem filii sui. *Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde. Et indicavit Jonathas David, dicens : Quærit pater meus occidere te* per me et suos ministros. *Quapropter observa te, quæso, mane,* id est, diligenter custodi te, *et manebis clam,* id est occulte, *et absconderis,* id est, abscondes te, ita ut nemo præter me sciat quo lateas. *Ego autem egrediens* cum patre meo de urbe in agrum, *stabo juxta patrem meum in agro,* in quo Saul egredi consuevit gratia spatiandi, vel ad consiliandum, *ubicumque fuerit,* id est in quocumque loco invenero patrem meum melius B dispositum ad acquiescendum persuasionibus meis, videlicet tempore opportuno quum fuerit tranquillus et lætus; *et ego loquar de te ad patrem meum, et quodcumque videro* patrem meum velle circa te, *nuntiabo tibi* in loco tuæ absconsionis, ad quem veniam ad te.

Locutus est ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem suum, dixitque ad eum : Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde; et posuit animam C *suam in manu sua, et percussit Philistæum,* hoc est, grandi periculo exposuit vitam suam, ineundo duellum contra Goliath. Et quamvis David ex revelatione præscivit se triumphaturum, tamen quantum ad exteriorem apparentiam, judiciumque humanum, fuit res plena periculo. *Et fecit Dominus salutem magnam universo Israeli. Vidisti, et lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David qui est absque culpa? Quod quum audisset Saul, placatus voce,* id est rationabili et pia persuasione, *Jonathæ, juravit : Vivit Dominus, quia non occidetur* ex meo præcepto. *Vocavit itaque Jonathas David, et indicavit ei omnia verba hæc. Et introduxit Jonathas* ipsum *David ad Saul, et fuit ante eum sicut erat heri et nudiustertius.* Nudiustertius, componitur ex *nunc* et *dies* ac *tertius :* quasi, Nunc est tertius dies. Sed hic indeterminate accipitur pro tempore præterito.

Digitized by Google

Motum est autem rursum bellum inter Philistæos et Israelitas, *et egressus David, pugnavit adversum Philistiim, percussitque eos* David *plaga magna, et fugerunt a facie ejus* ceteri qui non erant percussi. *Et factus est spiritus Domini malus in Saul. Sedebat autem in domo, et tenebat lanceam. Porro David psallebat manu sua. Nisusque est Saul configere David lancea in pariete :* quia ex victoria quam vir sanctus obtinuit, motus fuit contra eum rancore, quum tamen pugnasset pro eo. *Et declinavit David a facie Saul. Lancea autem casso vulnere perlata est in parietem :* id est, Saul non tangendo David, impegit lanceam suam in parietem absque vulneratione ipsius David; *et David fugit* in domum suam, *et salvatus est nocte illa,* id est, per fugam evasit mortem in nocte, in qua Michol per fenestram eum deposuit, sicut in textu, qui planus est, recitatur.

Misit ergo Saul satellites suos nocte in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane. Quod quum annuntiasset David Michol uxor ejus, dicens : Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris ; deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est. Tulit autem, id est accepit, *Michol statuam,* id est ligneum aut saxeum simulacrum hominis, *et posuit eam super lectum,* videlicet inter linteamina, *et pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus,* id est supra caput statuæ, ad repræsentandum capillos David, sicut statua repræsentavit caput ipsius : sic
Gen. xxvii, 16. et Rebecca pelliculas hœdorum circumposuit manibus Jacob ; *et operuit eam vestimentis.* Stravit etenim lectum quasi infirmantis, et (ut in historiis ait Magister) opertoriis supposuit jecur capræ adhuc calidum et spirans seu fumans, ad exprimendum similitudinem anhelantis. *Misit autem Saul apparitores,* id est ministros quorum officium fuit trucidare maleficos, *qui raperent,* id est comprehenderent, *David.* Primo quippe misit satellites ad obsidendum David in propria domo, quatenus mane egredientem occiderent. Quumque non egrederetur, misit lictores qui caperent eum in domo sua. *Et responsum est, quod ægrotaret. Rursumque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens : Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur.* O quanta iniquitas et quanta crudelitas, sic afflicto et innocenti addere afflictionem ! *Quumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, et pellis caprarum ad caput ejus. Dixitque Saul ad Michol : Quare sic illusisti mihi, et dimisisti inimicum meum ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul : Quia ipse* David *locutus est mihi, dicens : Dimitte me,* id est, per fenestram depone me, *alioqui interficiam te.* Hoc dixit ad satisfaciendum patri suo, fuitque officiosum mendacium, quoniam ipsamet Michol virum suum intime amans, persuasit ei ut fugeret.

David autem fugiens, salvatus est. Et venit David *ad Samuel in Ramatha* urbem, *et nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul. Et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Naioth,* id est in colle sic dicto, qui fuit *in Ramatha,* in quo colle erant mansiones prophetarum. *Nuntiatumque est Sauli a dicentibus : Ecce David* est *in Naioth in Ramatha. Misit ergo Saul lictores,* id est carnifices, *ut raperent David. Qui quum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium,* id est Deum laudantium seu prophetica cantica psallentium; et forsan quidam eorum spiritum prophetiæ habebant ; *et Samuelem stantem super eos,* id est præsidentem eis ac dirigentem, *factus est etiam in illis Spiritus Domini.* Spiritus Domini, est Spiritus Sanctus, qui non est creatus nec factus, sed a Patre et Filio immanenter æternaliterque procedens, coæternus, coæqualis et consubstantialis utrique. Sed dicitur factus in homine, quando aliquid gratiose operatur in eo. Factus est ergo in istis Spiritus Dei, id est, Spiritus Dei per spiritualem quamdam devotionem cœpit esse in eis absque sua, sed non sine illorum mutatione. *Et prophetare cœperunt etiam ipsi,* id est, Deum laudare, et

Digitized by Google

verba prophetarum depromere cœperunt. *Quod quum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios; prophetaverunt autem et ipsi. Et rursum misit Saul tertios nuntios, qui et ipsi prophetaverunt.*

Et iratus iracundia vitiosa *Saul,* tanquam obstinatus in pravitate, qui de gratiosis effectibus Spiritus Sancti, concessis suis ministris, non jam gratias egit, sed indignabatur, *abiit etiam ipse* in propria persona, ut male tractaret David, *in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, et interrogavit et dixit: In quo loco sunt Samuel et David? Dictumque est ei : Ecce in Naioth in Ramatha sunt. Et abiit in Naioth in Ramatha. Et factus est etiam super eum Spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Naioth. Et* velut amens effectus, *exspoliavit se etiam ipse vestimentis suis,* regalia et exteriora indumenta exuendo, et forsitan induendo superius aliquam lineam vestem religiosam, sicut tunc induti erant illi prophetæ, cum quibus cecinit Deo. Et quia hic dicitur, Exspoliavit se etiam ipse, videtur quod et præfati nuntii se conformiter exuerunt. *Et prophetavit cum ceteris coram Samuele, et cecinit* laudes Deo *tota die illa et nocte nudus,* id est parum vestitus, seu solitis exterioribus vestibus carens : sicut in Evangelio legitur Petrus fuisse nudus piscando (Joann. XXI, 7); et adolescens qui Christum comprehensum sequebatur, amictus erat sindone super nudo (Marc. XIV, 51, 52). Sic et Michol dixit ad David, quum ante arcam saltasset, exutus regias vestes et ephod indutus : Quam gloriosus fuit rex Israel hodie nudatus, quasi si nudetur unus de scurris! (II Reg. VI, 20) *Unde et exivit proverbium: Num et Saul inter prophetas?* (I Reg. X, 12) quasi admirando dicant, Mirum est hominem talem sic assimilari prophetis. Istud quoque supra expositum fuit. Potest tamen hic accipi quasi irrisorie dictum : tanquam dicant, Ista devotio non diu durabit.

Circa hæc quæritur, qualiter factus sit in istis Spiritus Dei, an scilicet habuerunt veram devotionem quæ caritatem et virtutem latriæ præsupponit et exigit, quia ex illis procedit. An potius habuerunt quamdam devotionem volatilem et informem, et sensibilem quemdam fervorem, quemadmodum multi in mortalibus vitiis exsistentes, compunguntur et plorant ad horam ex sermocinatione aut melodia ecclesiæ, seu devotorum inspectione, aut ex visis miraculis, qui tamen veram non habent contritionem, nec plenum emendationis propositum. Et talis devotio, est donum gratiæ gratis datæ, qualem et Judæi sæpe habent, ac Sarraceni in ritibus suis. Qualis etiam forsitan fuit eorum compunctio, qui missi ad comprehendendum Christum, reversi ad Scribas et Pharisæos, dixerunt : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur (Joann. VII, 46). Et istud secundum videtur probabiliter posse teneri. Unde et Rabanus ait hic : Non est mirum, hominem reprobum transitorie prophetare. Et ut addit Isidorus, de talibus dicturus est Dominus : Amen dico vobis, Nescio vos (Matth. XXV, 12). Nihilo minus magna misericordia Dei fuit, hujus qualiscumque devotionis collatio.

Sensus spiritualis.

Juxta allegoriam, quemadmodum Jeremias, ita et David suis assiduis atque durissimis persecutionibus sibi a Saul illatis, Christum et ejus persecutiones sibi a Judæis inflictas, præsertim a principibus sacerdotum, præfiguravit. Et sicut David abscondit se, de consilio Jonathæ sibi dicentis, *Quærit pater meus occidere te;* sic Christus abscondens se, exivit de templo (Joann. VIII, 59) : cui et nonnulli dixerunt, Vade hinc, quia Herodes quærit occidere te (Luc. XIII, 31). Porro obsessio David in domo sua a satellitibus Saul, quid aliud quam Christi in sepulcro collocati custoditionem præsignasse videtur (Matth. XXVII, 66)? Et sicut David dimisso, positum est in ejus lectulo simulacrum; sic Christo egresso de monumento, collocata sunt in ejus monumento linteamina atque sudarium (Joann. XX, 6, 7). At vero per nuntios missos ad David capiendum, qui mutato proposito prophetaverunt, significantur Scribæ et Pharisæi, qui ex instigatione pontificum directi fuerunt ad

Christum affligendum, qui tamen zelum A
Rom. x, 2. quemdam Dei ac legis habuerunt, sed non secundum scientiam : imo quorum nonnulli postea vere conversi fuerunt ad Salvatorem, et Spiritum Sanctum sortiti sunt, quibus ante passionem suam asseruit : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc Joann. viii. 28. scietis quia ego sum.

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI : FUGIT AUTEM DAVID DE NAIOTH.

NUNC recitatur, qualiter David in tot tribulationibus suis habuerit refugium ad fidelissimum suum amicum Jonathan. *Fugit autem David de Naioth, quæ est in*
I Reg. xix, 18. *Rama,* id est Ramatha, ut præcedenti articulo dictum est, *veniensque* ad locum, in quo secrete reperit Jonathan, *locutus est coram Jonatha : Quid feci?* Itaque angustiam cordis sui querulose exposuit Jonathæ, ut dolor interior per verba evaporans, mitigaretur, atque ut consolationem consiliumque a Jonatha sortiretur. *Quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in* C *patrem tuum, quia quærit animam meam?* Creditur autem, quod Jonathas ignoravit patrem suum voluisse occidere David, postquam juravit quod non occideretur, prout præcedenti fertur capitulo, ita quod Jonathas interim fuit absens. Ideo David reverso insinuavit, quid interim a Saul sustinuit. *Qui,* scilicet Jonathas, *dixit ei : Absit a te. Non morieris,* id est, pater meus non occidet te. *Neque enim faciet pater meus grande quidquam vel parvum, nisi prius indicaverit mihi.* Hoc fuit verbum bonæ D fiduciæ. *Hunc ergo celavit a me pater meus*
* nequaquam *sermonem tantummodo? Neque enim* erit istud. Et juravit rursum David,* id est, Jonathas iterum juravit ipsi David, quod non occideretur, dummodo posset ipsum defendere. Vel Deo inspirante intellexit David non esse occidendum a Saule, sed successurum ei in regno. *Et ille,* scilicet David, *ait : Scit profecto pater tuus, quod inveni gratiam in oculis tuis, et dicet : Ne-* B *sciat hoc Jonathas, ne forte tristetur. Quinimo, vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur,* id est, morti sum proximus, tot circumdatus laqueis mortis, et vix lanceam patris tui evasi, satellitibus I Reg. xviii, 11; xix, 10, 11, 14, 20. quoque et apparitoribus ejus fui vallatus. Loquitur autem de morte quasi de re positiva, quum tamen non sit nisi privatio vitæ : nisi per mortem intelligatur et prævia pœna mortem inducens.

Et ait Jonathas ad David : Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. Dixit autem David ad Jonathan : Ecce calendæ sunt crastino, id est, cras erit initium mensis, *et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum,* tanquam gener ipsius, et in tali festivitate præcipue. *Dimitte ergo me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ,* ut interim certificeris quid pater tuus prætendat de me. *Si respiciens,* id est absentiam meam considerans, *requisierit me pater tuus, respondebis ei : Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem, quia victimæ solennes ibi sunt universis contribulibus suis. Si dixerit, Bene, pax erit servo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus,* id est, quod absolute et malitiose decreverit me trucidare. Elicitur ex his, quod Judæi festum Neomeniæ seu Calendarum celebraverunt tribus diebus : quod tamen non habuerunt ex lege, quæ non jussit illud nisi una die serva- Num. xxviii, 11. ri, sed ex patrum suorum traditione aut

Digitized by Google

consuetudine, ut Glossa testatur. Quærunt autem nonnulli, an David interim ivit in Bethlehem, et putant nonnulli quod imo. Porro, littera videtur insinuare quod non, quoniam David dixit : Dimitte me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ. Tamen de intellectu hujus verbi infra dicetur. *Fac ergo misericordiam in servum tuum, quia fœdus Domini me famulum tuum inire tecum fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me. Et ait Jonathas : Absit hoc a me*. Neque enim fieri potest, ut si certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi. Responditque David ad Jonathan : Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me? Et ait Jonathas ad David : Veni, et egrediamur foras in agrum.*

* te

Quumque exissent ambo in agrum, ait Jonathas ad David : Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie, quid scilicet judicet de te, *et aliquid boni fuerit super David,* id est, pater meus prosperum quid promiserit mihi de te, *et non statim misero ad te, et notum fecero tibi, hæc faciat Deus Jonathæ et hæc augeat.* Itaque hoc exsecrationis juramento Jonathas se adstrinxit ad istud. *Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, et dimittam te ut vadas in pace, et sit Dominus tecum,* dando tibi victorias, *sicut fuit cum patre meo,* multos ei præstando triumphos. Tamen quoad dona gratiæ, non est intelligenda imprecatio ista, quum, quantum ad illa, Dominus a Saul recesserit. *Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini :* id est, opera pietatis Deo placentia mihi impendes, et misericorditer ages mecum sicut Dominus fecit tecum, nec vindicabis in me, aut in posteris meis injurias, quas tibi irrogat pater meus. Hinc subditur : *Si vero mortuus fuero, non auferas misericordiam tuam a domo,* id est posteritate et sobole *mea usque in sempiternum,* id est, quamdiu vixeris, et idem

A successoribus tuis committere poteris. Hæc locutus est Jonathas, quoniam firmiter credidit regnum esse transferendum a Saul ad David, prout prædixerat Samuel. Quocirca quæritur, an et David hoc credidit. Si sic, quomodo dixit, Ego et mors uno tantum gradu dividimur? Si non, ergo fuit incredulus. Respondetur, quod David opportuno tempore id credebat certissime adimplendum. Quandoque vero habuit ad causas naturales, humanas, propriasque adspectum, et poterat æstimare, quod promissio illa B divina de suo principatu forsitan posset intelligi sub conditione, quemadmodum tales promissiones accipi solent. *Aut si non fecero* quod jam dixi, *quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra.* Per hoc innuitur, quod Jonathas noverat patrem suum, et ei contra David faventes, auferendos de vita hac propter impietates eorum in David. *Auferat David Jonathan de domo sua,* id est, me quoque occidat, *et requirat Dominus de manu inimicorum David,* id est, persecutores tuos C puniat propter excessus eorum in te. Hoc Jonathas dixit zelo justitiæ, atque de castigatione vitæ præsentis, ne æternaliter damnarentur.

I Reg. xiii, 14; xv, 28.

Pepigit ergo fœdus Jonathas cum domo David, id est cum ipso David et semine ejus ; *et requisivit Dominus de manu inimicorum David.* Quasi dicat : Hoc quod Jonathas deprecatus est fieri adversariis David, hoc factum est eis; quia exegit Deus ab eis debitas ultiones. Istud aliqui dicunt hic interpositum et adjunctum ab Esdra. D *Et addidit Jonathas dejerare David,* id est, valde et plurimum juravit ipsi David, quod servaret ei fidelitatem et amicitiam inviolatam, *eo quod diligeret illum. Sicut enim animam suam, ita diligebat eum.* Hoc Scriptura frequenter resumit pro nostra utique informatione, et pro commendatione nobilissimi Jonathæ : qui si ambitiosus fuisset et Deo rebellis, invidisset ipsi David tanquam ei per quem promotio sua ad regale culmen poterat maxime impediri; et tamen illo non obstante, dilexit eum

Digitized by Google

tenerrime. Erubescant ergo, qui desiderio parvi honoris, invidiam concipiunt et rancorem adversus confratres et proximos suos.

Dixitque ad eum Jonathas : Cras Calendæ sunt, et requireris, id est, pater meus quæret ubi sis. *Requiretur enim sessio tua usque perendie,* id est, durante hoc festo, quæret pater meus cur non veneris ad consedendum in mensa ipsius. *Descendes ergo festinus* ab urbe Bethlehem, si interim ivit ad eam, vel ab alio loco ad campum istum, *et venies ad locum, in quo celandus es, in die qua operari licet,* id est die proxima feriali post festum hoc Calendarum : quia in tali die homines in domibus occupati, non sic egrediuntur ad campum, sicut diebus festivis : idcirco die feriali ista secretius fieri poterant; *et sedebis juxta lapidem cui nomen est Ezel. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, et jaciam quasi exercens me ad signum. Mittam quoque et puerum, dicens ei : Vade, et affer mihi sagittas. Si dixero puero : Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas ; tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero : Ecce sagittæ ultra te sunt ; vade in pace, quia dimisit te Dominus.* Ideo Jonathas dedit Davidi signum hoc, quoniam ignoravit an posset venire in agrum ad David, et loqui cum ipso, nemine id sciente. *De verbo autem quod locuti fuimus ego et tu, Dominus sit inter me et inter te usque in sempiternum,* id est, Deus sit perpetuus testis hujus pacti quod simul percussimus, quod inter nos et posteros nostros manebit, cujus pacti alter non adfuit testis.

Absconditus est ergo David in agro, et venerunt Calendæ, et sedit rex ad comedendum panem. Quumque sedisset rex super cathedram suam ad vescendum in die Calendarum *(secundum consuetudinem), quæ erat juxta parietem, surrexit Jonathas, et sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus David.* Hoc a quibusdam ita exponitur, quod completo conjugio inter David et Michol, ipse David tanquam

A gener regis, sedit in mensa primus post regem, Jonathas vero statim post David, et tertio Abner. Absente ergo David, videns Jonathas nullum esse sedentem inter patrem suum et se, surrexit de loco suo, et ipse Abner sedit in loco ipsius Jonathæ ex latere Saulis, ita quod inter eos nullus consedit. Jonathas vero sedit post Abner, quoniam moris non est, ut filius regis sedeat proximus patri in mensa. Sicque locus David qui erat inter regem et Abner, apparuit vacuus a suo sessore. *Et non est locu-*
B *tus Saul quidquam in die illa,* id est, non interrogavit de causa absentiæ David. *Cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus nec purificatus,* id est, putabat quod David se absentaret a mensa sua, eo quod incurrisset aliquam irregularitatem immunditiamve legalem ex interfectione Philistinorum seu contactu rei immundæ, vel ex concubitu : propter quam immunditiam non fuisset idoneus esse in mensa regis, in qua ad manducandum ponebatur pars aliqua sacrificii in festo Neo-
C meniæ immolati, de qua edere non licebat immundis, quousque secundum legem purificati consisterent : ad quam purificationem mora temporis exigebatur.

Quumque illuxisset dies secunda post Calendas, id est post primum Neomeniæ diem, *rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Jonathan filium suum : Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie ad vescendum* in mensa mea ? *Responditque Jonathas Sauli : Rogavit me obnixe,* id est instanter, *ut iret in Bethle-*
D *hem, et ait : Dimitte me, quoniam sacrificium solenne est in civitate mea ; unus de fratribus meis accersivit me. Nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis. Iratus autem Saul adversum Jonathan,* eo quod tam favorabiliter excusavit David, vel quia dimisit eum illæsum, *dixit ei : Fili mulieris virum ultro rapientis,* hoc est feminæ libidinosæ, *numquid ignoro, quia diligis filium Isai?* id est, scio quod fami-

Digitized by Google

liariter ames David, *in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ,* hoc est, sic amando eum, quem ego sic odio, ostendis te non esse filium meum legitimum : quia legitime nati, intensius diligunt patres suos, secundum Glossam ; sicque ostendis matrem tuam esse adulteram, et te esse filium adulteræ : quod confusibile est matri tuæ et tibi. *Omnibus enim diebus quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu,* id est, certum non erit quod mihi succedes in principatu regali, et ideo minus curaberis, *neque regnum tuum,* hoc est, etiam si fueris rex effectus, adhuc incertum erit, an manebis in regno, eo quod filio Isai promissum putetur regnum. *Itaque jam nunc mitte, et adduc eum ad me, quia filius mortis est. Respondens autem Jonathas Sauli patri suo, ait : Quare morietur? quid fecit? Et arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas, quod definitum esset a patre suo, ut interficeretur David. Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris,* hoc est, cum ira ingenti, quæ fuit ira per zelum, *et non comedit in die Calendarum secunda panem,* id est, tota die illa post horam illam qua sic surrexit, nil manducavit ex compassione. *Contristatus est enim super David,* hoc est de injusta persecutione ipsius, *eo quod confudisset eum pater suus,* id est, ipse Saul irreverenter et confusibiliter refutavit excusationes, quas Jonathas fudit pro David.

Quumque illuxisset mane, venit Jonathas in agrum juxta placitum David, hoc est juxta condictum, et sicut David optavit, *et puer parvulus cum eo. Et ait ad puerum : Vade, et affer mihi sagittas quas ego jacio. Quumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum. Venit itaque puer ad locum jaculi quod miserat Jonathas. Et clamavit Jonathas post tergum pueri, et ait : Ecce ibi est sagitta porro ultra te. Clamavitque iterum Jonathas post tergum pueri, dicens : Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Jonathæ sagittas, et attulit ad dominum suum; et quid ageretur, penitus ignorabat. Tantummodo enim Jonathas et David rem noverant. Dedit ergo Jonathas arma sua puero, et dixit ei : Vade, et defer in civitatem.*

Quumque abisset puer, id est servulus Jonathæ, redeundo velociter in civitatem, *surrexit David de loco* in quo latuit, *qui vergebat ad austrum, et cadens pronus in terram, adoravit tertio,* hoc est tribus vicibus, antequam venit ad Jonathan. Adoravit autem vel Deum adoratione latriæ, vel Jonathan tanquam excellentem personam adoratione duliæ. *Et osculantes se alterutrum.* Quum enim David juxta Jonathan se tertio prostravisset, Jonathas levavit eum celeriter, et inter amplexus et oscula *fleverunt pariter,* David ex sua afflictione, et Jonathas ex amorosa compassione, et quia ab invicem separari compellebantur ; *David autem amplius,* quia causa fuit sua, et majoribus ac pluribus tribulationibus fuit circumdatus. *Dixit ergo Jonathas ad David : Vade in pace,* hoc est, pectoris tranquillitatem habe, et tene in inquietudinibus istis, in quibus tibi pax temporis denegatur. *Quæcumque juravimus ambo in nomine Domini,* hoc est, quæ nobis invicem promisimus observare cum juramento, supple, sint rata, *dicentes : Dominus sit inter te et me, et inter semen tuum et semen meum usque in sempiternum.* Moris est eorum qui in vehementi sunt afflictione, compassione, aut etiam intensissima dilectione, sermonem abrumpere, defectiveque loqui. Unde et Christus videns civitatem, et eam deplorans : Si cognovisses, inquit, et tu. Ita nunc accidit David et Jonathæ. Unde secundum Glossam, nimius dolor fecit eos loquendo deficere. *Et surrexit David, et abiit; sed et Jonathas ingressus est civitatem.* *Luc.* XIX, 41, 42.

Moraliter hic docemur, quanta sit impiorum perversitas, et quanta sit patientia electorum ; quæ, quanta et qualia passi sint justi ab impiis. Ecce Saul ineffabiliter excæcatus, putavit regnum posse manere in successione sobolis suæ, non obstante **Sensus moralis.**

Digitized by Google

quod Samuel propheta toties ex parte Dei
1 Reg. xiii, 14; xv, 28. prædixit sibi oppositum, et voluit illum occidere, quem suspicabatur a Deo electum in regem, quasi suo furore posset Omnipotentis mutare decretum. Et in hoc Saul gessit typum Herodis, qui audiens Christum natum, conatus est exstinguere illum, quum tamen crederet prædixisse sanctos
Matth. ii, 6. Prophetas, quod Christus regnaret. Denique, sicut David absconditus est in agro, sic Christus Dominus in Ægypto. Docemur hic quoque tempore tribulationum ad amicos fideles, ad viros discretos et virtuosos confugere, et eis nostrum cor aperire, atque eorum consolatione foveri, et consiliis
Eccli. vi, 6. uti. Hinc in Ecclesiastico habetur : Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus
Ibid. 7, 8. de mille. Itemque : Si possides amicum, in tentatione posside illum, et ne facile credas ei te ipsum. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in die tribulationis.

Docet nos ista historia, ad quanta facinora trahat ambitio maledicta, quæ fecit Saulem frangere juramentum, persequi justum, velle transfodere innocentem, et proprium velle filium lanceare. Ne ergo hujusmodi gravamina incidamus, matrem vitemus pestiferam, et potius cupiamus

A humiliari, subesse et obedire, quam sublimari in vita hac et præesse ac jubere. Exemplo etiam Jonathæ sit in nobis amicitia vera, invicta, inviolata, quam pro nulla lædamus re temporali. Spiritualiter quoque festum Calendarum colamus, quod (ut Glossa testatur) Judæi celebraverunt epulis, oblationibus et otio corporali. Nos vero illud celebremus sacrificiis laudum Dei et orationum ac Eucharistiæ, refectione virtutum, et misericordiis pauperum, atque cessatione a vitiis omissionum et com-
B missionum. Postremo, sicut Jonathas misit tres sagittas : sic qui alios cupit convertere, mittat in eos sagittam comminationis de brevitate vitæ præsentis, de amaritudine mortis, de acerbitate pœnarum purgatorii et inferni, de rigore divini judicii tam particularis quam universalis ; sagittam quoque instructionis de credendis et agendis ac evitandis, de consiliis et præceptis, de omnibus necessariis ad salutem ; et item sagittam consolationis de venia consequenda, de magnitudine præmiorum, de mo-
C mentanea parvitate et celeritate præsentium adversitatum ad felicitatem futuram. *Rom.* viii, 18.
Iterum mittat sagittam paternæ ac justæ correptionis, sagittam discretæ correctionis, sagittam moderatæ exercitationis.

ARTICULUS XXXVIII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : VENIT AUTEM DAVID IN NOBE.

MODO describitur, qualiter David ad principem sacerdotum devenit, et ab eo pie tractatus est, et quomodo propter hoc Saul persecutus est principem illum cum suis. Et dicunt nonnulli, quod Saul audiens ipsum David evasisse, ebannivit eum de tota terra regni sui. Unde et sacerdotem cum suis occidit, eo quod pie receperit sanctum David. Et hoc asserit Lyra : cui Rabbi Paulus contradicit, affirmans

D bannitionem istam non haberi ex littera, nec probari ex occisione sacerdotum, quoniam Saul generaliter atque tyrannice persequebatur ipsum David et ei faventes. Sed respondendum, quod ex isto capitulo et ex sequentibus innotescit, quod Saul non solum bannivit David quoad ejus personam, sed et totam ejus progeniem. Nec ante hæc legitur persecutus eos, qui David receperunt aut ei faverunt, quamvis præcedenti

Digitized by Google

I Reg. xx, 33. habeatur capitulo, quod voluit percutere lancea Jonathan, satis audacter pro David loquentem : quia hoc fuit ad modicum ex impetu suæ vesaniæ, et ipsum Jonathan redeuntem pacifice mox recepit.

Venit autem David in Nobe oppidum sacerdotum, *ad Achimelech sacerdotem,* imo et pontificem. Voluit equidem in urbe illa religiosa, et in tabernaculo Domini ibi tunc exsistente, Deum devote orare, ut se eripere de tot tribulationibus dignaretur. *Et obstupuit,* id est, vehementer mirabatur, *Achimelech, eo quod venisset David* ad locum illum, quia adhuc nil scivit de aversionibus Saulis a David; et non putavit ipsum David, nisi pro ardua causa illuc
Ibid. xvi, 4. venisse, quemadmodum et seniores Bethlehem mirabantur, quum venisset Samuel propheta ad eos. Mirabatur quoque, quod absque solita comitiva advenit. Unde subjungitur : *et dixit ei : Quare tu solus* venisti, *et nullus tecum est?* Hoc dixit, vel quia perpauci erant cum David, ita quod velut nulli videbantur respectu solitæ comitivæ David ; vel, quia qui secum venerunt, non erant notabilis reputationis. Aliqui tamen secum venerunt, quum et apud
Matth. xii, 3. Matthæum dicat Salvator : Non legistis quid fecerit David quando esuriit et qui cum eo erant? Infra quoque quærit Achimelech : Si mundi sunt pueri, id est servi, qui tecum venerunt? Istum Achimelech quidam di-
I Reg. xiv, 3. cunt fuisse fratrem Achiæ, de quo supra dictum est. Verumtamen Hieronymus ait, quod fuit ipse Achias filius Achitob, filii Phinees, filii Heli.

Et ait David ad Achimelech sacerdotem : Rex præcepit mihi sermonem, et dixit : Nemo sciat rem propter quam expediendam *missus es a me, et cujusmodi tibi præcepta dederim. Nam et pueris meis condixi in illum et in illum locum,* hoc est, ceteris ministris meis commisi et jussi, ut in illo et in illo loco me præstolentur, aut sibi commissa adimpleant. *Nunc ergo si quid* de necessariis mihi *habes ad manum, vel quinque panes, da mihi,* id est saltem totidem panes : et ex numero

A panum, aliqui putant, quod David venit se quinto ; *aut quidquid inveneris.* Quidam etiam dicunt, quod David ista dicendo, non fuit mentitus formaliter, quia non intendebat decipere. Alii opinantur oppositum, asserentes quod non oportet eum a mendacio excusare officioso : imo videtur David ista finxisse, quatenus sacerdos promptius sibi daret quæ postulavit. Ex sequenti etiam innotescit capitulo, quod David videns ibi ipsum Doeg, probabiliter scivit, quod Achimelech sacerdoti immineret periculum ex
B sua receptione et refectione, gladiique porrectione.

Et respondens sacerdos ad David, ait illi : Non habeo panes laicos ad manum, quibus scilicet licite vescuntur vulgares, *sed tantum panem sanctum,* id est panes propositionis sacerdotibus dedicatos. Omni equidem sabbato ponebantur super mensam propositionis in exteriori tabernaculi parte duodecim panes recentes et calidi, et erant ibi usque ad sabbatum sequens, tuncque removebantur a mensa, ut a sacerdotibus
C ederentur : quibus sublatis, mox alii duodecim panes imponebantur, ut in Levitico Lev. xxiv, 5-9.
habetur. Præterea erant apud Judæos triplices panes, videlicet panes propositionis præfati, solis sacerdotibus liciti secundum legem communem ; panes quoque oblationis, quibus vescebantur Levitæ, et in altari holocaustorum offerebantur ; et panes communes seu laici, omnibus liciti. *Si mundi sunt pueri,* hoc est ministri tui, *maxime a mulieribus, manducent,* id est, edant ex eis, et tu ipse. Quasi dicat : Propter neces-
D sitatis articulum poteritis eis vesci, quod alias non liceret. Tamen si ex coitu sunt immundi, eis non dabo etiam in necessitate, nisi forsan in necessitate extrema, in qua omnia sunt communia, et quæ legem non habet.

Et respondit David sacerdoti, et dixit ei : Et quidem si de mulieribus agitur, id est, quæstio agitatur, *continuimus nos* a concubitu *ab heri et nudiustertius quando egrediebamur.* Quum tamen immunditia illa ex legitimo toro contracta, non duret

Digitized by Google

nisi usque ad vesperam. Nec erat semper peccatum, sed inhabilitas quædam ad ingrediendum locum cultus divini, seu ad (Lev. xxii.) manducandum de immolatis, ut super Leviticum diffuse expressum est. *Et fuerunt vasa puerorum sancta*, id est, corpora eorum immaculata a coitu, vel corda eorum a transgressione impediente in necessitate esum panum istorum. *Porro via hæc polluta est*, id est, in via qua venimus huc, aliquid culpæ incurrimus, *sed et ipsa sanctificabitur in vasis*, id est, per contritionem et continentiam puerorum, tolletur hujusmodi culpa. Vel, Via hæc polluta est, id est, progressus iste veniendi ad esum panum sanctorum, est illicitus secundum legem communem ; sed sanctificabitur in vasis, quia per necessitatem puerorum fit licitus in speciali. Videtur quoque sic posse exponi : Via hæc polluta est, quia jam dixi aliqua non vera, et ex his quæ nunc aguntur inter nos, imminet tibi periculum, o sacerdos; sanctificabitur tamen in vasis, quia ex quadam necessitate, non ex malitia, ad ista inductus sum. Porro, ut Magister in historiis scribit, Hebræi sic habent : Sunt vasa puerorum sancta : quod intelligunt de vasis ad comedendum ; quasi dicat, In vasis mundis licet tibi ponere panes mundos. Porro via hæc laica est : id est, interrogatio tua laicalis est seu imperita; quasi dicat, Cur quæris de immunditia, quum etiam si mundi essent pueri, vesci non deberent hujusmodi pane de lege communi? Sed et ipsa sanctificabitur hodie in vasis, id est conscientiis nostris : scimus enim quod necessitas nos excusat, et quasi sanctificat. Erant enim (ut dicunt Hebræi) jejunio valde exhausti.

Dedit ergo ei sanctificatum panem. Hic ponitur singulare pro plurali, quia tam David quam sociis ejus dedit panes sanctificatos. *Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati* (Ibid. xxiv, 6.) *fuerant a facie Domini*, id est a mensa propositionis : quæ erat in exteriori parte tabernaculi, in quo Deus dicebatur specialiter habitare et esse tanquam in templo, ubi et apparebat, et dedit responsa, ac gratiose operabatur ; *ut ponerentur panes calidi*. Ex hoc quidam concludunt, quod istud contingebat in sabbato, quia in eo fiebat hæc alternatio seu permutatio panum, ut (Lev. xxiv. 8.) dictum est. Circa hæc in Scholastica historia dicitur : Hebræi tradunt David non comedisse panem propositionis, nec aperte hic legitur quod comederit. Hæc ibi. Quocirca dico, quod indubitanter inde comedit, nec Hebræis illis credendum est, quum Veritas summa apud Matthæum protestetur : Et comedit ipse, et qui cum eo erant. (Matth. xii. 4.)

Erat autem vir quidam ibi de servis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini. Tabernaculum Domini hoc loco, sicut et alibi sæpe, accipitur pro atrio tabernaculi, in quo atrio erat altare holocaustorum : (Exod. xl. 27.) et illud ingredi poterant laici ad offerendum atque orandum ; non autem tabernaculum ipsum, in quod solis sacerdotibus patebat ingressus. (Num. xvii. 19; xviii. 22, 23.) *Et nomen ejus Doeg Idumæus :* qui fuit (ut fertur) puer (I Reg. ix. 3.) seu famulus, pergens cum Saul quando a Samuele inunctus fuit, ut dictum est supra ; *potentissimus pastorum Saul*. Circa hoc scribit Lyra : Pastorum, hoc est judicum, ut dicunt Hebræi. Judices namque in veteri Testamento frequenter nominantur pastores, quia per eos rex reddebat judicia. Non est enim verisimile, quod esset animalium custos, quoniam erat primus inter servos Saul. Hæc Lyra. Circa quæ videtur dicendum, credibile esse, quod quidam Hebræi ita exponant : nihilo minus est tenendum, quod fuit potentissimus pastorum animalium Saulis, non quod personaliter custodierit et paverit pecora regis, nisi forsan ante suam promotionem a rege; sed erat capitaneus eorum qui paverant greges, cui rationem reddebant, et qui respectum habebat ad ipsos. Et hoc Josephus sentire videtur. Nempe quod in aliquibus libris subjungitur, Hic pascebat mulas Saul, non est in textu, sed ex Josepho additum. Istud autem de Doeg hic interponitur, quia sequenti capitulo recitatur, qualiter Doeg iste retulit Sauli quæ hic gesta narrantur. (Ibid. xxii. 9, 10.)

Digitized by Google

Quæritur, quid ibi agebat, et cur ibi intus erat hic Doeg alienigena, conversus tamen ad Judaismum. Respondetur, quod ex voto adstrictus fuit, esse ibidem per aliquot dies causa orationis aut oblationis.

Dixit autem David ad Achimelech : Si habes hic ad manum hastam aut gladium. Supple, Da mihi : quod tamen in aliquibus libris habetur quasi de textu. *Quia gladium meum et arma mea non tuli mecum. Sermo enim regis urgebat.* Quod ait, Sermo regis urgebat, verum est secundum quod David hoc intellexit, quia Saul præcepit obsideri, capi, et occidi David. Pro-
I Reg. xix, 12. pter quod David per fenestram celerrime dimissus, non potuit secum tollere arma sua. Verumtamen Achimelech intellexit istud de præcepto regis, quo putavit eum præcepisse ipsi David, ut tam velociter iret pro negotio expediendo sibi injuncto, quod non habuit tempus secum sumendi propria arma. Apparet quoque, quod David temperavit sic verba sua, quatenus pontifex sibi libentius daret, quod postulavit. *Et dixit sacerdos : Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in valle*
Ibid. xvii, 50, 51. *Terebinthi,* ut dictum est supra, *est involutus pallio post ephod.* Ephod quandoque accipitur pro linea veste, quandoque pro veste sacerdotali. Gladius igitur ille involutus fuit pallio post ephod, vel ita quod primo fuit involutus lineo panno, et super hunc pallio ; vel involutus pallio, positus fuit post ephod sacerdotale, ut in loco tali tutius conservaretur.

Circa hæc scribit quidam : Dicunt hic aliqui, quod propter victoriam David concessam, gladius Goliath fuit Domino consecratus. Quod consequenter reprobat, addens : Sed hoc non videtur verum, quoniam talis consecratio est ad semper. Propter quod res Domino consecrata, non poterat
Lev. xxvii. redire ad usus communes, ut dictum fuit in Levitico. Et sic David non potuisset de cetero licite uti gladio illo. Hæc ille. Circa quæ dico, supra satis esse expositum, qualiter gladius ille fuit collocatus in tabernaculo. Sed sive fuerit consecratus Do-
A mino, sive non, reprobatio prætacta non censetur idonea. Quædam enim consecrabantur Domino ad certum tempus, et tempore illo expleto, poterant ad communes ac pristinos usus reverti ; quædam consecrabantur Domino perpetue : idcirco omnis consecratio non fuit ad semper. Iterum, eorum quæ Domino vovebantur, quædam sic vovebantur, quod anathematizabantur, id est, separabantur ab aliis, ita ut nemo eis amplius uteretur, et illa non poterant vendi a sacerdotibus nec alienari. Quando-
B que autem non sic obligabantur nec separabantur votiva, et tunc ad alios poterant redigi usus, ut super Leviticum et alibi Lev. xxvii.
diffuse expositum est. Insuper, dato quod gladius ille fuisset perpetue consecratus, tamen dici posset, quod sicut David licite vescebatur pane sancto, non obstante legis præcepto, necessitate eum excusante, ita Ibid. xxiv, 9.
et gladium illum ex necessitate resumpserit. Nam et taliter excusatur, quod sabbato illo præfato multo plus ambulavit, quam lex in generali concessit, secundum quam
C non nisi mille passus licuit in sabbato ambulare.

Si istum vis tollere, tolle. Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David : Non est huic gladio *alter similis,* id est tam bonus, saltem in hoc oppido seu populo isto ; et accepit secum gladium illum. Josephus vero dicit lanceam. *Da mihi eum.*

Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul : non quod die illo fuerit coram Saul, sed fugit a facie ejus, elongando se magis ab ipsius præsentia ; *et*
D *venit ad Achis regem Geth,* id est regem Philistinorum, cujus una urbs præcipua fuit Geth. Porro omnes reges Philistinorum vocabantur ad tempus Abimelech, quemadmodum reges Ægyptiorum Ptolemæi aut Pharaones, ut refert Hieronymus. *Dixeruntque servi Achis quum vidissent David : Numquid non iste est David rex terræ ?* quasi dicant, Cito erit rex Israel. Unde aliqui trahunt jam fuisse vulgatum, quod Samuel unxerat eum in regem. *Nonne huic cantabant per choros, dicentes, Percussit* I Reg. xviii, 7.

Digitized by Google

Saul mille, et David decem millia? Hæc A dixerunt regi suo Achis, quatenus comprehenderet et occideret David : quia nisi hoc faceret, cito haberet eum hostem. *Posuit autem David sermones istos in corde suo,* id est, verba hæc impressit memoriæ, et sensum eorum valde pensavit; *et extimuit valde a facie Achis regis Geth,* timens occidi, eo quod tot millia Philistinorum percusserat : præsertim quia et Saul jam miserat ad Achis, ut redderet sibi servum suum fugitivum, ut Magister in historiis addit. Ex quo innuitur, quod ad tempus B latuerat in Geth aut prope.

Et immutavit os suum coram Achis, assumens apparatum hominis fatui, atque aliena et impertinentia loquens, ut amens; *et collabebatur inter manus eorum,* puta servorum Achis, a quibus trahebatur ad regem. Nam quasi insanus ambulavit super manus et pedes, et labebatur hinc inde ut epilepticus. *Et impingebat in ostia portæ,* cum capite suo portam percutiendo quasi volens transire per januas clausas, *defluebantque salivæ ejus in barbam,* sicque in- C star obsessi spumabat. Alia translatio habet, Tympanizabat ad ostia, et ferebatur in manibus suis; et ut fertur, in Hebræo habetur, Pingebat super ostia, formando ibi quasdam figuras, prout stulti facere solent : per quæ omnia fecit regem Geth credere, quod esset impos mentis, quod et credidit. *Et ait Achis ad servos suos : Vidistis insanum hominem; quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum ut fureret me præsente? Dimitte illum hinc, ne ingre-* D *diatur domum meam.*

Sensus spiritualis.

Ex isto capitulo docemur in primis, quod necessitas sit mater dispensationis. Deinde, quod panis vitæ qui descendit de cœlis, (*Joann.* vi, 33, 41.) Dominus Christus, in Sacramento altaris nequaquam sumendus sit ab immundis, præsertim a luxuriosis. Unde super illud Petri, Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in die judicii reservare cruciandos, (II *Petr.* ii, 9, 10.) magis autem eos qui post carnem in concupiscentiis immunditiæ ambulant, ait Beda : Fornicatores majora patientur supplicia, quam generales iniqui. Vasa ergo puerorum Dei, ministrorum Ecclesiæ, et omnium communicare optantium, sancta sint, ut ab omni inquinamento carnis et spiritus sint purgati, sobrii et devoti. (II *Cor.* vii, 1.) Postremo, sicut David suo apparatu et gestibus assimilavit se fatuo, sic Christus propter nos factus est opprobrium hominum et abjectio plebis. (*Ps.* xxi, 7.) Et quia immutavit os suum coram Scribis et Pharisæis, sola futura, cœlestia, spiritualia ac æterna sermocinans et promittens, terrenaque omnia contemnenda affirmans, ideo visus est illis esse insipiens, in tantum quod dixerunt, Dæmonium habet; et, Insanit; et, Numquid interficiet semetipsum? (*Joann.* viii, 48; x, 20; viii, 22.) Imo propter incomprehensibilem et inauditam altitudinem suæ doctrinæ, etiam sui exierunt tenere eum, dicentes, quia in furorem versus est, ut legitur apud Marcum. (*Marc.* iii, 21.) Hinc in libro Sapientiæ impii dicunt de eo : Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam immutatæ sunt viæ ejus. (*Sap.* ii, 15.) Rursus, sicut David ferebatur in manibus suis, sic et multo incomprehensibilius Christus in Cœna ferebatur in manibus suis, quando se ipsum in Sacramento porrexit Apostolis. (*Matth.* xxvi, 26, 27.)

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIX

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : ABIIT ERGO INDE DAVID.

CAPITULUM præsens enarrat, qualiter occasione David interfecti sunt sacerdotes, et urbs eorum cum omnibus suis vastata. *Abiit ergo inde David,* scilicet a rege Achis, *et fugit in speluncam Odollam.* [Josue xii, 15.] Odolla fuit urbs terræ promissionis, juxta quam erat spelunca grandis, imo multæ cavernæ et rupes. Et erat ibi munitissimus locus. De hac urbe habetur in [Mich. i, 15.] Michæa : Usque ad Odollam veniet gloria Israel. *Quod quum audissent fratres ejus, et omnis domus patris ejus,* id est cognati sui propinqui, *descenderunt ad eum illuc.* Ex quo videtur, quod Saul ebannivit eos propter David, vel persequi cœpit. *Et convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti,* id est dire afflicti et injuste suppeditati, *et oppressi ære alieno,* id est debitis prægravati, quæ solvere non valebant, *et amaro animo,* propter casus adversos; *et factus est eorum princeps.* Hos David suscepit, non ad faciendum aliqua mala eorum auxilio, sed quia condoluit eis, et eos voluit consolari. Propter quod et confugerunt ad eum, scientes eum injuste expulsum, et confidentes suo tempore plenius relevari per ipsum, quia sperabant eum in brevi promovendum ad regnum. Suscepit etiam eos, ut eorum subsidio tueretur se ipsum, et adversarios Israelitarum infideles persequeretur. *Fueruntque cum eo quasi quadringenti viri.* Circa hæc scribit quidam : [I Reg. xvi, 13.] Quia David jam erat rex inunctus, poterat in tali casu solutionem debitorum prolongare, et in pluribus forefacta relaxare. Sed contra hoc objici potest, quia non erat inunctus in regem, ita ut ante Saulis mortem regnaret, aut auctoritate fungeretur, seu jurisdictione regali, ut dictum est supra, et communiter dicunt hoc [A] ibi expositores : imo contra legem fuit, exigere ab aliquo natione Judæo solutionem debitorum in magnum illius gravamen, seu ultra ipsius vires. [Exod. xxii, 25.]

Et profectus est David inde in Maspha, quæ est Moab, hoc est ad urbem sic dictam sitam in regione Moabitarum : quod dicitur ad differentiam urbis sic appellatæ, in regno Israel situatæ. *Et dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum,* id est in urbe tua, *donec sciam quid faciat mihi Deus,* hoc est, donec vi- [B] deam exitum hujus persecutionis meæ a Saul, et quousque Deus me liberet. Ex isto elicitur, quod nec parentibus David, quamvis valde antiquis, licuit in terra et urbe sua manere. Unde apparet, quod tota progenies David fuit bannita a Saul. *Et reliquit eos ante faciem regis Moab,* qui acquievit precibus David cui condoluit, quia et ipsum Saul odivit, a quo jam fuerat impugnatus, ut supra narratur. [I Reg. xiv, 47.] *Manseruntque apud eum cunctis diebus quibus David fuit in præsidio,* hoc est in expeditione in [C] qua munitiones ad manendum quæsivit. Vel, In præsidio, id est præfato fortalitio, in quo (ut fertur) rex Moab collocavit ipsum David et viros ejus, prope terram promissionis. Quis autem fuerit iste rex Moab, apud quem manserunt parentes David, et aliæ personæ debiles seu antiquæ, quæ eum sequi nequibant, inquiretur infra libro secundo. [II Reg. x.]

Dixitque Gad propheta ad David : Noli manere in præsidio jam præfato ; *proficiscere* ex hac terra, *et vade in terram* [D] *Juda.* Per terram Juda, potest intelligi specialiter terra possessionis tribus Juda, in qua David poterat tutius demorari, tanquam natus ex tribu illa. Vel per terram

Digitized by Google

Juda, designatur tota terra Israeliticæ plebis, intelligendo totum per partem principalem. Hæc Propheta ex parte Dei præcepit David : Primo, ut in terra sua tribulationibus exerceretur, ad communem omnium fidelium informationem, et maxime, quoniam ipse fuit figura evidens Christi. Ideo quæ circa eum fiebant, et gesta ipsius, mystica erant, et præfigurativa mysteriorum Christi. Secundo, ne aliqui exsistentes cum David, ad idololatriam declinarent in terra polluta. *Et profectus est David, et venit in saltum Haret.*

Et audivit Saul quod apparuisset, hoc est, in terra Israel iterum visus esset, *David et viri* ejus *qui erant cum eo. Saul autem quum maneret in Gabaa, et esset in nemore quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi ejus circumstarent eum, ait ad servos suos qui circumstabant eum : Audite me nunc, filii Jemini.* Qualiter hoc quod ait, Jemini, multipliciter
1 Reg. ix, 1. possit intelligi, dictum est in expositione superiorum. *Numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vineas,* quæ sunt bona utilia, *et universos vos faciet tribunos et centuriones,* promovendo vos ad dignitates atque officia, quæ sunt bona honesta, *quoniam conjurastis adversum me omnes,* id est, ita habetis vos, ac si contra me conjurassetis, *et non est qui mihi renuntiet, maxime quum et filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui doleat vicem meam,* hoc est, mihi condoleat seu pro me tristetur, *ex vobis, nec est qui annuntiet mihi,* qualiter possum capere filium Isai ; *eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me,* quia fœdus secum ineundo, auxit ipsius audaciam, *insidiantem mihi usque hodie,* quatenus me ejecto aut interfecto, possit regnare. Ecce qualiter passiones et vitia pervertunt rationis judicium, quæ et Saulem tam irrationabiliter loqui fecerunt. Et qualis quis est, taliter sentit judicatque de aliis. Hinc Saul iste totus ambitiosus, judicavit ipsum David desiderio regnandi sibi insidiari. Itaque Saul locutus est verba hæc, ad insinuandum suis

A ministris, quod frustra parcerent David : quia et dato quod David esset rex, non tamen ditaret, nec exaltaret eos, sed suos contribules et consanguineos ac propinquos.

Respondens autem Doeg Idumæus, qui adsistebat et erat primus inter servos Saul, id est unus de præcipuis ejus ministris, 1 Reg. xxi, 7; ix, 3.
quia erat super custodes pecorum regis, quem Saul sic sublimavit, quia fuit socius sui itineris, quando a Samuele fuit inunctus : *Vidi, inquit, filium Isai.* Doeg volens Sauli placere, conformavit se ei in
B modo loquendi, dicendo veluti ex contemptu, Filium Isai. *In Nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominum.* Hoc præcedenti capitulo non habetur, ideo aliqui dicunt, quod Doeg (ut moris est fabulatorum) addidit istud de suo mendaciter, ut regi magis placeret. Infra tamen magis insinuari videtur, quod consuluit Dominum pro David. *Et cibaria dedit ei. Sed et gladium Goliath Philistæi dedit illi.*

Misit ergo rex ad accersendum Achime-
C *lech sacerdotem filium Achitob, et omnem domum patris ejus sacerdotum qui erant in Nobe : qui universi venerunt ad regem. Et ait Saul ad Achimelech,* quem etiam ex ira et indignatione non exprimit proprio nomine : *Audi, fili Achitob. Qui respondit : Præsto sum, domine. Dixitque ad eum Saul : Quare conjurastis adversum me, tu et filius Isai?* Ex suspicione loquitur, quasi ex certa scientia. *Et dedisti ei panes et gladium, et consuluisti pro eo Dominum, ut consurgeret adversum me, insidiator*
D *usque hodie permanens? Respondensque Achimelech regi, ait : Et quis in omnibus servis tuis sicut David fidelis et gener regis,* id est, præ ceteris fidelis est tibi, obsequiosus, obediens et affinis, *et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua? Num hodie cœpi consulere Dominum pro eo?* quasi dicat, Quum talis et tantus sit, non solum in tempore isto, sed et ante frequenter pro eo consului Dominum. Verumtamen, qui dicunt ipsum Doeg mendose dixisse, quod Achimelech consuluit

Digitized by Google

Deum pro David, exponunt sic : Num hodie cœpi, id est, nec modo nec unquam consului Deum pro eo. *Absit hoc a me. Ne suspicetur rex adversum servum suum rem hujuscemodi in universa domo patris mei,* quod scilicet conjuraverim contra te, aut in tuam perniciem consuluerim Deum pro David. *Non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio,* id est de controversia et fuga David a te, *vel modicum vel grande. Dixitque rex : Morte morieris, Achimelech, tu et omnis domus patris tui.*

A

Et ait rex emissariis qui circumstabant eum. Per emissarios quidam intelligunt sagittarios, alii servos et cursores qui emittuntur ad facta principum exsequenda, alii eos qui dirigebantur ad exsequenda seu disponenda negotia regni. Unde (ut fertur) per emissarios Rabbi Salomon intelligit Abner et Amasam ; sed non puto quod Saul adhuc tenuerit secum Amasam filium sororis David. *Convertimini et interficite sacerdotes Domini. Nam manus eorum cum David est, scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis* emissarii et qui Deum timebant, *manus suas extendere in sacerdotes Domini:* quia videbant regem apertissime deviare atque enormiter tyrannizare. Sacerdotes quoque tanquam partem Dei peculiarem formidabant indigne tractare, ne in eis Dominum formidarent * majestatis, quum et ipsi sacerdotes intercessores sint populi apud Deum, et mediatores inter Deum et homines. Propter quod tanquam spirituales patres, sunt specialiter diligendi ac honorandi. *Et ait rex ad Doeg : Convertere, tu, et irrue in sacerdotes Domini. Conversusque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo,* id est, qui veste tali sacerdotali consueverunt indui, vel forsan tunc erant ea vestiti : imo quidam affirmant, quod venerunt ita vestiti, ut flecterent animum regis irati. Potius tamen reor, quod non sciverunt regem contra eos esse commotum, sicut et prætacta verba Achimelech videntur innuere. Dicunt quoque Hebræi, non omnes fuisse sacerdotes, nec ephod indutos, sed dignos fuisse, et quia de tribu erant sacerdotali. *Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres et parvulos et lactantes, bovemque et asinum et ovem in ore gladii,* id est omnes qui habitabant in ea, imo et pecora universa : in quo patet tyrannis, imo et furia Saul. Doeg autem tanquam alienus a sanguine Israel, pronior fuit ad ista, nec sine adjutorio impiorum hæc egit.

* offenderent

B

Evadens autem unus filius Achimelech filii Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David. Et tulit secum ephod, quod Moyses fieri fecit, ut in Scholastica historia fertur, et partim in sequenti capitulo tangitur. *Et nuntiavit ei, quod occidisset Saul sacerdotes Domini. Et ait David ad Abiathar: Sciebam enim in die illa, quod quum ibi esset Doeg Idumæus, procul dubio annuntiaret Sauli,* me ibi fuisse, et cetera ibi gesta. Quidam dicunt, quod Scire capitur hic pro Conjicere ; sed non videtur, quum David testetur, Sciebam quod procul dubio, etc. Idcirco apparet, quod David debuit ipsum Achimelech præmonuisse de imminente periculo. Unde et se accusat, dicendo : *Ego sum reus omnium animarum domus patris tui,* id est interfectionis vitæ patris tui et cognatorum ipsius : vel quia culpabilis sum in eo, quod non prædocui eos prudenter, saltem post meum recessum ; vel quia occasione mei occisi sunt, ita quod sum causa materialis, ob quam sunt interfecti. *Mane mecum, ne timeas. Si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam,* id est, tam carus et familiaris eris mihi, quod si quis voluerit occidere te, ita accipiam hoc, ac si me velit occidere. Vel sensus est : Erimus unius consortii et unum in Domino, ita quod qui quæsierit nocere uni, quæret nocere et alteri. *Mecumque servaberis,* quia ego et qui mecum sunt, te defendent.

1 *Reg.* XXI, 7.

C

D

Sensus moralis.

Moraliter, sicut David fugit in speluncam Odollam, ita et nos ab inquietudine, importunitate atque molestiis persecuto-

Digitized by Google

rum, fugiamus ad meditationis et contemplationis secretum, ad pœnitentiæ locum, ad humilitatis profunditatem, recognoscentes nos dignos omni tribulatione et adversitate, ad orationis quoque cubiculum. Sed quemadmodum jussum est sancto David in præsidio non manere, sed ingredi terram Juda, sic viris exercitatis injungitur, ut certamen tentationis non vitent, imo legitime certent, et inter bonos potius velint adversitatibus exerceri, quam inter iniquos carnaliter repausare. Præterea, sicut Saul bannivit beatum David, sic principes sacerdotum excommunicaverunt Dominum *Joann.* XI, 56. Salvatorem, præcipientes, Ut si quis scit ubi est, indicet, ut capiant eum. Quemadmodum etiam Saul persecutus est eos, qui receperunt et bene tractaverunt David, ita *Ibid.* IX, 22. pontifices et Judæi conspiraverunt, ut si quis fateretur Jesum esse Christum, extra A synagogam fieret : quæ omnia in Evangelio continentur. Nihilo minus sicut cognati David venerunt ad eum in prædictam speluncam, ita Apostoli et ceteri primo credentes, aggregaverunt se Christo, persecutionem Judæorum ad tempus vitanti. Amplius, sicut turbatus est Saul, audito quod apparuisset David et viri ejus, sic diabolus et angeli ejus, pravique homines conturbantur, cognito adventu boni prælati, et eos qui illi adhærent, conantur occidere, spiritualiter aut corporaliter exstinguendo B eosdem. Per Doeg vero designantur delatores, adulatores, accusatores, mendaces et seminatores discordiæ, qui procurant fieri multa mala. Saul quoque est figura eorum qui nullam excusationem, quamvis rationabilem, volunt admittere, sed solum suæ animositatis et iracundiæ impetum insequuntur.

ARTICULUS XL

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI TERTII : ET NUNTIAVERUNT DAVID, DICENTES.

HIC describitur quædam victoria David, et ingratitudo eorum quos juvit, ac duplex persecutio quam evasit. *Et nuntiaverunt* aliqui de populo Israel, ipsi *David, dicentes : Ecce Philistiim oppugnant Ceilam,* id est urbem sic dictam, quæ (ut in *Josue* XV, 44. libro Josue legitur) ad tribum Juda pertinuit, *et diripiunt areas,* id est, annonam seu blada contenta in areis, ipsasque areas vastaverunt. *Consuluit ergo David Dominum, dicens* per Abiathar sacerdotem : *Num,* id est anne, *vadam,* hoc est, placetne tibi ut pergam, *et* si perrexero, *percutiam Philistæos istos?* In quo patet bonitas David, qui, quamvis rex Israel esset inimicus suus gravissimus, nihilo minus terram et plebem ejus defendere concupivit. *Et ait Dominus* per angelum *ad David,* tamen per Abiathar, cui Deus ministerio an- C geli manifestavit quid fieri vellet : *Vade, et percuties Philistæos, et salvabis Ceilam. Et dixerunt viri qui erant cum David, ad eum : Ecce nos hic in Judæa,* id est in terra sortis Juda, *consistentes, timemus,* quum tamen hic non sint hostes, *quanto magis, si ierimus in Ceilam,* id est usque ad urbem illam hostibus jam vallatam, *adversus agmina Philistinorum,* timebimus? *Rursus ergo David consuluit Dominum,* nesciens an timor suorum esset a Deo, vel ne inordinate formidando, demererentur D adjuvari a Domino, sicque obicem ponerent promissioni divinæ. *Qui respondens, ait ei : Surge, descende in Ceilam; ego enim tradam Philistæos in manu tua.* Hoc responso confirmati sunt viri David. *Abiit ergo David et viri ejus in Ceilam, et pugnavit adversum Philistæos. Et abegit ju-*

Digitized by Google

menta eorum, id est, jumenta quæ adduxerunt Philistæi ad asportandum blada Judæorum in terram suam, abstulit Philistæis, et ea removit a Ceila. *Et percussit eos plaga magna, et salvavit David habitatores Ceilæ.*

I Reg. XXII, 20. *Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David,* prout præcedenti habetur capitulo, *in Ceilam,* ex quo apparet, quod et tunc David fuit ibidem aut prope, *ephod secum habens descenderat,* id est, ephod illud secum portavit. Hoc interponitur hic, ad insinuandum quod David consuluit Dominum per Abiathar pontificem indutum veste illa pontificali, in qua erat rationale judicii seu Doctrina et Veritas, ut in Exodo expositum est, per quæ manifestabatur responsio Dei. Exod. XXVIII, 30.

Nuntiatum est autem Sauli, quod venisset David in Ceilam. Et ait Saul : Tradidit Dominus eum in manus meas, conclususque est introgressus urbem, in qua portæ et seræ sunt. Et præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderet in Ceilam, et obsideret David et viros ejus. Quod quum David rescisset, quia præpararet ei Saul clam malum, id est, quum David cognovisset quod Saul disponeret cum exercitu venire ad obsidendum Ceilam, ad comprehendendum ipsum David, *dixit ad Abiathar sacerdotem : Applica ephod,* id est, indue illud, ut in eo consulas Dominum. *Et ait David* ad Deum per sacerdotem : *Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat propter me urbem* hanc, nisi habitatores ejus tradiderint me manibus ejus. *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus : Descendet,* id est, veniet huc, nisi cito exieris. *Dixitque David rursum : Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui mecum sunt, in manus Saul? Et dixit Dominus : Tradent,* si manseris hic quousque urbs obsideatur a Saule : et in hoc fuissent ingrati beneficiis David, tamen ex timore forsan fecissent hoc. *Surrexit ergo David, et viri ejus quasi sexcenti, et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti. Nuntiatumque est Sauli, quod fugisset David de Ceila, et salvatus esset : quamobrem dissimulavit exire.*

Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis. Mansitque David cum viris suis quasi sexcentis, *in monte solitudinis Ziph, in monte opaco :* quia solitudo illa erat propinqua oppido tribus Juda nomine Ziph, et erat mons ille opacus seu Josue XV, 24, 55.
obscurus ; tamen ex eo longe poterat videri. *Quærebat tamen eum Saul cunctis diebus,* id est, assidue per annos aliquot multipliciter laboravit comprehendere David ; *et non tradidit eum Dominus in manus ejus. Et vidit David, quod egressus esset Saul ut quæreret animam ejus. Porro David erat in deserto Ziph in silva. Et surrexit Jonathas filius Saul, et abiit* occulte *ad David in silvam, et confortavit manus,* id est potestatem *ejus* seu vires operativas, et ipsum David, et ex consequenti ejus exercitum, *in Deo,* quia juste et sapienter hoc fecit, et fiduciam ipsius David, quam in Deo habuit, auxit et roboravit. *Dixitque ei : Ne timeas, neque enim inveniet te manus Saul patris mei,* id est, non comprehendet te. Tamen paulo post invenit eum, ita quod scivit ubi fuit, et fuit prope eumdem. *Et tu regnabis super Israel :* quod Jonathas scivit ipsi David esse promissum a Deo ; *et ego ero tibi secundus,* id est primus post te. *Sed et Saul pater meus scit hoc,* scilicet quod regnabis post eum. Si Saul hoc scivit, cur persequebatur David? Et respondendum, quod Saul ad mentem rediens, et gesta ac verba Samuelis revolvens, bene advertit, quod David utique post se regnaret. Nihilo minus passionibus et perversitatibus mentem ejus obtenebrantibus, ad humanas vires respiciens, speravit se posse ipsum David occidere, sicque ipsius promotionem ad regnum impedire. *Percussit ergo uterque fœdus coram Domino,* id est, pristinum amicitiæ pactum innovaverunt et confir-

maverunt coram Domino. Quod Magister in historiis sic exponit : Id est, coram Gad propheta et Abiathar sacerdote. Et juxta hoc Gad fuit cum David. *Mansitque David in silva, Jonathas autem reversus est in domum suam.*

Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes : Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? Nunc ergo sicut desideravit anima tua, ut descenderes, descende ; nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis. Isti Ziphæi fuerunt de tribu Juda, quia descenderunt de Caleb per filium ejus Mesa, ipse [1 Par. II, 42.] est pater Ziph, ut primo Paralipomenon legitur. Sicque Ziph quandoque est nomen viri, aliquando urbis. Isti Ziphæi inique egerunt contra David cognatum et contribulem suum. *Dixitque Saul : Benedicti vos Domino,* id est, ad laudem Dei benedicti sitis, seu benedicti estis a Domino, *quia doluistis vicem meam,* id est, mihi condoluistis. Sicque Saul benedixit eis pro opere vitioso, quod tamen sibi apparuit bonum, quemadmodum latrones gratias agunt Deo, dum dividunt spolia horum quos occiderunt. *Abite ergo, oro, et diligentius præparate, et curiosius agite, et considerate locum ubi sit pes ejus velociter, vel quis viderit eum ibi, ubi dixistis. Recogitat enim de me quod callide insidier ei. Considerate et videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur, et revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum. Quod si etiam in terram se obstruxerit*, id est, foveis terræ se occultaverit, *perscrutabor eum in cunctis millibus Juda*, id est cum omni multitudine quæ est in Juda. Vel, In cunctis millibus Juda, id est, per omnia loca tribus Juda : in qua millia esse dicuntur, vel propter urbium, vel propter hominum copiositatem, juxta illud Michææ, [Mich. V, 2.] Et tu, Bethlehem, parvulus es in millibus Juda. Per hæc insinuatur, quod etiam valde multi de tribu Juda, favebant Sauli contra David. *At illi surgentes, abierunt in Ziph ante Saul.*

David autem et viri ejus erant in deserto Maon in campestribus ad dexteram Jesimon. Ivit ergo Saul et socii ejus ad quærendum eum in deserto Maon. Estque Maon proprium nomen deserti illius, vel (ut alii dicunt) oppidi adjacentis. *Et nuntiatum est David,* qui tanquam vir prudens, ordinavit quosdam ex suis qui explorarent studia et itinera Saul. Vel per Gad prophetam Dominus sibi talia revelavit. *Statimque descendit ad petram.* Per petram intelligit Hieronymus quemdam munitissimum locum, in quo David et sui reposuerunt ea quæ ipsis oneri fuerunt, ut essent expeditiores ad omnia. Alii per petram intelligunt petrosam et profundam cavernam, ubi deposuerunt talia. *Et versabatur in deserto Maon. Quod quum audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon. Et ibat Saul et viri ejus ad latus montis* situati in deserto Maon, *ex parte una ; David autem et viri ejus erant in latere montis ex parte altera. Porro David desperabat se a facie Saul posse evadere.* Cujus subjungitur ratio : *Itaque Saul et viri ejus in modum coronæ cingebant David et viros ejus.*

Sed quæritur, qualiter fidelis David sciens se unctum in regem ad succedendum Sauli in regno, diffidebat se posse evadere. Ad quod quidam respondent, quod non desperavit evasionem pro se, sed pro suis. Et iterum, aliqui dicunt, quod non desperavit evasionem pro sua persona, quoniam certus erat de impletione divini promissi, sed desperavit se posse evadere absque bello cum Saule : quod bellum exhorruit ex timore occisionis virorum suorum et aliquorum qui erant cum Saul, persequentes eum involuntarie magis quam sponte. Hæc autem responsiones non videntur textui concordare, in quo clarissime dicitur, quod desperavit se posse evadere. Denique supra legitur, quemadmodum David inter cetera dixit ad Jonathan : Vivit [1 Reg. XX.] Dominus et vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu ego et mors dividimur. Ideo ad istud quæsitum est aliter

Digitized by Google

ibi responsum. Insuper dici potest, quod desperavit se posse evadere secundum ordinem et processum proximarum naturaliumque causarum seu propriis viribus. Quod vero timuit pro se ipso, constat etiam 1 Reg. xxvii, 1. ex hoc quod infra ait, Aliquando una die incidam in manus Saul. Circa hunc locum loquitur Rabbi Paulus : Translatio nostra in hoc loco multum deviat ab Hebraica veritate. Nam pro eo quod habemus, Porro David desperavit se posse evadere : in Hebræo habetur, Porro David festinavit ad eundum a facie Saul. Sed (ut alibi demonstravi) male sonat asserere, quod translatio nostra deviet ab Hebraica veritate. Sic enim deviaret a veritate, et falsa esset. Idcirco tenendum est, quod sermo ille Hebraicus sit forsan ad utrumque horum æquivocus. Aptiusque transtulit Hieronymus, Desperavit se posse evadere, quam si transtulisset, Festinavit ad eundum a facie Saul, id est ad fugiendum ab eo. Quum enim se cerneret cinctum ab exercitu Saul in modum coronæ, non poterat fugere; nec festinavit ad fugiendum, quum sciret hoc impossibile sibi esse.

Et nuntius venit ad Saul, dicens : Festina et veni, quoniam infuderunt se Philistiim super terram regni tui. *Reversus est ergo Saul, desistens persequi David, et perrexit in occursum Philistinorum. Propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem,* quoniam juxta petram ibi exsistentem divisus est, et abiit Saul cum suo exercitu a David et sociis ejus : quod totum factum est ex ordinatione divina pro David evasione.

Sensus spiritualis. Tropologice, per Philistæos expugnantes Ceilam, qui et areas diripiebant, quos David, id est Christus, repulit, vicit et spoliavit, designati sunt invisibiles hostes, qui olim Synagogam et modo Ecclesiam dire impugnant, et pro maxima vincunt parte, ita quod areas, id est congregationes devotas, cœnobia, collegia, particularia Christi ovilia, spiritualibus fructibus nudant ac privant. Sed Dominus et Salvator non deserit suos, sed pugnans pro ipsis, invisibiles illos adversarios per sua auxilia atque angelica subsidia rursus expugnat, et sicut in Isaia est prædictum, fortium dividit spolia. *Is. LIII, 12.* Unde de vasis misericordiæ Dominus ibi præmittit : Ideo dispertiam ei plurimos. *Ibidem.* Hinc et ipsemet in Evangelio protestatur : Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet; si autem fortior illo superveniens, vicerit eum, universa vasa ejus diripiet. *Luc. XI, 21, 22.* *Et consuluit David Dominum.* Sic et Christus secundum naturam assumptam nihil omnino egit sine familiari et certo consilio Spiritus Sancti, cujus donis anima ejus fuit plenissima, et per donum consilii dirigebatur a Spiritu Sancto in universis agendis. Unde et a Spiritu utique Sancto ductus est in desertum. *Matth. IV, 1; Luc. IV, 1.* Ideo ait per Isaiam : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. *Is. LXI, 1.* Et item : Et nunc (inquit) Dominus misit me et Spiritus ejus. *Ibid. XLVIII, 16.* *Et dixerunt viri qui erant cum David.* Per formidinem illorum virorum David, præfiguratus est timor Apostolorum, discipulorumque Christi, qui eum sæpe cum metu secuti sunt propter Judæorum persecutiones, et quoniam passionem suam eis prædixit. Hinc Marcus ait : Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, et præcedebat illos Jesus, et stupebant, et sequentes timebant. *Marc. X, 32.*

Præterea, sicut viri Ceilæ ingrati, a David liberati, nihilo minus tradidissent eum Sauli; sic Judæi, quibus Christus beneficia multa exhibuit, prædicando, miracula faciendo, et eos interdum ad devotionis spiritum convertendo, tandem tamen coram Pilato petierunt eum occidi, ingratissimi facti, *Matth. XXVII, 23.* quibus et antea dixit : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod horum me lapidatis? *Joann. X, 32.* Iterum, sicut David cum suis frequenter moratus est in locis deserti, ita et Dominus Jesus. *Matth. IV, 1; Joann. XI, 54.* Amplius, per Ziphæos qui accusaverunt ipsum David Sauli, intelliguntur carnales increduli que Judæi, qui visis mirabilibus Salvatoris, iverunt et nuntiaverunt ea pontifici, Scribis et Pharisæis, qui et Christum sæpe circumdederunt in modum coronæ,

Digitized by Google

Joann. x, 24, 31, 39. dicentes : Quousque animam nostram tollis ? Qui et sumptis saxis voluerunt eum mox lapidare, ita quod supernaturali potestate transiens per medium illorum ibat, Luc. iv, 30. factus invisibilis eis. Discamus ergo et nos, exemplo electorum, libenter pati adversa, atque in omni tribulatione ad Deum confugere, et in ipso invicta mente confidere, Job xiii, 15. cum sancto Job protestantes : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Postremo A pensandum, quod David et Jonathas tribus vicibus fœdus amicitiæ inierunt : primo I Reg. xviii, 3; xx, 16; xxiii, 18. in domo, secundo in agro, tertio in deserto. Per quod figuratum est, quod homo debet pactum inire cum Salvatore : primo, in cordis secreto, secundo, in exercitio actionis, tertio, in abstractione contemplationis ; vel, corde, ore, et opere ; item, mente, corpore, et per alios quos convertit.

ARTICULUS XLI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : ASCENDIT ERGO DAVID INDE.

Alia sancti David persecutio hic narratur. *Ascendit ergo David inde*, videlicet de solitudine Maon, *et habitavit in locis tutissimis Engaddi*, id est firmissimis latibulis prope et extra urbem sic dictam, in qua (secundum Magistrum in historiis) erat vinea balsami. Unde in Canticis Cant. i, 13. dicitur : Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Vineam illam transtulit postea in Babyloniam Cleopatra, ut narratur : quod forsan de Babylonia urbe Ægypti est intelligendum. *Quumque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philistæos, nuntiaverunt ei, dicentes : Ecce David in deserto est Engaddi. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum*, id est elegantium bellatorum, *ex omni Israel, perrexit ad investigandum David et viros ejus, etiam super abruptissimas petras*, id est altas et eminentes in desertis, ab accessu hominum abstractas, *quæ solis ibicibus perviæ sunt*, id est solis capreis silvestribus perambulabiles. De his capreis fertur, quod ab altis locis se possunt præcipitare, et sine læsione se in cornibus suis recipere. *Et venit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti*, id est, quæ sitæ erant prope commune iter, ad quas venit, de locis eremi redeundo aut recedendo. B *Eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem*. Et mirum, quod non timuit ibi forsan inesse aliquam feram. Verum inconsultæ erat audaciæ.

Porro David et viri ejus in interiori parte speluncæ latebant : quo constat, quod fuit grandis spelunca, quam solum virum intrare fuit periculosum. *Et dixerunt servi David ad eum*. Jam enim elegerunt eum sibi in principem. *Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis*. C Hucusque non legitur Dominus ista dixisse ad David. Creditur tamen, quod ei in magna angustia alicubi constituto Dominus ista promiserit pro consolatione ipsius. Quocirca oritur difficultas, quia si Dominus ista promisit David de Saule pro tempore isto, ergo David potuisset sine peccato occidere Saulem, quia ad hoc fuit ei a Domino traditus, ut faceret ei quod vellet; quum tamen paulo post legatur David pœnituisse de hoc, quod partem chlamydis Saulis absciderit. Et respondendum, D quod promissio illa Dei, non fuit intelligenda de traditione Saulis in manus David, ad hoc quod occideret eum, sed ut faceret ei sicut placeret in oculis suis interioribus, hoc est, sicut recta conscientia

Digitized by Google

sibi dictaret, seu ratio indicaret : imo nunquam dat Deus unum in manum alterius directe ad hoc, quod eum inordinate occidat. Quinimo Deus sic dedit Saulem in manus David, quatenus bonitas, virtus, perfectio ipsius ad omnium nostrum ædificationem claresceret, per hoc quod crudelissimo hosti suo tam pius et clemens fuit.

Surrexit ergo David, et præscidit oram chlamydis, id est extremitatem pallii, *Saul silenter.* Mirum, quod tam silenter hoc facere potuit, quod Saul non sensit. Sed multa hujusmodi non nisi speciali Dei moderamine fecit David. Vel Saul intentus ad alia multa, et circa requisita naturæ, non percepit sonitum parvum. David quoque industriosissimus fuit. Vel chlamys fuit pro tunc seorsum deposita. Denique juxta Glossam, chlamys est sagum militare, quod et pyrocita * vocatur, ἀπὸ τοῦ πῦρ, quod est ignis, quoniam eo utebantur pyratæ. *Post hoc percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul,* id est, pectus suum in quo cor continetur, tundebat, pœnitendo et reprehendendo se de eo quod fecit, quia circa dominum suum irreverenter habuerit se. Vel cor suum, id est conscientia sua, redarguit eum.

* pyratica

Dixitque ad viros suos : Propitius sit mihi Dominus, id est, gratiose præservet me a peccato, ad quod instigatis me. Nam ut Josephus sensit, viri David contra eum murmurabant, eo quod nollet occidere hostem suum sævissimum, quod dixit se sine peccato patrare non posse, quemadmodum subditur : *ne faciam hanc rem,* utpote læsionem, *domino meo christo Domini,* id est uncto unctione regali ex imperio Dei, *ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est :* ideo reservandus fuit divino judicio, nec interficiendus auctoritate privata, præsertim a subdito. Et quamvis fuit tyrannus, non tamen tantus, quod fuit occidendus ab aliquo de populo suo, qui aliter potuit manum illius evadere. Porro quod subditur, Vivit Dominus, usque ad id, Et confregit David, non est

A de textu hoc loco, nec in Hebræo habetur, sed infra in casu consimili, et ibi exponetur. *Et confregit David servos suos sermonibus istis,* id est, pacatos reddidit, et malum eorum propositum fecit cessare sermonibus jam prætactis, et forsan pluribus verbis, quæ non sunt scripta ; *et non permisit, ut consurgerent in Saul.* Verumtamen si consurrexissent in Saul, periculose egissent, quoniam tria millia foris dominum suum præstolantia non abissent, quousque novissent quid domino suo accidisset ; et cognita ejus occisione, obsedissent David cum suis in spelunca, et ulti fuissent regis interitum.

I Reg. xxvi, 10, 11.

B (at "set ;")

Porro Saul exsurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere. Surrexit autem David post eum, sequendo Saulem per aliquantulum spatium extra speluncam. *Et egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens : Domine mi rex. Et respexit Saul post se, et inclinans se David pronus in terram, adoravit, dixitque ad Saul : Quare audis,* id est, audiendo vera esse credis, C *verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te ?* Aliqui namque detractores et odio habentes sanctum David, atque Sauli placere optantes, ut Doeg et similes, concitaverunt Saulem contra David, suggerendo Sauli quod David quæreret ejus interitum, ut posset regnare : ad quod etiam suspicandum, Saul ex propria malitia erat satis pronus. *Ecce hodie viderunt oculi tui,* id est, tu ipse nunc vides, *quod tradiderit te Dominus in manum meam in spelunca.* Omnia enim, etiam mi- D nima, cadunt sub providentia Dei, et ejus dispositione id contigit, quod Saul introiit specum in quo latuit David : quod respectu divinæ providentiæ non fuit casuale. *Et cogitavi ut occiderem te :* ex quo videtur, quod David habuit primum motum iræ inclinantis ipsum ad vindicandum se ; *sed pepercit tibi oculus meus,* id est, oculo exteriori respexi te pie, et oculus meus interior, utpote ratio, refrenavit iracundiæ motum. *Dixi enim, Non extendam manum meam in dominum meum, quia christus*

Digitized by Google

Domini est. Quin potius, pater mi, vide et cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea, quomodo quum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te.

Animadverte et vide, quoniam non est in manu mea malum neque iniquitas, id est, tale peccatum in Deum aut in proximum, non est in mea operatione seu practica potestate, quale tu mihi imponis. Non tamen voluit David asserere se esse immunem ab omni culpa. *Neque peccavi in te.* Jam dictum est quod percussit eum cor suum, eo quod chlamydis oram præsciderit, ergo peccavit in Saul. Similiter primus ille motus occidendi regem, non videtur veniali caruisse peccato. Et respondendum, quod non nisi veniales culpæ fuerunt. David vero nunc de mortali loquitur culpa. *Tu autem insidiaris animæ meæ ut auferas eam. Judicet Dominus inter me et te,* reddendo unicuique quod meretur, *et ulciscatur Dominus me ex te,* dando tibi in vita hac correctionem pro excessibus tuis in me, ne pereas in æternum. Hoc ex zelo justitiæ, imo et ex caritatis affectione deprecatus est David. *Manus autem mea non sit in te,* id est, absit ut ego ipse vindicem me de te, quia nec publica auctoritate, nec jurisdictione super te fungor. *Sicut et in proverbio antiquo dicitur : Ab impiis egredietur impietas,* id est, impii agent inique. Hoc refertur ad id quod David dixit ad Saul : Tu autem insidiaris animæ meæ, ut auferas eam. Quasi dicat : Ita me persequendo sic te habes, quod proverbium illud antiquum competit tibi. Vel refertur ad illud, Ulciscatur Dominus me ex te, id est, per alios tibi consimiles in malitia, puniat te, sicut in proverbio veteri fertur, Ab impiis egredietur impietas, id est, unus iniquus alium perimet : quod contingit frequenter justo Dei judicio, qui propter illorum peccata occulta aut manifesta, vult aut permittit sic fieri, sicut et unum regnum iniquum frequenter destruxit per aliud regnum iniquum.

Circa hæc scribit Lyra : Proverbium hoc

A dicebatur, quando Dominus per aliquem malum vindictam sumpsit de alio pejore, vel æque malo. Et quoniam David sensit se innocentem, noluit quod talis ultio per se ipsum fieret de Saule. Hebræi autem dicunt, quod proverbium istud antiquum est lex data a Deo, qui apud Danielem vocatur Antiquus dierum. Et accipiunt istud *Dan.* vii, 9 ex lege in Exodo, ubi dicitur de occiso a casu, quod Dominus tradidit eum in manum occidentis : *Exod.* xxi, 13. quod dicunt accidere propter peccatum occultum ipsius occisi, pro

B quo dignus fuit occidi, et etiam pro peccato occulto occidentis, pro quo dignus fuit expelli de sua civitate usque ad mortem pontificis. Et quia peccata ista occulta non possunt vindicari per humanum judicium, vindicantur sic per divinum. Sed hoc dictum non semper est verum, licet aliquando possit contingere, quia frequenter contingit homicidium casuale absque peccato occidentis vel occisi hoc demerente secundum judicia divina nobis occulta; omnia tamen ad bonum electorum ordi-

C nantur. Hæc Lyra. Circa hæc dico, quod quum Deus sit provisor et moderator actuum humanorum, sine rationabili causa nil faciens aut fieri sinens, raro aut nunquam permittit aliquem casualiter occidere aut occidi, nisi pro aliquo occidentis vel occisi peccato manifesto aut abdito : alioqui a tali articulo seu eventu unum eripit, aliumque præservat. Propter quod etiam per angelos sanctos tuetur et regit hominum vitam.

Manus ergo mea non sit in te. Quem

D *persequeris, rex Israel? quem persequeris?* quasi dicat : Non decet tantum, sic occupari et fatigari et variis exponi periculis propter tantillum. Ideo subditur : *Canem mortuum persequeris et pulicem unum,* id est me, qui comparatione excellentiæ atque potentiæ tuæ, sum quasi mortuus canis, et multum vilis, ac similis pulici, qui hinc inde saliendo evadit mortem : sic et ego ad diversa loca confugiendo. Itaque humilis David se ipsum multum humiliat, ut mitiget iram regis superbi, quo in veritate

Digitized by Google

melior fuit, quantum ad dona gratiæ ac virtutum; tamen quantum ad dignitatem, quæ penes prælationes et principatus attenditur, Saul fuit major. *Sit Dominus judex, et judicet inter me et te; et videat* Dominus, id est, per effectum justitiæ suæ ostendat se videre quæ patior a te, viderique faciat, ut et aliis innotescat, sicut in Genesi ait: Descendam et videbo, etc.; *et judicet causam meam, et eruat me de manu tua.* (Gen. XVIII, 21.)

Quum autem complesset David loquens sermones hujuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid hæc vox tua est, fili mi David? Numquid, hic sumitur pro Nonne, siquidem scivit quod fuit locutio David. *Et levavit Saul vocem suam, et flevit.* Compunctus etenim fuit ex tanta humilitate, beneficentia, probitateque David: ex quibus et propriam perversitatem, ingratitudinemque perpendit. *Dixitque ad David: Justior tu es quam ego.* Quare non dixit, Misericordior tu es quam ego, quum David exhibuerit sibi misericordiam tantam? Et respondendum, quod justitia David magna apparuit in prædictis, quoniam noluit vindicare se ipsum, et divini judicii veritati suam commisit causam. Justitia quoque uno modo, est generalis omnisque virtus. Comparatio tamen illa, Justior es quam ego, fuit impropria, quemadmodum si dicatur: Homo est sapientior bruto, et angelus virtuosior diabolo. *Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti mihi hodie quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me. Quis enim quum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona?* quasi dicat: Pauci sunt tantæ bonitatis, qui adversarios suos letales dimitterent abire illæsos, data eis facultate et opportunitate lædendi illos. Et istud specialiter rarum fuit in veteri lege, quæ dixit: Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum, nondum promulgata evangelicæ legis perfectione, quæ tamen in lege illa Mosaica velabatur. Nempe et Moyses scripsit: Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc,* id est, simile tibi restituat, et pro beneficiis mihi impensis vicem tibi rependat, *pro eo quod hodie operatus es in me.* (Lev. XIX, 18; Matth. V, 43.) (Lev. XIX, 18.)

Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel. Hoc enim Saul perpendit ex consideratione virtutum David, per quas pensavit eum dignum esse impletione promissionis ei factæ de regno obtinendo, sicut ipse per vitia sua factus fuit indignus permanere in regno. *Jura mihi in Domino,* id est vere et per Deum legitime, *ne deleas,* id est, quod post mortem meam non delebis nec penitus interficies *semen meum,* quod erit superstes *post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei,* id est memoriam personæ meæ de parentela et cognatione mea, interficiendo posteros meos. Parentes enim in sobole sua quodammodo manent, et per generationum successionem manet ac viget eorum memoria. Verum est dictum illud commune: Qualis quisque est, taliter judicat et talia sentit de aliis. Unde Saul ambitiosus et vindicativus, paulo ante miratus fuit, quod David eum non interfecit in casu præscripto. Nunc quoque timens et suspicans ipsum David ita acturum cum semine suo, sicut ipse in simili casu egisset cum semine David, petiit juramentum prætactum, ut assecuraretur de tali periculo.

Et juravit David Sauli, quod non deleret semen ejus in toto. Verumtamen postea, ad instantiam Gabaonitarum occidit filios filiæ Saul; non tamen delevit totaliter posteros Saul, nec illos occidit, nisi ex voluntate et actione divina. Nec Deus sic reprobavit Saulem, sicut postea aliquos reges Israel, quorum totam posteritatem, quantum ad masculos, se deleturum prædixit; sed reprobavit eum pro se et sua sobole, quantum ad regium principatum. *Abiit ergo Saul in domum suam* tristis de adversis suis successibus, et pœnitens se totaliter persecutum fuisse David, ac inde (II Reg. XXI, 6-9.)

Digitized by Google

cessare proponens. In quo tamen proposito non diu permansit. *Et David, et viri ejus ascenderunt ad tutiora loca :* quia non crediderunt verbis Saulis, cujus infideli- A tatem, instabilitatem, et odium toties erant experti : propter quod probabiliter conjecerunt, quod eos rursus in brevi insequeretur, sicut et fecit.

ARTICULUS XLII

DE SPIRITUALI EXPOSITIONE EJUSDEM CAPITULI VICESIMI QUARTI.

QUOD Saul toties insecutus et persecutus est sanctum David cum suis in deserto, hoc allegorice præfiguravit, quod princeps tenebrarum Dominum Jesum Christum in deserto tentare præsumpsit. (*Matth.* IV, 1-11; *Luc.* IV, 2-13.) Tropologice quoque designat, quod religiosos et eremitas, atque veraciter pœnitentes, acrius instantiusque impugnat : imo, quemadmodum Saul assumpsit tria millia acerrimorum bellatorum ad exstinguendum David, sic princeps caliginis callidiores crudelioresque dæmones mittit ac dirigit ad tentandum præfatos, etiam per abruptissimas petras, id est inaccessibilissima eremi loca, solis ibicibus (id est viris contemplativis, qui saliunt in montibus) accessibilia : qui per humilitatem se ipsos in profundum propriæ parvipensionis præcipitant, atque in cornibus fidei et spei se sine læsione recipiunt : quia in Domino fideliter confidentes, nequaquam desperant. Deinde per donum sapientiæ et caritatis divinæ fervorem, ad montes potestatum cœlestium, ad excellentias virtutum, ad contemplationem limpidam æternorum, ad Deum deorum exsiliunt : sicque fructuosissime conversantur, et tempore opportuno, prout tanguntur a Spiritu Sancto, super se elevantur, ita ut illud beati Job de eis possit pronuntiari : Numquid nosti tempus partus ibicum ? (*Job* XXXIX, 1.) De quibus loquitur admirans præclarissimus Isaias : Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ? (*Is.* LX, 8.) Et rursus : Qui sperant (inquit) in Domino, assument pennas ut aquilæ ; volabunt, et non deficient. (*Ibid.* XL, 31.)

B *Erat autem ibi spelunca.* Per speluncam recte accipitur defectuositas naturæ humanæ : in qua defectuositate latuit Verbum æternum, ita quod ejus deitas cognoscebatur a paucis ; in qua etiam latebant viri ac socii ejus sancti Apostoli, ceterique discipuli, qui propter carnis mortalitatem vilipendebantur a multis, nec tantæ, ut erant, excellentiæ credebantur : in quorum persona fassus est unus eorum, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis sit ex Deo. (II *Cor.* IV, 7.) Hanc ipsam C speluncam ingressus est Saul, qui licet plurimum superbiret, et regio culmine efferretur, tamen necessitatibus subjacuit corporis, et ventrem cogebatur purgare. Denique in hac spelunca traditus est Saul in manibus David, hoc est, princeps sacerdotum in manus Christi, qui in Evangelio dixit : Pater diligit Filium, et omnia dedit in manus ejus. (*Joan.* III, 35.) Itemque ad Patrem : Dedisti ei potestatem omnis carnis. (*Ibid.* XVII, 2.) Unde et passione instante, uno verbo omnes incredulos contra se stantes prostravit, ita D quod abeuntes retrorsum, corruerunt resupini in terram. (*Ibid.* XVIII, 6.) Invitis quoque principibus sacerdotum, expulit negotiantes de templo. (*Matth.* XXI, 12.) Insuper, quasi oram chlamydis pontificum Christus abscidit, dum eos juste et caritative reprehendens, ipso pontificio ostendit indignos atque privandos.

Verum circa verba, *Præscidit David oram chlamydis Saul silenter,* multa scribit Gregorius, cujus verba Richardus in suis Moralitatibus et Glossa inducunt. Per Saul namque signantur vitiosi prælati ; per

Digitized by Google

David, subditi boni. Saul ventrem purgat, A dum pravi pastores et prædicatores indigni, conceptam in corde malitiam fœde ac turpiter exsequuntur. Ipsum tamen Saulem David ferire veretur : quoniam subditi virtuosi suis superioribus, quamvis iniquis, non audent detrahere, nec vitam ipsorum ullo linguæ gladio cædunt. Qui si interdum ex humana infirmitate vix a superiorum increpatione valeant abstinere, excidunt quidem extrema et exteriora mala præpositorum, et tamen humiliter ac modeste loquuntur de culpis illorum, et quasi B oram chlamydis silenter incidunt : quia dum dignitati prælaticæ saltem et latenter et innoxie derogant, quasi regis superpositi vestem fœdant. Tamen ad semetipsos mox revertuntur, seque de tenuissimo verbi excessu redarguunt.

An liceat subditis superiores suos corripere, etc.

Circa hæc quæritur, an liceat subditis superiores suos corripere, accusare, aut denuntiare; et ex verbis Gregorii allegatis videtur, quod non, præsertim quum iterum protestetur : Facta præpositi, gladio oris ferienda non sunt, etiam dum recte re- C prehendenda judicantur. Si quando autem contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est, ut per afflictionem pœnitentiæ reprimatur, quatenus ad se ipsam redeat, et dum præpositæ dignitati deliquerit, ejus contra se judicium perhorrescat, a quo sibi præpositus est in quem peccat. Nam quum in præpositos delinquimus, ejus ordinationi obviamus, qui ipsos præposuit nobis. Hæc Gregorius. Præterea, beatus Anacletus Papa ait : Sententia Cham filii Noe damnantur, qui præpositorum vel doctorum suo- D rum culpam produnt. Rursus eadem causa sanctus Zephyrinus disseruit : Majorum quispiam, minorum accusationibus non impetatur. Hinc et Telesphorus Papa sanctus testatur : Dei ordinationem accusat, qui eos qui ab ipso constituuntur sacerdotes accusat. His consonat quod sanctus Pius Papa effatur : Oves pastorem suum non reprehendant, plebs suum episcopum non accuset, sed nec vulgus arguat suum prælatum, quia non est discipulus super magistrum.

Gen. IX, 22, 25.

Matth. X, 24.

In oppositum hujus arguitur, quia sanctus Gregorius loquitur : Sicut laudabile est et discretum, reverentiam et honorem exhibere prioribus, ita rectitudinis et Dei timoris est, si quæ in eis indigent correctione, nulla dissimulatione postponere, ne totum (quod absit) corpus invadat corruptio, si non fuerit curatus in capite morbus. Amplius, Gelasius Papa, sicut habetur, scribit quibusdam subjectis : Si quid damni in Ecclesia pontificem vestrum videritis admittere, mox auribus nostris revelatione signate, ut quid fieri debeat, censeamus. Præterea, in eodem Gregorius approbat, quod quidam episcopus inter alia mala carnali crimine lapsus, atque a suis clericis accusatus et convictus, episcopali est sede depositus.

2, q. 7, c. Si quid.

Ad hanc quæstionem Alexander de Hales super tertium Sententiarum, quæstione 42, respondet : Dicendum secundum quosdam, quod sunt subditi criminosi, et sunt subditi boni. Subditi criminosi prohibentur ab accusatione prælatorum, non boni. Unde dicit Anselmus seu Augustinus : Præsumunt prælati non debere se reprehendi aut accusari pro eo, quod canones passim statuunt eos non esse reprehendendos : quod tamen criminosis negatur, quum de reprehendendo ipsa Veritas dixerit : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Sed rursus opponitur, quoniam canones determinant, in quo casu pastores sint a subditis accusandi, ergo in nullo alio casu poterunt accusari. Casus autem est, quum a fide exorbitaverint. Hinc beatus Eusebius Papa : Oves, inquit, quæ pastori suo commissæ sunt, nequeunt eum reprehendere, nec eum possunt ullatenus accusare, nisi exorbitaverit a fide. Dicendum, quod est accusatio facta ex affectu caritatis fraternæ, et est accusatio facta ex malignitatis affectu. Accusatio ergo prælatorum, facta a bonis et ex caritatis affectu, est licita; facta autem a subditis criminosis et malignitatis affectu, prohibetur. Et per hanc distinctionem solvuntur et concordantur omnes canones præinducti. Porro

Joann. XVIII, 23.

Digitized by Google

ad illud quod objicitur de Cham, qui fuit A maledictus, eo quod patris sui verenda fratribus demonstravit, dicendum, quod per hoc intelligitur quod prælati non sunt a subditis extraordinarie accusandi, hoc est de criminibus quæ non possunt probari. Ideo signanter dicit beatus Zephyrinus, quod Cham vituperatur, quia verenda patris non operuit, sed ridenda monstravit, quæ scilicet solus vidit. Porro per hoc quod David cor suum percussit, eo quod abscidit oram chlamydis Saul, datur forma non accusandi prælatum de crimine B quod scitur ab uno solo : quod designatur per hoc, quod in abscondito, scilicet in spelunca, præscidit chlamydis oram. Vel secundum Gregorium, istud intelligitur de judice, non de accusatore. Nam ait, quod chlamydis oram præscidit, qui sententia damnationis prælatum ferit : quod nulli subditorum est licitum. Canon vero Eusebii, qui videtur determinare in quo casu tantum sit reprehendendus prælatus a subditis, scilicet propter exorbitationem a fide, intelligitur de subditis criminosis atque infamibus. Nam tales pastorem suum accusare non possunt, nisi a fide exorbitet. Tanta quippe est labes criminis hujus, quod ad ejus accusationem servus adversus dominum, et quilibet criminosus adversus quemlibet admittitur. Hæc Alexander.

Gen. IX, 22, 25.

Ex his itaque innotescit, quam graviter peccent, qui contra superiores suos, præsertim si boni sint, faciliter irascuntur, indignantur, et temerarie judicant eos, aut obloquuntur seu irreverenter loquuntur eisdem : quæ omnia cum summa diligentia sunt vitanda. Intueamur et pro viribus imitemur patientiam et mansuetudinem sancti David, qui cum suis parentibus ac tota parentela fuit innocenter pulsus de regno, et tam inhumaniter quærebatur ad occidendum ; et tamen eum, a quo tanta sustinuit, non solum non læsit, sed nec lædi permisit. Itaque circa omnes, potissime circa superiores, simus patientes et mites, et propter eum a quo est omnis prælatio ac potestas, deferamus eis ut decet.

Rom. XIII, 1.

ARTICULUS XLIII

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : MORTUUS EST AUTEM SAMUEL.

HISTORIA rerum inter David et Nabal C ejusque uxorem gestarum, hoc loco describitur. *Mortuus est autem Samuel* senex et plenus dierum, *et congregatus est universus Israel,* hoc est majores de toto populo, seu quidam, imo et multi de singulis tribubus Israel : imo multi venerunt ad eum ægrotantem antequam obiit, inter quos aliqui opinantur et ipsum Saul venisse ; *et planxerunt eum nimis,* tanquam proprium et generalem omnium patrem ; nec solum planxerunt defunctum, sed et moriturum, dolentes de imminente ejus discessu, cujus D vita erat communitati tam utilis ; *et sepelierunt eum* cum ingenti honore, sicut a tempore Patriarcharum consueverunt majores suos sumptuose et honorifice sepelire, *in domo sua,* hoc est infra septa suæ domus in horto aut simili loco decenti, *in Ramatha,* urbe sua.

Consurgensque David, descendit in desertum Pharan, id est in solitudinem propinquam urbi Arabiæ nomine Pharan : per quod desertum transierunt etiam filii Israel egressi de Ægypto, ut Josephus scribit. *Erat autem vir quispiam in solitudine Maon,* de qua dictum est supra. Tamen (ut fertur) istud non est in textu, nec in Hebræo. Nam et in Scholastica fertur historia, atque in libro de Hebraicis quæstionibus : Vir

Num. XII, 1. — I *Reg.* XXIII, 25.

Digitized by Google

iste habitavit in urbe Aman seu Maon, sed A in solitudine juxta Carmelum habuit domum pro pastoribus et gregibus suis, et illuc cum conjuge et amicis convenit ad epulandum in suarum ovium tonsione. *Et possessio ejus in Carmelo,* id est, in monte sic appellato ejus pecora erant et alebantur : qui mons Carmelus situs fuit in funiculo tribus Juda. Fuit et alter mons Carmelus, ubi interfecit prophetas Baal Elias, situs in confinio Palæstinæ et Phœniciæ : qui mons dicitur esse in sorte Issachar. *Et homo ille magnus nimis,* in divitiis, in stirpe et fama. *Erantque ei oves tria millia, et mille capræ. Et accidit, ut tonderetur grex ejus in Carmelo.*

Josue xv, 55.

III *Reg.* xviii, 19.

Nomen autem viri illius erat Nabal; et nomen uxoris ejus Abigail, eratque mulier illa prudentissima. Quod magnum et rarum est in feminis, quum ex naturali dispositione communiter sint molles, instabiles ac debiles ratione, ideoque passionibus subditæ. *Et speciosa :* sicque erat amabilis corde et corpore. *Porro vir ejus* Nabal *durus* corde, seu immisericors : ideo corruit in multa et magna peccata, quum scriptum sit, Qui cordis est duri, incidet in mala ; *et pessimus* moribus, et improbus valde in verbis, *et malitiosus,* quantum ad voluntatem, seu habituatus in vitiis, ita quod ex proposito et malitia certa peccavit : sicque apparet magna virtuositas feminæ hujus, quæ cum tam vitioso marito, tam diu patienter et pacifice vixit, quum tamen ille ex bonitate suæ uxoris nequaquam proficeret. *Erat autem de genere Caleb* viri virtuosi, cujus virtutes non imitabatur. Unde habetur, quod erat de tribu Juda, sicut et David. Propter quod peccavit enormiter, ita ad David se habendo, ut statim patebit. Dicit demum Magister in historiis : In Paralipomenon libro legitur : Caleb genuit Archan *, Archan genuit Jezem *, hic est, ut putant Judæi, Nabal. Verumtamen non est credendum, quod Nabal fuerit secundus aut tertius a Caleb, qui cum Moyse exivit Ægyptum.

Prov. xxviii, 14.

I *Par.* ii, 46.

* Haran

* Gezez

Num. xiii, 7.

Quum autem audisset David in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum, misit decem juvenes, et dixit eis : Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice, et sic dicetis : Sit fratribus tuis, id est propinquis et amicis quos tecum habes, *et tibi pax.* Aliqui textus habent, Sit fratribus meis pax : sicque præfatos propinquos et amicos ipsius Nabal, David nominat fratres suos, quoniam erant de tribu Juda, sicut et ipse. *Et domui tuæ pax, et omnibus quæcumque habes, sit pax.* Quod autem B in aliquibus libris subjungitur, Ex multis annis salvos facies tuos et omnia tua, non est de textu. *Audivi quod tonderent pastores tui gregem* * ovium, quæ tria millia erant, *qui* pastores *erant in deserto* Maon *nobiscum.* Consequenter David insinuat ipsi Nabal beneficia sua, pastoribus et pecoribus illius exhibita, ut sic provocaret illum ad caritativam communionem et piam subventionem. *Nunquam eis molesti fuimus,* imo ab invasoribus defendimus eos. Ideo subditur : *nec aliquando quidquam* C *defuit eis de grege omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Interroga pueros,* id est pastores et servos *tuos, et indicabunt tibi* quod ita sit. Aliqui exponunt istud etiam pro tempore quo David pavit gregem patris sui cum pastoribus Nabal, ut dicunt, ita quod tunc multa bona impendit eis. *Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis,* hoc est, juvenes quos direxi ad te, caritative et gratiose accepta, et per eos mitte mihi et viris meis sustentaculum vitæ. *In die enim bona ve-* D *nimus,* id est, ego et socii mei per nuntios meos venimus *ad te,* et postulamus hanc gratiam in tempore isto jucundo et celebri, utpote dum oves tuæ tondentur : quia in tempore tali consueverunt Hebræi exemplo Patriarcharum celebrare convivium suis amicis atque tonsoribus, ita quod tunc fuit tempus lætitiæ. *Quodcumque invenerit manus tua,* id est, quidquid tibi occurrerit et placuerit, *da servis tuis et filio tuo David.* Ecce quam simplex, humilis, urbanaque petitio tanti viri, qui gener jam

* greges tuos

Digitized by Google

I *Reg.* XVIII, 27; XVI, 13. fuit regis, et unctus fuit in regem, et gratiam habuit prophetiæ : ad quam reprobus Nabal improbissime et superbissime respondit, ut subditur.

Quumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David, et siluerunt. Respondens autem Nabal pueris David, ait : Quis est David? et quis est filius Isai? quasi dicat : Vilis et insidiator est domini sui, ac capitaneus servorum fugitivorum. *Hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos,* id est, tempore isto multiplicati sunt et collecti servi, qui propter suos excessus, et debitarum timore pœnarum, suos fugiunt dominos. Quasi dicat, Malitiosus et vilis cumulus est. *Tollam ergo panes meos et aquas meas, et carnes pecorum meorum,* id est cibos et potus, *quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint?* ac si dicat : Non faciam, quum sint tam viles, ut indignum reputem quærere aut cognoscere, de quo loco sint oriundi. Et aliqui erant inter servos David, quorum locum natalem et originem Nabal nescivit. His auditis, indignatus est David, et jussit suis: *Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis. Accinctusque est et David gladio suo, et secuti sunt David quasi quadringenti viri. Porro ducenti* minus apti ad prælium, *remanserunt ad sarcinas,* hoc est ad custodiendum vasa, in quibus necessaria erant, et ea quæ præliaturis oneri erant.

Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris, hoc est famulis *suis,* prudens opilio : *Ecce misit David nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro,* id est, ipsum Nabal salutarent per verba commendatoria, *et aversatus est,* hoc est repulit, *eos. Homines isti, boni satis fuerunt nobis, et non molesti, nec quidquam aliquando periit omni tempore quo fuimus conversati cum eis in deserto. Pro muro fuerunt nobis, tam in nocte, quam in die omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges. Quam ob rem considera et recogita, quid facias* ad placandum David, *quoniam completa est malitia adversus virum tuum, et adversus domum tuam :* hoc est, tanta est pravitas viri tui, quod diutius tolerari non potest, et tempus suæ punitionis jam instat, non solum in malum viri tui, sed et domesticorum ipsius ; *et ipse est filius Belial,* hoc est diaboli, seu homo prorsus indisciplinatus, *ita ut nemo possit ei loqui,* id est, vix aliquis potest eum sine periculo alloqui, quoniam statim perverse respondet, aut respondere dedignatur, aut alloquentem male tractat.

Festinavit igitur Abigail : quæ sine aliorum consilio statim per suam prudentiam consideravit, quid esset agendum ; *et tulit ducentos panes et duos utres vini :* quo constat, et satis apertum est, quod supra per aquas intelliguntur quæcumque pocula ; *et quinque arietes coctos, et quinque sata polentæ.* Satum, secundum Glossam, est mensura continens unum modium cum dimidio. Modiorum vero quantitas apud diversos diversificatur. Polenta vero est accuratissima farina, vel pultes factæ de ea, seu triticum pilo tusum. Andreas expositor dicit, quod sit grana tosta et manibus confricata. *Et centum ligaturas uvæ passæ.* Uva passa vocatur, quæ antequam maturescat, exsiccatur ad solem, sicque conservatur et colligatur. *Et ducentas massas caricarum,* id est ficuum, seu fructuum palmarum, ut aliqui dicunt ; *et posuit super asinos. Dixitque pueris,* id est servis *suis,* qui præfata victualia super asinos deferebant : *Præcedite me.* Sic et Jacob *Gen.* XXXII, 7-21. fratrem suum Esau timens, præmisit cum muneribus servos, ut illum placaret muneribus. *Et ecce ego post tergum sequar vos. Viro autem Nabal non indicavit.*

Quum ergo ascendisset asinum, et descenderet ad radicem montis, David et viri ejus descenderunt in occursum ejus. Quibus et illa occurrit. Et ait David : Vere frustra servavi omnia quæ hujus erant in deserto, id est, sine gratiarum actione et recompensatione hujus Nabal dimisi pecora ejus intacta, et ab invasoribus custodivi : non tamen sine spe remunerationis

Digitized by Google

divinæ, quæ nullum bonum dimittit irre- A muneratum ; *et non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant ; et reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat Dominus inimicis David, et hæc addat,* id est, prosperitatem det hostibus meis, in malum meum bene faciendo eis, sicut ego benefeci huic Nabal, *si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent usque mane, mingentem ad parietem.* Istud est juramentum per exsecrationem, quo jurans sibi ipsi malum imprecatur, nisi suum impleverit juramentum. Ac si dicat : Sic accidat B mihi, nisi ante mane diei sequentis occidero ipsum Nabal, et quidquid vivum in domo ejus invenero, et cetera bona ejus inventa diripiam. Istud juravit loquendo cum viris suis in via ad Nabal ; vel visis et auditis servis Abigail, durante adhuc vehementia suæ commotionis. In hac quoque juratione secundum Augustinum peccavit, quia temeraria fuit, et ex ira immoderata, qua voluit omnes domesticos Nabal occidere, quum tamen in hac causa fuerint innocentes ; et quamvis fuit unctus in re- C gem, nondum tamen fungebatur jurisdictione regali, nec debuit ea fungi, vivente Saul. Præterea aliqui dicunt, quod in hac juratione, Hæc faciat Deus inimicis David, per inimicos David, intelligatur ipsemet David : alias juramentum esset nullum, sed magis derisorium. Tamen ex præinducta expositione patet hujus oppositum. Alienum etiam impropriumque videtur, per inimicos David, intelligere ipsum David, quamvis interdum in Scripturis aliquid pro suo contrario accipiatur, ubi ad hoc D alia causa rationabilis assignatur, atque ex circumstantia litteræ facile perpenditur, quod ita sumatur.

2. q. 4. c. Quod David et c. Juravit.

Quum autem vidisset Abigail ipsum *David, festinavit et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam,* se humiliter prosternendo, ut sic oratio sua fieret ipsi David grata, *et adoravit super terram, et cecidit ad pedes ejus, et dixit : In me sit, domine mi, hæc iniquitas,* id est, mihi imputa transgressionem mariti mei commissam in te, ita ut satisfactionem meam pro viro meo acceptes. Sic et Apostolus Paulus scribit ad Philemonem de Onesimo servo illius : Si aliquid nocuit tibi, hoc mihi imputa ; ego reddam. *Loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, et audi verba famulæ tuæ. Ne ponat, oro, dominus meus rex :* ipsum David nominat regem, quia unctus jam fuit, et ipsa certissime eum credidit regnaturum ; *cor suum super virum istum iniquum Nabal,* hoc est, non ponderet facta et verba improba hujus iniqui, *quia secundum nomen suum stultus est,* hoc est, nomine et re fatuus est, *et stultitia est cum eo.* Siquidem Nabal stultus interpretatur. Ideo verba et gesta ipsius non sunt curanda viro prudenti, quum et in Proverbiis dicatur : Non respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne ei similis efficiaris. Hinc sapiens non debet se stulto opponere ad rixandum aut belligerandum. Propter quod ait Apostolus : Libenter suffertis insipientes, quum sitis ipsi sapientes. *Ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti :* quos si vidissem, reportassent copiose quæ petierunt. *Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus et vivit anima tua :* hoc est, sicut verum est quod Deus vivit, et etiam anima tua, sic verum est quod pueros tuos non vidi ; *qui prohibuit te, ne venires in sanguinem,* hoc est, misericorditer ordinavit, ut nunc per meum occursum avertaris, ut spero, a tuo proposito contra Nabal concepto, et mens tua ad pietatem flectatur, ita ut a propria conscientia prohibearis ab executione illius propositi ; *et salvavit manum tuam tibi,* id est, a tanto peccato præservavit potestatem seu manum tuam, hoc est te ipsum. *Et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quærunt domino meo malum.* Hoc multi exponunt sic : Inimici tui fiant stulti et improbi, quemadmodum Nabal. Sed non videtur quod virtuosa et prudens mulier illa, imprecata sit aliis mala culpæ. Ideo videtur sic exponendum : Inimici tui fiant sicut Nabal, id est, adversa pro

Philem. 18, 19.

Prov. xxvi, 4.

II Cor. xi, 19.

Digitized by Google

suis peccatis sustineant, nec tibi prævaleant, sicut Nabal jam sustinuisset, nisi tibi occurrissem; et sustinebit, quia non erit impunitus.

Quapropter suscipe benedictionem hanc, id est munera ista quæ tibi adduco, et tribuo gratis, quæ sunt causa et materia benedictionis, *quam attulit ancilla tua tibi domino meo; et da pueris qui sequuntur te dominum meum. Aufer iniquitatem famulæ tuæ,* id est, culpam viri mei, quam super me accepi, ignosce. *Faciens enim faciet tibi Dominus domino meo domum fidelem,* id est, regiam domum quam tibi promisit, fideliter conferet tibi, et sobolem atque familiam quæ erit Deo et tibi fidelis, *quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris,* id est, justa et strenua bella tu exerces. Quasi dicat : Regnabis, quia ad Dei honorem pro re publica pugnas. *Malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.* Quasi dicat: Nunquam inhæreat tibi malitia, ita ut post rationabilem persuasionem perseveres in malo. Hoc addit prudens hæc femina, ad innuendum quod si David occidisset ipsum Nabal, nullo intercedente, occurrente et satisfaciente pro illo, potuisset hoc adscribi passioni iræ potius quam malitiæ. Sed si post tam affectuosam ac humilem precem et satisfactionem ipsius Abigail, id fecisset, fuisset malitiæ adscribendum. Hanc ergo clementiam facies proximo, quatenus merearis pietatem et protectionem gratiosam impetrare a Deo. Hinc subditur :

Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, vel quærens animam, id est vitam *tuam,* ad occidendum, quemadmodum Saul diu et multoties fecit, *erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum.* Deus custodiet et defendet te a periculo tam diligenter, ac si in sorte et numero semper viventium constitutus jam esses. Unde Hebræus habet, Quasi in vinculo vitæ, hoc est in Sanctorum collegio. Alia littera habet, In fasciculo vitium, tanquam dicat : Ita custodiet Dominus vitam et animam A [tuam] ad multiplicandum actus virtutum atque ad prolificandum in regno, quemadmodum custoditur fasciculus vitium in aqua, ut transplantetur. Sicque metaphorice loquitur, tanquam dicat : Sicut ramusculi vineæ colligantur et in aqua ponuntur, ut alibi inferantur aut transplantentur, sic electi et virtuosi nunc custodiuntur in aqua sapientiæ roreque gratiæ, quatenus tempore præfixo a Domino transferantur ad regionem feliciter viventium, et collocentur in patria Beatorum. *Porro inimi-* B *corum tuorum anima rotabitur,* hoc est, vita persequentium te, erit instabilis, et per adversa ac vitia circumvolvetur, cadet, et de societate vivorum projicietur, *quasi in impetu et circulo fundæ,* hoc est velociter, sicut lapis ex funda projicitur.

Quum ergo Dominus fecerit tibi domino meo omnia hæc, quæ locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israel, id est, te regem fecerit, *non erit tibi hoc in singultum,* hoc est fletum intensum, de quo singultus erumpit, *et in scrupulum,* C hoc est remorsum, *cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium* domesticorum Nabal, qui non peccaverunt in te, *aut ipse te ultus fueris* de Nabal propria manu aut usurpata auctoritate. Nondum enim (ut dictum est) habuit David usum et exercitium regiæ potestatis ac jurisdictionis, sed unctus fuit ad succedendum post Saul in regno: idcirco nec verum reor, quod in expositione hujus capituli asserit quidam, quod David de jure potuisset accipere de rebus Nabal pro sua D voluntate, quum esset rex unctus, et in necessitate positus. Verumtamen fateor, quod necessitas excusasset, si fuisset tam magna. *Et quum benefecerit Dominus* universorum *domino meo* David, collocando eum in throno regali, *recordaberis ancillæ tuæ, et tu benefacies ei,* hoc est, memor eris mei in bonum et gratus beneficiis meis. Videtur hæc mulier quasi prophetico spiritu esse locuta. Nam et quidam Hebræi fatentur, quod per spiritum prophetiæ noverat suum virum in brevi moriturum.

1 Reg. XVI 13.

Digitized by Google

Et ait David ad Abigail, gratias agens Deo, prudentique feminæ de saluberrima informatione, et de revocatione a tanto excessu : *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum :* quoniam ex divina præordinatione sic contigit; *et benedictum,* hoc est, laude dignum est, *eloquium tuum, et benedicta tu quæ prohibuisti me, ne irem hodie ad sanguinem* effundendum injuste, *et ulciscerer me manu mea.* Jam dictum est, et paulo post subditur, quod Dominus prohibuit eum inde. Quomodo ergo Abigail inde prohibuit eum? Denique, ipsa non videtur eum inde prohibuisse, sed humiliter supplicavit, ne faceret. Et respondendum, quod Prohibere, sumitur hic extense, pro Impedire. Deus quoque per legem et per conscientiæ censuram, prohibuit eum ab omni homicidio et innoxii sanguinis effusione. Rursus, Deus prohibuit principaliter, Abigail autem dispositive et ministerialiter. *Alioqui vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne [malum] facerem tibi; nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad matutinam lucem mingens ad parietem,* hoc est vivens ac dispositus ad mingendum super parietem. Porro, quod dicitur, Mingens ad parietem, primo exponitur de mare seu masculo, qui mingit erectus et stando. Secundo, exponitur de cane, qui ad parietem mingere solet crure levato. Tertio, de infirmo, qui ad mingendum non potest longius ire. Et juxta hæc, quod superius legitur David jurasse, quod non relinqueret ex omnibus pertinentibus ad Nabal, mingentem ad parietem : Primo exponitur, quod intendebat occidere omnes masculos domus Nabal. Secundo, quod omne vivens in domo ejus volebat perimere, in tantum, quod nec canibus, nec infirmis voluerit parcere, quum tamen canibus propter eorum vilitatem, et infirmis propter eorum imbecillitatem, parcere congruat. Prima autem expositio verior esse videtur : tum quia hic dicitur, Non remansisset Nabal mingens ad parietem, per quod non datur intelligi, quod non permansisset

A canis aut infirmus, quia nec canis fuit, neque infirmus, quando David istud juravit, sed quod non mansisset vir vivens; tum quia hoc fuisset valde crudele, nec infirmis parcere velle ab occisione, propter improba verba unius suppositi.

Suscepit ergo David de manu ejus omnia quæ attulerat ei. Dixitque ei : Vade pacifice in domum tuam. Ecce audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam. Venit autem Abigail ad Nabal. Et ecce erat ei convivium in domo ejus quasi convivium
B *regis, et cor Nabal jucundum. Erat enim ebrius nimis. Et non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane. Diluculo autem quum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc :* qualiter scilicet David juravit eum occidere, et qualiter ipsa placavit illum : quod non indicavit ei in ebrietate constituto, quia pro tunc capax non erat informationis; et indicavit ei hæc omnia uxor sua, non malitiose, sed pie, ut eum ad pœnitentiam provocaret, et cautiorem efficeret. *Et emor-*
C *tuum est cor ejus intrinsecus* præ ingenti timore. Quamvis enim audivit a conjuge ipsum David esse placatum, timuit tamen quod mutato proposito juramentum suum implere studeret. *Et factus est quasi lapis,* id est immobilis, quia ex vehementia timoris, sanguis decurrit ad cor, et sic membra efficiuntur rigida, impotentia, et male mobilia. *Quumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est.*

Quod quum audisset David mortuum
D *Nabal, ait : Benedictus Dominus qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal :* id est, in causa quam habui contra Nabal propter verba opprobriosa quæ adversum me protulit, judicavit pro me, illum puniendo propter suum excessum, et hoc infra decem dies, ut pœna proportionaretur culpæ, quoniam decem erant juvenes quos misi ad eum, per quos tam opprobriosa verba mihi mandavit; *et servum suum custodivit a malo,* id est ab homicidio, *et malitiam Nabal reddidit Do-*

Digitized by Google

minus in caput ejus, id est, pœnam debitam ei pro sua culpa inflixit : et hoc ministerio angeli boni aut mali. Tales quippe ultiones aliquando factæ leguntur per angelos bonos, ut patet de subversione Pentapolis (*Gen.* XIX.); quandoque per angelos malos. Sed videtur David in verbis his gratias Deo egisse de suæ injuriæ ultione, et de adversarii sui ruina fuisse gavisus, quum tamen in libro Proverbiorum dicatur (*Prov.* XXIV, 17.), Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina illius non exsultet cor tuum. Respondetur, quod sanctus vir zelo justitiæ congratulatus est justo judicio Dei, et divinæ applausit seque conformavit justitiæ, non ultionis amore, juxta illud in Job (*Job* XXII, 19.), Videbunt justi, et lætabuntur, et innocens subsannabit eos ; atque in Psalmo (*Ps.* LVII, 11.), Lætabitur justus quum viderit vindictam.

Misit ergo David pueros, *et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem. Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum, et locuti sunt ad eam, dicentes : David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem.* Siquidem digna erat, utpote virtuosa, prudens, eloquens, dives, pulchra, et nobilis. *Quæ consurgens, adoravit prona in terram :* id est, Deum adoravit devote in terram prostrata, gratias agens Deo, qui ita secum ordinavit, quod tanto viro sociaretur conjugio : quod fecit non carnali libidine, sed sapientiali recognitione ; *et ait* ad David, quamvis absentem, per nuntios : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.* Quasi dicat, Indigna sum : et secundum aliquam considerationem sic fuit. *Et festinavit et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellæ ierunt cum ea pedisequæ ejus, et secuta est nuntios David, et facta est illi uxor. Sed et Achinoam accepit David de Jezrael, et* A *fuit utraque uxor ejus.* Tunc enim licita erat, saltem ex dispensatione divina, uxorum pluralitas. Quæri potest, quam harum duarum primo acceperit. Ad quod in Scholastica respondetur historia, quod prima ipsius uxor fuit Michol, secunda Abigail, tertia Achinoam. Verumtamen infra tertio secundi libri capitulo legitur, quod primogenitus David fuit filius Achinoam (II *Reg.* III). Ex hoc tamen non sequitur, quod illa fuit ante Abigail ducta a David.

Saul autem dedit Michol filiam suam B *uxorem David, alii viro Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.* In quo patet impietas Saul in Deum et proximum, qui propriam filiam voluit facere adulteram dando eam alteri marito, vivente priore : per quod etiam valde peccavit in David. Dicunt tamen Hebræi, quod Phalti fuit vir timoratus, et in lege peritus. Propter quod abstinuit a copula carnali cum Michol, sciens quod esset vera uxor David. Magister quoque in historiis ait, quod non cognovit eam, quoniam ipsa diligens virum suum C David, semper interim tristis fuit. Josephus etiam videtur sentire, quod interim communiter simulavit infirmitatem, ne cognosceretur a Phalti.

Circa exordium hujus capituli quæritur, qualiter Samuel dicatur edidisse hunc librum Regum primum, sicut et secundum, quum ea quæ post mortem suam contigerunt, non scripserit. Ad quod in Historiis dicitur, quod reliqua scripsit unus prophetarum discipulus ejus, cujus opus magistro adscribitur. Aliqui tamen dicunt Nathan D scripsisse sequentia : quem etiam nonnulli dicunt fuisse Samuelis discipulum. Aliter respondetur, quod totum frequenter denominatur a parte majori : sicque liber iste fertur a Samuele conscriptus, quia pro parte multum majore, ab ipso est compilatus.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIV

DE MYSTICIS INTELLECTIBUS CAPITULI HUJUS VICESIMI QUINTI.

ABIGAIL, propter excellentiam suæ sapientiæ ac virtutis, merito typum gerit sacratissimæ Virginis. Nabal vero Judæos designat, David Christum. Quemadmodum ergo Abigail iratum David placavit et ab occisione Nabal avertit, sic gloriosissima Virgo Christum peccatoribus irascentem sæpissime ad misericordiam flexit, et ipsa facta est sponsa singularis ac spiritualis Verbi æterni. Rursus, per Nabal magnum nimis ac locupletem, designatur quicumque prælatus aut princeps iniquus, qui magnus est auctoritate, quamvis modicus aut nullus virtute. Cujus possessio est in Carmelo, hoc est in fertilitate terrena, quam præponit divinis. Talis tondet oves suas, quoniam subditorum suorum acquirit proventus, ac sumit stipendia, seu diripit bona, decimas primitiasve sortitur; sicque ex illis ditatur, delicate vivit, carnaliterque resolvitur. Nec tamen pastoralis seu præsidentialis officii debita illis impendit. Hinc per Ezechielem talibus improperat Dominus : Væ pastoribus qui pascebant se ipsos. Lac comedebatis, et lana operiebamini ; gregem autem meum non pavistis. Talis præsidens, secundum nomen suum, stultus est, imo stultissimus, perdens non solum se ipsum, sed et sibi commissos. Unde per Zachariam Dominus loquitur : Sume tibi vasa pastoris stulti. O pastor et idolum, derelinquens gregem. Nonne talis stultissimus est, qui divini rigorem judicii sibi instantis non inspicit, nec veretur, et ista caduca et vana bonis præfert spiritualibus et æternis ? Non est in eo sapientiæ donum, sed puerilitatis et insipientiæ vitium. Est tamen de genere Caleb, per quem designatur Salvator, quia renatus est ex Christo et Ecclesia, ex Spiritu Sancto et

Ezech. xxxiv, 2, 3.

Zach. xi, 17.

Joann. iii, 5.

A aqua. Mulier quoque ejus prudentissima est et formosa, quoniam Ecclesia seu congregatio sibi commissa, frequenter gratiarum charismatibus adornatur.

Præterea per hoc quod David per decem juvenes multum humiliter petivit sustentaculum vitæ a Nabal, salutando eumdem pacifice, præfiguratum est, quod Christus quotidie per eos qui decem observant præcepta, hortatur prælatos ac principes, ut juste et pastoraliter seu exemplariter conversando, reficiant Salvatorem fructu suæ B passionis et mortis, hoc est animarum conversione, et conversorum inflammatione ad meliora ; sed improbi præsidentes ægre suscipiunt hortamenta salutis, et si non verbo, tamen opere parvipendunt Christum, quasi dicentes : *Quis est filius Isai ? Hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos :* quoniam Christus et ejus discipuli interdum consulte declinaverunt et absconderunt se a facie principis sacerdotum et seniorum. Verumtamen impiis principibus et prælatis tam perverse loquentibus atque C agentibus, Ecclesiæ eis commissæ frequenter Deum habent præ oculis, et sanctis operibus ipsum reficiunt, imo et pro suis orant superioribus, et eos pro posse excusant, sed et suis imputant culpis, quod præsidentes eorum male se habent, scientes quod juxta merita subditorum quandoque afficiantur ac disponantur corda superiorum.

Si enim surrexerit homo persequens te, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium. Porro inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu D *et circulo fundæ.* Circa hæc scribit Glossa : Pulcherrima comparatione statum justorum et reproborum discernit. Justorum quippe animas appellat viventes, reprobo-

rum vero, spirituali morte præoccupatas; A justos fasciculo, reprobos lapidi fundæ assimilat. Fasciculus namque constringitur, ut servetur; lapis in funda ponitur, ut abjiciatur: sic electi pressuris tribulationum constringuntur, quatenus his admoniti, mutua caritate ardentius copulentur; sicque conjuncti potestate et pietate Salvatoris, perpetue conserventur. Porro reprobi et iniqui quanto propriæ voluntati latius dimittuntur, tanto longius a divinæ visionis gloria elongantur ac projiciuntur. Mire quoque omnipotentem providentiam describit Creatoris, dicendo, animam viri sancti esse custoditam apud ipsum, quasi in fasciculo viventium. Quemadmodum enim unicuique facile est, fasciculum herbæ vel fœnum manu retentum conservare; sic virtus Salvatoris nostri electos ab initio usque in finem custodit, sicut in Evangelio protestatur: Non rapiet eos quisquam de manu mea. (Joan. x, 28) Sint igitur præsidentes timorati et efficaces ac fervidi in omni actu sui officii, non quæ sua sunt, sed Dei (I Cor. x, 33) honorem et subditorum salutem incessabiliter exquirentes.

ARTICULUS XLV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEXTI: ET VENERUNT ZIPHÆI AD SAUL IN GABAA.

ULTIMA persecutio, quam David a Saul B sustinuit, hic narratur. *Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa* (I Reg. xxiii, 19.) urbe. De istis Ziphæis dictum est supra. Venerunt autem iterato ad Saul, quia jam semel tam gratanter accepit, quod prodiderunt ei David; et forsan quia jam semel fecerunt hoc, timuerunt, si David post Saul viveret et regnaret, ulcisceretur in eos. Ideo satagebant ut occideretur a Saul. *Dicentes: Ecce David absconditus est in colle Hachila, quæ est ex adverso solitudinis. Et surrexit Saul, et descendit in desertum Ziph, et* C *cum eo tria millia virorum de electis Israel, ut quæreret David in deserto Ziph. Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila,* id est in colle præfato, ita quod Gabaa est hic nomen commune, significatque excelsum, *quæ erat ex adverso solitudinis in via. David autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul post eum* * (* se) *in desertum, misit exploratores, et didicit quod illuc venisset certissime. Et surrexit David clam,* id est occulte, ignorantibus viris suis, ne nimis sollicitarentur D et angustiarentur pro eo. Et dicit quidam, quod vestem mutavit ne cognosceretur, quum tamen totum negotium hoc voluerit in ipsa nocte complere, et paulo post prodiderit semetipsum. *Et venit ad locum ubi erat Saul. Quumque vidisset locum in quo dormiebat Saul, et Abner filius Ner princeps militiæ ejus, et Saulem dormientem in tentorio, et reliquum vulgus per circuitum ejus, ait David ad Achimelech Hethæum, et Abisai filium Sarviæ fratrem Joab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai: Ego descendam tecum.*

Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul jacentem et dormientem in tentorio, et hastam fixam in terra ad caput ejus; Abner autem et populum dormientes in circuitu ejus. Dixitque Abisai ad David: Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum, videlicet Saulem, *lancea in terram semel,* id est perfecte, ita quod protinus morietur, *et secundo opus non erit* amplius lædere eum. *Et dixit David ad Abisai: Ne interficias eum. Quis enim extendet manum suam in christum*

Digitized by Google

Domini, et innocens erit? quasi diceret, Hoc sine peccato perpetrare non posses. *Et dixit David : Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum,* ita quod violenta interierit morte, *aut dies ejus venerit ut moriatur* ex naturalibus causis, naturalique nece, *aut in prælium descendens perierit,* id est, occisus fuerit, aut simili morte discedat, *propitius sit mihi Dominus,* id est, gratiose præservet me, *ne extendam manum meam in christum Domini. Nunc ergo tolle hastam, quæ est ad caput ejus* sita et fixa, *et scyphum aquæ,* id est vasculum vini seu potus, ut per hæc tanquam per signa, probemus paulo post, nos hic fuisse. Quidam tamen exponunt de aqua proprie dicta, quam putant ibi fuisse ad lotionem manuum regis; vel de aqua rosacea, pro refrigerio contra calorem adducta. *Et abeamus. Tulit igitur David hastam,* id est, per manum Abisai eam accepit et secum portavit, *et scyphum aquæ qui erat ad caput ejus, et abierunt, et non erat quisquam qui videret et intelligeret et evigilaret, sed* [*omnes*] *dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos,* id est vehemens dormitio immissa a Deo famulatu angelico.

Quumque transisset David, et stetisset in vertice montis, inter quem et exercitum Saulis fuit torrens, ut in Scholastica historia legitur, *de longe, et esset grande intervallum inter eos, clamavit ad populum et Abner filium Ner, dicens : Nonne respondes, Abner?* quasi dicat, Specialiter pertinet ad te respondere et pugnare pro rege. *Et respondens Abner, ait : Quis es tu, qui clamas et inquietas regem? Et ait David ad Abner : Numquid non vir es tu,* id est strenuus et virilis? ita quod vir hic sumitur a vigore potius, quam a sexu. *Et quis alius similis tui in Israel?* Videtur David quasi ironice loqui. Vel si seriose aut interrogative hoc protulit, verum est, quod Abner fuit vir valde præcipuus, sagax, fortis et eminens. *Quare ergo non custodisti dominum tuum regem?* Et utique reprehensibile et incautum fuisse videtur, quod non ordinavit de vigilibus noctis, vel de efficaci custodia. *Ingressus est enim unus de turba,* videlicet Abisai nepos David, *ut interficeret regem dominum tuum.* Ad hoc quippe paratus fuit, et intendisse hoc ipsum videtur, nisi prohiberetur a David. Si autem fuissent ibi custodum vigiliæ, non sic intrasset Abisai. *Non est bonum hoc quod fecisti. Vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos,* id est mortis supplicio digni, non solum tu Abner, sed et ceteri, præsertim quibus incumbebat custodia regis, *qui non custodistis dominum vestrum christum Domini.* Itaque secundum legem communem, videntur in hoc mortis incurrisse reatum, quod neglexerunt custodiam regis, in tantum quod incidit in adversarii manus. Verumtamen, quoniam dictum est, quod sopor Domini irruit super eos, ita quod dispositione divina sic accidit, videntur in foro conscientiæ excusabiles fuisse, quum non sit sapientia, prudentia aut consilium contra Dominum. *Nunc ergo vide ubi sit hasta regis, et ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus.* Prov. xxi, 30.

Cognovit autem Saul vocem David, imo et præinducta verba intellexit, sicque consideravit se rursum incidisse in manus David, et parcitum sibi esse ab illo : ideo ad mansuetudinem versus, *dixit : Numquid vox hæc tua* est, *fili mi David? Et ait David : Vox mea, domine mi rex. Et ait : Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? Quid feci? aut quod malum est in manu mea? Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui. Si Dominus incitat te adversum me,* id est, provocari permittit, aut si putas te moveri a Deo, et juste procedere, *odoretur sacrificium,* id est, oblatio fiat pro me Deo, ut mihi reconcilietur, ne amplius incitet te contra me. Quasi dicat : Paratus sum sacrificiis et orationibus Deum placare. Vel sic : Odoretur sacrificium, id est, ambo sacrificemus Domino, quatenus ipse ostendat an movearis ab ipso. Quidam exponunt sic : Odoretur sacrificium, id est, patientia

Digitized by Google

quam habeo in persecutione hac, instar A sacrificii sit Deo accepta; sed expositio hæc, spiritualis magis quam litteralis esse censetur.

Si autem filii hominum incitant te contra me : sicut et incitabant, unde supra
I Reg. xxiv, 10. David dixit ad Saul : Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te? *maledicti sunt in conspectu Domini,* id est, pravi et vitiosi sunt coram Deo et maledictione condigni, *qui ejecerunt me hodie,* id est, procuraverunt a te, quod expulisti me tempore isto, et nunc B usque protraxisti meam expulsionem. Verumtamen David hæc dicens, fuit in terra promissionis, sed jam ante fuit ebannitus et expulsus ab ea. *Ut non habitem in hereditate Domini,* id est in terra hac cultus divini, quæ fuit specialiter terra hereditaria Dei, utpote ab eo electa ad cultum divinum. Vel, hereditas Dei vocatur Israeli-
Is. xix, 25. tica plebs, de qua ait per Isaiam : Hereditas mea Israel. In hac hereditate non potuit pacifice et publice commorari. *Dicentes* verbo aut opere ad me, quamvis absen- C tem : *Vade, servi diis alienis,* id est, inter idololatras habita in terra aliena, et ibi cole gentium idola. Ita enim parvipenderunt salutem David, et eum sic despexerunt, quod forsan quidam illorum dixerunt hæc verba. Vel ad minus dixerunt hæc facto aut æquivalenter. Ex quo enim cultus veri Dei non viguit, nisi in terra Israel, qui expellebantur a terra illa, exponebantur
Ps. xvii, 27. idololatriæ vitiis, juxta illud : Cum perverso perverteris. Hinc lex non injunxit exsilium, quoniam exsulati a terra cultus D divini, incidissent faciliter in idololatriæ crimina, ut in prima secundæ asserit Thomas, et super Pentateuchum dictum est plenius.

Et nunc non effundatur sanguis meus in terra coram Domino, id est, absit ut juste seu propter demerita mea occidar, nec in manus tuas me tradat : quod merito oro, *quia egressus est rex Israel, ut quærat pulicem unum,* id est, rex tam potens, cum tanto exercitu venit ad capiendum me, qui comparatione illius modicus et impotens sum, ac instar pulicis hinc inde transilio fugiendo, *sicut persequitur perdix,* id est, sicut bestiola illa fugatur, persecutionemque sustinet *in montibus* ab aucupe. Sicque verbum istud, Persequitur, quod proprie est deponentale, et active accipitur, sumitur hic passive : quemadmodum verbum hoc, Promeretur, ad Hebræos, Talibus hostiis promeretur Deus, id Hebr. xiii, 16.
est, meritorie obtinetur pro præmio. Tamen, ut fertur, in Hebræo habetur QUOQUIM, quod designat avem quæ insequitur muscam aut tale quid vile : sicque Persequitur, proprie sumitur.

Et ait Saul : Peccavi; revertere, fili mi David. Nequaquam ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie, id est, hac nocte præservasti me ab occisione, et custodisti me tanquam pretiosum thesaurum. Et utique pretiosa fuit anima Saulis in oculis David, qui noluit ipsum Saul occidere in statu illo vitioso, in quo tunc fuit, in quo si eum occidisset, anima ejus mox fuisset damnata. *Apparet enim quod stulte egerim nimis,* volendo te trucidare, quem Deus unxit et elegit ad I Reg. xiii, 13.
regnandum pro me, *et ignoraverim multa nimis,* non considerando justa judicia Dei, quibus nemo potest resistere, et etiam me sæpe habendo incaute, ita quod bis incidi Ibid. xxiv, 4, 5.
manus tuas. *Et respondens David, ait : Ecce hasta regis, transeat unus de pueris regis, et tollat eam. Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam et fidem,* id est fidelitatem, vel juxta fidei suæ actum, prout fides est theologica virtus. Nam justus ex fide vivit. Per quæ ver- Habac. ii, 4; Rom. i, 17; Hebr. x, 38.
ba notat Saulem, qui toties tam injuste ac infideliter se habuit circa David. *Tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, et nolui extendere manum meam in christum Domini. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis,* id est, sicut valde clementer me habui in hac nocte circa vitam et animam tuam, eam honorando, in tantum, quod nec læsi nec lædi permisi eamdem; *sic magnificetur anima*

Digitized by Google

mea in oculis Domini, id est, pie atque magnifice custodiatur a Deo, *et liberet me de omni angustia. Ait ergo Saul ad David : Benedictus tu, fili mi David,* id est laude dignus, et donis gratiæ Dei ornatus; *et quidem faciens facies,* id est, magna (ut condecet regem) ages, juxta illud Isaiæ :
Is. xxxii, 8. Princeps ea quæ digna sunt principe, cogitabit; *et potens poteris,* id est, mihi jam A prævalens, adhuc amplius prævalebis, et rex præpotens eris, et adversarios superabis. Utitur autem Saul modo loquendi truncato ex vehementia admirationis. *Abiit autem David in viam suam,* quia non credidit verbis Saul, cujus infidelitatem, inconstantiam, furiam et rancorem fuit frequenter expertus; *et Saul reversus est in locum suum.*

ARTICULUS XLVI

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : ET AIT DAVID IN CORDE SUO.

Recitatur hic, qualiter David terram Israel exiens, a rege Philistinorum susceptus sit, et qualiter infideles vastaverit. *Et ait David in corde suo,* intra se cogitando : *Aliquando incidam uno die in manus Saul :* id est, si diutius in terra hac Israel mansero, probabile est secundum conjecturam humanam, quod tandem comprehendar a Saul. Qualiter autem potuit hoc rationabiliter formidare, non obstante quod scivit se unctum in regem, dictum est sæpe. *Nonne melius est ut fugiam,* exeundo terram dominii Saul, *et salver in terra Philistinorum, ut desperet Saul* se posse comprehendere me, *cessetque me persequi in cunctis finibus Israel? Fugiam ergo manus ejus. Et surrexit David, et abiit ipse et sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth.* Achis iste (secundum Magistrum in historiis) fuit filius illius Achis, ad quem supra David legitur confugisse (I Reg. xxi, 10.); et mater istius Achis, vocata est Maoch. Geth quoque fuit præcipua urbs Philistinorum. Ideo dicitur fuisse rex urbis illius : per quod notatur, quod erat rex totius terræ Philistiim. *Et habitavit David cum Achis in Geth, ipse et viri ejus, et domus ejus, Achinoam Jezraelitis, et Abigail uxor Nabal Carmeli. Et nuntiatum est Sauli, quod fugisset David in Geth, et non addidit ultra quærere eum.*

B *Dixit autem David ad Achis : Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi* a te *locus* habitandi *in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi. Cur enim manet servus tuus in civitate regis tecum?* quasi dicat : Præsumptuosum videtur ex parte mei, et onerosum est tibi, quod ego cum tot viris habito tecum in urbe hac regia metropoli. *Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg : propter quam causam facta est Siceleg regum Juda usque in diem hanc,* id est, de cetero ad eos pertinuit : C imo etiam ex jure divino pertinuit eis, quoniam erat ex urbibus, quas Deus per Josue filiis Israel deputavit, atque ad tribum Juda fuit adscripta, ut in libro Josue patet. (Josue xv, 31.) *Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philistinorum, quatuor mensium,* id est, quatuor menses continuerunt et constituerunt dies illi. Porro (ut dicitur) in Hebræo habetur, Dies et quatuor menses, atque (ut Josephus scribit) erant viginti dies et quatuor menses. Quidam per dies intelligunt duos dies naturales, alii annum vel annos, quoniam D infra Achis ait de David : Est apud me multis diebus vel annis. (I Reg. xxix, 3.)

Et ascendit David et viri ejus, et agebant prædas de Gessuri, et de Gerzi, et de Amalecitis, id est, bona hominum regionum illarum diripuerunt. *Hi enim pagi*

Digitized by Google

habitabantur antiquitus in terra euntibus Sur : id est, villæ terrarum præfatarum, quarum villarum habitatores spoliavit, olim inhabitabantur securæ, pergentibus illico multis per viam qua itur ad territorium Sur ; *usque ad terram Ægypti. Et percutiebat David omnem terram illorum,* id est, habitatores locorum illorum occidit, *nec relinquebat viventem virum et mulierem,* id est, tam viros quam mulieres occidit ; *tollensque boves et oves et asinos et camelos et vestes, revertebatur et veniebat ad Achis.* Sed nonne istud videtur crudelissimum, injustissimumque fuisse ? Respondetur, quod non, quoniam præfatæ terræ ad terram totam filiis Israel repromissam divinitus pertinuerunt, sicque tempore opportuno poterant occupari ab Israelitis, et perfidi habitatores territoriorum illorum ex divina jussione erant tunc occidendi, sicut et tempore Josue factum est Chananæis.

Dicebat autem ei Achis : In quem populum irruisti hodie ? Respondebat David : Contra meridiem Juda, et contra meridiem Jerameel, et contra meridiem Ceni, id est, filios Israel commorantes versus plagam meridianam, et versus urbem Jerameelitarum, et versus oppidum Cinæorum impugnavi, percussi et spoliavi. In his verbis aliqui accusant ipsum David a mendacio, A quoniam ambigue et indeterminate respondit. Verumque fuit, quod hi in quos irruit, morabantur versus meridiem. Alii dicunt eum mentitum, quia sic respondit ex proposito, quatenus rex Achis deciperetur, taliter intelligendo verba ipsius David, quasi Judæos invasisset. Sic quoque Achis intellexit responsum David. *Virum et mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens : Ne forte loquantur adversum nos. Hæc fecit David, et hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitavit in regione Philistinorum.* B *Credidit ergo Achis* ipsi *David, dicens : Multa mala operatus est contra populum suum* filios *Israel.* Et dicunt istud fuisse mendacium officiosum, quia pro conservatione sui ipsius et virorum suorum, ita respondit. *Erit igitur servus mihi sempiternus,* id est per omne tempus vitæ suæ. Ista fuit una causa, quod Achis iste tam benevole suscepit et tractavit David ac suos, quia percepit quod Saul erat hostis eorum, et ipse Saul fuit letalis adversarius hujus Achis. Alia C causa fuit, quoniam Achis iste propter virtutes et probitatem ipsius David, bene afficiebatur ad eum, sicut et aliqui magni Philistinorum, in tantum quod Ethai Gethæus cum viris suis per David fuit ad Judaismum conversus.

ARTICULUS XLVII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : FACTUM EST AUTEM IN DIEBUS ILLIS.

RECITATUR jam, qualiter Philistæi et Israelitæ præparaverunt se ad pugnam ultimam, quam contra se invicem habuerunt vivente Saul. *Factum est autem in diebus illis, congregaverunt Philistiim agmina sua* particularia, quibus satrapæ præfuerunt : ex quibus omnibus unum generale ac totale agmen constituerunt, cui rex præfuit ; *ut præpararentur ad bellum con-* D *tra Israel. Dixitque Achis* rex Philistinorum *ad David : Sciens nunc scito :* expressio est certitudinis, tanquam dicat, Pro certo agnoscas ; *quoniam mecum egredieris in castris,* id est turmis Philistiim, *tu et viri tui,* ad pugnandum adversus Saul. Hoc dixit Achis, quasi honorans ipsum David, de cujus strenuitate et fidelitate taliter sensit. *Dixitque David : Nunc scies* per effe-

Digitized by Google

ctum, *quæ facturus est servus tuus,* id est, qualiter me habebo, et tibi adstabo. *Et ait Achis ad David : Et ego custodem capitis mei te ponam cunctis diebus,* id est, de tua fortitudine, prudentia, fidelitate et peritia in rebus bellicis sum tam certus, quod in congressibus periculisque bellorum faciam te custodem et defensorem mei ipsius. Recteque ait, Capitis mei, quoniam caput in bellis ictibus magis patet, et plus impeti solet : ideo fortiori eget custodia.

Circa hæc quæritur, an David dixit hæc verba ex corde, secundum quod ea etiam Achis intellexit, hoc est, an intendebat in bello juvare regem Achis contra Hebræos. Si sic, videtur in hoc peccasse, quod scilicet intendebat perfidos Philistæos contra cultores Dei juvare, præsertim quum probabile sit, quod non habuerunt prælium justum contra Judæos, quibus Dominus per Moysen et Josue promiserat terram Philistinorum. Insuper David jam ante ausus non fuit mittere manum suam in christum Domini, utpote in Saul, quum ipse Saul quæsisset occidere ipsum David : ergo multo minus extendisset manum suam in Saul, in bello, in quo non quærebat animam ejus. Si dicatur, quod non intendebat pugnare pro Achis contra adversarios ejus Hebræos, ergo perniciose mentiebatur, et deceptor regis sibi propitii esse proposuit, atque ingratus fuit beneficiis regis illius. Denique, Glossa interlinearis super hæc verba, Nunc scies quæ facturus est servus tuus, ait, videlicet, Pro te contra inimicos tuos. Alia quoque glossa, Quæ facturus est, inquit, servus tuus contra hostes.

Exod. XIII, 5; *Josue* XIII, 2, 3. I *Reg.* XXIV, 7; XXVI, 11.

Circa hæc scribit Lyra : Dicendum, quod David intendebat defendere ipsum Achis, cui tenebatur ex beneficiis ab illo receptis, nec peccasset in hoc, duplici ratione. Una accipitur ex parte Achis, si ipse Achis habuit justum prælium contra Saul : quod potuit esse, si Saul arrepticius fregit aliqua pacta aut juramenta inita cum Philistæis. Alia ratio sumitur ex parte David, qui habuit jus in regno Israel, ideo potuit illud acquirere virtute armorum facultate occurrente. Et in tali bello justo poterat licite uti Philistinorum confortatione atque auxilio. Cogitabat enim probabiliter, quod si Philistæi prævalerent, amicus suus Achis ipsum juvaret ad possidendum regnum Israel. Verum contra hæc scribit Rabbi Paulus multum prolixe. Et primo reprobat secundam rationem, per quam secundum Lyram poterat David contra filios Israel sine peccato pugnare, et Philistæos juvare, quia ratione suæ inunctionis in regem, habuit jus in regno Israel, ita quod potuit illud acquirere virtute armorum facultate occurrente. Nam, quamvis fuit unctus in regem, non tamen sic, ut regnaret, aut exsecutione seu jurisdictione potestatis regiæ uteretur Saule vivente; nec sic, quod potuerit pro regno obtinendo pugnare adversus Saul facultate occurrente : quia præhabitum est, quod Saul bis incidit in manus David, ita quod ei occurrit facultas occidendi Saulem, nec tamen hoc fecit, nec fieri a suis permisit, protestans quod fieri non posset absque peccato, ut plenius patuit supra. Porro, quod dicitur, ipsum David potuisse uti auxilio infidelium Philistinorum ad acquirendum regnum Israel, non videtur ullum habere colorem, quia jam dixerat ante, quod auxilio suorum virorum fidelium, qui erant sexcenti, non poterat sine peccato uti ad occidendum Saul, ut ita rex fieret : multo minus putavit se posse uti ad hoc Philistinorum subsidio. Hinc Rabbi Paulo apparet, quod David in casu isto tam perplexo et intricato, divinæ providentiæ se commisit, proponens id agere, quod sibi Dominus inspiraret. Unde nec ex ejus responsione, neque ex Glossa præallegata concluditur, quod intendebat pugnare contra regem, plebemve Israel : quia non dixit ad Achis, Nunc scies quod pugnabo contra Saul ac suos, nec Glossa hoc dicit; sed, Nunc, inquit, scies quid facturus sit servus tuus. Additque Glossa, Contra inimicos tuos, quæ sunt verba indeterminate prolata, et poterant verificari sive pugnaret contra Israel, sive non. Præterea videtur quibusdam, quod David in-

tendebat defendere regem Achis propter beneficia sibi ab illo exhibita, quantum id facere potuisset sine culpabili Israelis læsione.

Samuel autem mortuus est, et planxit eum omnis Israel, et sepelierunt eum in I Reg. xxv, 1. *Ramatha urbe sua,* quemadmodum supra est descriptum : et istud repetitur hic propter sequentem historiam, in qua resuscitatus suo modo describitur. *Et Saul abstulit magos et ariolos de terra,* id est, de regno suo illos expulit, vel occidit quos potuit invenire, vel sub pœna mortis prohibuit eis usum hujuscemodi artis nefariæ. Magis tamen videtur, quod fecit tales occidi. Unde in aliquibus textibus subditur : Et interfecit eos qui pythones habebant in ventre, id est, artem suscitandi mortuos gerebant in mente. Verumtamen hoc non est in Hebræo, nec in libris correctis. Denique Saul videtur illos abstu- Lev. xx, 6. lisse zelo legis, quum scriptum sit : Anima quæ declinaverit ad magos et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, interficiam illam Ibid. 27. de medio populi sui. Itemque : Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis spiritus fuerit, morte moriatur. In Exo- Exod. xxii, 18. do quoque : Maleficos non patieris vivere. Aliqui tamen affirmant, quod illos occidit, quia dicebant ipsum David regnaturum.

Congregatique sunt Philistiim, et venerunt, et castrametati sunt in Sunam, id est, juxta urbem sic dictam. Unde vocata IV Reg. iv, 12. est mulier Sunamitis. *Congregavit autem Saul universum Israel,* id est, quosdam viros de singulis tribubus, familiis et domibus Israeliticæ plebis, *et venit in Gelboe ; et vidit Saul castra Philistiim,* id est fortitudinem et multitudinem agminis Philistinorum, *et timuit et expavit cor ejus nimis.* Non enim speravit in Domino, et justo Dei judicio ablata est ei audacia et magnanimitas pristina, quoniam dies ejus præfinita a Deo, jam venit. Unde tam immoderatus ac vehemens timor, fuit probabile signum, quod fuit vincendus. Talis etenim timor infrigidat atque debilitat hominem, et usum impedit rationis, consiliique acumen. *Consuluitque Dominum, et non respondit ei, neque per somnia,* id est per visiones quæ fieri solent in somniis, juxta illud in Job : Per somnium in visione nocturna aperit aures virorum ; Job xxxiii, 15, 16. *neque per sacerdotes.* Consuevit autem Dominus per pontificem specialiter respondere, et ille, puta Abiathar, pro tunc erat cum David. Indignum quoque se fecerat Saul responso divino per sacerdotes, quia Achimelech pontificem cum aliis sacerdotibus multis impiissime trucidavit. Quidam I Reg. xxii, 18. circa hoc scribit : Non respondit ei Dominus per sacerdotes, quoniam eos occidit, excepto Abiathar : quod non est intelligendum, quasi Saul occiderit omnes sacerdotes suo tempore exsistentes, præter Abiathar, sed sacerdotes qui erant in Nobe. Qui autem in aliis urbibus commanserunt, manebant superstites. *Neque per Prophetas,* qui (ut creditur) fuerunt Samuelis discipuli : quorum responsione propter sua peccata fuit indignus.

Dixitque Saul servis suis : Quærite mihi mulierem habentem pythonem, id est artem divinandi modo prætacto, *et vadam ad eam, et sciscitabor per illam* eventum belli. Circa hoc Magister in historiis scribit : Pythonem quidam dicunt artem esse suscitandi mortuos, quam Pythius adinvenit; quasi dicat, Quærite mihi mulierem peritam artis illius. Quod congruit Hebræo, in quo legitur, Mulierem Baalathob : BAALATH namque interpretatur domina ; OB vero, est nomen artis illius. Quasi dicat, Quærite mihi mulierem, quæ sit domina seu magistra artis illius. Pythius iste, secundum Glossam, vocatur Apollo seu Phœbus, harum artium inventor et cultor, a quo pythonissæ atque pythonici dicti sunt. Videtur demum hæc ars in mulieribus præcipue viguisse. Nam et Saul locutus est, Quærite mihi mulierem habentem pythonem ; non dixit, Quærite mihi virum talem. In Actis quoque Apostolorum legitur de puella py- Act. xvi, 16. thonissa, quæ magnum præbuit quæstum suis dominis divinando. Ex his innotescit defectuositas Saul, qui quum quasi zelo le-

Digitized by Google

gis prætendisset, se magos atque ariolos A
abstulisse, jam confugit ad eos, contra il-
Lev. xix, 31. lud Levitici : Ne declinetis ad magos, nec
ab ariolis aliquid sciscitemini. Unde et in
Deut. xviii, 10, 11. Deuteronomio habetur : Non inveniatur in
te qui ariolos sciscitetur, aut observet som-
nia atque auguria. Nec sit maleficus, neque
incantator, nec qui pythones consulat, ne-
que divinos, et quærat a mortuis veritatem.
*Et dixerunt servi ejus ad eum : Est mu-
lier habens pythonem in Endor,* id est in
loco seu oppido sic vocato.

Mutavit ergo habitum suum, vestitusque B
est aliis vestimentis, ne femina illa, cognito
eo, metueret ac renueret respondere. In
Scholastica fertur historia, quod Hierony-
mus mulierem hanc asserat fuisse matrem
Abner. Sed quum Abner fuerit consobri-
nus Saulis tam proximus, ita quod pater
ejus fuit frater patris Saul, non apparet
quin mulier illa ex intuitu vultus et statu-
I Reg. x, 23. ræ Saul, qui ab humeris eminebat, et ex
voce ipsius eum utique agnovisset. *Et abiit
ipse et viri duo cum eo, veneruntque ad
mulierem nocte, et ait illi : Divina mihi* C
in pythone, id est, per artem pythonicam
prænuntia mihi futura per apparitionem
defuncti, *et suscita mihi quem dixero tibi.*
Qualiter intelligenda sit suscitatio ista, in
fine dicetur hujus articuli. Nec enim pu-
tandum, quod hæc mulier quacumque arte
nefanda habuerit potestatem suscitandi de-
functum, sed per artem illam fiebat quod
diabolus in forma alicujus defuncti appa-
ruit. Ideo si in hac apparitione apparuit
veraciter Samuel suscitatus, hoc fuit non
arte pythonica, sed operatione et dispen- D
satione divina. *Et ait mulier ad eum : Ec-
ce tu nosti quanta fecerit Saul, et quomodo
eraserit magos et ariolos de terra : quare
ergo insidiaris animæ meæ ut occidar? Et
juravit ei Saul in Domino, dicens : Vivit
Dominus, quia non eveniet tibi quidquam
mali propter hanc rem,* id est, tempora-
le supplicium ex jussu regis non patieris.
Meruit tamen illa æternum supplicium, a
quo Saul eam assecurare nequivit.

*Dixitque ei mulier : Quem suscitabo ti-
bi? Qui ait : Samuelem mihi suscita.* Sic-
ut tangit Petrus Comestor, ideo in capitulo
isto repetitur mors Samuelis, ut ostendatur
Saulis angustia, in qua plurimum ei fuit
necessarius Samuel. Vel, ut ostendatur Sa-
muel recenter defunctus, qui erat in pro-
ximo suscitandus. Tradunt quippe nonnul-
li, neminem posse suscitari arte pythonica,
nisi recenter mortuum, et integris adhuc
vitalibus. Verumtamen huic dicto objici
potest, quia communiter dicitur, quod Sa-
muel mortuus fuit biennio ante Saul. *Quum
autem vidisset mulier Samuelem, excla-
mavit voce magna :* quoniam conturbata
fuit, viso tanto Propheta, secundum unam
opinionem, et territa, sciens ipsum Saul
adesse ; *et dixit ad Saul : Quare imposuisti
mihi* istud negotium ? quasi dicat : Impo-
sturam seu deceptionem fecisti. *Tu es enim
Saul.* Hoc scivit ex revelatione suscitati,
et secundum Josephum, anima Samuelis
indicavit hoc mulieri, quæ ita clamavit,
quum maleficiis suis peractis, suscitatum
vidisset. Præterea fabulantur quidam He-
bræi, quod dum mortuus magice suscitatur
ad petitionem ejus qui non est rex, primo
movetur et surgit ac apparet a pedibus ;
dum vero rege sciscitante suscitatur, pri-
mo surgit et apparet a capite propter regiæ
reverentiam potestatis. Quidam dicunt Pro-
phetam suscitari non posse, nisi rege pe-
tente. Ideo mulier viso Propheta, cognovit
regem adesse.

*Dixitque rex : Noli timere. Quid vidi-
sti? Et ait mulier ad Saul : Deos vidi as-
cendentes de terra.* Secundum expositores
catholicos, ponitur hic plurale pro singu-
lari, sicut in Exodo : Isti sunt dii tui Israel ; Exod. xxxii, 4.
quum non fuerit nisi idolum unum. Propter
quod in Esdra leguntur dixisse : Iste est II Esdr. ix, 18.
Deus tuus Israel, qui te eduxit ex Ægypto.
Itaque mulier : Vidi, inquit, deos ascen-
dentes de terra, id est virum divinum, sur-
gentem et suscitatum e monumento. He-
bræi imaginantur, quod Samuel putans se
ad divinum vocari judicium, deprecatus est
Moysen secum venire ad protestandum pro
se, quod legem plenarie adimplesset : qua-

Digitized by Google

si nec Moyses nec Samuel agnoverint diem judicii esse futurum in fine mundi post primum Christi adventum, quem sciebant tunc nondum venisse; vel, quasi anima Samuelis fuerit tam ignara, quod nescierit in divino judicio neminem posse testibus adjuvari, quum omnia supercertissime summo Judici constent. Propter quod sanctus Job dicit : Si æquitas judicii quæritur, nemo audet pro me testimonium dicere. (*Job* ix, 19.) Quod autem ponatur hic plurale pro singulari, elicitur ex hoc, quod Saul singulariter quærit. *Dixitque ei : Qualis est forma ejus? Quæ ait : Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio* tali, quali adhuc vivens consuevit vestiri. *Et intellexit Saul quod Samuel esset.* Hoc namque putavit, sive sic fuerit, sive non. Itaque sicut infra libro quarto habetur, quod Ochozias cognovit (IV *Reg.* i, 7, 8.) Eliam ex relatione sui vestitus et formæ, sic Saul Samuelem. *Et inclinavit se super faciem suam in terra,* prosternens se humi, *et adoravit* Samuelem adoratione duliæ, tanquam excellentem et sanctam personam. Ex his trahitur, quod Saul non vidit Samuelem apparentem, sed mulier : alias non interrogasset, Qualis est forma ejus? Dicitur tamen apparuisse Sauli, quia allocutus est eum. Verumtamen Augustinus fatetur, quod non absurdum sit credere, spiritum justi Samuelis ostendisse se regis adspectibus : quod potest exponi de ostensione per verba.

Dixit autem Samuel ad Saul : Quare inquietasti me, id est, inquietari fecisti a requie, quæ est in limbo patrum, *ut suscitarer? Et ait Saul : Coarctor nimis. Siquidem Philistiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia. Vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel : Quid interrogas me?* quasi dicat, Frustra hoc agis, *quum Dominus recesserit a te, et transierit ad æmulum tuum,* id est ad David cui tu invides, quum tamen ipse te diligat. *Faciet enim Dominus tibi, sicut locutus est in manu mea,* id est per obsequium

A meum, seu ministerio oris mei : quia per manum potestas seu operatio designatur. Vel, Per manum meam, id est per verba quæ scripsi manu. Siquidem Prophetæ manu scripserunt, quæ dixerunt ore tenus. *Et scindet regnum de manu tua,* id est, totum (I *Reg.* xv, 28.) auferet tibi, *et dabit illud proximo tuo David : quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec,* id est, rigorem divinæ justitiæ executus non es in Amalecitis, prout supra expositum fuit. (*Ibid.* 9.) Falsa pietas illa qua pepercit

B Agag regi, imo et cupiditas qua pepercit melioribus pecoribus, negligentia et inobedientia, fuerunt præcipua causa reprobationis Saulis a regno. Fuerunt etiam aliæ causæ, videlicet quod obtulit holocaustum, (*Ibid.* xiii, 9.) usurpans sibi sacerdotale officium, et quod tam impie persecutus est David ac suos, et quoniam sacerdotes sic trucidavit. (*Ibid.* xxii, 18.) *Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie; et dabit Dominus etiam Israel,* id est magnam partem exercitus tui, *in manus Philistiim.* Nam et populus Israel simul cum

C rege suo multipliciter erat culpabilis; et interdum contingit, quod propter peccata principis percutitur populus, corporaliterque punitur, in quantum princeps et populus ejus sunt quodammodo unum : et hoc ipsum novit omnium Moderator altissimus in bonum spirituale populi aliunde innoxii, ordinare. Ideo non contigit in hoc injustitia aliqua, Deo attribuenda. *Cras autem tu et filii tui mecum eritis,* id est in numero defunctorum et statu mortuorum seu in inferno, sumendo infernum totali-

D ter, prout quatuor loca includit, videlicet locum damnationis reproborum, purgatorium, limbum patrum, limbumque parvulorum. Quid vero sentiendum videatur de damnatione aut salvatione Saulis, dictum est in primo libro Paralipomenon. (I *Par.* x.) De Jonatha autem tenetur, quod fuit vir magnæ virtutis. De aliis filiis Saul nil certum habetur. Sed sicut in evangelica lege viri congressuri præparant se per exercitia devotionis ad mortem salubrem, ita credendum videtur de viris sub veteri lege, quam-

Digitized by Google

vis non omnes sic fecerint, sicut nec modo. *Sed et castra Israel tradet Dominus in manus Philistiim.*

Statimque Saul cecidit porrectus in terram. Extimuerat enim verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa: id est, corporalis fortitudo erat valde debilitata in Saul, ex quo tota die illa nil manducavit, et etiam ex apparitione et allocutione sibi exhibitis a suscitato. Ex talibus enim solet homo multum debilitari. Itemque ex vehementia sui timoris, quem ex verbis et comminationibus Samuelis incurrit. *Ingressa est itaque mulier illa ad Saul.* Egressa enim de secretario, in quo maleficium suum exercuit, intravit ad Saul. *Conturbatus enim erat valde. Dixitque ad eum: Ecce obedivi ancilla tua voci tuæ, et posui animam meam in manu mea,* id est, vitam meam exposui perditioni et periculo mortis, faciendo ad tuam instantiam opus sub mortis periculo prohibitum a lege et rege; *et audivi sermones tuos quos locutus es ad me. Nunc igitur audi et tu vocem ancillæ tuæ, et ponam coram te buccellam panis,* id est cibum convenientem, *ut comedens convalescas, et possis iter agere.* Loquitur autem mulier curialiter, sicut dicere solemus his quos invitamus : Comedatis unum morsellum. *Qui renuit, et ait : Non comedam. Coegerunt autem eum servi sui et mulier,* id est, instanter rogando et exhortando Saulem ut manducaret, habuerunt se quasi per modum cogentis, quamvis non fuerit absoluta coactio. *Et tandem audita voce eorum, surrexit de terra, et sedit super lectum.* Fuit autem tam desolatus, tristis et debilis, quod non sensit appetitum ad refectionem. Et ex isto eliciunt quidam, quod nec mulier pythonissa, nec servi Saulis audierunt verba Samuelis prolata ad Saul : quæ si audissent, verisimile putant, quod sicut rogaverunt Saulem ut manducaret, sic rogassent et persuasissent, ut non iret ad pugnam, in qua fuit casurus.

Mulier autem illa habebat vitulum pascualem, id est impinguatum, *in domo, et*
A *festinavit et occidit eum* ad coquendum. *Tollensque farinam* triticeam, *miscuit eam* cum aqua, non cum fermento, *et coxit azyma,* id est azymos panes, *et posuit ante Saul et ante servos ejus. Qui quum comedissent, surrexerunt et ambulaverunt per totam noctem illam.* Jam dictum est in isto capitulo, quod venerunt ad mulierem nocte ; deinde, quod Saul non comederat tota die illa ; nunc vero, quod ambulaverunt per totam noctem illam. Quæritur ergo, an omnia ista facta sint una nocte, an potius
B dies artificialis, inter noctem qua venerunt, et noctem qua redierunt, fuerit medius. Ad quod si certo debeat responderi, oporteret scire locorum distantiam, quæ est inter Endor et Gelboe. Denique ex hoc, quod Saul tam celeriter et audacter rediit ad suos, ut adsisteret eis in prælio, in quo se noverat occidendum, perpenditur magna ejus audacia, animositas, fidelitasque ad populum suum.

Quæritur circa præhabita, an Samuel in hac apparitione vere apparuit, an potius
C spiritus malus in ejus effigie. Quod autem in ea apparuerit Samuel vere, videtur textus manifeste et copiose prætendere, nec ex circumstantia litteræ insinuatur oppositum. Idem videtur in Ecclesiastico doceri, quo legitur : Post hæc dormivit Samuel, *Eccli.* XLVI, 23.
et notum fecit regi, et ostendit illi finem suum. Hoc quoque Josephus sentit, et omnes Hebræi, et probatur ex eo, quod ille apparens, tam rigorose et vere corripuit Saul, et futura secreta ei prædixit. In oppositum argumentatur, quoniam mulier
D illa maga nequaquam habuit potestatem suscitandi defunctum, nec ejus maleficiis anima sancti Samuelis fuerat oblectata ad apparendum et respondendum iniquo. Denique in Isaia quo legitur, Erit quasi py- *Is.* XXIX, 4.
thonis vox tua, loquitur Glossa, quod mulier pythonissa non suscitavit Samuelem, sed dæmonem evocavit.

De hac materia introducuntur hic multa in Glossa ex verbis Augustini. Itaque, sicut refert Isidorus, Simpliciano Mediolanensi episcopo scribens Augustinus : Inquiris,

Digitized by Google

inquit, an spiritus malignus potuit suscitare animam justi, et tanquam de abditis mortuorum receptaculis revocare, ita ut videretur et loqueretur cum Saul. Deinde hoc fieri potuisse, ostendit Augustinus subdendo : Nonne magis mirandum est, quod *Matth.* iv, 5. Christum assumpsit diabolus, et posuit supra pinnaculum templi? Et si hoc non perturbat nos, quoniam Christus permisit hoc sponte ; ita etiam non absurdum est credere, ex aliqua dispensatione voluntatis divinæ permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante magica arte, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quod pythonissam Saulemque latuit, spiritus Samuelis ostenderetur adspectibus regis, divina cum sententia percussurus. Deinde tangit Augustinus alium modum dicendi : Quanquam in hoc facto poterit esse alius facilior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed apparuisse aliquod phantasma et imaginariam illusionem, machinationibus diaboli factam, quam Scriptura nomine Samuelis appellat : quoniam solent imagines appellari nominibus rerum quas repræsentant, quemadmodum de imagine dicimus, Ille est Cicero ; et de pictura, Illa est Roma. — Porro in libro Quæstionum veteris et novi Testamenti, videtur Augustinus se declinare ad hoc, quod non fuit ibi veraciter anima Samuelis ; et verba 26 q. 5, c. Nec mirum. illa Augustini diffuse allegantur in Decreto. Ait enim : Quidam putant quærendum, quomodo Scriptura narret pythonissam suscitasse Samuelem ad colloquium Saulis impiissimi regis. Quibus responderi potest : Indignum omnino facinus, si secundum hæc verba historiæ commendetur assensus, id est, si Samuel assensit evocationibus pythonissæ ; sed hoc est præstigium Satanæ, quo confingit se habere in potestate sua etiam justos, ut plurimos fallat : quod Apostolus ostendit, inter cetera dicens, II *Cor.* xi, 14. Ipse Satanas se transfigurat in angelum lucis. Ut enim errorem faceret, in quo glorificaretur, in habitu et nomine viri justi se subornavit. Multa de hac materia scribit Augustinus ibidem, exponens et probans, quod diabolus in specie apparuit Samuelis.

Præterea multis hinc inde pensatis, Lyra dicit quod si ista positio Augustini non est determinatio Ecclesiæ, sicut verisimiliter non est, probabilius videatur esse dicendum, quod anima Samuelis virtute divina et ejus dispensatione apparuerit, quatenus Sauli propter sua demerita annuntiaretur divina sententia super eum mox futura, per Samuelem defunctum : sicut per ipsum viventem, reprobatio a regno sibi erat ante denuntiata. I *Reg.* xiii, 14; xv, 23. Nam huic dicto videtur amplius concordare Scriptura hoc loco et in Ecclesiastico. *Eccli.* xlvi, 23. Huic etiam dicto consonat, quod in libro Numerorum fertur de Balaam, *Num.* xxiii, 4, 5. quia dum iret ad quærendum augurium, angelus prohibuit dæmonem apparere et loqui ad Balaam ; posuitque verbum in ore ipsius, dando ei responsum suæ voluntati contrarium. Sic in proposito videtur rationabiliter dici posse, quod dæmon fuit prohibitus ad vocationem pythonissæ venire, sicque pythonissa non suscitavit Samuelem, sed Deus per angelum fecit illum venire. Nec Samuel permisit se adorari a Saul adoratione latriæ, sed duliæ, quemadmodum Nathan et Bethsabee David III *Reg.* i, 23, 16. regem adorasse leguntur. Nec anima Samuelis fuit attracta aut delectata maleficiis pythonissæ, sed Deo obtemperavit. Nec Samuel dixit Saulem et filios ejus secum crastino futuros in pari aut simili statu salutis aut certitudinis gloriæ, sed in eodem statu et loco communi, sicut expositum est.

Sed his objicit Rabbi Paulus, eo quod Augustinus præfato Decreto assertive teneat, non Samuelem, sed dæmonem apparuisse, et non sit alius de doctoribus Ecclesiæ approbatus, qui oppositum videatur tenere. Ad quod dicendum, quod multi doctores catholici, et aliqui sancti, post Augustinum de hac materia variis modis locuti sunt, nec in talibus materiis opinabilibus quæ citra certitudinem sunt, nec ab Ecclesia determinatæ inveniuntur, necesse est sequi unum quemcumque doctorem,

Digitized by Google

quamvis sanctum, sicut et ipsemet asserit Augustinus in epistola contra Vincentium Donatistam. Unde et Rabanus dicit, utramque positionem prætactam rationabiliter posse defendi. Hinc et in Scholastica narratur historia : Dicitur a quibusdam, quod spiritus malignus apparuit in specie Samuelis. Vel, phantastice imago ejus ibi apparuit, sicut fit in aqua aut speculo. Alii dicunt, quod Deo permittente, anima ejus tantum consimili corpore induta apparuit ibi. Alii, quod corpus ejus tantum suscitatum est, spiritu vivifico seu vitali anima A in suo loco quiescente. Hæ opiniones etiam in Glossa tanguntur. Postremo Rabbi Paulus ad salvandum præinductam Ecclesiastici *Eccli.* XLVI, 23. auctoritatem dicit, quod corpus Samuelis in sepulcro jacens cum habitu proprio, in quo fuit sepultum, Deo permittente apparuit Sauli magica arte. Quocirca quærendum esset, an corpus illud fuit extra sepulcrum ad Saulem deductum, vel sola ejus imago phantastica, et an spiritus malus loquebatur per corpus illud. Positio autem quam tangit et sequitur Nicolaus de Lyra, verior esse videtur.

ARTICULUS XLVIII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI NONI : CONGREGATA SUNT, ETC.

Hic describitur, cur et qualiter David a Philistæis reversus sit. *Congregata sunt ergo universa agmina Philistiim in Aphec,* id est universa quæ erant sub satrapis, et omnia simul fuerunt unum agmen sub rege in Aphec, quia ad locum illum *I Reg.* XXVIII, 4. venerunt de Sunam, ubi primo ad tempus manserunt, ut præcedenti habetur capitulo. *Sed et Israel,* id est populus Israeliticus cum Saule, *castrametatus est super fontem, qui erat in Jezrael,* id est prope urbem sic nuncupatam, et illuc venerunt a Gelboe. *Et satrapæ quidem Philistiim incedebant in centuriis,* id est in partibus populi sui in centum divisis, quibus præerant centuriones, *et millibus,* quibus millenarii præerant. Fuit itaque populus ille divisus per centenos atque millenos. *David autem et viri ejus erant in novissimo agmine cum Achis* rege Philistinorum, qui *Ibid.* 2. ipsum David voluit habere præcipuum capitis sui custodem.

Dixeruntque principes Philistiim, scilicet satrapæ, *ad Achis : Quid sibi volunt Hebræi isti?* id est, cur venerunt nobiscum ? *Et ait Achis ad principes Phili-* B *stiim : Numquid ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israel?* ac si dicat : Mirum si non scitis, quam fortis, strenuus ac fidelis vir sit David, qui tanta a Saul est passus ; *et est apud me multis diebus vel annis,* id est, diu fuit in terra mea, in qua eum benigne tractavi. Circa hoc scribit quidam : Qui dicunt, quod David fuit tantum quatuor mensibus ibi, consequenter dicere habent, quod Achis dixit plus de mora ipsius David apud se, quam fuit, ad pacificandum principes Philistinorum. Sed C istud non videtur, quum Achis locutus sit disjunctive, Multis diebus vel annis : certumque est, ad veritatem disjunctivæ sufficere alteram partem esse veram. *Et non inveni in eo quidquam mali,* id est infidelitatis adversum me, *ex die qua transfugit ad me, usque ad diem hanc.* Attamen, supra dixit Achis de David : Multa *I Reg.* XXVII, 12. mala operatus est contra populum suum.

Irati sunt autem adversus eum principes Philistiim, quoniam judicabant regem suum incaute egisse confidendo in David, D *et dixerunt : Revertatur vir, et sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, et non*

Digitized by Google

descendat nobiscum in prœlium, ne fiat nobis adversarius quum prœliari cœperimus. Quomodo aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris, id est nos percutiendo, nostraque capita amputando, sicut fecit Goliath? Istud, secundum humanam conjecturam, fuit probabiliter dictum, sed ut ait Chrysostomus super Matthæum, Implacabilis est ira regum, quam concipiunt contra eos a quibus timent regno privari. Unde et antea sæpe percusserat David Philistæos, sicut præhabitum est, nec tamen per hoc placavit Saulem. *Nonne iste est David, cui cantabant* mulieres *in choris,* sicut expositum est supra, *dicentes : Percussit in millibus suis Saul, et David in decem millibus suis?* Sensus hujus verbi innotescit ex eo, quod supra cecinisse leguntur : Percussit Saul mille, et David decem millia. Itaque sensus est : Percussit in millibus suis Saul, id est, ipse Saul occidit mille Philistæos, qui dicuntur millia Saul, id est millia ab eo percussa : in quibus verbis sumitur plurale pro singulari. Sic quoque David percussit in decem millibus suis, id est decem millia.

I Reg. XVII, 51. — Ibid. 52; XVIII, 27. — Ibid. XVIII, 6. — Ibid. 7.

Vocavit ergo Achis rex ipsum *David, et ait ei : Vivit Dominus, quia rectus es tu,* id est justus, *et bonus in conspectu meo, et exitus tuus et introitus tuus mecum est in castris.* Istum modum jurandi videtur Achis didicisse a David, nisi forte per Dominum intellexerit deum suum, utpote Dagon. *Et non inveni in te quidquam mali ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc; sed satrapis non places.* Sic frequenter contingit in domibus principum, quod aliqui boni et strenui, principibusque placentes, aliorum per hoc displicentiam odiumque incurrunt, a quibus et mendaciter accusantur : sicut in libro Esther plenius continetur de impiis, qui aures principum simplices callida fraude decipiunt ; et eos qui credita sibi officia fideliter exsequuntur, mendaciorum cuniculis conantur subvertere. *Revertere ergo et vade in pace, et non offendas oculos satraparum Philistiim.*

Esth. XVI, 6, 5.

Dixitque David ad Achis : Quid enim infidelitatis *feci? aut quid* culpæ *invenisti in me servo tuo a die qua fui in conspectu tuo usque in diem hanc, ut non veniam* tecum ad bellum, *et pugnem contra inimicos domini mei regis?* Si David dixit hoc non ironice, sed seriose, et per dominum suum, intellexit ipsum Achis, non Saulem, videtur habuisse propositum præliandi contra Hebræos : quod tamen non videtur dicendum, prout in expositione præcedentis capituli est inductum, præsertim quum infra in exordio libri secundi legatur, in tantum deflevisse interfectionem Saul et filii ejus, ac populi Israel. Ideo forsan ironice dixit hæc. *Respondens autem Achis, locutus est ad David : Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei,* hoc est, instar angeli, excellentis es bonitatis et virtuositatis judicio meo, tanquam vir heroicus et perfectus. Sed unde scivit alienigena iste loqui de angelis? Forsan ex conversatione et collatione cum David, aliisve Hebræis. *Sed principes Philistinorum dixerunt : Non ascendet nobiscum in prœlium. Igitur consurge mane, tu et servi domini tui, qui venerunt tecum.* Nam servi qui erant cum David, fuerunt servi Saulis de jure communi, quia erant de populo ejus. *Et quum de nocte surrexeritis, pergite. Surrexit itaque de nocte David, ipse et viri ejus, ut proficiscerentur mane, et reverterentur ad terram Philistiim. Philistiim autem ascenderunt in Jezrael.*

I Reg. XXVIII, 2. — II Reg. I, 17 et seq.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIX

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI : QUUMQUE VENISSENT DAVID ET VIRI EJUS IN SICELEG.

MAGNA adversitas et mira prosperitas sancti David ac suorum, hic describuntur. *Quumque venissent David et viri ejus in Siceleg,* quæ tamen jam fuit combusta, *die tertia, Amalecitæ,* qui evaserant manus Saul, et quorum maximam partem occiderat, ut supra habetur, *impetum fecerant ex parte australi in Siceleg.* Cognito enim recessu David et suorum ab urbe illa, eam subito invaserunt a parte præsertim meridionali, ad quam commorabantur. Oderant etenim ipsum David et suos, quia erant Hebræi, a quibus erant vastati; et etiam quia David frequenter eos vastaverat, ut supra continetur. *Et percusserant Siceleg, et succenderant eam igni. Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum, et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, et pergebant itinere suo.*

1 Reg. xv, 7. — Ibid. xxvii.

Quum ergo venissent David et viri ejus ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, quam eis contulit Achis ad immorandum, *et uxores suas et filios et filias ductas esse captivas.* Quamvis enim David occiderat etiam mulieres Amalecitarum, illi tamen Deo sic ordinante, non occiderunt uxores ipsius David et virorum suorum. Nec hoc ex pietate omisisse videntur, sed vel ex libidine, ut earum fruerentur concubitu; vel ex cupiditate, quatenus venderent eas earumve filios aut filias. *Levaverunt David et populus qui cum eo erat, voces suas :* quia ex intuitu improvisæ et magnæ adversitatis subito eruperunt in gemitum et singultum, imo et in clamorem; *et planxerunt donec deficerent in eis lacrimæ,* id est, quamdiu lacrimarum humorem producere potuerunt, maxime quoniam putaverunt majora accidisse adversa, quam acciderunt. Nam uxores suas, filiosque et filias suspicabantur esse occisas. *Siquidem et duæ uxores David, captivæ ductæ fuerant, Achinoam Jezraelitis, et Abigail uxor Nabal Carmeli. Et contristatus est David valde,* non solum propter propriam adversitatem, sed et propter adversitates suorum, quibus tantæ calamitatis fuit occasio. Nam propter eum pro magna parte erant de terra Israel pulsi, vel confugerunt ad eum. *Volebat enim eum populus lapidare,* eo quod fuerit eis tantæ adversitatis occasio, et quia ejus negligentia factam reputabant urbis devastationem et captivationem suarum, quia non reliquerat aliquos viros ad urbis custodiam. Hinc subditur : *quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis ac filiabus,* id est, universi viri tunc ibi exsistentes cum David, amaritudine doloris et tristitiæ, iræ et impatientiæ erant repleti de captivatione et abductione, vel (ut ipsi suspicabantur) interfectione filiorum suorum ac filiarum.

Confortatus est autem David in Domino Deo suo, spem assumendo in ipso, *et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech : Applica ad me,* id est propter me seu pro me, *ephod,* id est vestem illam sacerdotalem, eam induendo, quatenus in ea consulas Dominum pro me. *Et applicuit Abiathar ephod ad David. Et consuluit David Dominum* per Abiathar, *dicens* per illum : *Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus : Persequere* eos; *absque dubio enim comprehendes eos* ad occidendum, *et excuties prædam,* id est, homines et jumenta quos abduxerunt, vi armorum recuperabis. Itaque videns pius et justus Dominus electum

Digitized by Google

suum David in tantis tribulationibus atque A angustiis positum, celeriter ei respondit, consolatoriumque donavit responsum. Ex his sumitur argumentum, quod princeps non debeat bellum movere Domino inconsulto, ipsum rogando, ut per se aut per suum vicarium dignetur sibi ostendere, an debeat pugnam movere; et tunc Dominus ei inspirabit, seu vicarius Dei exponet, an justam habeat causam : quam si habuerit, potest pugnare, si vicarius aut alii non queunt componere. Si vero injusta sit ejus causa, præcipiet Dominus per suum vica- B rium, ut non moveat prælium.

Abiit ergo David ipse, et sexcenti viri qui erant cum eo, et venerunt usque ad torrentem Besor, et lassi quidam substiterunt. Persecutus est autem David ipse et quadringenti viri cum eo. Substiterant enim ducenti, qui lassi, transire non poterant torrentem Besor. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, et adduxerunt eum ad David. Dederuntque ei panem, ut comederet et biberet aquam; sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas C *uvæ passæ. Quæ quum comedisset, reversus est spiritus ejus, et refocillatus est. Non enim comederat panem neque biberat aquam tribus diebus et tribus noctibus. Dixit ei itaque David : Cujus es tu?* id est, ad quem pertines? *vel unde* es natus, seu de qua regione? *aut quo pergis,* id est pergere cupis? Verumtamen hæc tertia quæstio, ut fertur, non est in Hebræo, nec movetur a Josepho. *Qui ait : Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ. Dereliquit autem me dominus meus, quia* D *ægrotare cœpi nudiustertius. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, et contra Judam et ad meridiem Caleb, et Siceleg succendimus igni. Dixitque ei David : Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait : Jura mihi per Deum quod non occidas me, et non tradas me in manus domini mei, et ego ducam te ad cuneum istum. Et juravit ei David.*

Qui quum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem pro cuncta præda et spoliis, quæ ceperant de terra Philistiim et de terra Juda. Et percussit eos David et viri ejus, a vespera usque ad vesperam alterius diei. Ex quo constat, quod victoria David super tot homines, fuit valde miraculosa, præsertim quoniam nullus de viris David in illo corruerat bello. *Et non evasit ex eis quisquam, nisi tantum quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, et fugerant.* Ex quo rursus constat, quod valde multi fuerunt occisi, quorum comparatione quadringenti viri reputantur perpauci. *Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, et duas uxores suas eruit. Nec defuit quisquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, et de spoliis, et quæcumque rapuerant, reduxit David omnia; et tulit universos greges et armenta, et minavit ante faciem suam. Dixeruntque* viri et socii David : *Hæc est præda David.* Quasi dicant : Tam præclaram copiosamque prædam decuit ipsum David divina virtute acquirere.

Venit autem David ad ducentos viros qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, et residere eos jusserat in torrente, id est juxta torrentem *Besor. Qui egressi sunt obviam David, et populo qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum,* id est ad viros ducentos qui remanserunt ad sarcinas, *salutavit eos pacifice. Respondensque omnis vir pessimus et iniquus de viris qui erant cum David.* Ex hoc elicitur, quod aliqui vitiosi fuerunt inter viros David; et item, quod viri David contulerunt in via de prædæ divisione. Tuncque omnis vir pessimus, id est valde malus, quoad Deum, et iniquus, quoad proximos, *dixit : Quia non venerunt nobiscum* in bellum isti ducenti, *non dabimus eis quidquam de præda quam eruimus, sed sufficiat unicuique uxor sua, et filii : quos quum acceperint, recedant. Dixit autem David : Non sic facietis, fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, et custodivit nos, et dedit latrunculos qui eru-*

Digitized by Google

perant adversum nos, in manus nostras, nec audiet vos quisquam super sermone hoc. Ecce quam mansuete et humiliter sanctus David respondit avaris et immisericordibus illis. *Æqua enim pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas,* id est vasa et onera custodienda, *et similiter divident,* quia et ipsis potest in tali occupatione periculum imminere, et quasi pugnant cum his, quos reddunt expeditos ad pugnam, dum eorum custodiunt sarcinas. *Et factum est hoc ex die illa et deinceps constitutum et præfinitum,* id est statutum seu firmum decretum, *et quasi lex in Israel,* id est Israelitica plebe, *usque in diem hanc.* Sicque Quasi, dicit hic veritatem, non similitudinem tantum. Lex est enim idem quod præceptum.

Denique, ut quidam scribit, David in facto hoc conformavit se Abrahæ patriarchæ, qui similiter fecit sociis ad sarcinas remanentibus, quando quatuor reges debellavit, ut dictum fuit in Genesi. Quocirca pensandum, quod in Genesi non leguntur aliqui ex adjutoribus aut vernaculis Abrahæ ad sarcinas remansisse, sed potius secum in prælium omnes venisse. Et insuper fertur ibidem, quod Abraham noluit aliquem reservare de substantia regis Sodomorum, exceptis his quæ comederunt juvenes, qui erant sui vernaculi et secum congressi, partibusque virorum qui venerunt secum. Erant quoque quinque reges quos debellavit; et ibi asserit Glossa, quod militibus debita dedit stipendia.

Gen. XIV.

Venit ergo David in Siceleg, et misit dona de præda senioribus Juda et proximis suis, dicens : Accipite benedictionem, id est gratiosam collationem, *de præda hostium Domini,* id est de spoliis quæ jure gladii abstulimus idololatris Amalecitis adversariis veri Dei. *His qui erant in Bethel, et qui in Ramoth ad meridiem, et qui in Jether, et qui in Aroer, et qui in Sephamoth, et qui in Esthamo, et qui in Rachal, et qui in urbibus Jerameel, et qui in urbibus Ceni, et qui in Arama, et qui in lacu Asan, et qui in Athach, et qui in Hebron, et reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David, et viri ejus.* Dicunt aliqui, quod ideo misit dona suis cognatis, ut amicitiam cum eis contraheret, et suo tempore facerent eum regem. Potius tamen puto, quod ideo, quoniam Amalecitæ præfati magnam partem quasi abstulerunt de terra et sorte Juda, ut in textu habetur. Nec videtur, quod David per munuscula adspiravit ad regnum.

ARTICULUS L

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI TRICESIMI SENSU.

PER David et viros ejus, juxta præhabita, intelliguntur Christus et ejus vicarii; per Siceleg vero, Ecclesia; per Amalecitas quoque, invisibiles seu visibiles hostes justorum. Amalecitæ namque, populus lambens interpretantur. Impii autem, cupiendo terrena, et in vitiorum operibus delectando, quasi lambunt hæc infima. Quemadmodum ergo David et viris ejus absentibus, Amalecitæ impetum fecerunt in Siceleg, eamque succenderunt; sic Christo populum suum juste relinquente ad tempus, aut dispensative recedente ab illo, seu vicariis ejus absentibus, hostes justorum vastant Ecclesiam, animas vincunt, vitiorumque igne inflammant bonorum præcordia, vel etiam corporaliter demoliuntur loca fidelium, et ipsos occidunt seu capiunt : quibus visis, Christus compatitur suis, et ejus vicarii deflent subdi-

torum dispendia, ac persecutores tam impios insequuntur, dum deceptis et victis succurrunt, et eos ad viam reducunt salutis, sicque excutiunt prædam. Quemadmodum demum viri David præ mœrore et dolore voluerunt eum lapidare, sic virtuosi prælati de sibi commissorum adversitatibus et peccatis intime desolati, Christum quasi lapidare velle videntur, dum piis quibusdam querelis conqueruntur in ipsius præsentia, cur sic suum reliquerit populum, voluntatique impiorum suam exposuerit portionem.

Porro, per duas mulieres David, intelliguntur sæculares et spirituales fideles, seu activi et contemplativi. Per mulieres vero virorum David, designantur congregationes fidelium commissæ prælatis; per filios autem et filias, animæ magis seu minus perfectæ. Consulit etiam Dominus suis vicariis, ut animarum latrunculos insequantur, conando indesinenter pro errantium conversione : quod si fecerint, auxiliante Domino, prævalebunt. At vero per puerum Ægyptium ægrotantem, a domino suo derelictum, intelligitur quicumque sæcularis adversitatibus pressus, et propter sua adversa a mundi amatoribus spretus, infideliterque desertus : quem Salvator misericorditer intuetur, consolatur, ac reficit, et suum efficit ducem, dum salutari edoctum scientia virtutibusque nutritum, præficit ovibus suis, et per eum animarum seductores prosternit. Talis puer postulat sibi jurari, quod non tradetur amplius in manus domini sui, quia conversus et illuminatus deprecatur Altissimum, ne de cetero ad priora sinatur corruere mala : cui Dominus misericorditer spondet, quod quantum in se est, ipsum non deseret.

Præterea, per prædam David, quam, Amalecitis percussis, ante se duxit, designatur electorum pluralitas, quam, devictis dæmonibus, de limbo Christus eduxit, et in ascensione vexit ad cœlos : imo et universitas justorum, quos in fine mundi, peracto extremo judicio, reprobisque damnatis, ad alta perducet polorum. Postremo, per hoc quod David misit dona suis cognatis de præda quam idololatris abstulit, hoc potest significari, quod Dominus et Salvator, quamvis sit causa præcipua omnis boni meritorii hominum electorum, non tamen sibi soli adscribit bona illorum, sed Apostolis quoque ceterisque electis doctoribus ac prælatis, per quorum orationes, doctrinas, præsidentiam et exempla ædificati fuerunt et profecerunt, atque salutem sunt consecuti, quorum salus et gloria communicantur et redundant in illos. Hinc ad Thessalonicenses scribit Apostolus : Quæ (I Thess. II, 19.) est enim spes nostra et gaudium aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum in adventu ejus ?

ARTICULUS LI

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI PRIMI : PHILISTIIM AUTEM PUGNABANT ADVERSUM ISRAEL.

HIC mors Saulis describitur. *Philistiim autem pugnabant adversum Israel. Et fugerunt viri Israel :* quibus propter eorum peccata Deus tunc subtraxit suum auxilium, et per idololatras illos punivit plebis suæ peccata, quæ sub impio rege erant multiplicata; *ante faciem Philistiim. Et ceciderunt interfecti in monte Gelboe.* Nam et de pristinis victoriis, sibi a Deo clementer contra Philistæos concessis, facti erant ingrati. *Irrueruntque Philistiim in Saul et in filios ejus, et percusserunt Jonathan et Abinadab et Melchisua, filios Saul; totumque pondus,* id est rigor, vigor seu

acerbitas, *prælii versum est in Saul :* non solum in ejus personam, sed in filios quoque ipsius et servos atque domesticos : quia specialiter secum erant culpabiles, Jonatha tamen excepto, qui quamvis fuerit justus, ab impiis tamen occidi permissus est in suorum purgationem quotidianorum peccaminum, et pro felicitatis suæ augmento. *Et consecuti sunt eum* Saul *viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis. Dixitque Saul ad armigerum suum :* quem (ut refert Hieronymus) dicunt Hebræi fuisse Doeg Idumæum, quem etiam ferunt fuisse socium Saul, dum ivit quærere asinas (Reg. ix, 3.): *Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me* morte opprobriosa, *illudentes mihi* antequam me occidant. Talem autem illusionem ignominiosam, magis abhorrent magnates et animosi, quam ipsam mortem. Sic etenim subdi hostium voluntati, gravissimum eis est. *Et noluit armiger ejus.* Cujus subjungitur ratio : *Fuerat enim nimio terrore perterritus,* non solum ex consideratione mortis sibi jam imminentis, sed etiam quoniam Sauli supervivere verebatur, ne in manus David corrueret. Itemque ex consideratione regiæ dignitatis ipsius Saul, abhorrebat in eum extendere manum.

Arripuit itaque Saul gladium suum, et irruit super eum. Et ut in Scholastica fertur historia, in tantum defecerat viribus, quod se transverberare nequivit. Siquidem a sagittariis fuit graviter vulneratus. *Quod quum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo :* quia (ut ait Glossa) noluit subesse David, quem noverat regnaturum, cujus gloriæ invidebat, timuitque male tractari ab illo, sicut promeruit. *Mortuus est ergo Saul et tres filii ejus.* Nam quartus, videlicet Isboseth, domi remansit, quia nec bellicosus erat, neque magnanimus. *Et armiger illius, et universi viri ejus in die illa,* id est cuncti domestici Saul secum tunc exsistentes, *pariter. Videntes autem viri Israel qui erant trans vallem,* quæ erat circa Jordanem campestris et grandis : unde et in primo libro Paralipomenon legitur, Quum vidissent filii Israel qui habitabant (I Par. x, 7.) in campestribus; *et trans Jordanem,* utpote tribus Ruben et Gad, *quod fugissent viri Israelitæ, et quod mortuus esset Saul et tres filii ejus, reliquerunt civitates suas, et fugerunt.* Quoniam terra eorum fuit propinquior Philistæis, ideo timuerunt primo vastari ab ipsis. *Veneruntque Philistiim, et habitaverunt ibi.*

Facta autem die altera, venerunt Philistiim, ut exspoliarent interfectos. Et invenerunt Saul et tres filios ejus jacentes in monte Gelboe. Et præciderunt caput Saul, et exspoliaverunt eum armis : ut et mortuo contumelias irrogarent, et suum ostentarent triumphum ; *et miserunt in terram Philistinorum per circuitum* caput abscisum, imo et capita filiorum ejus, ut Magister in historiis dicit, *ut annuntiaretur in templo* vel in templis *idolorum et in populis,* ad idolorum honorem quibus tantam adscripserunt victoriam, et ut populi diis suis regratiarentur. *Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth :* cui arma illa consecrasse creduntur, quemadmodum David arma Goliath vero Deo (I Reg. xvii, 54.). *Corpus vero ejus suspenderunt in muro Bethsan,* quæ erat civitas Philistinorum in confinio seu terminis Israel. Hinc in muro urbis illius, quasi in conspectu Hebræorum, in contemptum ipsorum, suspenderunt corpus Saul et filiorum suorum cadavera, ut infra innuitur. Verumtamen Glossa super Paralipomenon ait (I Par. x, 10.) : Hebræi tradunt Bethsan vocari domum Dagon, quæ interpretatur domus dormientis, ibique caput Saul esse suspensum. Alia est enim Bethsan in libro Josue et Judicum (Josue xvii, 11, 16; Judic. i, 27.), quæ interpretatur domus securitatis. Caput vero Saul posuerunt in templo Dagon, ut in primo libro Paralipomenon scribitur (I Par. x, 10.).

Quod quum audissent habitatores Jabes Galaad, id est urbis sic nominatæ in terra Galaad trans Jordanem, *quæcumque fecerant Philistiim Saul, surrexerunt omnes*

Digitized by Google

viri fortissimi, et ambulaverunt tota nocte, et tulerunt, id est abstulerunt, *cadaver Saul et cadavera filiorum ejus de muro Bethsan. Veneruntque Jabes Galaad, et combusserunt ea igni,* aromata et quæque aromatica super ea incendendo ac comburendo pro reverentia speciali, prout olim fuit moris in celebrioribus sepultu- II Par. xvi, 14. ris, quemadmodum etiam cadaveri Asa regis, secundo libro Paralipomenon legitur factum. *Tulerunt et ossa eorum, et sepelierunt in nemore Jabes,* tanquam in loco umbroso et pulchro arboribus consito, sic- Gen. xxxv, 8. ut in Genesi recitatur Debora sub quercu sepulta, *et jejunaverunt septem diebus,* in signum mœroris et luctus, et pro defunctorum spiritibus. Itaque viri isti suam fidelitatem et gratitudinem, imo et caritatem audacter monstraverunt in Saul et filios ejus, quorum ignominiam ferre non potuerunt; et tantis se exposuerunt periculis, quoniam primo adjuti et liberati fu- I Reg. xi, 11. erunt per Saul a rege Ammonitarum, ut supra narratum est.

Præterea, de expositione hujus capituli multa habentur in expositione decimi capituli primi Paralipomenon libri, atque ex dictis ibidem patet solutio ad quæsitum, quo quæritur : An Saul virtuose se interfecit, an vitiose, et quid de ejus salvatione videatur tenendum : de qua tamen materia nunc plenius est agendum. Quocirca Nicolaus de Lyra refert Hebræorum positionem dicentium, quod Saul audita sententia Dei per Samuelem, acceptavit eamdem, atque pœnituit, et festinavit ad mortem, paratus mori pro populi sui defensione et bono communi. Et quamvis antea tam sollicitus fuerit pro Jonathæ filii sui promotione ad regnum, tunc tamen contentus fuit quod moreretur secum in prælio. Propter quod nec eum admonuit de recessu.

Huic Hebræorum positioni Rabbi Paulus multipliciter contradicit et objicit : Primo, quod ratio Hebræorum Saulem salvantium, magis sit in contrarium, quia non solum Lev. xix, 31; xx, 6. prohibetur in lege pythones consulere, sed A etiam credere verbis eorum : ergo et Saul Deut. xviii, 14; I Reg. xxviii, 20. peccavit, credendo responsioni apparentis sibi, et ejus sententiam acceptando. Verum objectio ista non est valida contra Hebræos, quoniam dicunt Samuelem vere apparuisse, nec Rabbi Paulus sufficienter hoc reprobat, prout in expositione superiorum est inductum. — Nihilo minus arguit in hoc loco : Dato, quod Samuel in propria apparuisset persona, adhuc Saul peccavit credendo verbis illius. Qui enim dicunt Samuelem vere suscitatum fuisse, B affirmant hoc factum ex dispositione divina, quæ pythonissam latuit ac Saulem : ergo Saul non credidit ipsum esse veraciter Samuelem, sed spiritum malignum. Istud argumentum ex inconsideratione procedit. Quamvis enim divina dispositio, id est ratio propter quam Deus disposuit ipsum Samuelem suscitari ac apparere, Saulem ac pythonissam latuerit, non tamen consequitur, quod latebat eos, illum qui apparuit, exsistere Samuelem. Latent namque divina mysteria. — Insuper dicit, quod rationa- C bilius possit præsumi, quod Saul ivit ad prælium, credens sententiam sibi prolatam, non esse divinam, sed diabolicam magis illusionem. Sed hoc videtur evidenter contrarium textui, in quo fertur, quod verbis Samuelis auditis, ipse Saul statim cecidit porrectus in terram. Extimuerat Ibidem. enim verba Samuelis et turbatus erat valde. — Deinde Rabbi Paulus reprobat solutionem dicentium, quod se ipsum occidere intuitu divini honoris, ne scilicet vituperium exerceatur in proprio corpore D redundans in Dei injuriam, non sit illicitum. Nam ludibria et opprobria propter Deum sustinere, est tanto plus ad Dei honorem, quanto illa sunt magis ignominiosa atque acerba, ut in martyribus innotescit. Et rursus : Si Saul hoc modo excusaretur a culpa, in hoc quod peremit se ipsum, simili modo Amalecites sine peccato eum interfecisset : cujus oppositum sanctus David indicavit, ut sequenti habetur libro.—Dicit II Reg. i, 16. quoque Rabbi Paulus, quod determinatio doctorum sacræ Scripturæ, dicentium Sau-

lem esse damnatum, tantum sufficere debet, ac si ab Ecclesia determinaretur: quod non est sapientialiter dictum, quoniam Ecclesia in suis definitionibus dirigitur infallibiliter a Spiritu Sancto, non autem doctores seorsum. Verumtamen de Saulis salvatione seu damnatione nil assero, nec temere judico; sed ei cujus judicia sunt abyssus multa, committo. (*Ps.* xxxv, 7.) Potius tamen opinor, quod sit damnatus, quia Scripturæ canonicæ quæ in primo libro Paralipomenon continetur, id magis consonum reputatur. (I *Par.* x, 13, 14.) Et sancti patres Hieronymus, Augustinus, Bernardus hoc contestantur.

Sensus mysticus.

Juxta mysticos intellectus, per Saul et filios ejus, intelliguntur prælati et eorum coadjutores, qui a Philistæis, id est dæmonibus, multipliciter impugnantur ac superantur. Totumque pondus prælii in Saul convertitur: quoniam fervor et difficultas tentationum gravius irruit in eos qui præsunt, quorum dejectioni præsertim intenti sunt spiritus vitiosi. Rursus, per destructionem præsidentiæ Saul a Philistæis, et translationem ejus ad David, figurata videtur destructio regni Judæorum per Romanos, et translatio regni illius in Christum, in quo solo perpetuatur, quemadmodum Gabriel Virgini Deiferæ prænuntiavit: Dabit ei (inquiens) Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. (*Luc.* i, 32, 33.) Quemadmodum etiam Saul a sagittariis Philistinorum graviter vulneratus, petiit a proprio occidi armigero; sic obstinati princi- A pes Judæorum, auctoritatibus et rationibus gentium, præsertim conversarum devicti, maluerunt doctorum suorum, puta Scribarum et Pharisæorum, falsis expositionibus persuasionibusque seduci, quam a gentibus informari. Et sicut Saul occidit se gladio suo, sic multi illorum a Romanis vastati, se peremerunt. Præterea loquitur Glossa: Gladio suo, quo Saul Amalecitis contra Dei præceptum pepercit, merito se ipsum occidit. Sic qui potestate pro communi utilitate accepta non utitur sive abutitur, suo se B confodit gladio; et quo ab hoste defendi debuerat, hostem juvat. Porro, per armigerum Saul, designati sunt Judæorum doctores, qui testimoniis legis ac Prophetarum contra Christi fideles se armaverunt, sed propria peremerunt se armatura, occidentem Scripturarum litteram superficialiter assequendo, vivificantemque spiritum refutando (II *Cor.* iii, 6.): quibus peractis, ceteri Judæi huc illucque per mundum dispersi sunt, et terram promissionis conversi ad Christum gentiles multo tempore inhabitaverunt. Po- C stremo, gentiles spoliaverunt Saul et filios ejus armis, et caput ejus amputaverunt, dum Scripturas et regnum et sacerdotium Judæorum ad Christi transtulerunt Ecclesiam. Et sicut viri Jabes corpora Saul et filiorum ejus honorabiliter sepelierunt; sic usque in præsens infideles Judæi extollunt magnifice eos, qui Christum et ejus discipulos sunt persecuti, quos in reprobum sensum tradidit Dominus, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. (*Rom.* i, 28.)

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI REGUM PRIMI

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN SECUNDUM LIBRUM REGUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

COMPLETO primo Regum volumine, in quo actum est de regno et præsidentia Saulis, nunc in secundo hoc Regum libro tractatur de principatu atque regimine David, cujus virtuositas in primo istius libri monstratur capitulo, sicut patebit. Porro quidam circa exordium expositionis hujus libri affirmat : Postquam in primo libro actum est de regno per electionem, hic consequenter agitur de regno per successionem, quia Isboseth successit Sauli, licet tempore brevi, et Salomon regi David. Cui *II Reg.* II, 10. dicto objici potest, quod in toto isto secundo Regum volumine nulla est mentio de præsidentia Salomonis, nisi in quantum prænuntiatur in libro isto : quemadmodum *Ibid.* VII, 12. etiam primo libro prænuntiata sunt per Samuelem principatus et præsidentia regis *I Reg.* XIII, 14; XV, 28. David. Successio quoque Isboseth fuit usurpata, non legitima : quoniam Deus jam determinavit atque prædixit, regnum esse transferendum a Saul ad David. Aptius igitur dici potest, quod postquam in primo libro tractatum est de regno Saul reprobati, hic agitur de regno David electi. Nempe (ut super Joannem asserit Augustinus) Saul fuit unctus in regem, non ut principatus in domo et posteritate sua maneret, sed ut transferretur ad David de stirpe Juda : quia et tribui Juda ex divina præordinatione et prophetica prænuntiatione debebatur regni primatus, quemadmodum Jacob patriarcha prædixit : Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui *Gen.* XLIX, 10. mittendus est.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN SECUNDUM LIBRUM SAMUELIS
QUEM NOS VOCAMUS
SECUNDUM REGUM

IN HOC AGITUR DE REGIMINE POPULI ISRAEL PER REGEM DAVID, ET DE GESTIS PER IPSUM.

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : FACTUM EST AUTEM POSTQUAM MORTUUS EST SAUL.

CONTINUANDO historiam libri istius ad ea quæ in fine præcedentis libri descripta sunt, dicitur : *Factum est autem postquam mortuus est Saul,* id est interfectus a Philistæis, vel potius a se ipso, prout in præcedenti libro est inductum, *ut David* cum suo exercitu *reverteretur a cæde Amalec,* id est interfectione Amalecitarum, quos grandi plaga occidit, sicut in primo libro est recitatum, *et maneret duos dies in Siceleg* urbe sic dicta, sibi a rege Achis concessa, jam tamen ab Amalecitis combusta, ut in præallegato primo libro patuit. *In die autem tertia* a reditu David, *apparuit,* non similitudinarie, sed exsistentialiter, *homo veniens de castris,* id est tentoriis seu turbis ipsius *Saul,* cujus servus fuerat homo iste, *veste conscissa, et pulvere adspersus caput :* quia in signum doloris sciderat vestem suam, et pulverem superjecerat capiti suo, ut moris fuit Judæis facere in magnis adversitatibus, ad quorum legem fuit conversus ; et etiam apud quosdam gentiles fuit hujusmodi consuetudo. Unde in libro Job legitur de ejus amicis, quod viso Job a longe vulnerato ulcere pessimo, exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum. *Et ut venit ad David, cecidit super faciem suam,* id est, in terram prostravit se, ita quod facies sua attigit terram, *et adoravit* ipsum David adoratione duliæ, tanquam excellentem personam, et tanquam mox regem futurum : cujus gratiam obtinere desideravit, ita se humiliando, ac aliis modis, sicut patebit.

[Marginal references: I Reg. xxxi, 4. — Ibid. xxx, 1. — Ibid. xxvii, 6; xxx, 1. — Job ii, 12.]

Et dixit ad eum David, qui valde sollicitus fuit et fervens ad percipiendum exitum belli, inter Israelitas et Philistæos commissi, quia pro re publica Hebræorum fidelem habuit curam : *Unde venis ? Qui ait ad eum : De castris Israel fugi,* id est de exercitu Hebræorum. *Et dixit ad eum David : Quod est verbum,* id est opus ver-

Digitized by Google

bo seu recitatione dignum, *quod factum est?* Frequenter etenim in Scripturis sumitur verbum, pro re significata per verba, juxta illud in Zacharia : Hæc sunt verba quæ facietis. (*Zach.* VIII, 16.) In Isaia quoque dicitur : Non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua. (*Is.* XXXIX, 2.) *Indica mihi.* Repetitio est sensus ejusdem, estque additio ista signum seriosi fervoris, quem habuit David ad percipiendum rem gestam. *Qui ait : Fugit populus* Israel *ex prælio.* Non totus populus ille fugit, sed quidam ex eis, nam multi fuerunt in prælio isto prostrati, de quibus subjungitur : *et multi corruentes e populo, mortui sunt,* id est dejecti et victi a Philistæis. Deinde vir ille subjungit, quod putavit libenter audiendum a David : *sed et Saul et filius ejus Jonathas interierunt.* Tanquam dicat : Jam certus esse potes, quod regnabis, quia non solum Saul persecutor tuus occubuit, sed et Jonathas, qui inter filios Saul videbatur aptior ad regnandum post patrem suum. *Dixitque David ad adolescentem qui nuntiabat ei : Unde scis,* an scilicet ex aliorum relatu, aut proprio visu, *quia,* id est quod, juxta morem idiomatis Hebræorum, *mortuus est Saul, et Jonathas filius ejus?* Prudens David non protinus credidit relationi adolescentis, sed certificari optavit, quia res nuntiata fuit magna et difficilis ad credendum, præsertim de Jonatha viro justo ac optimo, quod scilicet occisus esset et victus ab illis idololatris. Et mirum potuit apparere, quod Saul hucusque tam victoriosus, etiam contra allophylos, jam victus esset ab illis.

Ait adolescens qui nuntiabat ei : Casu veni in montem Gelboe, id est, fugiendo tandem fortuitu perveni ad montem sic appellatum in terra Israel situm : nec opus est multum inquirere, an juvenis ille veraciter dixit hoc, an mendose, sicut et alia quædam infra mendaciter protulit; *et Saul incumbebat super hastam suam,* id est, ex vulneribus et labore belli lassatus ac debilitatus, apodiavit et sustentavit se super propriam lanceam, quasi progredi non valens. *Porro currus et equites appropinquabant ei,* id est, Philistæi tam in quadrigis bellicis quam super equos, eum insequentes, approximabant eidem, ita quod non erat spes de evasione ipsius. Pugnantium autem quidam pugnant ex curribus, quidam ex navibus, quidam equestres, quidam pedestres. *Et conversus post tergum suum,* id est, retro se vertens ad videndum quis esset, cujus sonitum fugientis audivit, *vidensque me, vocavit* me, non proprio nomine meo, quia nondum cognovit personam meam, sed communi quodam vocabulo me vocavit.

Cui quum respondissem, Adsum, tanquam paratus venire ad te, *dixit mihi : Quisnam es tu?* Ut paulo post referetur, adolescens iste creditur fuisse filius Doeg, qui erat familiarissimus Sauli : quomodo (*I Reg.* XX.., 9.) ergo Saul non cognovit filium ejus? Respondetur, quod ex magna sanguinis effusione caligavit visus Saulis, vel ex turbatione vehementi id contigit quod non cognovit juvenem illum. Fuit quoque debilis imaginativæ, instabilisque memoriæ. Vel adolescens iste nondum frequentavit curiam regis : sic Saul non habuit distinctam ejus notitiam. *Et aio ad eum : Amalecites ego sum,* id est natus de stirpe Amalecitarum. Amalec quippe fuit filius Eliphaz filii Esau, (*Gen.* XXXVI, 12; *I Par.* I, 36; *Gen.* XXV, 30.) qui alio nomine dictus est Edom, a quo Idumæi vocati sunt, ut patet in Genesi. Sicque concordatur, quod adolescens iste fuit Amalecites, et nihilo minus filius Doeg Idumæi, quia Amalecitæ Idumæi fuerunt. Sed quum multi fuerint Amalecitæ, qualiter juvenis iste satisfecit quæstioni Saulis interrogantis, Quisnam es tu, dicendo, Amalecites sum? Ad quod respondendum videtur, quod in familia Saul forsan non erant Amalecitæ, nisi Doeg et proles ipsius, vel ipsi præ ceteris noti fuerunt Sauli. Sicque cognito quod juvenis iste non erat Doeg, mox Saul agnovit, quod filius fuit illius.

Et locutus est mihi : Sta super me, et interfice me, quoniam tenent me angustiæ, id est dolorum et pœnarum pressuræ, sicque interficiendo me celeriori sup-

Digitized by Google

plicio, liberas me a diuturniori tormento; *et adhuc tota anima mea,* id est totus vigor animæ meæ, *in me est,* ut quidam exponunt; sed non apparet expositio vera, quoniam Saul fuit jam valde debilitatus, et in vigore animali, vitali, sensitivo ac progressivo deficiens, imo letaliter vulneratus, sicque non fuit tunc in eo tota anima sua, quantum ad potestatem, sed quantum ad suam essentiam : quoniam anima est simplex, incorporalis et indivisibilis forma, quoad suam essentiam, exsistens tota in toto, et tota in qualibet ejus parte. *Stansque super illum, occidi illum.* Secundum expositores communiter, juvenis iste hæc finxit, ita quod nec Saul præcepit ei quod dictum est, nec ipse occidit Saulem, sed
[I] Reg. xxxi, Saul se ipsum, ut dictum est in expositione capituli ultimi primi libri. Verumtamen dixit se Saulem occidisse, sperans per hoc placere regi David, quemadmodum infra
[II] Reg. iv, 6. Baana et Rechab leguntur occidisse ipsum Isboseth, ejusque caput tulisse ad David, ad complacendum eidem. Verumtamen Josephus videtur sentire, quod juvenis iste veraciter dixit verba præhabita. Recitat namque Josephus, quod quamvis Saul irruit super gladium suum, tamen præ debilitate non potuit se perforare, ac subito trucidare : ideo juveni huic commisit, ut impingeret se tam impetuose in ensem, quod protinus moreretur, quod et juvenis fecit. Ad quod posset applicari quod subditur : *Sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam.* Ac si juvenis dicat : Ideo ipsum occidi, mortem ejus accelerando, quoniam certus fui, quod non poterat diu vivere postquam cecidit super gladium suum, quod faciendo, læsit se ipsum letaliter, quamvis potuisset ad tempus supervixisse. Alii tamen exponunt hoc sic : Sciebam quod vivere non poterat post ruinam, id est post vulnerationem qua a
[I] Reg. xxxi, sagittariis Philistinorum fuit vehementer vulneratus, ut in præcedenti habetur libro. Maluit autem Saul occidi a juvene isto, vel a Doeg patre ipsius, quoniam ambo erant proselyti, id est ad Judaismum conversi,

A ne occideretur a Philistæis incircumcisis : imo potius quia timebat a Philistæis confusibiliter turpiterque tractari, ut in pri- I Reg. xxxi, 4.
mo libro continetur.

Et tuli diadema quod erat in capite ejus, id est, quo Saul uti solebat in capite suo. Aliqui tamen per diadema intelligunt galeam diadematam in regium signum. *Et armillam de brachio illius.* Armilla est ornamentum brachii aureum sive argenteum, sicut inauris ornamentum est aurium, et annulus digitorum. *Et attuli* or-
B namenta hæc *ad te dominum meum huc,* ad captandum benevolentiam tuam. Circa hoc Magister in historiis scribit : Dicunt Hebræi, hunc esse filium Doeg, cui ipse Doeg, antequam irruit super gladium suum, tradidit insignia regis quæ custodivit, ut filius suus ferens ea ad David, redderet eum sibi placabilem. Sic et Cato invidens gloriæ Julii Cæsaris, suspendit se ipsum, ne Julio subderetur : tamen antequam se suspendit, consuluit filio suo, quod se subderet Julio, et gratiam apud ipsum inveni-
C re studeret, prout in libro de Civitate Dei recitat Augustinus.

Apprehendens autem David vestimenta sua, scidit ea pro parte, in signum magnæ tristitiæ ac doloris. Quo patet grandis perfectio sancti David, qui de interitu tam crudelissimi hostis sui non fuit gavisus, sed contristatus, neque gaudebat de sua mox futura promotione in regem, imo de morte Jonathæ et populi Dei vehementissime doluit. *Omnesque viri qui erant cum eo,* sciderunt vestes suas ex causa eadem,
D quamvis probabile sit, quod multi eorum de morte Saul, a quo tantas sustinebant molestias, non doluerunt, sed magis gloriabantur, sperantes ipsum David mox promovendum in regem : propter quod etiam de morte Jonathæ minus dolebant. Hi ergo morem gesserunt ipsi David, conformantes se ei in vestium scissione. Erant autem *Ibid.* xxx, 9.
cum David viri sexcenti, ut in primo libro patuit. *Et planxerunt* lugubri corde, *et fleverunt* lacrimarum effusione, et *jejunaverunt usque ad vesperam,* juxta le-

Digitized by Google

gem, *super Saul, et super Jonathan filium ejus,* quem specialiter defleverunt propter probitates ipsius. Tamen et alii duo filii Saul, videlicet Abinadab et Melchisua, fuerunt in bello illo occisi, ut in primo libro Paralipomenon legitur. (1 Reg. xxxi, 2; 1 Par. x, 2.) *Et super populum Domini, et super domum Israel.* Quidam per populum Domini, intelligunt Levitas ac sacerdotes, qui erant specialiter populus Dei, utpote divino cultui deputati, quorum aliqui in prælio illo interierunt. Porro per domum Israel intelligunt reliquas tribus, ex quibus plurimi ceciderunt. *Eo quod corruissent gladio* Philistinorum : quod fuit dolorosum, quod scilicet cultores veri Dei fuerunt ab illis idololatris trucidati. Tamen (ut tactum est) quidam exsistentium cum David, de morte Saul non fleverunt ex corde. Jejunabant autem ex mœrore et forsan pro animabus occisorum, ut citius transferrentur de purgatorii pœnis ad limbum patrum : quod de David et ceteris devotioribus credi plus potest. Sed quum David interrogavit juvenem, Unde scis, quia mortuus est Saul, et Jonathas? cur juvenis nihil respondit de Jonatha? Dici potest, quod ideo, quia sciebat quod David tristaretur de obitu Jonathæ, tanquam carissimi sui.

Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei : Unde es tu, id est de qua stirpe et terra? *Qui respondit : Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum.* Tanquam dicat : Alienigena sum natione, de progenie et territorio Amalecitarum, ita quod pater meus in regno Israel habitavit peregrinus et advena, atque proselytus factus est : quod totum de Doeg verificatur, ut patuit. Sed quum juvenis iste agnoverit ipsum Doeg fuisse præcipuum adversarium David, cur ita respondit? (1 Reg. xxii, 9, 22.) Dici potest, quod ideo non expressit patrem suum proprio nomine, vel putavit ipsum David sibi non indignaturum, eo quod dixit se occidisse Saulem, et quia attulit ei pretiosa insignia regalia jam præfata. Præterea quæritur, cur David rursus quæsivit, Unde es tu? quum juvenis iste paulo ante locutus sit, Amalecites sum. Respondetur, quod David præ admiratione facti et cordis turbatione non advertit hoc verbum. *Et ait David ad eum : Quare non timuisti mittere,* id est extendere, *manum tuam, ut occideres christum Domini,* scilicet Saulem regem unctum per Samuelem ex Dei præcepto, ut tu ipse affirmas? (1 Reg. [illegible] 16. x. 1.) tanquam dicat, Merito debuisses hoc facere timuisse, et ex timore Dei vitasse.

Vocansque David unum de pueris, id est ministris *suis, ait : Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, et mortuus est. Et ait ad eum David : Sanguis tuus super caput tuum,* id est, tibi ipsi et tuo excessui imputanda est hæc tua occisio, quia hanc meruisti. Unde de juste occidendis aut juste occisis, frequenter in Ezechiele habetur : Sanguis ejus in ipso erit; vel, Sanguis ejus erit super caput ipsius. (Ezech. xviii, 13, xxxiii, 4.) Porro per sanguinem in Scripturis aliquando designatur peccatum, quandoque pœna peccati, interdum propinquus, nonnunquam carnalitas. *Os enim tuum locutum est adversum te, dicens : Ego interfeci christum Domini.* Ac si dicat : Quod putasti te dicere ad tuam prosperitatem, versum est tibi ad tuum interitum, quoniam zelo justitiæ displicuit mihi, quod ex tua malitia æstimasti mihi debere placere. Non est putandum, quod David ex ira aut odio fecerit adolescentem istum occidi, eo quod pater suus Doeg fuerit persecutor ipsius David, (1 Reg. [illegible] 9.) sed æquitatis amore, et ut juvenis ille in præsenti punitus, evaderet damnationem perpetuam.

Quocirca inquiritur, an juvenis ille meruisset mortem, occidendo Saulem, an etiam meruit mortem, mendose dicendo, se fecisse hoc ipsum. Et apparet, quod non, quia secundum narrationem adolescentis istius, quam David credidit veram, ipse adolescens hoc fecit ex præcepto Saul. Præterea mendacium non videbatur morte plectendum. Et respondendum, quod sicut non licuit Sauli se ipsum propria manu occidere, ita nec manu alterius. (Exod. xx, 13; Deut. [illegible] 17.) Idcirco juvenis ille non debuit ei in jussione hujus-

Digitized by Google

modi obedire. Aliqua quoque mendacia perniciosa, ut falsa testimonia, lex morte punivit. Itaque peccavit hic adolescens, vel taliter mentiendo, et per gesta iniqua gratiam David quærendo, vel juxta Josephum impingendo Saulem in gladium, quum propter regiam dignitatem et sanctam unctionem debuerit hoc vitare, et christum Domini judicio Dei, cujus vicarius erat, committere.

Planxit autem David planctum hujuscemodi, id est lugubre carmen, quod paulo post subditur, *super Saul et super Jonathan filium ejus,* id est de interfectione et morte ipsorum, sicut adhuc fieri solent carmina mœsta de magnorum debellatione ac strage. *Et præcepit ut docerent filios Juda arcum,* id est, ut parentes nati ex tribu Juda, instruerent filios suos in arte et exercitio sagittandi, ut de cetero possent resistere Philistæis, qui sagittando prævaluerunt : et hoc specialiter jussit tribui Juda, quia tribus illa ceteris bellicosior fuit et fortior, et David natus fuit ex ea, et scivit quod tribus illa primo susciperet se in regem ; *sicut scriptum est in libro Justorum.* De libro Justorum et allegatione ipsius, fit mentio in duobus locis Scripturæ canonicæ, scilicet in libro Josue, et hoc loco. Quid autem per librum Justorum videatur intelligendum, super librum Josue diffuse induxi, idcirco pertranseo, nisi ut breviter aliquid tangam, quod ad hujus loci intelligentiam confert. Itaque quidam per librum Justorum intellexerunt librum Geneseos, in quo agitur de pluribus justis qui a principio mundi usque ad Jacob patriarcham et filios ejus fuerunt; et in libro illo dicunt istud de arcu prænuntiatum a Jacob in benedictione Judæ, in qua inter cetera continetur, Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum : quod in David asserunt adimpletum, quia adversarios suos undique expugnavit, ad quod arte sagittandi fuit adjutus. Alii dicunt istud de arte sagittandi insinuatum in Genesi, ubi Jacob testatur se tulisse agrum de manu Amorrhæi in arcu et gladio suo. Sed ut super

Josue x, 13. — *Gen.* XLIX, 8. — *Ibid.* XLVIII, 22.

A Josue scripsi, nec istud de David, nec quod in Josue allegatur de statione solis et lunæ scriptum esse in libro Justorum, habetur in Genesi formaliter aut aperte, imo nec quantum ad sensum, nisi forsan valde obscure ; neque in libris Regum aut Paralipomenon legitur David prævaluisse arcu in præliis. Porro aliqui libri non habent Arcum, sed in Hebræo habetur ac libris correctis. Rabanus autem per arcum intelligit fortitudinem. Unde et aliqui sic exponunt : Præcepit ut docerent filios Juda B arcum, id est robur seu firmitatem virtutum, quatenus fortes fierent in timore Dei et obedientia legis, ne mererentur debellari, quemadmodum Saul propter inobedientiam suam.

Josue x, 13. — I *Reg.* xv, 26.

Sequitur carmen. *Et ait* David, incipiens carmen lugubre per verba sequentia : *Considera, Israel, pro his qui mortui sunt,* id est, tu popule Israel adhuc superstes et vivens, diligenter perpende quid tibi agendum sit propter eos qui de semine tuo jam corruerunt in bello, ne tale quid tibi con-C tingat. Considera quoque quam præclari fuerunt, qui pro boni communis defensione occisi sunt, ut tempore opportuno mortem eorum zelo justitiæ ulciscaris. Considera item, quam miserabiliter ceciderunt in propria terra. Unde subjungitur : *super excelsa tua vulnerati,* id est in montibus propriæ terræ læsi et victi, ita quod nec in propria terra, nec in locis ejus altioribus ac munitis potuerunt evadere. Hinc clarius subditur : *Inclyti Israel,* utpote rex Saul et Jonathas ac alii nobiles, *super* D *montes tuos,* id est in aliquibus montium partibus, *interfecti sunt.* Ideo per modum admirantis et dolentis David adjecit : *Quomodo ceciderunt fortes ?* quasi dicat : Mirum et dolorosum est hoc, ac ultio Dei esse videtur propter peccata Saul et consimilium ei. Circa hæc scribit Rabbi Paulus : Hoc præceptum David, videlicet verba illa, Et præcepit ut docerent filios Juda arcum, ut quidam Hebræorum expositores dicunt, est de substantia carminis hujus, quia in carmine hoc intendebat David de-

Digitized by Google

plangere valetudinem et debilitatem po- A puli Israel, in propria terra ac locis excelsis turpiter victi : ex quo intulit lamentando, quod jam non restabat modus defendendi plebem ac patriam, nisi per sagittariam artem, per quam debiliores quandoque superant fortiores : quod non solet ita contingere in bellis quæ fiunt in gladio. Ideo David tanquam proœmium carminis sui præmisit, lamentatorie dicens, Præcepit ut docerent filios Juda arcum.

Nolite annuntiare in Geth, id est, factum istud non divulgetis magis quam di- B
I Reg. vi, 17. vulgatum est in urbe Philistinorum, Geth nomine, *neque annuntietis* hoc *in compitis Ascalonis,* id est triviis, quæ sunt juxta urbem Philistiim, nomine Ascalon. Compitum quippe est trivium, seu locus in quo tres viæ concurrunt, in quo solent homines convenire, et rumores percipere ac referre. *Ne forte lætentur filiæ Philistiim,* id est mulieres ac natæ Philistinorum ; *ne exsultent filiæ incircumcisorum.* Repetitio est ejusdem sententiæ, quia Philistæi in- C circumcisi fuerunt. Exsultatio tamen proprie dicitur, quasi extra se saltatio, scilicet exhilaratio corporis in signa lætitiæ foris erumpens ex redundantia interioris jucundationis in corpus. Sicque possunt hæc ad diversa referri, ut sit sensus : Ne lætentur intus in corde, nec exsultent chorizando ac tripudiando de suorum victoria et Hebræorum ruina. Consueverunt etenim puellæ et feminæ in choreis et sessionibus suis ac viis cantare cantilenas, de populi sui triumpho et adversariorum dejectione compositas. Unde et supra in primo libro ha- D
Ibid. viii, 6, 7. betur : Quum reverteretur David, percusso Philistæo, egressæ sunt mulieres in occursum cantantes, chorosque ducentes atque dicentes, Percussit Saul mille, et David decem millia. In præinductis verbis loquitur David per modum optantis, quo quis non valens aliquid totaliter impedire, cupit illud impedire quantum possibile est ; vel prohibuit modum facti Philistæis referri, quibus notorium fuit ipsum factum.

Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, id est, infructuosi de cetero sitis ; nam fructificatio terræ requirit humorem, imo et pluviam in terra Judææ, juxta illud Deuteronomii : Terra ad quam Deut. xi, 10, 11. ingrederis, montuosa est, de cœlo exspectans pluviam. Sicque in verbis his est metonymia, quoniam causa ponitur pro effectu, videlicet ros et pluvia pro fructu, qui ex rore et pluvia nascitur. *Neque sint* ibi *agri primitiarum,* id est terra arabilis, in qua nascantur gramina, quorum primitiva offerantur ministris templi se- Num. xxviii, 26. cundum legem. Itaque David imprecatus est mala, seu maledixit his montibus, non quod montes peccaverint, sed propter adversa et vitia quæ contigerunt in eis, in detestationem malorum hujusmodi. Unde subjungitur : *quia ibi abjectus est clypeus fortium,* id est, fortes Israel perdiderunt vel abjecerunt ibi clypeos suos ac alia arma ut celerius fugerent. Vel, clypei ibi abjecti sunt, id est ablati per hostes qui spoliaverunt armatos Hebræos. *Clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo,* id est, etiam Saul rex viliter ibi dejectus est, clypeoque privatus tanquam unus de populo.

Porro quod sequitur, *A sanguine interfectorum, ab adipe fortium,* quidam referunt ad verba præhabita, ut sit sensus : Ita abjectus est clypeus Saul propter scelera quæ commisit, occidendo sacerdotes Do- I Reg. xxii, 18. mini, qui erant viri robusti, quorum robur per adipem designatur, de quibus in primo libro habetur. Vel, ita occisus est Saul et populus ejus a sanguine interfectorum et adipe fortium, id est a Philistæis, in quibus viguit sanguis et adeps, per quæ duo fortitudo exprimitur, quoniam præstant corpori robur, juxta illud in Job : Iste moritur Job xxi, 23, 24. robustus, viscera ejus plena sunt adipe. Quidam exponunt sic : Ita abjectus est Saul a sanguine interfectorum, id est propter peccatum quod commisit, usurpando sibi sacerdotale officium, quando obtulit ho- I Reg. xiii, 9. locausta et victimas, prout in primo libro patuit. Porro Hebræi et quidam expositores catholici inchoant versum sequentem a verbis istis, A sanguine interfectorum, ab

Digitized by Google

adipe fortium. *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis :* id est, Jonathas non direxit sagittas in hostes frustra, nec Saul percussit adversarios sine effectu, sed perforaverunt et vulneraverunt inimicos usque ad sanguinis effusionem, adipisque læsuram : per quod insinuari videtur, quod etiam in hoc bello quo succubuerunt, multos Philistinorum interfecerunt, antequam interfecti fuerunt.

Saul et Jonathas amabiles et decori valde in vita sua. Saul equidem in naturalibus donis fuit multum amabilis, strenuus quoque in bellis, et pro defensione populi sui audacter ac sponte exposuit se periculis mortis. (I Reg. xviii, 30.) Et quamvis inique persecutus est David, tamen amabiliter habuit se ad populum suum, et populus valde dilexit eum, (Ibid. xiv, 47.) quia quocumque se vertit, adversariis suis prævaluit. Denique, ante promotionem suam ad regnum, atque in regni sui principio (Ibid. ix, 2; x, 24.) erat tam bonus, et in gratiæ donis ita amabilis, quod in plebe non fuit melior et amabilior illo, ut dictum est in primo libro. Jonathas vero fuit excellenter amabilis in gratiarum ac naturæ muneribus, fidelis, probus et virtuosus : sic quoque ambo fuerunt decori et pulchri. Nam ut in Ethicis Aristoteles protestatur, ad corporalem pulchritudinem tria requiruntur, videlicet elegans statura, congrua habitudo proportioque membrorum, et superfusio vividi ac convenientis coloris. Hinc homines parvæ staturæ non dicuntur proprie pulchri, quamvis speciosi possint vocari. Saul (Ibid. x, 23.) autem ab humero et supra super omnem populum eminebat, et membra sua erant ad invicem bene proportionata, atque vivaci colore fuit perfusus. Jonathas quoque, quamvis minor fuit patre, tamen elegantis fuit staturæ, qui etiam spirituali pulchritudine gratiæ ac virtutum fuit ornatus. Sed et morali pulchritudine, quæ consistit in morum condecentia, uterque resplenduit, quamvis Saul postea ex capitis debilitate interdum indecenter se habuit. *In morte quoque non sunt divisi,* et

A ita sunt sibi invicem assimilati ac couniti in morte, quemadmodum et in vita. Unde et amplius condolendum est eis, quod tales ac tanti pariter corruerunt. Hoc ipsum et de præclarissimis viris Amico et Amelio, quorum miri et gloriosi gestus leguntur, verissime dici potest, qui sibi invicem erant simillimi in vultu, membris, loquela ac moribus, erantque præamabiles atque pulcherrimi viri. *Aquilis velociores* ad persequendum adversarios, *leonibus fortiores,* ad prævalendum in præliis : quod tamen B per modum hyperbolicæ locutionis est intelligendum, utpote per excessum prolatum, ad designandum, quod erant valde veloces, agiles et robusti.

Filiæ Israel, super Saul flete, id est, ejus mortem deplangite, *qui vestiebat vos coccino in deliciis,* id est delicioso vestitu ex panno rubei coloris de hostium spoliis, *qui præparabat ornamenta aurea cultui vestro,* id est vestro amictui, circa quem estis multum intentæ. Vel per cultum designatur ornatus. Saul autem tam victorio- C sus fuit in præliis, quod de hostium prædis frequenter præstitit feminis et puellis, præsertim nobilibus, talia ornamenta. *Quomodo ceciderunt fortes in prælio?* Ex renovatione doloris istud repetiit David, quia ex rememoratione probitatum Saul ac Jonathæ, fuit in eo dolor de eorum interitu renovatus.

Jonathas in excelsis tuis occisus est, id est super montes præfatos terræ tuæ, o Israel. Vel : Jonatha, in excelsis tuis occisus es, id est, o tu Jonatha, in juventute tua et D in statu tuo sublimi es interfectus, quando jam videbaris vicinior ad regnandum ! Propter quod magis compatiendum est tibi. *Doleo super te, frater mi Jonatha :* frater mi, ex familiarissima caritate et cultu religionis ejusdem, et quia de semine Israel, et ejusdem speciei conformitate, et quoniam soror tua est conjux mea; *decore* (I Reg. xviii, 27.) *nimis,* sicut expositum est, *et amabilis super amorem mulierum,* id est mulieribus amabilior, quum tamen viri vehementer ad mulieres afficiantur, in tantum, ut sæpe

Digitized by Google

vincantur amore atque delirent, prout in apocryphis Esdræ plenius recitatur. Vel, Amabilis super amorem mulierum, id est affectum inflammans ad te amandum magis intense, quam feminæ amant, quæ etiam non mediocriter affici solent ad viros. Nam et sicut turpe appetit bonum, et materia formam, sic femina virum, ut dicit Philosophus, quamvis et verba ejus aliter queant exponi. *Sicut mater unicum amat filium suum, ita te diligebam :* tum propter tuam bonitatem, tum propter caritatem qua me prævenisti quum vicissem Goliath, ut dictum est in primo libro; tum propter effectus caritatis tuæ ad me, et beneficia tua mihi impensa (de quibus in multis capitulis primi libri est dictum); et propter affinitatem. Porro amor matris, præsertim viduæ ad unicum filium, est valde præcipuus, ut ait Hieronymus. Talis etenim mater viri solatio destituta, affectionem suam valde recolligit ac defigit in unico pignore uteri sui. Unde et Christus Dominus tali matri compatiens, suscitavit filium ejus a morte.

III *Esdr.* IV, 26-31. I *Reg.* XVIII, 1-4; XIX, 1-7; XX. *Luc.* VII, 12-15.

His dictis, rursus dolore stimulatus, repetiit David : *Quomodo ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica ?* quia arma eorum fuerunt ablata per hostes, nec potuerunt armatos defendere. Juxta hunc modum in carminibus jucunditatis solent aliqua verba jucundiora multoties repeti, et in carminibus tristibus aliqua verba dolorosiora.

A

Circa præhabita ait Petrus Comestor : Creditur carmen istud metrice fuisse compositum, estque continentia hujus carminis tripartita. Primo agit de loco in quo facta est strages, et imprecatur ei malum. Secundo commendat Saul et Jonathan. Tertio specialiter commendat Jonathan, ostendens quantum dilexerit eum. Nec obest, si aliquando pluraliter, aliquando singulariter de eodem monte loquatur. Est enim unus mons, plures habens colles. Montes isti (ut dicunt) ante fuerunt uberrimi, et imprecatus est eis David non ariditatem, sed sterilitatem. Nam ait : Neque sint ibi agri primitiarum, id est fructuum optimorum, ut prius. Alii dicunt maledictionem hanc prophetiam fuisse, quæ impleta est sub Elia, quando facta est in Israel fames magna, ut infra tertio libro habetur. Postremo, in verbis præscripti carminis loquitur David ad Jonathan mortuum tanquam ad viventem, ut moris est deplangentium mortuos, non quod mortui hujusmodi verba audiant : qui tamen ea variis modis cognoscere possunt. Nam corpore mortui, vivunt in anima, et ea quæ fiunt pro ipsis, cognoscere atque percipere queunt pluribus modis.

B C III *Reg.* XVII.

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI PRIMI INTELLECTU.

Ex isto capitulo docemur, virtutes sancti David considerare ac imitari. Et primo ejus prudentiam, quia non statim credidit adolescenti ardua recitanti, sed certificari quæsivit. Sic et nos non sine vera discretione credamus cuicumque narranti, et rumores varios recitanti, aut etiam nova dogmata proponenti. Facili namque credulitate multi falluntur. Potissimum vero difficulter credamus his, qui referunt nobis mala de aliis, et detrahentibus, seminantibusque discordiam; nec proni simus aliis quasi pro vero et certo narrare, quæ ex incerta relatione audivimus. Nempe ut Salomon in libro Proverbiorum loquitur : Innocens credit omni verbo, astutus

D *Prov.* XIV, 15.

Digitized by Google

autem considerat gressus suos. In Eccle-
Eccli. xix, siastico quoque scriptum est : Qui cito credit, levis corde est, et minorabitur. Hinc Joannes apostolus in sua prima scribit Ca-
Joann. iv, nonica : Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.
Hebr. xiii, Paulus quoque : Doctrinis, inquit, variis et peregrinis nolite abduci.

Secundo, ex isto capitulo docemur caritatem, imo et evangelicam perfectionem electi David sectari, qui mortem sui crudelissimi et injustissimi inimici tam cordialiter deploravit : quod utique non fecisset, nisi eum dilexisset ex corde, a quo cum tota sua parentela fuit pulsus de regno, totiesque quæsitus ad occidendum. Jam ergo sub lege implevit David, quod in
Matth. v, 44. Evangelio jubet Christus : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Quod totum et nos implere conemur, alioqui non erimus veri evangelicæ legis cultores. Insuper, nullus sit ita malevolus, ut de adversariorum suorum adversitate, ruina aut morte lætetur. Imo cum David potius deplangamus illorum interitum, adversi-
Prov. xxiv, 17. tatem et casum, quum scriptum sit : Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina illius ne exsultet cor tuum. Unde et sanctus Job de se ipso ad nostram ædifi-
Job xxxi, 29. cationem fatetur : Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum.

Tertio instruimur ex hoc loco, quanta fuerit sancti David humilitas, quia ad tanti regni principatum nequaquam adspiravit ambitiose : nam eos quorum præsidentia aut vita differebatur a regia dignitate, tam dire deflevit. Absit ergo a discipulis et ministris Filii Dei omnis elatio et universa ambitio, nec pro sui ipsius nec pro aliorum promotione quisquam laboret incaute aut importune. Verumtamen quidam in tantum excæcantur vanissima ambitione, quod eorum mortem desiderant, quorum officia aut prælationem sive præbendam sibi aut suis exoptant, et ita coram Deo sunt homicidæ. — Quarto informamur ex isto capitulo ad zelum justitiæ, ut exemplo David

A afficiamur sincere ad omne bonum vere honestum, et recti ac æqui simus tenaces, nulli parcentes contra justitiam. Nam et illum David fecit occidi, qui se dixit maximum inimicum David interfecisse. Quidam vero ita injusti sunt, ut mox eis applaudant, adhæreant et adsistant, qui eorum adversariis se opponunt, et tales fiunt faciliter partiales : quod præsidentibus atque judicibus est maxime præcavendum. Præterea advertendum, quod Saule occiso, David scivit sibi jure divino jus regale com-
B petere, quoniam ex Dei jussione unctus I Reg. xvi, 13.
fuit in regem ad regnandum post Saulem : ideo habuit auctoritatem occidendi præfatum adolescentem. — Quinto ex hoc loco erudimur pia compassione mortuos deplorare, præsertim bonos prælatos ac devotos presbyteros, non quia migraverunt de hujus vitæ ærumnis ad Dominum, sed quia Ecclesia talibus filiis est privata, et plebs Christi talibus patribus, rectoribus ac patronis est destituta. Hinc tales presbyteros et pastores S. Ambrosius consuevit ama-
C rissime deplorare.

Et præcepit David, *ut docerent filios Juda arcum*. Per David intelligitur Christus, qui jubet ut prædicatores, pastores et superiores doceant filios Juda, id est fideles sibi commissos, arcum, id est artem spiritualiter sagittandi adversarias potestates, quæ ferventibus adspirationibus, orationibusque devotis et omni exercitatione virtutum sagittantur seu affliguntur. Ars etiam saluberrime sagittandi est, verbis fervidæ sermocinationis et affectuosæ exhortationis
D audientium corda accendere, amorisque sancti jaculo perforare. Itaque juxta Glossam, filii Juda sunt filii confessionis, qui corde credunt ad justitiam, et ore confi- Rom. x, 10.
tentur ad salutem; qui duplici confessione ornantur, videlicet confessione laudis divinæ ac propriæ culpæ. Hos vult Deus arcu Scripturæ muniri, ne per ignorantiam in dæmonum conspectu succumbant. Præterea in Scripturis per sagittam multa significantur. Primo, timor, pœna sive adversitas, ut quum sanctus Job protestatur :

Digitized by Google

Job vi, 4. Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Secundo, caritatis succensio, secundum illud in Canticis : Caritate vulnerata sum. Unde et Augustinus loquitur Deo : Sagittaveras tu cor meum. Tertio, rancor sive detractio, quemadmodum in Jeremia habetur : Sagitta vulnerans lingua eorum. Quarto, ipse Christus, qui ait per Isaiam : Posuit me Dominus quasi sagittam electam. Quinto, quicumque prædicator idoneus. Unde per Isaiam loquitur Deus : Mittam ex eis qui salvati fuerint, in Africam et Lydiam tenentes sagittam. Sexto, dura tentatio, juxta id Psalmi : A sagitta volante in die. Septimo, acuta et efficax prædicatio, secundum illud in Psalmo : Sagittæ tuæ acutæ. Octavo, jaculum corporale, ut hic : Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum. Nono, concupiscentia carnis, aut pœna damnationis. Unde in Proverbiis legitur : Ignorat quod sagitta transfigat cor ejus.

Cf. Cantic. iv, 9. — Jer. ix, 8. — Is. xlix, 2. — Ibid. lxvi, 19. — Ps. xc, 6. — Ps. xliv, 6. — Prov. vii, 22, 23.

Considera, Israel, pro his qui mortui sunt. Per Israelem, qui interpretatur Vir videns Deum, intelligitur populus christianus divina contemplans, qui considerare debet ex morte prædecessorum suorum, quam brevis, fallax, incerta sit vita præsens, et quam stultum sit, propter ejus delicias ac opes terrenas, æternam mereri damnationem, et gloriam perdere æternalem. Insuper, pro his qui mortui sunt morte peccati, et mortem incurrerunt infernalis miseriæ, debemus perpendere, ne et nos taliter
Mich. vi, 8. pereamus, sed coram Deo jugiter ambulemus timorate, sollicite, ac sincere. *Super excelsa tua vulnerati,* hoc est, in altitudine officiorum ac dignitatum vitiis læsi. In talibus quippe contingunt multa et magna animarum pericula. *Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt.* Inclyti Israel, sunt viri scientia atque prudentia præditi, et in principatibus seu prælationibus constituti. Qui super montes interficiuntur, quando de scientia sua inflantur, aut de sua eminentia intumescunt, vel in suorum exsecutione officiorum sunt negligentes. Unde ait Hieronymus : Per gradus dignita-

A tum raro aut nunquam ascenditur, quin multo gravius per vitia descendatur.

Quomodo ceciderunt fortes? Hoc compassive et dolorose dicendum est, dum personas religiosas et virtuosas percipimus esse subversas, aut tentationibus victas, seu verba increpationis et virgam correctionis impatienter sumpsisse, et eos qui spiritu cœperunt, audimus carne consummari, tepescere, et negligentius se habere. O quam multi cadunt ac pereunt in montibus prælationum, dignitatum, et of-
B ficiorum, qui in convallibus humilitatis, obedientiæ, timoris, ac simplicitatis possent salvari! Et tamen infelix ac stulta mens hominum, semper ad altiora præsidentiæ nititur, nec expavescit durissimum Dei judicium, quod in præsidentibus exercetur. O ambitio, crux ambientium, quomodo omnibus placens, omnes tibi subjectos torques! *Nolite annuntiare in Geth :* hoc est, sæcularibus hominibus non publicetis ecclesiasticorum peccata, nec adversariis fidei christianæ insinuetis peccata et ad-
C versitates Ecclesiæ, *ne exsultent filiæ incircumcisorum,* hoc est animæ impiorum, qui incircumcisi sunt corde ac moribus.

Galat. iii. — Sap. vi, 6.

Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos. Gelboe interpretatur decursus. Itaque montes Gelboe designant majores in populo Judæorum vitiis defluentium, qui persecuti sunt Christum, et inter quos Christus ac plurimi ejus discipuli sunt occisi. Ideo justo Dei judicio, neque ros gratiæ, nec pluvia salutaris doctrinæ descendit in corda ipsorum, sed aruerunt,
D et tanquam infructuosissimæ arbores sunt excisi, atque in ignem æternum projecti. Quemadmodum enim in cacuminibus montium non colligitur pluvia, nec permanet humor, sed in concavis vallium ; ita in superbis illis sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum, ac pontificum cordibus locum non reperit Spiritus Sanctus, nec in eis sua charismata quieverunt, sed in humilibus Christi discipulis, secundum quod dixit : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc Matth. xi, 25; Luc. x, 21.
a sapientibus et prudentibus, hoc est, præ-

Digitized by Google

fatis Judæorum majoribus, qui sapientes A ac prudentes se esse jactabant, et revelasti ea parvulis, id est humilibus. *Neque sint ibi agri primitiarum,* hoc est congregationes hominum fructuosorum, quoniam qui præfatos Judæos incredulos sunt secuti, omni fecunditate gratiæ ac virtutum sunt privati. Porro, fideles dicuntur agri ac vineæ Dei, dicente Apostolo : Dei agricultura estis. (Cor. III, 9.) *Quia ibi abjectus est clypeus fortium.* Clypeus fortium, fuit prædicatio Christi et Apostolorum, contra universa salutis obstacula muniens, et fideles auditores defen- B dens : quam prædicationem infelicissimi abjecerunt Judæi, et perierunt *a sanguine interfectorum,* hoc est propter scelera sua, quæ Christum et ejus discipulos occidendo, fecerunt. *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum.* Hoc dici potest de efficaci prædicatore, cujus sermo non caret fructu.

Saul et Jonathas amabiles et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi. Hoc dici potest de quocumque fideli prælato et martyre sancto, ac ejus filio spiri- C tuali seu fratre aut socio, qui in vita sua Deo concorditer ac fervide servierunt, pariterque pro Christo martyrium sunt perpessi, vel simul in pace obdormierunt in Domino. Quales fuerunt beatissimi Petrus et Paulus, Simon et Judas, Epictetus et Astion, multique tales, sicut gloriosus martyr Mauricius et quicumque socius ejus. Studeamus ergo et nos esse vere amabiles bonitate virtutum, dulcedine morum, caritate obsequiorum, et decori luce sapientiæ ac gratiæ venustate. Simus insuper D *aquilis velociores* per dilectionis fervorem, contemplationis acumen, et per agilitatem promptissimam ad omnem obedientiam sanctam virtuosumque actum, ut viriliter ac celerrime, non tamen sine discretione, aggrediamur opera bona, et quæcumque Deus requirit a nobis. Simus item *leonibus fortiores,* confidendo semper in Domino, et omnia valendo in eo qui nos confortat, (Philipp. IV, 13.) ita ut eum vincamus, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem (I Petr. V, 8.) devoret. *Filiæ Israel, super Saul flete.* Sic animæ subditorum bonorum debent lugere, quum fuerint virtuoso pastore orbatæ, cujus exemplis atque sermonibus vestiebantur, ac ornabantur amictu justitiæ, splendore virtutum, et veste nuptiali, quæ caritas est. (Matth. XXII, 11.)

Postremo, sicut David tam ardenter ac tenerrime dilexit Jonathan sincero amore, tam naturali quam sociali et familiari ac spirituali ; ita ad proficiendum in omni virtute non mediocriter confert habere aliquem carissimum fratrem, fidelissimumque amicum veraciter virtuosum : quatenus se invicem caritative corripiant, exhortentur, accendant, ac juvent ad omnem spiritualem profectum, et ab omni carnali affectione abstineant, nec unus ab alio aliquid optet, quod sit virtuti contrarium, nec alter propter alium tale quid operetur : imo omni homini magnum est relevamen atque solatium in omni hac vita habere familiarem et fidelem amicum. Propter quod ait Ecclesiasticus : Amicus fidelis, protectio fortis ; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. (Eccli. VI, 14-16.) Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis ; et qui metuunt Dominum, inveniunt illum. Verumtamen observandum est, quod ab eodem docetur : Si possides amicum, in tentatione posside illum, hoc (Ibid. 7, 8, 11.) est, tempore adversitatis proba et experire, an veram amicitiam tibi ostendat effectu, et ne facile credas ei te ipsum. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in die tribulationis. Amicus, si permanserit fixus, erit tibi coæqualis, hoc est, humiliter habe te ad ipsum, quasi ad fratrem ac socium, quamvis sis major eo.

Demum et hoc ex isto innotescit capitulo, quod justo Dei judicio sæpe contingat, ut simulatores et callidi adulatores, et humanæ gratiæ potius quam divinæ exquisitores, sæpe incurrant detrimentum, displicentiam, aut etiam mortem ex verbis suis

Digitized by Google

confictis, blandis, mendosis apud magnates seu alios, quibus putant per talia complacere. Idcirco nil melius, quam in verbis et factis juste atque sinceriter se habere, A et cordis simplicitatem rectitudinemque diligere, quia et Salomon contestatur : Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem. Prov. xxII, 11.

ARTICULUS III

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : IGITUR POST HÆC CONSULUIT DAVID DOMINUM.

RECITATUR hic, qualiter David pervenit ad regnum, et adversarius ejus succubuit. *Igitur post hæc consuluit David Dominum :* postquam scilicet deplanxit Saulem et Jonathan, interfectosque Israel. (II Reg. I, 17 et seq.) An autem deplanxit eos septem diebus, quemadmodum in fine primi libri leguntur fecisse Jabitæ, hoc est viri Jabes Galaad, (I Reg. xxxI, 13.) an uno die dumtaxat, ut littera præcedentis capituli videtur sonare, incertum apparet. Jabitæ autem fecerunt, juxta quod scriptum est, Luctus mortui septem dies. (Eccli. xxII, 13.) Denique juxta præhabita in primo libro, David consuluit Dominum, hoc est, de agendis quæsivit a Deo informationem atque consilium per sacerdotem Abiathar, juxta modum frequenter expressum, (I Reg. xxx, 7, 8.) *dicens* ad Dominum per sacerdotem : *Num,* hoc est anne, *ascendam in unam de civitatibus Juda,* id est tribus Juda? de qua natus sum, et eam plus diligo, quæ et mihi magis adsistet. (Ibid. xvI, 1.) Itaque quando David hæc dixit, videtur adhuc fuisse in Siceleg, quæ est inferior situ, quam regnum Judææ. Ideo ait : Num ascendam? *Et ait Dominus ad eum : Ascende. Dixitque David : Quo ascendam?* Ministerio angeli fiebat responsio sacerdoti, et per sacerdotem ad David. *Et respondit ei : In Hebron.* Quæ fuit urbs inclyta et famosa, et data fuit Caleb in possessionem; (Josue xIv, 13, 14; xv, 13.) in qua etiam Abraham aliquando habitavit, ubi et Sara defuncta est, ut in Genesi legitur. (Gen. xIII, 18; xxIII, 2.) Hinc Dominus jussit, ut David inciperet regnare ibidem. Circa hoc scribit quidam : In illa civitate sepulti sunt B quatuor principales Patriarchæ. Quod stare non potest, nisi sic intelligatur : In illa civitate, id est prope eam. Nam extra Hebron in spelunca duplici in agro sepulti fuerunt. Unde et in Genesi Abraham ait : Intercedite pro me apud Ephron, ut det mihi speluncam duplicem quam habet in extrema parte agri sui. (Gen. xxIII, 8, 9.)

Ascendit ergo David et duæ uxores ejus, quas accepit post Michol filiam Saulis, *Achinoam Jezraelitis,* quia de urbe nomine Jezrael fuit, *et Abigail uxor Nabal Carmeli.* C *Sed et viros qui erant cum eo, duxit David,* hoc est, secum perduxit, *singulos cum domo sua,* id est cum suis domesticis, puta uxore ac sobole : quos noluit in sua prosperitate relinquere, quia in adversis communicaverant sibi, adhuc quoque indiguit eorum subsidio. *Et manserunt in oppidis Hebron,* hoc est, quæ erant prope Hebron in gyro, et pertinebant ad Hebron, tanquam ad urbem principaliorem. Nec poterant omnes convenienter habitare in Hebron, quæ fuit aliunde satis populosa. D Aliqui tamen ex majoribus habitaverunt cum David in Hebron. Porro, per oppida Hebron, intelliguntur hic forsitan villæ Hebron, de quibus legitur in libro Josue. (Josue xxI, 11. 12.) *Veneruntque viri Juda,* hoc est de tribu Juda, quæ populosior, bellicosior, ac nobilior erat. *Et unxerunt ibi David* in regem, per manus sacerdotis aut alicujus Prophetæ. Unde et infra tertio libro describitur Salomon unctus per manus Sadoc pontificis, et Nathan prophetæ. (III Reg. I, 45.) *Ut regnaret super*

Digitized by Google

domum Juda. David quoque jam ante se- A
I *Reg.* xvi, 13. mel unctus fuit in domo patris sui per Samuelem prophetam. II *Reg.* v, 3. Unctus est etiam tertio rex super universum populum Israel, ut infra habetur.

Et nuntiatum est ipsi *David, quod viri* I *Reg.* xxxi, 12, 13. *Jabes Galaad sepelissent Saul,* et etiam Jonathan, cum grandi periculo et labore, ut in ultimo primi libri capitulo elucescit. Probabile reor, quod hi qui istud retulerunt regi David, fuerunt amici Jabitarum, volentes ipsum David inclinare ad benevolentiam circa Jabitas, quia jam satis fuit B
II *Reg.* i, 15. vulgatum, quod David occiderat eum, qui dixit se occidisse Saulem. Ideo non videtur, quod isti intenderint ipsum David avertere a Jabitis, recitando hoc factum. *Misit ergo David nuntios ad viros Jabes* *Num.* xxxii, 40; xxxvi, 1. *Galaad,* qui erant de tribu Manasse, ut patet in libro Numerorum. *Dixitque ad eos* per os nuntiorum, vel per epistolam : *Benedicti vos a Domino,* hoc est, Benedicti et dona gratiæ consecuti estis a Deo. Vel, Benedicti sitis, seu benedicamini a Domino Deo, *qui fecistis misericordiam hanc* C
cum domino vestro Saul, et, pro id est, *sepelistis eum.* Siquidem mortuos sepelire, inter septem corporalia misericordiæ opera computatur. *Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam,* hoc est ve- *Matth.* v, 7. niam et gratiam. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Prov.* xv, 27. In Proverbiis quoque scriptum est : Per fidem et misericordiam purgantur peccata. *Et veritatem,* id est veram mercedem ac summæ veritatis beatam notitiam, dummodo perseveretis in bonis ; vel, Verita- D
tem, hoc est retributionem quam talibus promisit, vere impendet vobis.

Sed et ego reddam gratiam, id est gratiosam retributionem ultra quam speratis a me, *eo quod fecistis verbum istud,* hoc est opus hoc, significatum per horum verborum complexum. Verbum quippe frequenter accipitur pro verborum congerie seu sermone. Et nunc pro re significata per tale verbum accipitur. Princeps autem debet plebi suæ esse gratus, atque benevolus pro fidelitate ejus et pio obsequio. Nam, ut Philosophus in Politicis ait, per hoc princeps subditos suos ad meliora præcipue provocat, quod circa obedientes, fideles et pios, exhibet se liberalem, gratum, beneficum. *Confortentur manus vestræ,* id est, vos ipsi roboremini : quia per partem, totum significatur. Et quoniam manus est organum organorum, secundum Philosophum, in quo præcipue sita est vis operativa, idcirco per manuum confortationem, totius hominis fortificatio designatur. *Et estote filii fortitudinis,* hoc est multum fortes : sicut aliquis dicitur filius inconstantiæ, quia multum inconstans ; aut homo virtutis, quia valde est virtuosus. Sic quoque Antichristus vocatur homo peccati. Et II *Thess.* ii, 3.
Ruth, mulier appellatur virtutis. Et sumi- *Ruth* iii, 11.
tur fortitudo hic pro virtute potius, quam pro robore corporali. *Licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda,* hoc est familia stirpis Judæ, *in regem sibi.* Ideo potens sum benefacere vobis, et bonæ spei esse debetis.

Sequitur de principatu Isboseth filii Saul. *Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul, tulit,* id est, secum sumpsit, *Isboseth filium Saul, et circumduxit eum per castra,* id est per loca et congregationes decem tribuum. Vel, Per Castra, hoc est per locum sic proprie dictum, qui in Hebræo Mahanaim nuncupatur : quia in eo angeli occurrerunt sancto Jacob de Mesopotamia redeunti, juxta illud Geneseos : Fuerunt ei obviam angeli Dei ; quos quum *Gen.* xxxii, 1, 2.
vidisset, ait, Castra Dei sunt hæc ; et appellavit nomen loci illius, Mahanaim, id est castra. Denique dictum est ultimo primi libri capitulo, quod filii Israel, qui I *Reg.* xxxi, 7.
erant trans vallem et trans Jordanem, mortuo Saul, civitates suas ex timore reliquerunt atque fugerunt. Et illi deinde se collegerunt, ut fierent fortiores, atque per castra, hoc est per congregationes illas ac alias, circumduxit Abner hunc Isboseth. *Regemque constituit* ipsum Isboseth *super Galaad,* id est super habitatores terræ Galaad trans Jordanem, *et super Gessuri,* hoc

Digitized by Google

est terram sic dictam, ad terram promissionis pertinentem. Verumtamen quidam dicunt in Hebræo haberi, Super Assuri, id est tribum Aser. Nam tempore Saul, filii Israel nondum obtinuerunt dominium super regnum, seu territorium Gessuri, quum
II Reg. xiii, 37. et infra dicatur, quod Absalon fugit ad
* Gessur regem Gessuri *, patrem matris suæ : nisi forsan Gessuri hic sumatur pro alio loco, aut oppido sic vocato, sicut frequenter in simili accidit in Scripturis. *Et super Jezrael, et super Ephraim, et super Benjamin,* hoc est tribum Benjamin, quæ familiarius ac vehementius adhæsit Isboseth
I Reg. ix, 1. Benjamitæ, quia de stirpe Benjamin fuit, *et super Israel universum,* id est ceteras Israel tribus, tribu Juda excepta. Sicque per synecdochen sumitur hic totum pro parte sua majori.

Intelligendum est autem, quod Abner qui erat valde potens in populo, induxit præfatos filios Israel ad consentiendum unctioni Isboseth super eos in regem. Verumtamen constitutio illa Isboseth in regem super illos, non fuit legitima, sed usurpativa; nec fuit de jure, sed de facto :
Ibid. xiii, 14; xv, 28; xvi, 1, 13. quia frequenter prædixerat Deus regnum auferendum a semine Saul, et ipsum David fecit ungi per Samuelem in regem. Præterea advertendum, quia ut refert Lyra, Rabbi Salomon dicit ipsum Abner constituisse Isboseth regem, ad verificandum quod in
Gen. xxxv, 11. Genesi Deus locutus fuit ad Jacob : Reges ex te egredientur, et tamen omnes filii Jacob erant tunc nati præter Benjamin. Sicque significatum fuit, quod ei de Benjamin essent duo reges futuri, videlicet Saul et Isboseth. Sed istud nullius videtur valoris. Nam dato quod de solo Juda orti fuissent reges, adhuc verificata esset illa promissio. Constat namque, quod nullus immediatorum filiorum Jacob rex fuerit, sed in posteris fuit sponsio illa impleta. Nec etiam per verba illa significatum fuit, quod de quolibet filiorum Jacob essent reges nascituri, imo nec nati sunt. Insuper in Genesi legitur Deus Abrahæ promisisse
Ibid. xvii, 6. non semel dumtaxat : Reges ex te egredientur, diu antequam Isaac fuit natus, in cujus posteritate fuit impleta illa promissio.

Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul quum regnare cœpisset super Israel, et duobus annis regnavit. Abner vero non videtur excusari a culpa, procurando promotionem Isboseth hujus in regem, quoniam scivit regnum fuisse promissum ipsi David a Deo : idcirco non debuit regi David resistere. *Sola autem domus Juda sequebatur David,* obediendo ei ut regi, et acceptando eum in regem. Sed objici potest, quod in primo libro Paralipomenon leguntur valde multi confugisse ad David, quum adhuc esset in Siceleg; deinde quum erat in Hebron, valde multa millia de diversis tribubus Israel venerunt ad eum, ut esset eorum rex, Isboseth adhuc vivente atque regnante. Nam legitur ibi : De filiis autem Benjamin tria millia venerunt ad eum. Magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul. Ad hæc respondendum videtur, quod sola tribus Juda tota et integra sequebatur David. De aliis vero tribubus aliqui quotidie confugerunt ad David, prout in præallegato libro satis innuitur. *Et fuit numerus dierum quos commoratus est David imperans in Hebron super domum Juda, septem annorum et sex mensium.*

(I Par. xii. — Ibid. 29.)

Egressusque est Abner filius Ner, et pueri, hoc est servi seu etiam cognati, *Isboseth filii Saul de castris,* id est de turmis seu mansionibus suis, *in Gabaon,* hoc est ad locum prope urbem sic dictam, vel in Gabaon cœperunt egredi. *Porro Joab filius Sarviæ, et pueri,* id est ministri ac propinqui, *David, egressi sunt, et occurrerunt eis juxta piscinam in Gabaon,* hoc est prope oppidum illud in campo. Non enim convenerunt intra urbem. *Et quum in unum locum convenissent,* ex condicto (ut aliqui opinantur) sive ex casu, *e regione,* id est ex opposito, *sederunt hi in* una parte piscinæ, et illi ex altera* parte. Piscina autem vocatur congregatio aquarum, præsertim pluvialium. *Dixitque Abner ad Joab :*

* ex

Digitized by Google

Surgant pueri, id est aliqui pugnatores ex utroque exercitu, *et ludant coram nobis,* hoc est, delectabiliter prælientur contra se invicem singulari certamine, ostendentes robur suum atque audaciam. Circa hoc scribit Lyra, quod verbum Hebraicum, pro quo Hieronymus transtulit, Ludant, æquivocum est ad Ludere et Occidere, et ad alia quædam. Hic autem pro Occidere ponitur. Contra quod scribit Rabbi Paulus : Quamvis verbum illud Hebræum æquivocum sit, nunquam tamen significat Occidere. Et in hoc loco proprie significat Ludere. Verumtamen ludicra quæ inter hostes fiunt, frequenter inducunt occisiones, ut in proposito. Quemadmodum etiam hastiludia ad militare exercitium facta, sæpe inducunt plagas et læsiones : non tamen ista significantur per verbum hoc, Ludere. Hæc Rabbi Paulus. *Et ait Joab : Surgant.*

Surrexerunt ergo, et transierunt numero duodecim de Benjamin ex parte Isboseth filii Saul, et duodecim de pueris David. Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, id est æqualis seu socii sibi contrarii, *defixit gladium in latus contrarii.* Josephus et quidam eum sequentes, dicunt hoc sic intelligendum, quod unusquisque illorum duodecim puerorum David, defixit gladium in latus sui contrarii, ita quod pueri David manserunt superstites. Sed obviare videtur quod subditur : *Et ceciderunt,* hoc est mortui sunt, *simul.* Scriptura quoque hæc indeterminate affirmat, quod unusquisque transfodit latus comparis sui, nec innuit hoc magis esse intelligendum de pueris David, quam Isboseth. Imo addendo, Et ceciderunt simul, insinuare videtur, verba illa esse de utrisque intelligenda : idcirco hoc verius creditur, quia plus consonat textui. *Vocatumque est nomen loci illius, ager Robustorum in Gabaon,* id est prope, quia nec agri solent esse in urbibus. Quidam refert, in Hebræo haberi, Campus Concisorum, quoniam gladiis mutuo concisi corruerunt, sed potius reor in Hebræo haberi, sicut Hieronymus transtulit. Et forte verba illa Hebraica A utrumque designant, magisque apte Hieronymus transtulit, Ager Robustorum, quam si transtulisset, Campus Concisorum : primo, quoniam pueri utriusque exercitus audacter et fortiter videbantur egisse ; secundo, quia transfixi fuerunt proprie, non concisi.

Et ortum est bellum satis durum in die illa. Uterque enim exercitus condoluit suis ita occisis, et inflammatus fuit ad præliandum, atque ad ulciscendum ruinam suorum. *Fugatusque est Abner et viri* B *Israel a pueris David. Erant autem ibi tres filii Sarviæ* sororis David, videlicet *Joab et Abisai et Asael. Porro Asael cursor velocissimus fuit, quasi unus ex capreis quæ morantur in silvis :* quæ velociores sunt domesticis capreis. Ideo verbum hoc intelligi potest per modum hyperbolicæ locutionis. *Persequebatur autem Asael Abner* juvenili et incauta audacia, non considerans fortitudinem, experientiam atque peritiam ipsius Abner in bellicis rebus, *et non declinavit ad dexte-* C *ram neque ad sinistram, omittens persequi Abner. Respexit itaque Abner post tergum suum, et ait : Tune es Asael ? Qui respondit : Ego sum. Dixitque ei Abner : Vade ad dexteram sive ad sinistram, et apprehende unum de adolescentibus* exercitus mei, *et tolle tibi spolia ejus,* hoc est, rebus suis exspolia eum, ut jure prælii sint spolia tua, ea quæ habet ille, vel quæ abstulit de parte tua. Tanquam dicat : Si fortitudinem tuam vis experiri, invade unum de juvenibus meis tibi similibus ; et si quive- D ris vincere eum, accipe spolia ejus. *Noluit autem Asael omittere quin urgeret eum,* hoc est, quin importune arctaret ipsum Abner, atque compelleret eum ad resistendum, quia velocior erat quam Abner vir grandævæ ætatis, non tamen robustior, imo multum imperitior illo.

Rursumque locutus est Abner ad Asael : Recede, noli me sequi, ne forte compellar confodere te in terram, hoc est ita transfigere, ut protinus cadas moribundus in solum. Ex his elicitur prudentia, patien-

Digitized by Google

tia, mansuetudo, maturitas hujus Abner, qui importunitatem illius juvenis tam longanimiter toleravit, quem se posse faciliter superare non dubitavit. *Et levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum,* hoc est, coram Joab non potero apparere securus, nec ejus gratiam invenire, si te fratrem ipsius occidero. Itaque Abner timuit ipsum Joab potius propter ipsius calliditatem, quam vires. Nam et Abisai fortior fuit quam Joab, ut infra patebit, et primo Paralipomenon satis innuitur. (I Par. xi, 20.) Insuper, Abner vidit partem Isboseth deficere omni die, et partem David proficere. Scivit quoque, quod regnum fuit promissum ipsi David a Deo, propterea conjiciebat quod David prævaleret, et regnaret in brevi, et quod tunc Joab fieret unus de potentioribus regis, quia et nunc fuit quasi princeps exercitus, sicque indigeret favore et gratia Joab. *Qui audire contempsit, et noluit declinare.* Ex quo videtur, quod ex elatione et vana gloria desideravit dejicere ipsum Abner, ut videretur perpetrasse rem magnam, prosternendo principem militiæ partis adversæ. Si tamen Asael ex zelo justitiæ sic insecutus est Abner, et eum audire contempsit, quatenus superaret capitaneum eorum, qui injuste restiterunt regi David, quatenus capitaneo illo occiso, pax citius sequeretur, laudabiliter egit.

Percussit ergo eum Abner aversa hasta, ita quod ipse Abner totus peritus in bellicis rebus, quasi progrediendo repente vertit hastam suam in propriis manibus. Sicque celerrime vulneravit Asaelem *in inguine,* hoc est in parte inferiore circa virilia, ubi vulnus letale est, cum ferro seu mucrone lanceæ suæ. Quidam tamen exponunt sic: Aversa hasta, id est cum ligno hastæ posteriore. Cui expositioni obviare videtur, quod subditur, *et transfodit :* quia non apparet, quod cum ligno illo potuerit eum ita transfodere. Ideo quidam exponunt sic : Adversa hasta, hoc est hasta versa ad Asaelem. Porro (ut fertur) in Hebræo habetur : Percussit eum post hepar in quinta, id est juxta vitalia membra in costa ubi ictus

A mortalis est. *Et mortuus est in eodem loco. Omnesque qui transibant per locum in quo ceciderat Asael, et mortuus erat, subsistebant* ad videndum cum admiratione et forsan compassione, tam egregium, audacem ac velocem juvenem, tam subito interfectum, utpote regis David nepotem.

Persequentibus autem Joab et Abisai cum eorum exercitu *fugientem Abner* cum suis, ad ulciscendum sanguinem fratris sui, *sol occubuit.* Ideo propter imminentem noctis caliginem, oportebat cessare a

B prælio. *Et venerunt usque ad collem Aquæductus :* proprium nomen est montis illius ; *qui est ex adverso vallis et itineris deserti in Gabaon. Congregatique sunt filii Benjamin ad Abner,* tanquam ad principem ; *et conglobati in unum cuneum* ad adjuvandum se invicem, *steterunt in summitate tumuli,* hoc est monticuli *unius,* seu loci eminentioris, secundum Glossam, ut ex loco illo fortius repugnarent, adjuti altitudine loci.

Et exclamavit Abner ad Joab, et ait :

C *Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet?* id est, tam instanter et immoderate persequeris nos, ac si velles nos omnino occidere gladio : quod tamen incautum et indecens est. *An ignoras quod periculosa sit desperatio ?* hoc est, attendere deberes quod valde periculosum sit adversarios in tantum arctare, ut desperent se posse effugere : quia frequenter contingit, ut in tali casu provocati fortius reluctentur, plurimosque occidant de persecutoribus suis, sic intra se cogitantes :

D Oportet nos mori aut prævalere ; et sive resistamus, sive non, non est spes de fuga. Sicque animantur ad dimicandum fortissime. Hinc de Alexandro Magno narratur, quod dum quadam vice fecisset pontem laboriose, et exercitus suus pontem esset transgressus, pontem jussit mox destrui. Unde exercitus suus admirans, dixit : Quo aut per quem locum fugiemus, si defecerimus in prælio? Responditque Alexander : Ideo pontem fregi, ut non cogitetis de fuga, sed certi sitis, vos aut morituros, aut

Digitized by Google

triumphaturos in bello. Quo audito, fortissime pugnaverunt, atque prævaluerunt. Secundum Rabbi Paulum in Hebræo habetur : An ignoras, quomodo amara erit in ultimis? ut sit sensus : Quamvis amaritudo seu dolor proveniens ex his quæ contingunt in bello, non sentiatur ipso bello fervente, in ultimis tamen cessante belli ardore, dolorose et amare sentitur ex strage et detrimento quæ solent in bellis contingere. *Usquequo non dicis populo tuo, ut omittat persequi fratres suos?* Nam omnes sumus de semine Jacob, et ejusdem legis cultores, ideo invicem misericordes esse debemus. *Et ait Joab : Vivit Dominus, si locutus fuisses mane,* id est mature et diu ante hanc horam, pacem petendo, *recessisset populus persequens fratrem suum,* hoc est, exercitus mecum exsistens, et hucusque persequens populum tuum, fratrem suum, sumendo singulare pro plurali, jam diu cessasset vos insequi.

Insonuit ergo Joab buccina pro signo cessationis a persecutione ac prælio, *et stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen. Abner autem et viri ejus abierunt per campestria Moab, tota nocte illa, et transierunt Jordanem, et lustrata omni Bethoron, venerunt ad castra :* de quibus prædictum est,

A quod Abner circumduxit ipsum Isboseth per castra. *Porro Joab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum,* id est totum exercitum suum, ut sciret, quot occisi essent de suis. *Et defuerunt de pueris David* qui fuerunt cum Joab, *decem et novem viri :* quo constat, quod pueri accipiuntur hic pro viris ; *excepto Asaele,* qui erat vicesimus occisorum, et solus plus computabatur, quam omnes seu multi alii interfecti. *Servi autem David percusserunt de Benjamin, et de viris qui erant*
B *cum Abner, trecentos sexaginta : qui et mortui sunt. Tuleruntque,* Joab et frater ejus, *Asael,* hoc est corpus Asaelis. *Et sepelierunt eum in sepulcro patris sui* mariti Sarviæ, *in Bethlehem. Et ambulaverunt tota nocte Joab et viri qui erant cum eo. Et in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron* ad David, postquam sepelierunt Asaelem, vel potius postea [sepelierunt eum], quamvis sepelitio illa ante narretur.

Præterea advertendum, quod præfata pugna inter servos David et Isboseth, fuit
C justa ex parte David, cui jure divino regnum debebatur : idcirco et duodecim juvenes, qui de exercitu Abner concertaverunt contra duodecim juvenes Joab, periculose egisse videntur, nisi forsan per ignorantiam aut jussionem sui principis excusentur.

ARTICULUS IV

DE MYSTICO HUJUS CAPITULI SECUNDI SENSU.

DAVID fuit Christi figura : et sicut David, regnante Saule, exsul fuit de terra Juda, sic Christus Filius Dei remotus fuit et alienus a cordibus hominum, regnante in eis diabolo. Postea, Christus per incarnationis mysterium ascendit in unam civitatum Juda cum duabus uxoribus suis, id est [cum] Ecclesia ex Judaismo conversa, itemque cum Ecclesia ex gentilitate col-
D lecta : quas etsi nondum actu converterat, tamen per præcognitionem et electionem portavit eas in mente sua. *Veneruntque viri Juda, et unxerunt ibi David.* Per viros Juda, intelliguntur electi ex Judaismo, qui confessi sunt Christum, et crediderunt in eum : quem et super se unxerunt, id est, spiritualiter esse unctum a Deo Patre professi sunt. Vel spiritualiter eum unxe-

Digitized by Google

runt confessione laudis divinæ, et deploratione propriæ culpæ, atque odore laudabilis famæ. *Et nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul.* In omni historia hujus negotii, David designat personam Judicis summi, videlicet Jesu Christi. Itaque per hoc quod David regi in tantum complacuit, quod Jabitæ sepelierunt dominum suum Saul, quamvis injustum ac æmulum sancti David, figuratum est, quod Christo placent opera misericordiæ injustis propter Deum exhibita; et item, quod Christus requirit a subditis ut superiores suos quamvis iniquos honorent, in quantum sunt vicarii Dei.

Abner autem princeps exercitus Saul, circumduxit Isboseth. Per Abner et adjutores ipsius, hoc loco designantur principes pravi, et eorum ministri, qui divino contrariantur honori, justosque persequuntur, et justorum promotionem ac prælationem impedire conantur, cupientes quacumque arte aut practica promovere sive intrudere impios sibi consimiles, a quibus temporalia commoda, aut promotiones consequi præstolantur, quoniam quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu. (Philipp. II, 21.) *Sola autem domus Juda sequebatur David :* id est, justi ac timorati, qui Deo sinceriter confitentur, Christo adhærent, atque legitimis electionibus eorum qui prælatione sunt digni, consentiunt, ac suis parent prælatis. Et fuit David commoratus, imperans super domum Juda in Hebron, septem annis et sex mensibus. Hebron interpretatur conjugium, seu visio sempiterna : sicque per Hebron hic significatur Ecclesia militans, cum qua Christus spirituale contraxit conjugium, desponsando sibi eam per fidem et caritatem. In qua etiam Ecclesia, Deus per fidem et gratiam cernitur, sempiternaque visio inchoatur. In hac Ecclesia moratur Christus septem annis ac totidem mensibus, id est per omne tempus sæculi hujus, quemadmodum ait : Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi; (Matth. XXVIII, 20.) et imperat suis electis qui ei obtemperant, quibus locutus est : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri, dare vobis regnum. (Luc. XII, 32.)

Dixitque Abner ad Joab : Surgant pueri, et ludant coram nobis. Per duodecim illos pueros utriusque exercitus, contra se invicem præliantes, intelligi possunt viri periti in jure et in disputatoria arte, qui solent mutuo altercari atque contendere, et pugnare gladio oris sui coram superioribus, quis duorum debeat obtinere prælationem : in quo bello prævalent, qui partem digni legitimeque electi defendunt : prævalent (inquam) ratione et jure, quamvis interdum adversariorum suorum multitudine, importunitate et inquietudine obruantur. *Porro, Asael cursor velocissimus fuit.* Per Asaelem istum nepotem David, primo significantur, qui propinquorum suorum quamvis justorum, promotionem et prælationem ex carnali affectu cupiunt aut tuentur : ideo vulnerantur in vitalibus cordis ac pereunt. Secundo, per Asaelem exprimuntur, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam : (Rom. X, 2.) et amore justitiæ moveri se putant, sed carent discretione, et irrationabili impetu agitantur, nec justam causam juste ac sapientialiter prosequuntur, juxta quod in Deuteronomio jussum est : Juste, quod justum est, exsequeris. (Deut. XVI, 20.) Hinc ab adversa parte vincuntur. Nam et Salomon protestatur : Qui festinus est pedibus, (Prov. XIX, 2.) id est nimis fervens in affectibus suis, offendit. Ideo ait Glossa : Necesse est, ut qui furentes et errantes conantur reprimere, non in furorem aut iram se excitent; sed quidquid tranquillitatis est, monstrent. Hinc in Ecclesiastico legitur : Fili, in mansuetudine opera tua fac, et super gloriam hominum diligeris. (Eccli. III, 19.) Non enim debet homo se ipsum spiritualiter lædere per passionum excessum, ut alium curet in anima.

Congregatique sunt filii Benjamin ad Abner. Sic impii confluunt ad præsidentem iniquum capitaneumque perversum, et conglobantur, stantque in colle suæ elationis ad resistendum justis ac bonis hominibus. Verumtamen, dum princeps eorum

veretur succumbere, postulat pacem, non pacis amore, sed periculi sui timore. Justi autem non debent esse nimis difficiles ad parcendum iniquis. *An ignoras quod periculosa sit desperatio?* Vere periculosissimum est desperare. Periculosum est quoque, per sermonem nimie rigorosum, aut per immoderatam correptionem seu correctionem inducere proximum aut subditum ad desperationis propinquitatem aut desolationem. Non enim conterendus est calamus conquassatus, nec exstinguendum fumigans linum : imo pusilli, infirmi et lapsi, sunt per discretionem recuperandi, per spem confortandi, per salutarem doctrinam illuminandi. Hinc et Deus non permittit nos ultra vires tentari, ne desperemus ; sed facit cum tentatione proventum, dummodo pro viribus resistamus, ut consolemur, et augeatur spes nostra in Domino. *Porro Joab congregavit omnem populum.* Sic prælatus et princeps debet subditos suos per caritatem colligere, per pacem atque concordiam adunare, atque prudenter perpendere qui et quot in spirituali aut corporali certamine sint devicti, ut oretur et celebretur pro ipsis, et omni modo possibili subveniatur eisdem. *Et ambulaverunt tota nocte.* Ita et nos in omni adversitate, persecutione, ac tentatione debemus ad Christum accelerare, et per semitas lucis procedere, non stare per pusillanimitatem, neque succumbere per consensum, sed tanto instantius agere virtuose, tentationibusque resistere, quanto acrius et importunius a malignis impugnamur spiritibus, vel certe a mundo aut carne seu improba propria voluntate.

Is. xlii, 3; Matth. xii, 20. — I Cor. x, 13.

Postremo, per hoc quod ter inunctus est David, allegorice denotatur, quod Christus plenissime fuit unctus omni divino charismate in corde, et omni discretione ac salutari doctrina in ore, omni quoque æquitate in opere. Et primo unctus est secrete in utero Virginis ; deinde constitutus est rex super conversos ex Judaismo ; tertio, super omnem gentem credentem, quæ per fidem est Abrahæ semen. Per idem vero tropologice figuratur, quod unusquisque fidelis debet esse unctus in mente per fidem et gratiam, in ore per confessionem et ædificatoriam locutionem, in opere per præceptorum custodiam, perseverantiamque finalem.

Rom. iv, 16; ix, 7.

ARTICULUS V

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : FACTA EST ERGO LONGA CONCERTATIO INTER DOMUM DAVID, ETC.

Hic recitatur, qualiter David profecit quotidie ad regnandum super totum Israeliticum populum, per hoc quod princeps militiæ adversariorum suorum subjecit se ei, atque occisus est. *Facta est ergo longa concertatio inter domum David et inter domum Saulis,* id est inter cognatos et servos ipsius Isboseth filii Saul et David regis. Et recte asseritur concertatio illa facta inter domum David et domum Saul : quia nec David, nec Isboseth videtur personaliter interfuisse certaminibus illis. Isboseth quippe ex desidia, David vero ex humilitate et prudentia noluit interesse, ne videretur immoderanter adspirare ad regnum. Verumtamen dictum est capitulo præcedenti, quod Isboseth regnavit duobus annis dumtaxat : unde sequi videtur, quod concertatio illa ultra biennium non duravit ; sed tempus quod in prosperitate et pace breve censetur, in adversitate et prælio longum apparet. *David proficiens,* quia in tempo-

II Reg. ii, 10.

Digitized by Google

ralibus et spiritualibus bonis prosperabatur, et per suos ministros fuit victoriosus, *et semper se ipso robustior,* id est, quotidie in fortitudine et subditorum multiplicatione crescens ac fortior, quam fuit ante. Nam ut ait Guillelmus Parisiensis, fortitudo principis consistit præcipue in prompta atque spontanea obedientia subditorum. *Domus autem Saul decrescens quotidie,* viribus et numero personarum. Nam et
I Par. xi, 31; xii, 16; II Reg. ii, 31. multi de Benjamin confugerunt ad David, et multi ex eis fuerunt occisi, ut patuit in litterali expositione præcedentis capituli, aut in textu. Multi quoque ex Benjamin videntes ipsum David prosperari et crescere omni die, retraxerunt se ab adjutorio Isboseth.

Natique sunt sex filii David in Hebron. Fuitque primogenitus ejus Amnon de Achinoam Jezraelitide, et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli. Primo Pa-
I Par. iii, 1. ralipomenon libro legitur, quod de Abigail habuit filium nomine Daniel. Respondetur, quod filius iste fuit binomius, et primo vocatus est Daniel, et deinde Cheleab. Quocirca dicunt quidam Hebræi, quod cito post mortem Nabal, David duxit uxorem illius istam Abigail conjugem : quam quum imprægnasset, quidam opinabantur quod ex Nabal concepisset, ideo puerum natum David vocavit Danielem, quod interpretatur judicium, dicens : Judicet Dominus cujus patris sit filius iste; tuncque miraculose vultus infantuli assimilatus est vultui David. Idcirco ex tunc puer nuncupatus est Cheleab, quod interpretatur, quasi pater, id est similis patri. *Porro tertius Absalon filius Maacha filiæ Tholmai regis Gessur.* Gessur et Gessuri, est eadem regio. Quæritur, an licuit David regi sumere puellam illam gentilem in conjugem. Et videtur quod non, tum quia dispar cultus etiam tunc videtur matrimonium impedivisse,
Num. xxxvi, 7. tum quoniam viri tenebantur ducere uxores de propria cognatione et tribu, ut legitur in libro Numerorum. Ad istud quidam respondent, quod David inter mulieres captivas concupivit puellam, quam volens A accipere conjugem, fecit ei præscindi ungues et radi capillos, et post ad eam intravit : quod secundum legem licitum fuit, ut Deut. xxi, 11-13.
patet in Deuteronomio. *Quartus autem Adonias filius Haggith. Et quintus Saphathia filius Abital. Sextus quoque Jethraam de Egla uxore David.* Viri justi in veteri Testamento, qui ex divina inspiratione aut dispensatione habuerunt plures uxores, unicuique illarum successive et tempore suo reddebant debitum carnis, sicut in Genesi constat de Jacob. Unde Rachel dixit ad
B Liam : Dormiat tecum hac nocte, in qua Gen. xxx, 15.
scilicet mecum dormiret ex temporis revolutione, dierumque circulo. Et ita egisse ipsum David, probatur ex textu isto.

Iterum quæritur, cur Jethraam dicatur natus de Egla uxore David, quasi alii nati non essent ex ejus uxoribus ? Respondet Glossa : Hæc est Michol, quæ inter multas sola dicitur uxor, quoniam eam in adolescentia primam accepit, quæ in partu fer- I Reg. xviii, 27.
tur obiisse. Hinc et alii dicunt, Michol filia Saul vocatur hic Egla, id est vitula, juxta
C proprietatem linguæ Hebrææ, quia fuit ei conjuncta in juventute, fuitque ipsi David multum dilecta. Unde et Samson dixit de prima sua uxore : Si non arassetis in vi- Judic. xiv, 18.
tula mea. Alii tamen probabilius dicunt, quod propter inquietudinem atque lasciviam cordis, vocatæ sint vitulæ. Et quamvis in veteri lege licuit uni habere conjuges plures, prima tamen specialiter ac principaliter uxor appellabatur : propter quod Jacob dixit de Rachele, quam primam accepit in conjugem, quamvis Liam ex igno-
D rantia facti primo cognovit : Vos scitis Gen. xliv, 27.
quod duos genuerit mihi uxor mea, ut in Genesi habetur. Verumtamen his objicitur, quoniam isti qui vocantur hic filii David, nati fuerunt in Hebron, antequam David regnavit in urbe Jerusalem. Michol autem adhuc vixit, David in Jerusalem imperante, et tamen ipsa non peperit filium, nisi in fine vitæ suæ, secundum quod infra fertur : Igitur Michol non est natus filius II Reg. vi, 23.
usque ad diem mortis suæ. Unde qui vult prædicta salvare, habet dicere, quod quam-

Digitized by Google

vis quinque præfati filii David fuerunt nati in Hebron, antequam in Jerusalem præfuit, tamen sextus iste diu post natus est, ita quod Egla seu Michol vicina partui descendit in Hebron, peperitque ibidem: quæ solutio in Scholastica historia tangitur. Denique præfatum filium Michol seu Egla, Josephus nominat Nathan. *Hi nati sunt David in Hebron.*

Quum ergo esset prælium inter domum Saul et domum David, hoc est inter David et filium Saul, *Abner filius Ner regebat domum Saul,* imo et ipsum Isboseth regem, qui erat deses et pavidus, Abner vero prudens, expertus ac strenuus, idcirco rexit familiam. *Fuerat autem Sauli concubina, nomine Respha, filia Aia,* quæ (ut aliqui dicunt) fuit legitima uxor Saul; sed concubina vocatur, quia junior fuit uxor secundo accepta, minusque principalis, prout in Genesi duæ ultimæ uxores Jacob, interdum concubinæ vocantur. De Abraham quoque asseritur in Genesi: Filiis concubinarum largitus est munera: quæ utique erant uxores ejus legitimæ. Sed an Respha hoc modo vocetur concubina Saul, incertum existimo. Dicit equidem Thomas super quartum Sententiarum, quod dum hi quos excusare oportet a culpa adulterii, concubinas habuisse dicuntur, per concubinas intelliguntur uxores legitimæ secundariæ. Non autem oportet excusare Saulem; nec alibi in Scriptura authentica invenitur, quod Respha fuerit uxor illius. *Ingressusque est ad eam Abner.* Erat quippe pulchra valde, ut Magister in historiis scribit. *Dixitque Isboseth ad Abner: Quare ingressus es ad concubinam patris mei?* quasi dicat: In hoc fecisti opprobrium mihi. Dicunt autem nonnulli, quod accepit eam uxorem, sicque matrimoniali concubitu ad eam ingressus sit, et addunt quod ideo fecit hoc, ut prole ex ea suscepta, per adjutorium tribus de qua fuit oriunda, usurparet sibi regnum: ideo Isboseth indignatus est ei, quemadmodum Salomon Adoniæ, ut infra libro tertio scribitur. Alii dicunt, quod non duxit eam uxorem, sed

Gen. xxxv, 22. Ibid. xxv, 6. III Reg. ii, 22-25.

A fornicario eam accessit concubitu: quod erat illicitum, reprehensioneque dignum.

Qui iratus nimis propter verba Isboseth, quia increpationem illam valde ægre accepit, et in hoc multum peccavit, quum in Proverbiis scriptum sit: Qui odit increpationes, insipiens est. Et iterum Salomon loquitur: Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam. Itemque: Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. Verumtamen si accessit illam matrimoniali concubitu ex bona intentione, potuisset ira ejus excusabilis apparere, tanquam B ira per zelum, quæ tamen non debet nimia esse ut ista. *Ait: Numquid caput canis ego sum adversus Judam hodie?* ac si dicat: Non recte ago in hoc, quod instar canis latro, seu irrationabiliter clamo, contra David et ejus promotionem ad regnum, et sum capitaneus hominum contra David latrantium. Vel iste est sensus: Vilis et abominabilis factus sum tribui Juda, velut caput mortui canis. *Qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui,* id C est, fidelis ac pius fui posteritati et cognatis atque domesticis Saul, præsertim tibi, *et,* pro id est, *super fratres et proximos ejus, et non tradidi te in manus David.* Non tamen ipse David quæsivit occidere Isboseth, nec eum occidisset, quamvis traditus ei fuisset, nisi aliunde meruisset occidi. *Et tu requisisti in me,* id est, in tantum exegisti a me causam factorum meorum, *quod argueres pro muliere hodie?* id est increpares me, eo quod mulierem accesserim, quum non videatur res D magni momenti, quod princeps militiæ mulierem sibi placentem cognoscit. Tanquam dicat: Tot et tanta feci pro te, quod debuisses istud dissimulasse. *Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei,* id est, sic et sic puniat me, et afflictioni meæ addat afflictionem, *nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo,* id est, nisi studuero adimplere quod Deus cum juramento promisit ipsi David, promovendo eum ad regnum, *ut transferatur regnum,* id est regius principatus, *de domo,* id est sobo-

Prov. xii, 1. Ibid. xiv, 29. Eccle. vii, 10.

Digitized by Google

le, *Saul, et elevetur thronus David,* id est potestas ejus, soliumque regale, *super Israel,* id est super decem seu undecim tribus, quibus tu imperasti hucusque, *et super Judam,* id est tribum Juda, ita ut non solum præsideat tribui Juda, sed ceteris quoque *a Dan usque Bersabee,* id est ab una extremitate terræ promissionis usque ad aliam ejus extremitatem. *Et non potuit ei respondere quidquam,* id est, ipse Isboseth non audebat aliquid loqui contra hæc verba Abner, *quia metuebat illum,* tanquam rectorem domus suæ, principemque militiæ, habentem in manu sua populum Israel. Timuit quoque, quod Abner traderet se manibus David regis, si contradiceret verbis ipsius Abner. Erat etenim Isboseth deses et formidolosus, non audax ac strenuus.

Misit ergo Abner nuntios ad David. Noluit statim personaliter accedere ipsum David, sed per nuntios explorare, qualiter posset ei reconciliari et benevolentiam ejus captare. Itaque misit nuntios ad David *in Hebron, pro se,* id est ex parte sua, vel pro pace obtinenda sibi cum David, *dicentes : Cujus est terra?* tanquam diceret : Tu scis quod populus terræ Israel in mea sit potestate, ita quod possim flectere eum ad te, et item avertere a te. Vel, Cujus est terra? quasi diceret : Quamvis terra promissionis spectet ad te, sicut ad regem jure divino, quo desuper es electus in regem, tamen de facto in mea est manu. *Et ut loquerentur* ex sua persona ad David : *Fac,* tu David, *mecum amicitias,* hoc est confœderationes et mutuam dilectionem, *et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel,* hoc est, ceteras tribus inducam ad suscipiendum te pro rege. *Qui ait : Optime. Ego faciam tecum amicitias. Sed unam rem peto a te, dicens : Non videbis faciem meam,* id est, non occurram tibi placatus, nec repræsentabo tibi me gratiosum, *antequam adduxeris* mihi *Michol filiam Saul* uxorem meam : quam in
1 Reg. xxv, 44. contumeliam regis David ipse Saul dedit alteri viro, ut dictum est in primo libro; *et sic venies, et videbis me. Misit autem David nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens : Redde uxorem meam Michol* mihi : quia injuriosum est mihi, quod detinetur ab alio viro, et eam specialiter diligo ; *quam despondi mihi centum præputiis Philistiim,* id est Philistinorum, prout istud plenius scriptum atque expositum est 1 Reg. xviii, 27.
primo libro. Hæc verba mandavit David ad Isboseth, quia ut ait Hieronymus libro de Hebraicis quæstionibus, Abner remandaverat regi David : Non possum tibi restituere Michol conjugem, quia Isboseth rex frater ejus habet eam in sua potestate, ideo ejus consensu indigeo.

Misit ergo Isboseth, qui non audebat amplius contradicere regi David, *et tulit eam a viro suo Phaltiel filio Lais,* id est, ad virum illum misit epistolam seu legatos, jubens ut remitteret sibi sororem suam Michol. Verumtamen Phaltiel non fuit maritus verus atque legitimus hujus Michol, cujus verus maritus, videlicet David, vixit. *Sequebaturque eam vir suus* Phaltiel, *plorans usque Bahurim,* id est locum sic dictum. Posset quis æstimare quod ploravit, quia invite amisit tam nobilem mulierem ; sed (ut dictum est in expositione libri prioris) Phaltiel nunquam cognovit Ibid. xxv, 44.
Michol, quia ipsa interim simulavit infirmitatem, et (ut alii dicunt) Phaltiel fuit legisperitus et timoratus, nec voluit alterius mariti uxorem cognoscere : idcirco libenter remisit eam, et flevit præ gaudio, quod interim Deo auxiliante ab ea continuit se, et quia ad proprium revertebatur maritum. Porro quidam Hebræi dicunt, quod flevit, quia exercitium perfectionis a se recessit, quoniam magnæ perfectionis exercitium reputavit, tantam matronam, tanquam sororem secum tenere, et ab ea jugiter abstinere. Verumtamen potius reor, quod ex mœrore quodam ploravit, etiam dato quod eam libenter dimiserit, quemadmodum Rebecca non sine fletu separabatur a filio suo Jacob, quem tamen ad Gen. xxvii, 43.
Mesopotamiam tendere persuasit. Naturale est equidem in separatione diligentium se

Digitized by Google

plorare, quamvis separatio secundum unam A considerationem sit placens. *Et dixit ad eum Abner : Vade, revertere. Qui reversus est.*

Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, id est tribuum adhuc adhærentium Isboseth regi, quarum seniores convocavit, ut per eos persuaderet et aliis quod volebat, *dicens : Tam heri quam nudiustertius,* id est tempore non diu evoluto, et etiam tempore diu elapso, *quærebatis David ut regnaret super vos,* defuncto
I Reg. xvi, 13. Saule. Sciverunt enim David esse inun- B ctum a Samuele et esse aptissimum ad regnandum, ipsumque Isboseth ad hoc prorsus ineptum. Unde elicitur, quod Abner ad tempus averterat eos a David. *Nunc ergo facite* David super vos præsidere, *quoniam Dominus locutus est ad David* per Prophetas, puta per Samuelem et Gad, *dicens : In manu,* id est per obsequium, potestatem et regnum *servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philistinorum,* qui tempore Saul ac David præ ceteris gentibus erant molesti filiis Is- C rael, *et omnium inimicorum ejus. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin,* id est tribum Benjamin, quæ magis zelabat pro Isboseth, tanquam nato de sanguine suo, et jam diu pugnavit pro eo : et illi de Benjamin erant domestici Isboseth atque custodes capitis sui, et valde invite permiserunt regiam dignitatem transferri de tribu sua ad aliam tribum. Ideo diligentius erant monendi, ut acquiescerent promotioni David in regem super eos. Ecce quomodo omnipotens ac sapientissimus Deus, ex ma- D lis elicit bona : quia ex ira Abner, processit hoc bonum.

Venitque Abner *ad David in Hebron cum viginti viris,* certus de amicitia David, ideo paucos et honorabiles viros secum adduxit. *Et fecit David Abner et viris suis qui venerant cum eo, convivium,* id est, magnifice suscepit ipsum Abner, et solenne convivium exhibuit ei ac viris suis in signum amicitiæ et confœderationis. *Et dixit Abner* facto convivio *ad David : Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem universum* * *Israel,* sicut expositum est, *et ineam tecum fœdus,* id est, amicitiæ pactum, quod feci tecum secrete, coram omnibus renovem, quatenus secure subdant se tibi, *et imperes omnibus, sicut desiderat anima tua.* Per hoc non est intelligendum, quod David afficiebatur ambitiose ad dominandum, sed quod appetiit præesse utiliter atque pacifice, quærens bonum commune, non proprium et privatum.

* omnem

Quum ergo deduxisset David ipsum *Abner,* eundo cum Abner per spatium aliquantum propter reverentiam Abner, *et ille isset in pace, statim pueri David,* id est ministri et milites, bellatoresque ejus, *et Joab venerunt cæsis latronibus,* qui terram Israel intraverunt, defuncto Saul, et duobus regibus contra se dimicantibus, *cum præda magna nimis,* quam extra terram Israel acceperunt, vel in terra Israel latronibus prædantibus abstulerunt. *Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace; et Joab et omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerant. Nuntiatum est itaque* ipsi *Joab a narrantibus* domesticis David : *Venit Abner filius Ner ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace. Et ingressus est Joab ad regem, et ait : Quid fecisti ?* quasi dicat, Incaute egisti. *Ecce venit Abner ad te. Quare dimisisti eum, et abiit, et recessit ? Ignoras Abner,* id est, non attendis fraudulentiam hujus Abner, *filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, et sciret exitum tuum et introitum tuum, et nosset omnia quæ agis,* id est, ut consideraret qualiter sit dispositum tecum et in domo tua, sicque agnosceret qualiter possit te facilius superare ? Unde Alexander Magnus sub habitu alieno intravit pro tali causa palatium Darii regis, et alii plures fecerunt similia. Per hæc verba tentavit Joab mutare et inclinare cor David ad violandum initum fœdus cum Abner; sed David non credidit verbis Joab, quia et aliunde agnovit probitatem ipsius Abner atque versutias Joab.

Digitized by Google

Egressus itaque Joab a David, quando vidit se non posse persuadere regi quod voluit, ut Josephus ait, *misit nuntios post Abner,* qui dixerunt, ex informatione Joab, quod David rex vellet adhuc conferre cum eo, *et reduxit eum a cisterna Sira,* quia juxta cisternam sic cognominatam, nuntii Joab invenerunt ipsum Abner, et ibi cœpit reverti, *ignorante David. Quumque rediisset Abner in Hebron,* id est, esset in via redeundi, *seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo,* id est dolose. Joab enim occurrit ipsi Abner, quasi ex commissione regis habens secreta tractare cum ipso, et prætendebat vultum jucundum ac gratiosum ad Abner. Quamvis enim dispositio cordis et vehementia passionum animæ soleant apparere in vultu, Joab tamen ex sua calliditate scivit in facie assumere apparatum dispositioni interiori contrarium : et in hoc quidam simulatores et callidi sequuntur callidum Joab. *Et percussit eum ibi in inguine,* id est, improvise et proditorie trusit pugionem in vitalia Abner, quem non audebat aggredi manifeste; nec Abner observavit se, eo quod confœderatus esset David regi et fautoribus ejus, nec putavit quod Joab violaret amicitiæ pactum; *et mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus.* Hoc Joab allegavit pro causa homicidii hujus; tamen ut Josephus, aliique communiter dicunt, potius fecit istud ex ambitione atque invidia, quia ad principatum militiæ adspiravit, quem suspicabatur concedendum ipsi Abner a David, sicut et factum fuisset; et ex tali radice occidit etiam postea Amasam proprium consobrinum, ut infra habetur. (II *Reg.* xx, 10.) Hinc Magister in historiis scribit : Verius est, quod Joab timuit ne Abner fieret secundus a rege. Nec propter interfectionem Asaelis habuit Joab justam causam adversus Abner, quoniam Abner occiderat Asaelem cum diligenti præadmonitione et ex necessitate defendendi propriam vitam, cum adhibitione inculpatæ cautelæ. Videtur quoque, quod Joab dimiserat ipsi Abner interfectionem fratris sui, quando insonuit buccina, et dixit : Vivit Dominus, si locutus fuisses mane, etc. (II *Reg.* ii, 27, 28.) Quamvis forsan ex dolo tunc tacuit de interfectione fratris sui, ut postea eum ulcisceretur in Abner se non præcavente : juxta quem modum Absalon nihil locutus fuit ad Amnon de violatione suæ sororis. (*Ibid.* xiii, 22.) Aliqui tamen opinantur, quod Joab adhuc non scivit fratrem suum esse occisum, quando prætacta verba dixit ad Abner. Et quamvis Abner peccasset fratrem Joab occidendo in prælio, hoc tamen debuit esse sopitum atque indultum, per amicitiæ pactionem inter David et Abner contractam.

Quod quum audisset David rem jam gestam, videlicet Abner sic esse occisum, *ait : Mundus,* id est innocens, *ego sum et regnum meum,* id est successio mea regnatura, seu populus regni mei, vel regia mea auctoritas, aut regnatio et præsidentia mea, *apud Deum in sempiternum a sanguine,* id est a crimine quo effusus est sanguis, *Abner filii Ner; et veniat super caput Joab,* id est, juste ac debite puniatur pro tanto facinore : quemadmodum postea factum est, quoniam Salomon ex commissione David jussit ipsum Joab occidi; (III *Reg.* ii, 5, 29-34.) *et super omnem domum patris ejus,* id est super ejus cognatos, qui ei consenserunt, aut aliquo modo communicaverunt in crimine isto; *nec deficiat de domo,* id est posteritate, *Joab, fluxum seminis sustinens,* hoc est seminifluus, etiam ultra quam passio talis naturaliter solet accidere, *et leprosus, et tenens fusum,* id est debilis viribus. Unde (ut fertur) Hebræi dicunt, Tenens apodiamentum. Quidam per tenentem fusum, intelligunt effeminatum et eviratum. Nonnulli per leprosum et tenentem fusum, intelligunt idem, videlicet virum lepra infectum, atque in manu tenentem fusum, hoc est breve ventilabrum, quod de foliis fit palmarum, et inter digitos volvitur instar fusi. Vel, fusum, id est ligneum instrumentum cum duabus pluribusve tabellis, quas concutit leprosus, quando mendicat. *Et cadens gladio,* id est stragem in prælio patiens, *et indigens pane,* id est

Digitized by Google

necessariis vitæ. Præterea Josephus refert, quod David se excusando, tetendit manum in cœlum quasi jurans, quod eo inscio Abner esset occisus. Maledixit quoque David hoc modo Joab et suis, imprecando eis tot mala pœnæ ex zelo justitiæ, non ex vituperabili passione.

Sed merito quæritur, cur et posteris Joab sic maledixit, qui nequaquam rei fuerunt criminis hujus. Quumque pœna debeatur culpæ, videtur fecisse injuste, imprecando tot pœnas innocentibus, saltem ab isto excessu. Respondetur, quod quum proles sit aliquid suorum parentum, quantum ad corpus quod ab illis contraxit, non quantum ad animam quæ tota ab extra est per creationem; idcirco proles quandoque pro parentum peccatis punitur in corporalibus per mala pœnalia, sicque parentes puniuntur in sobole sicut in re sua, quemadmodum etiam pro crimine læsæ majestatis, filii hereditate privantur ac patria. Sic quoque aliqui Sancti in novo Testamento leguntur mala pœnalia imprecati, non solum auctoribus criminis, sed et posteritati eorum, quemadmodum S. Remigius dixit de his qui sua blada incenderant : Qui hoc fecerunt et posteri eorum viri, in genitalibus erunt rupti, feminæ gutturosæ. Insuper dici potest, quod sanctus David hæc dixit per modum prænuntiationis propheticæ, ad designationem et commendationem longævam divinæ justitiæ, juxta quem modum locutus est in psalmis multa similia.

Itaque imprecatus est illis quinque mala, si leprosus et tenens fusum, pro diversis sumantur; quæ si pro eodem accipiantur, imprecatus est eis quatuor mala. Quinque mala fuerunt, fluxus seminis, lepra, effeminatio, gladius, mendicitas. Porro fluxus
Lev. xv, 2; Num. v, 2; Lev. xiii. seminis et lepra, fuerunt immunditiæ legales. Mendicitas quoque multum a Judæis abhorrebatur, eo quod in Deuteronomio
Deut. xv, 4. scriptum sit : Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. Imo omnia ista erant contraria terrenæ prosperitati, quæ promittebatur in lege.

Igitur Joab et Abisai frater ejus inter-
A *fecerunt Abner, eo quod occidisset fratrem eorum in Gabaon,* id est juxta Gabaon in campo, *in prælio.* Videtur Josephus velle, quod ipso Joab loquente cum Abner in dolo, Abisai occiderit eum; sed potius tenendum videtur, quod Joab propria manu hoc fecerit, sicut et textus aperte jam recitavit : et si Abisai hoc fecisset, David maledixisset ei sicut et ipsi Joab. Infra quoque habetur, quod David in extremis agens, filio suo Salomoni præcepit, ut mortem III Reg. II, 5, 6.
Abner vindicaret in Joab : quod si Abisai
B occidisset hunc Abner, David non dimisisset eum innoxium. Abisai etiam fuit tam audax et fortis, quod bene ausus fuisset aperte invadere Abner; nec erat ita callidus ac dolosus ut Joab. Cur ergo Joab et Abisai dicuntur occidisse Abner? nisi quia Joab id egit, et Abisai consentiens adstitit, et paratus erat juvare, si necessarium esse vidisset.

Dixit autem David ad Joab, et ad omnem populum qui erat cum eo, qui consensisse videntur ipsi Joab in hoc facto :
C *Scindite vestimenta vestra* in signum mœroris. Quod vero in Joele habetur, Scindite Joel II, 13.
corda vestra, et non vestimenta vestra, intelligitur de scissione curiositatis ac superstitionis. *Et accingimini saccis,* in signum doloris et pœnitentiæ de vestris sceleribus, quemadmodum in Jona fertur de Ninivitis : Operti sunt saccis a majore Jonæ III, 5.
usque ad minorem; et potest per saccum intelligi vestis grossa et dura, quasi facta de panno, de quo sacci fieri solent. *Et plangite ante exsequias Abner.* Exsequiæ
D appellantur planctus sive officium pro defuncto. *Porro rex David sequebatur feretrum,* id est lectum seu loculum in quo jacuit corpus exanime, et deferebatur ad monumentum.

Quumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit, ita quod præ cordis dolore erupit in singultum et lugubrem vocem, *super tumulum Abner. Flevit autem et omnis populus,* præsertim qui non erat de parte Joab. Joab vero et sui non fleverunt multum ex corde,

Digitized by Google

ut creditur. *Plangensque rex et lugens* ipsum *Abner, ait : Nequaquam ut solent mori ignavi, mortuus est Abner,* id est, non ita occubuit Abner, ut cadere solent negligentes et formidolosi in præliis, qui videntes hostem super se venientem, stant velut effeminati, non audentes viriliter reluctari : et ita non accidit huic Abner, qui improvise occisus fuit. *Manus tuæ non sunt ligatæ, et pedes tui non sunt compedibus,* id est catenis, *aggravati :* hoc est, non es ligatus jure prælii, nec captus aut vinctus occisusve viribus; *sed* dolose, *sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti,* id est, ita occisus es fraudulenter, injuste ac turpiter, sicut viri boni ac strenui solent interfici ab iniquis et fraudulentis, qui violant pactum pacis, et quos non audent aperte invadere, student sub specie amicitiæ clam necare. *Congeminansque omnis populus,* id est, planctum, singultumque duplicans ac resumens, *flevit super eum.* Nempe ex verbis regis tam dolorosis et affectuosis, atque ex planctu ejus tam cordiali et copioso, mota fuerunt eorum corda vehementer ad fletum ; et quia recordabantur probitatum ac fortitudinum tanti viri, qui taliter corruit, et tanta bona frequenter fecit pro populo tempore Saul.

Quumque venisset universa multitudo cibum capere cum David clara adhuc die, ipso Abner sepulto, *juravit David, dicens : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat,* id est, quacumque gravi aut graviori afflictione me puniat : et istud fuit juramentum per exsecrationem, qua aliquis sibi ipsi imprecatur malum pœnæ, si aliter egerit aut fuerit quam jurat, juxta quem modum

II Cor. I, 23. ait Apostolus : Ego testem invoco Deum in animam meam, etc. ; *si ante occasum solis gustavero panem,* id est cibum, *vel aliud quidquam.* Circa quod aliqui scribunt : Ex hoc sumitur argumentum, quod jejunium solvitur etiam potu, si ultra necessitatem sumatur. Itaque istud juravit rex, quatenus interiorem suam tristitiam designaret exterioris jejunii inedia et labore, sicque

A innocentia sua de occisione Abner cunctis innotesceret certius. *Omnisque populus* ibi exsistens, *audivit* verba regis, absentes quoque postea audierunt ex relatione præsentium ; *et placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi,* ad demonstrationem innocentiæ suæ, et ad ostendendum suam caritatem ad Abner, atque dolorem suum de illius interitu ; itemque ad declarandum indignationem et iram suam per zelum contra Joab et suos. Præterea talis ac tanta expurgatio ipsius David, fuit necessaria ad tollendum omnem sinistram plebis suspicionem, quia faciliter ac verisimiliter poterat æstimari a multis, quod ex commissione aut consensu David fuisset Abner occisus, quia jam ante restiterat regi David, et a filio sororis regis fuit occisus. Gaudebat quoque populus de expurgatione tam copiosa et innocentia David, quia ex hoc libentius acceperunt eum in regem, et securius adhæserunt ei, tanquam vere justo et digno regia potestate, et quia dilexerant ipsum Abner. Si autem habuissent regem suspectum de amicitiæ violatione et homicidio tam injusto, non immerito exhorruissent ejus dominium. *Et cognovit omne vulgus et universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege, ut occideretur Abner filius Ner.*

Dixit quoque rex ad servos suos : Num ignoratis, id est, ignorare non debetis, *quoniam princeps et maximus,* id est ipse Abner qui fuit princeps militiæ Saulis et filii ejus, atque secundus post regem, vir utique valde magnus prudentia, strenuitate ac virtutibus ad bellatorem tantum spectantibus, *cecidit hodie in Israel,* id est in terra et populo Israelitico ? ideo valde dolendum est. *Ego autem adhuc delicatus sum et unctus rex,* id est, adhuc sum noviter constitutus et non bene firmatus in regno, quia nondum habeo totum populum Israel mihi subjectum, sed tribum Juda dumtaxat, nec scio dispositionem atque negotia regni tam perfecte ut noverat Abner, qui tot annis fuit ea expertus, ideo ejus

Digitized by Google

consilio et auxilio præcipue indigebam. A Pro delicato, in Hebræo habetur (ut fertur) tener, et sensus redit in idem. Nam sicut planta recenter terræ inserta, indiget nutrimento; sic David noviter regnare incipiens, indiguit subsidio Abner, qui poterat totum populum ad David reducere. *Porro viri isti filii Sarviæ duri sunt mihi,* id est, frequenter me gravant et parum me curant, dum aliter eis videtur, et magnum damnum mihi jam intulerunt, privando me tanti viri auxilio. *Retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam suam,* id B est, juste ac debite puniat transgressores, præsertim in vita hac, ne pereant in æternum. Divina namque justitia nullum malum deserit impunitum, juxta illud in Job:
Job xxiv, 12. Deus inultum abire non patitur. Nam et qui pœnitent, puniunt semetipsos suo pœnitentiali dolore ac operis satisfactione, sicque Deus punit eos per se ipsos, dando eis gratiam, qua sic sponte se puniunt, aut puniri faciunt seu permittunt.

Hæc verba protulit David zelo justitiæ contra Joab et suos, quasi dicat: Quamvis ego pro nunc non valeam eos punire sicut promeruerunt, quia potentes sunt, et multam ac magnam adsistentiam habent, et novus sum rex, unam tantummodo tribum habens mihi subjectam, tamen eorum punitionem divinæ committo justitiæ, et tempori opportuniori reservo. Unde et punitionem Joab, quoniam sceleratior erat in crimine isto, postea Salomoni commisit rex III Reg. II, 5, 6.
David: sicque ex his patet solutio quæstionis qua quæritur, cur David statim non punivit Joab et fratrem ejus, quemadmodum paulo post punivit eos qui ipsum Isboseth peremerunt. II Reg. IV, 12.
Hinc (ut asserit Rabbi Paulus) in Hebræo habetur, Filii Sarviæ duriores me sunt: hoc est dicere, non possum in eis justitiam exercere pro nunc.

ARTICULUS VI

DE MYSTICA EXPOSITIONE HUJUS CAPITULI TERTII.

PER domum Saul, civitas Babylonica, C id est ecclesia malignantium, regnum mundi, societas impiorum significatur. Per domum David, civitas Dei, Ecclesia electorum, congregatioque justorum exprimitur. Inter has domos est longa ac jugis concertatio, quia iniqui ac reprobi persequuntur electos et justos. Sed David quotidie proficit, et semper se ipso robustior redditur: quia electi et virtuosi prælati quotidie prosperantur in donis gratiæ ad salutem æternam, et per incrementa virtutum magis ac magis confortantur in Domino. Allegorice D quoque Christus in exordio militantis Ecclesiæ profecit quotidie, quando assidue multi de Synagoga, et innumerabiles de gentilitate ad ipsum convertebantur: et tunc domus Saul decrescebat quotidie, quia de societate carnalium mundanorumque hominum, plurimi confugerunt ad Ecclesiæ gremium. Porro per filios David natos in Hebron ex diversis uxoribus, intelliguntur fideles quamplurimi, qui ex particularibus Ecclesiis et gratia Christi nascuntur, dum in variis locis ex aqua et Spiritu Joann. III, 5.
Sancto regenerantur per officia sacerdotum: omnes tamen in universali Ecclesia, quæ per Hebron accipitur, perseverant, quoniam extra Ecclesiam universalem nulli est salus.

Abner autem *regebat domum Saul.* Per Abner, qui interpretatur, lucerna patris, designantur prudentes sæculi, in quibus est philosophica et mundana scientia, per quam regunt filios et magnates sæculi hujus. Sed tales prudentes concupiscentiis

Digitized by Google

carnis deservientes, objecta quærunt deli- A ciarum suarum, et Respham concubinam Saul cognoscunt. Respha enim, currens aut velox interpretatur : per quam quæcumque mulier lasciva et inquieta exprimitur, cu- Prov. v, 6; vii, 10, 12. jus gressus sunt vagi et investigabiles, et nunc foris, nunc domi, nunc in plateis apparet parata ad animas capiendas. Propter hujuscemodi feminas frequenter dissensio oritur inter carnales et potentes in sæculo. Sicque interdum contingit, ut vir naturali scientia præditus, atque in mundo expertus, consideret vanitatem et vilitatem, imo B et perversitatem mundanæ et carnalis conversationis, et quam miserum sit sæculo deservire : idcirco proponit ad Christum converti, imo et alios secum ad ipsum reducere, cui Christus remandat : *Non videbis faciem meam,* nisi *adduxeris* mihi *Michol* conjugem meam, id est, animas quas a spirituali meo connubio avertisti, eas trahendo ad vitia, studueris rursus mihi unire, et spiritualia damna recuperare. Quam quum Abner reducit ad Christum, amator carnalis contristatur et lu- C get. Deinde vir talis rationabili persuasione inducet homines sæculares ad Christi obsequium, cui in Baptismo incorporati fuerunt, quamvis postea eo relicto, per varia vitia sint fornicati et aversi a Deo suo.

Sicque *Abner cum viginti viris,* id est cum adjutoribus et cooperatoribus suis, Christo reconciliatur, et venit ad ipsum per satisfactionem condignam, ac pie a Christo suscipitur, imo solenniter : quia qui alios quoque convertunt, acceptissimi Deo sunt, quibus et in præsenti vita facit D convivium, et cœnat cum eis, reficiens eos pane supersubstantiali ac sacramentali (qui Joann. vi, 41. est Christus, de se ipso protestans : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Ibid. 58. Itemque : Qui manducat me, et ipse vivet propter me), pane consolationis internæ, refectione dulcis orationis, cibo salutaris doctrinæ, esca contemplationis supernæ, confortatione bonæ operationis et virtutum profectibus : quibus omnibus veri fideles salubriter reficiuntur, sicque ad triumphantis Ecclesiæ beatificam alimoniam perducuntur. Quumque boni prælati et prædicatores idonei fuerint sic refecti et confortati, amplius inardescunt ad aliorum conversionem et honorificentiam Salvatoris, quatenus ipse in omnibus regnet per caritatem et obedientiam sanctam, et dicit unusquisque eorum : *Surgam* a quiete contemplationis, *ut* prædicationis obsequio, vitæ exemplo, et orationis suffragio, *congregem ad te dominum meum regem omnem Israel,* id est Christianos per vitiorum devia hinc inde dispersos, *et imperes omnibus* per fidem et dilectionem, *sicut desiderat anima tua.* Anima etenim Christi, omnium cupit salutem : ideo optat ut omnes sibi obediant, quia nemo venit ad Joann. xiv, 6. Patrem nisi per ipsum ; idque desiderat non propter commodum suum, quia bonorum nostrorum non eget, Ps. xv, 2. sed propter nostram salvationem ad Dei Patris honorem. *Quum ergo deduxisset David Abner.* Christus namque electos suos gratiose ducit per semitas æquitatis, et pergit cum eis, juxta illud Sapientiæ : Sap. x, 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas. Specialiter quoque adest eis, et comes eorum est, qui ex caritatis fervore gradiuntur ad aliorum conversionem.

Nuntiatum est itaque Joab. Per Joab et pueros ejus accipiuntur hoc loco iniqui ministri prælatorum Ecclesiæ, qui cæsis latronibus, cum grandi valde veniunt præda : quoniam puniunt reos, non ex sincero justitiæ zelo, sed cupiditatis affectu, ut propria commoda consequantur, propter quod spoliant subditos. Hi superioribus indignantur, dum viros vere justos assumunt, promovent, atque ad aliorum conversionem et regimen dirigunt. Ideo talibus obloquuntur, et facta eorum ac studia interpretantur in pejus, et percutiunt eos in inguine, id est, carnalitatis vitia eis imponunt, vel ad ea ipsos pertrahere moliuntur, formidantes, ne ad ecclesiasticas dignitates promoveantur, et sibi præficiantur. Unde ex ambitione et odio ipsos infestant, et interdum occidunt affectu aut opere. Ad

Digitized by Google

multa quippe et maxima scelera trahit detestanda et infelix ambitio, facitque hominem jugiter ad se ipsum inordinate reflexum, vanis suspicionibus, mordacibus rancoribus, et nonnunquam desiderio mortis ejus, a quo metuit præveniri ac vinci, repletum. Efficit quoque hominem simulatorem, blandum, callidum, et variis practicis occupatum, apparenter amicum, et vere hostem, duplicem et bilinguem, ita ut blandiatur in publico, et noceat in se-
Ps. xxvii, 3. creto, quemadmodum ait Psalmista : Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. O quam multi sequuntur in his callidum illum ambitiosumque Joab, quibus graves sunt ad videndum hi, a quibus putant humiliari, atque a desideratis promotionibus impediri, aut a stationibus suis expelli !

Propterea Dominus ac Salvator et veri ejus vicarii, justi ac sapientes, talibus imprecantur vel magis prædicunt hæc mala : videlicet seminis fluxum, ut scilicet per verba quibus defluunt, nihil proficiant contra justos ; et lepram, id est infectivam doctrinam ; effeminationem quoque et dejectionem in bello tentationum, in quibus succumbunt ; et divinorum privationem charismatum. Tales enim iniqui incidunt omnia mala ista, quia inutiliter fabulantur, aliosque inficiunt pravitatis suæ exemplis ac informationibus venenosis, carnalibus quoque concupiscentiis effeminantur, et dum a mundo vel diabolo impugnantur, statim vincuntur. Ideo inopes sunt, gratia ac virtutibus destituti. Quæ omnia etiam
Matth. xv, 14. eorum filiis, id est imitatoribus, discipulisque proveniunt : quia si cæcus cæco
A ducatum exhibeat, simul cadunt in lacum. Verumtamen pius Dominus ipsos ad pœnitentiam cohortatur : *Scindite,* inquiens, *vestimenta vestra,* id est, prava opera dissipate, corpora vestra per flagella disciplinæ corrigite, *et accingimini saccis,* id est pœnitentiæ vestibus, *et plangite ante exsequias Abner,* id est deplorate spiritualem eorum interitum, quos scandalizando traxistis ad vitia, et injurias quas proximis irrogastis, deflete.

Porro rex David sequebatur feretrum.
B Per hoc insinuatur, quod bonus pastor debet esse officiosus circa defunctos, et eorum mortem ac culpas deflere. Quemadmodum etiam David commendavit Abner sepultum, sic virtuosi prælati consueverunt recommendationem facere post sepulturam subditorum suorum, quos bene migrasse confidunt; ita quod *manus* illorum *non sunt ligatæ,* id est, operationes ipsorum non sunt vinculis vitiorum constrictæ ac impeditæ a regni cœlestis ingressione, nec *pedes* eorum *sunt compedibus aggra-*
C *vati,* id est, affectus ipsorum non sunt terrena cupiditate aut carnali fœditate depressi, sed caritativi ac liberi, ad cœlestia elevantes. Postremo, per Joab qui ipsum Abner occidit, potest designari diabolus, qui prædicatores bonos conatur subvertere, et concupiscentiarum mucrone transfodere, atque ab aliorum conversione penitus impedire.

Discamus ergo ex isto capitulo omnem ambitionem odire, omnem simulationem fraudulentiamque vitare, nec injuriari cui-
D quam, sed esse sinceri ac recti in omnibus.

Digitized by Google

ARTICULUS VII

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : AUDIVIT AUTEM ISBOSETH FILIUS SAUL.

RECITATA occisione ipsius Abner principis militiæ Isboseth, hic narratur qualiter Isboseth sit occisus. *Audivit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron, et dissolutæ sunt manus,* id est vires *ejus :* quia rumore illo audito expavit, nec habuit confidentiam prævalendi adversus David, timuitque de periculo proprio, et forsan putavit quod de consensu regis David esset Abner occisus ; *omnisque Israel perturbatus est,* id est, tribus quæ hucusque obedierunt ipsi Isboseth et Abner principi ejus, obstupuerunt de morte Abner.

Duo autem viri principes latronum erant filio Saul : id est, ipse Isboseth filius Saulis habuit principes duos, quos (ut in libro de Hebraicis quæstionibus fertur) constituit principes seu exercitus seu turbarum sibi adhuc obedientium : unde in Hebræo habetur, ut dicitur, Principes turmarum. Potius tamen reor, verbum illud Hebræum esse æquivocum ad utrumque. Porro aliqui dicunt, quod erant principes quorumdam prædantium alios, in quorum deprædatione quandoque latrocinia accidunt, propter quod latrones vocantur. *Nomen uni Baana, et nomen alteri Rechab, filii Remmon Berothitæ de filiis Benjamin,* id est viri
Josue XVIII, 25. sic dicti, qui erat de urbe nomine Beroth ad tribum Benjamin pertinente. Ideo subditur : *Siquidem etiam Beroth reputata est in Benjamin. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim.* Hoc quidam exponunt sic, quod prædicti duo principes nati ex Beroth, voluerunt occidere Isboseth regem, et propositum suum insinuaverunt Miphiboseth filio Jonathæ, asserentes quod facerent eum regem, eo quod esset filius primogeniti Saulis : quibus non acquievit Miphiboseth, et patruum suum Isboseth præmonuit de hoc. Quo cognito, principes isti fugerunt in oppidum Gethaim, *fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud,* quo scilicet redierunt secrete ad interficiendum Isboseth. Alii sic exponunt, quod Beroth fuit urbs Philistæis propinqua : ideo Saul occiso, Berothitæ fugerunt ab urbe sua in Gethaim.

Erat autem Jonathæ filio Saul, filius debilis pedibus, id est claudus, non a nativitate, sed ex diffortunio casus. *Quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul et Jonatha ex Jezrael. Tollens itaque eum nutrix sua, fugit ; quumque festinaret ut fugeret, cecidit, et claudus effectus est ; habuitque vocabulum Miphiboseth.*

Venientes ergo filii Remmon Berothitæ, utpote duo principes illi, *Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth. Qui dormiebat super stratum suum meridie, et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit. Ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici,* ad præsentandum eas Isboseth regi, tanquam primitias, quasi ad honorandum eum ut regem, ne dolus eorum perciperetur ; vel, ut alii dicunt, intraverunt sub specie mercatorum, velut volentes emere triticum ; *et percusserunt eum in inguine Rechab et Baana frater ejus,* ipsum videlicet Isboseth, dormientem super lectum suum meridie, ut solet fieri in æstate, *et fugerunt. Quum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum. Sublatoque capite ejus,* quod præciderunt eo jam mortuo, *abierunt per viam deserti tota nocte* illa, *et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron,* ad compla-

Digitized by Google

cendum regi, eo quod ejus adversarium occidissent, et ut consequerentur ab eo promotionem ac munera. *Dixeruntque ad regem : Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam. Et dedit Dominus domino nostro regi ultionem hodie de Saul et de semine ejus.*

Respondens autem David Rechab et Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos : Vivit Dominus qui eruit animam meam de omni angustia, id est de afflictionibus quas sub Saul sustinui, *quoniam eum qui annuntiaverat mihi et dixerat, Mortuus est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, tenui, et occidi eum in Siceleg,* ut patuit supra : non tamen pro sola illa denuntiatione, sed quia asseruit se occidisse Saulem ; *cui oportebat me dare mercedem,* id est justam retributionem, *pro nuntio,* id est ambasiata seu rumore, quo retulit se christum Domini interfecisse : *quanto magis nunc quum viri impii interfecerunt virum innoxium in domo sua super lectum suum* ac dormientem, videlicet ipsum Isboseth, qui vocatur innoxius, non quod fuerit penitus innocens, sed quia non meruit ab illis ita occidi : quorum homicidium gravabatur ex hoc, quod tam fraudulenter atque crudeliter peremerunt filium regis in somno, ac propria domo ; *nunc quæram * sanguinem ejus de manu vestra;* hoc est, debitam ultionem a vobis exquiram, et vobis infligam, pro tam injusta sanguinis illius effusione, *et auferam vos de terra ?*

Reg. I, 4. — * non quæram

Præcepit itaque David pueris, id est ministris, *et interfecerunt eos. Præcidentesque pueri David manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron.* Hæc omnia fecit David ex debito sui officii ac zelo justitiæ, atque ut universo Israelitico populo constaret, certissime se esse immunem ab interfectione ipsius Isboseth. *Caput autem Isboseth tulerunt,* hoc est, servi David acceperunt, portaverunt, *et sepelierunt in sepulcro Abner in Hebron :* quia non potuerunt illud ibidem cum honorabiliori mortuo sepelire.

Sensus spiritualis.

Juxta intelligentiam spiritualem, per Isboseth intelliguntur desides et carnales, qui dum corporali repausationi superflue vacant, a principibus latronum, hoc est malignis spiritibus, superantur, præsertim dum ostiaria domus obdormit, hoc est, ratio, cujus est domum animæ custodire, et januam oris gubernare, per negligentiæ suæ torporem, a vigilantia sollicitudinis bonæ cessat. Possunt quoque per principes istos latronum, concupiscentia gulæ et libido luxuriæ designari : quæ in animabus plurimorum, ea quæ carnis sunt amantium, exercent latrocinia sua, assumentes secum tritici spicas, id est præcipua quæque edulia oblectantia gustum, et sub specie boni ingrediuntur, quia delectant. Quæ etiam præcidunt Isboseth caput, quoniam rationem obtenebrant vehementer, juxta illud Osee : Fornicatio et ebrietas et vinum auferunt cor. Insuper, maligni spiritus eum quem ita devicerint, præsentant judici Christo, tanquam juste damnandum, et adversarium Dei ; sed quoniam prava intentione egerunt hoc, damnationis augmentum recipere promerentur.

Osee IV, 11.

ARTICULUS VIII

ENARRATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : ET VENERUNT UNIVERSÆ TRIBUS ISRAEL AD DAVID.

QUALITER David constitutus sit rex super totam Israeliticam plebem, et qualiter obtinuerit urbem Jerusalem, ac Philistæos devicerit, præsens describit capitulum. *Et venerunt universæ tribus Israel,* hoc est quidam principales de singulis

Digitized by Google

tribubus, super quas hucusque nondum A regnaverat, *ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum et caro tua sumus,* id est propinqui tibi secundum carnem, quia ex semine Abrahæ, Isaac et Jacob, sicut ėt tu, ideo non suspiceris malum de nobis. *Sed et heri et nudiustertius,* hoc est præteritis et non diu elapsis diebus, *quum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel,* hoc est dux populi præliantis : ut patuit primo libro, quo inter (I *Reg.* xviii, 5.) cetera dictum est, quod Saul constituit David super viros belli. *Dixit autem Domi-* B *nus ad te* per Samuelem aliosve Prophetas, et per inspirationem ac allocutionem internam : *Tu pasces populum meum Israel,* id est, per sapientiam et doctrinam tuam reges atque reficies Israeliticum populum, *et tu eris dux,* hoc est ductor et rex, *super Israel:* sicque dux sumitur hic extense, prout regem includit. *Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron. Et percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino,* hoc est, amicitiæ pactum cum eis iniit ac firmavit. Nam paulo C (II *Reg.* ii, 17 *et seq.*) ante contra se invicem pugnaverunt, ideo primo reconciliabantur. *Unxeruntque David regem super Israel,* id est super totum Israeliticum populum. Fiebatque unctio illa per manum pontificis aut Prophetæ.

Filius triginta annorum, id est triginta annos ætatis habens, *erat David quum regnare cœpisset:* quæ ætas apta est ad præsidendum. *In Hebron regnavit super Judam septem annis, et sex mensibus. In Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Judam. Et abiit* D *rex, et omnes viri qui erant cum eo in Jerusalem,* hoc est usque ad mœnia civitatis, quam primo obsedit, quia erat præcipua, quatenus ea capta, amplius timeretur. Vel, eam partem civitatis obsedit, in qua Jebusæi manebant, videlicet arcem ; et item quoniam plures alieni ac infideles habitabant ibidem, quos volebat fugare. Et rursus, quoniam ex revelatione divina cognovit civitatem illam esse electam a Deo, pro loco cultus divini, et templi ædificandi in ea, ac sacrificiorum : ideo tanquam vere devotus, et lumine prophetiæ edoctus, voluit commorari in ea. Itaque ivit ad civitatem Jerusalem, *ad Jebusæum habitatorem terræ,* id est ad impugnandum Jebusæos in Jerusalem commorantes, quos tempore Josue non potuerunt filii Juda a Jerusalem exstirpare, juxta illud Josue : Jebusæum (*Josue* xv, 63.) habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere. Habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem. Denique tempore procedente, fuerunt Jebusæi rursus in Jerusalem valde multiplicati. Unde ut in libro Judicum legitur, puer Levitæ dixit ad (*Judic.* xix, 11. 12.) dominum suum : Declinemus in urbem Jebusæorum. Cui respondit Levites : Non ingrediar oppidum gentis alienæ.

Dictumque est ad David ab eis, id est, Jebusæi dixerunt ad David : *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos, dicentes : Non ingredietur David huc.* Hoc Magister in historiis compendiose exponit tripliciter : Posuerunt, inquiens, Jebusæi cæcos et claudos supra murum Jerusalem in derisionem David, dicentes : Non intrabis huc, nisi abstuleris cæcos et claudos ; quasi dicerent, Tam fortis est civitas, quod fortium auxilio non egemus. Alii dicunt eos posuisse imagines supra murum, quas dixerunt cæcos et claudos, id est nihil agentes : quasi dicerent, Etiam nobis nihil agentibus, intrare non potes. Vel se ipsos dixerunt cæcos et claudos, eo quod David reputavit eos debiles, et claudis ac cæcis consimiles. Hæc ibidem.

Insuper circa hæc scribit Lyra : Dicunt doctores catholici communiter, quod Jebusæi illi in fortitudine murorum suorum confidentes, posuerunt aliquos cæcos et claudos ad propugnacula in contemptum exercitus David : quasi dicerent, Tales sufficerent ad defendendum fortalitium nostrum. Juxta quem modum in Ezechiele leguntur Pigmæi pharetras suas suspendisse (*Ezech.* xxvii, 11.) in muris Tyri ad ostentationem fortitudinis loci : quasi dicerent, Tales sufficerent ad defensionem turrium ac murorum. Rabbi Salomon dicit, quod isti cæci et claudi,

Digitized by Google

erant duæ imagines : una repræsentans ipsum Isaac, qui ante finem vitæ fuit cæcus, *Gen. xxvii, 1; xxxii, 31.* alia ipsum Jacob, qui ex lucta cum angelo claudicavit. Et addit, quod Jebusæi isti descenderunt de Abimelech rege Palæstinorum, *Ibid. xxi, 23-32.* cum quo Abraham iniit fœdus pacis et juramentum, ut legitur in Genesi. Itaque posteri hujus Abimelech, scilicet Jebusæi isti, videntes filios Abrahæ multiplicari, timuerunt ne postea impugnarentur ab ipsis : ideo in superiori parte fortalitii sui posuerunt prædictas duas imagines in signum pacti præfati, et in ore cujuslibet imaginis erat scriptum Abrahæ juramentum : quasi dicerent, Posteri Abrahæ non possunt hunc locum invadere. Et secundum hoc dicuntur istæ imagines, odientes animam David, quoniam repræsentabant eum esse transgressorem juramenti Abrahæ, et per consequens odibilem Isaac et Jacob, quorum erant imagines. Sed David licite impugnavit fortalitium illud, quoniam juramentum Abrahæ non fuit ad semper, sed ad tempus determinatum, quod tempore Josue nondum effluxerat, sed tempore David fuit finitum.

Verum contra hæc scribit Rabbi Paulus, dicendo quod ista positio videtur præsupponere aliqua falsa, et etiam quædam incerta. Præsupponit enim, quod Jebusæi descenderunt de Abimelech, cum quo Abraham iniit fœdus, qui fuit rex Palæstinorum. *Ibid. x, 6, 14.* Philistæi autem descenderunt a Mesraim secundo filio Cham filii Noe, ut patet in Genesi. Jebusæi vero descenderunt a *Ibid. 6, 16.* Chanaan quarto filio Cham, ut patet ibidem. Præsupponit quoque, quod posteri Abrahæ non poterant invadere Jerusalem ratione juramenti prædicti : quod falsum est. Nam in prætacto fœdere cum Abimelech inito, *Ibid. xxi, 23, 24.* quamvis Abraham juravit non nocere Abimelech nec posteris ejus, non tamen juravit quod posteritas sua non noceret posteritati illius, ut patet intuenti formam illius juramenti. Insuper Abimelech *Ibid. xxvi, 31.* confœderavit se cum Isaac filio Abrahæ : quod non oportuit, si Abraham juravit etiam pro sua posteritate. Sicque dato quod

A Jebusæi descendissent de Abimelech, nihilo minus potuissent eos filii Israel impugnasse. Præsupponit quoque, quod juramentum Abrahæ duravit ad certum tempus, quod tempore Josue nondum effluxit, sed tempore David : quod nullum fundamentum videtur in Scripturis habere. Propter quod de tali expositione non videtur mentio facienda. Expositio autem doctorum catholicorum est satis applicabilis litteræ. — Est tamen et alius modus dicendi, qui litteræ forsan magis proprie adaptatur, videlicet B quod cæci illi et claudi fuerunt simulacra deorum Jebusæorum posita in summitate fortalitiorum suorum : qui Jebusæi deos suos appellabant cæcos et claudos, secundum sentire David, qui deos illos improperando, dicebat : Oculos habent, et non *Ps. cxiii, 5-7.* videbunt ; aures habent, et non audient ; pedes habent, et non ambulabunt. Idcirco credentes, quod David non sustineret in regia urbe illa hujusmodi deos, excusabant se a receptione ipsius, dicendo : Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos et C claudos. Quasi dicerent : Scimus quod si possideres hunc locum, auferres deos nostros, quos putas cæcos et claudos : quod nullatenus permittemus. Unde oportet, quod per potentiam auferas eos, si vales, quia non eos tibi trademus. Unde David de hoc indignatus, postquam cepit arcem Sion potenter, posuit præmium facientibus tria in debellatione Jebusæorum. Primo, illi qui percussisset Jebusæum : quod fuit contra personas eorum. Secundo, illi qui tetigisset domorum fistulas, et hoc contra D sustentationes eorum. Jerusalem enim non habebat aquam intra murum, sed ex pluvialibus aquis in cisternis collectis sustentabantur. Ideo frangendo stillicidia illa, videlicet fistulas, per quas aqua pluvialis fluebat, maxime quis affligebat eos. Tertio, ordinavit contra deos eorum, dicens, Qui abstulisset cæcos et claudos, etc., hoc est simulacra Jebusæorum. Et nota, quod ubi translatio nostra habet, Odientes animam David, Hebraica veritas habet, Quos odivit anima David. Nam David simulacra

Digitized by Google

illa odivit. — Similiter quod in proverbio dicebatur, Cæcus et claudus non intrabunt in templum Dei, videtur huic expositioni magis aptari. Nam iste locus fuit præassignatus divino cultui a tempore Abrahæ, quando voluit ibi ipsum Isaac immolare; et Jacob vidit ibidem scalam; ibique templum fuit per Salomonem fundatum : in quo nulla immunditia debuit habere ingressum, sed solus Deus fuit in eo colendus. Et ob tantum præsagium hujus futuri boni, quasi proverbialiter dicebatur, Non intrabit cæcus et claudus in templum Domini : quasi diceretur, Vere prognosticaverunt Jebusæi, quod in templum Domini in civitate hac ædificandum, non intrabunt cæci et claudi, hoc est dii gentium, qui cæci et claudi dicuntur.

Gen. xxii, 2, 9; xxviii, 12; III *Reg.* vi, vii.

Hæc Rabbi Paulus, cujus dicta pro reprobatione positionis Rabbi Salomonis, apta videntur; tamen quod ait David proposuisse mercedem, postquam cepit arcem Sion, expositoribus non concordat. Quum enim fortalitium illud obtinere difficillimum foret, ut milites animarentur ad invasionem illius, proposuit præmium, quod qui illud primo ascenderet ac obtineret, fieret princeps militiæ. Hinc in Scholastica fertur historia : Quumque arcem obtinere non posset, proposuit in præmium militiæ principatum.

Itaque, Dictum est ad David ab eis, utpote Jebusæis : Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos, dicentes : Non ingredietur David huc. Si enim per cæcos et claudos intelliguntur homines cæci et claudi, vel ipsimet Jebusæi, certum est, quod illi poterant proprie verba ista proferre. Si vero per cæcos et claudos intelliguntur simulacra deorum, illa dixerunt hæc verba materialiter aut interpretative, vel dæmones loquebantur per idola illa. Si autem per cæcos et claudos intelligantur præfatæ imagines (quod apparentiam modicam habet), dicendum quod imagines illæ dixerunt hæc materialiter aut interpretative, quemadmodum inanimata dicuntur Deum benedicere et laudare.

A *Cepit autem David arcem Sion,* id est fortalitium sæpe dictum, quod vocabatur arx Sion, id est altitudo speculationis, quoniam situm fuit in loco alto montuoso, ex quo undique longe ac late poterat quis videre; *hæc est civitas David.* Tota Jerusalem ex hoc tempore cœpit esse et nominari civitas David, atque metropolis regni ejus. Verumtamen ista pars urbis, in qua parte fuit fortalitium, specialiter dicta est civitas, quia melioravit eam per ædificia, et in ea commorari elegit. Consequenter exprimitur, qualiter arcem obtinuit. B *Proposuerat enim David in die illa præmium ei qui percussisset Jebusæum,* hoc est, qui primo ascenderet arcem, et ea obtenta, occideret Jebusæos commorantes in turri illa, *et tetigisset domatum fistulas.* Doma vocatur tectum domus. Fistula autem, canale per quod stillicidia fluunt, seu aquæductus. Vel (ut aliqui dicunt) fistulæ erant subterranei cuniculi seu meatus, per quos ascendebatur usque ad tectum. Itaque sensus est : Et tetigisset domatum fistulas, id C est, canales aquarum vastasset, vel per meatus illos ascendisset usque ad murum. Et per illos meatus dicitur Joab ascendisse, sive per aquæductum. *Et abstulisset cæcos et claudos,* id est homines illos, seu imagines, sive simulacra, *odientes animam David,* vere, formaliter, aut repræsentative, sicut expositum est. *Idcirco dicitur in proverbio : Cæcus et claudus non intrabunt in templum.* Ad litteram quippe prohibuit Dominus in Levitico, natos ex semine Aaron cæcos et claudos ingredi *Lev.* xxi. D templum, ad exercendum sacerdotale officium, atque ex verbis et factis his inter Jebusæos et David habitis, conversa sunt verba illa Levitici in proverbium, propter verborum similitudinem aut coincidentiam, vel propter rationes Rabbi Pauli inductas. Et sicut Magister in historiis tangit, forsan dum janitores templi arcebant immundos a templi ingressu, ænigmatice loquebantur : Cæci et claudi non intrabunt, etc., ponentes cæcitatem et claudicationem pro immunditia quacumque legali,

Digitized by Google

per quam reddebantur ad templi ingressum indigni.

Habitavit autem David in arce Sion, hoc est fortalitio illo, Jebusæis ejectis, *et vocavit eam, civitatem David,* ex nomine suo ob causas prætactas. Estque intelligendum, quod arcem illam cum habitaculis et attinentiis suis per gyrum ita vocavit. *Et ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus.* Mello fuit præcipitium quoddam, profundaque vallis, et ut alii dicunt, vorago ante castrum, seu fortalitium, pro ejus munimine situata. Fuit autem et spatium inter voraginem illam et castrum, in quo spatio per fortalitii gyrum David construxit aliquas domos, atque ut aliqui scribunt, a Mello usque sursum ædificavit David murum per circuitum arcis Sion, faciens unum murum intrinsecus, aliumque extrinsecus, et ita duplici muro munivit arcem. Porro primo libro Paralipomenon
I Par. XI, 8. legitur : Ædificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum, Joab autem reliqua urbis exstruxit : ubi per urbem intelligitur pars illa Jerusalem, quæ vocata est civitas David. Unde et Josephus : Superiorem (inquit) civitatem David munivit, eique arcem jungendo, unum corpus effecit. De præmio autem quod David hic legitur proposuisse, nec tamen in isto libro exprimitur, primo libro Paralipomenon legitur :
Ibid. 6. Dixit, Omnis qui percusserit Jebusæum in primis, erit princeps et dux. *Et ingrediebatur* viam justitiæ, et domum suam, ac coram Deo, *proficiens* in temporalibus ac spiritualibus bonis, *atque succrescens,* fama, potestate, ac meritis, *et Dominus Deus exercituum erat cum eo,* per gratiam copiosam, per quam bene se habuit circa regimen sui ipsius, et in regimine populi sibi commissi, et in divino obsequio. Itaque per gratiam tantam ordinate se habuit circa se ipsum, prudenter et exemplariter circa subjectos, devote ad Deum.

Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David et ligna cedrina, et artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes; et ædificaverunt domum David. Iste Hiram, ut infra habetur, fuit amicus David omni tempore. Scriptura tamen non exprimit, qualiter David et Hiram amicitiam contraxerint mutuam, nec leguntur accessisse se invicem. Verum quandoque contingit, quod aliqui efficiuntur cordiales amici ex fama et perceptione probitatum ac amabilitatum suarum. Misit autem Hiram nuntios primo ad David, ad inquirendum de statu suo. Deinde cognita voluntate regis David, misit ei ligna pretiosa et apta, convenientesque lapides, ac viros peritos operari in lignis et saxis : qui artifices construxerunt regi David domum infra eam partem Jerusalem, quæ specialiter dicta est civitas David. In regno equidem Tyri amplius abundabant ligna et saxa, pro domibus construendis convenientia, quam in Judæa. Meliores quoque artifices erant ibi, propter quod postea Salomon misit ad Hiram, dicens : Scis quoniam in populo meo III Reg. V, 6.
non est vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii : ut infra tertio libro legitur.

Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israel. Hoc utique scivit ex revelatione divina seu inspiratione interna, et ex prophetica denuntiatione, qua sibi per Samuelem et Gad fuit prædictum I Reg. XVI, 13.
quod electus esset a Deo ad præsidendum universo Israelitico populo, atque ex evidentia facti, et experientia propriæ prosperitatis, quoniam vidit se prosperari in cunctis, totumque populum suum sibi faventem ac applaudentem.

Accepit ergo David adhuc concubinas, et, pro id est, *uxores de Jerusalem, postquam venerat de Hebron.* Non enim accessit ad illegitimum torum, nec fuit fornicator, nisi quod postea cum Bethsabee peccavit. Ita- II Reg. XI, 4.
que feminæ istæ fuerunt ejus uxores legitimæ, sicut in Genesi Zelpha et Bala quan- Gen. XXX, 4,
doque vocantur concubinæ, quandoque 26; XXXV, 22.
uxores ipsius Jacob. Fuit etenim consuetudo in veteri Testamento, quod uxores minus principales et secundario sumptæ, vocabantur concubinæ, quia in aliquo concu-

Digitized by Google

binis assimilabantur. *Natique sunt ipsi David et alii filii et filiæ. Et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Jerusalem, Samua et Sobab, Nathan et Salomon, et Jebahar et Elisua et Nepheg, et Japhia et Elisama et Eliada et Eliphaleth.* Exprimuntur hic undecim filii, qui ei in Jerusalem nati sunt, inter quos ponitur Nathan, qui alius fuit a Nathan propheta, quem David sibi adoptavit in filium post mortem patris illius. Circa hæc scribit quidam, quod David sumpsit has plures uxores ad multiplicandum prolem, quæ conjungeretur in matrimonium nobilioribus regni sui, et sic essent sibi affinitate conjuncti ad firmitatem regni sui majorem. Hoc reor etiam, quod ideo accepit tot conjuges, ut augeretur in sobole sua cultus unius veri Dei : cujus cultus tunc conservabatur in populo Israel per carnalem propaginem, ceteris gentibus ad idololatriam lapsis.

Consequenter duplex victoria narratur regi David contra Philistæos concessa. *Audierunt ergo Philistiim quod unxissent David in regem super Israel.* Jam ante au-
II Reg. ii, 4. dierant, quod David regnaret super tribum Juda in Hebron, sed de hoc minus curabant. Cognito autem quod unctus esset super duodecim tribus in regem, timuerunt quod eis resisteret, nec solita tributa persolveret, ut aliqui dicunt ; et quia sciverunt ipsum David esse strenuissimum atque fortissimum virum, metuebant vastari per eum : ideo voluerunt eum tempestive in propria terra opprimere. *Et ascenderunt universi,* id est quidam de omnibus, *ut quærerent David* ad impugnandum. *Quod quum audisset David, descendit* de arce Sion, *in præsidium,* id est ad munitionem vel ad salutis propugnaculum, aut auxilium requirendum. *Philistiim autem venientes, diffusi sunt in valle Raphaim,* non procul a Jerusalem. *Et consuluit David Dominum* per pontificem, *dicens : Si,* id est an, *ascendam ad Philistiim, et si dabis eos in manu mea?* Unde constat, quod David totam spem suam collocavit in Deo, ejus consilio auxilioque innitens, sciens quod

A equus paratur ad diem belli, Dominus au- Prov. xxi, 31.
tem salutem tribuit. Voluit autem Dominus in talibus haberi recursum ad se. Propter quod de perfidis filiis Israel ita non agentibus, ait per Isaiam : Væ filii desertores, ut Is. xxx, 1.
faceretis consilium, et non ex me ; et ordiremini telam, et non per spiritum meum ; et os meum non interrogastis. Unde rursus loquitur Isaias : Numquid non a Deo Ibid. viii, 19.
suo populus requiret? *Et dixit Dominus ad David.* Qualiter istæ consultationes ac divina responsa fiebant, dictum est sæpe.
B *Ascende* contra eos cum populo tuo, *quia tradens dabo Philistiim in manu tua.*

Venit ergo David in Baalpharasim, et percussit eos ibi, et dixit, Deo gratias agens, et ei triumphum adscribens : *Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ,* id est, dedit mihi et exercitui meo virtutem vincendi hos Philistæos, ita quod quosdam occidendo, quosdam fugando, divisimus illos ab invicem satis faciliter, quemadmodum facile est aquam tanquam rem mollem dividere. *Propterea*
C *vocatum est nomen loci illius, Baalpharasim :* quod interpretatur, virorum divisio, quia viri Philistæi ibi ab invicem sunt divisi. Vel a BAAL, quod est campus sive planities, et PHARES, divisio, quasi campus divisionis. Vel a BAAL, quod est idoli nomen, et PHARES, divisio, quia reliquerunt ibi idola sua, et ab eis divisi sunt. Unde subjungitur : *Et reliquerunt ibi sculptilia sua,* videlicet simulacra Dagon, quæ attulerunt secum, ut eorum auxilio prævalerent, *quæ tulit David et viri ejus* secum : non ut
D colerent ea, sed conflarent. Propter quod primo libro Paralipomenon legitur, quod David jussit ea exuri, juxta quod in Deute- I Par. xiv, 12.
ronomio Dominus ait : Sculptilia comburite. Deut. vii, 5.
Quod tamen ad litteram dictum fuit de Chananæorum sculptilibus. Porro, secundum Lyram, in Hebræo habetur, Combussit ea David ; sed magis puto, quod verbum illud Hebraicum sit ad utrumque æquivocum.

Et addiderunt adhuc Philistiim ut ascenderent cum exercitu majori quam ante, *et diffusi sunt in valle Raphaim :* de qua

Digitized by Google

Is. xvii, 5. legitur in Isaia, Erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. *Consuluit autem David Dominum : Si ascendam contra Philistæos, et trades eos in manus meas? Qui respondit : Non ascendas contra eos* Philistæos directe, *sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pirorum,* id est arborum talium, sub quibus posuerunt idola sua, in quibus sperabant : propter quod voluit Dominus, ut ab illa parte impugnarentur, sicque adverterent et pateret, quod idola sua eis non profuerunt. *Et quum audieris sonitum clamoris gradientis in cacumine pirorum,* videlicet angeli sancti ibi se moventis ac exhibentis ad adjuvandum vos, atque ad deprimendum potestatem dæmonum et idolorum, per quæ dæmones operabantur nonnulla, *tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem,* id est præsentiam *tuam,* hoc est angelus Dei agens divina virtute, ac Dominum repræsentans, *ut percutiat castra Philistiim,* id est turmas eorum seu contentos in ipsorum tentoriis. *Fecit itaque David sicut præceperat ei Dominus, et percussit Philistiim de Gabaa usque dum venias Gezer.* Dedit enim Dominus David regi et populo ejus prævalendi potentiam, Philistæorumque corda et corpora tabefecit, debilitavit ac terruit.

ARTICULUS IX

DE MYSTICO HUJUS CAPITULI QUINTI INTELLECTU.

Et venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron, dicentes : Os tuum et caro tua sumus. Quemadmodum David *II Reg. ii, 4.* primo regnavit in Hebron super tribum Juda, deinde super Israel universum : sic Christo ante suam passionem et ascensionem pauci ex Judæis adhæserunt per fidem et obedientiam, tanquam veri filii Juda, id est confessionis salubris; sed mis- *Act. ii-viii.* so desuper Spiritu Sancto, operantibus sanctis Apostolis copiosa et præclara miracula in fide et nomine Salvatoris, multa millia Judæorum ex diversis tribubus Israel sunt conversa in Jerusalem et in omni Judæa, Galilæa, atque Samaria, ut in Actibus docetur Apostolorum. Deinde in diversis mundi provinciis : quod in fine mundi per prædicationem Eliæ et Enoch plenius fiet, et maxime Antichristo occiso. Denique præfati Judæi ad Christum conversi, dixerunt : Os tuum et caro tua sumus, id est, veram humanitatem in Christo confessi sunt, et eum ex semine Abrahæ incarnatum veraciter crediderunt. *Sed et heri et nudiustertius quum esset Saul super nos, tu eras educens et reducens Israel.* Per Saul intelligi potest præsidentia pontificum super Judæos : qui pontifices persecuti sunt Christum, quemadmodum Saul David. Et sub pontificibus Anna et Caipha, Christus prædicavit Judæis, et eos eduxit ad audiendum verbum Dei, et ad actus virtutum, reduxitque eos ad Creatorem, ad fidem catholicam, et ad evangelicam legem. *Dixit autem Dominus ad te : Tu pasces populum meum Israel.* Hoc Deus Pater dixit homini Christo per inspirationem internam ab incarnationis exordio, et idem per sanctos Prophetas frequenter et diu ante prædixit, juxta illud Michææ : Et tu, Bethlehem, ex te *Mich. v, 2.* egredietur, qui sit dominator in Israel. Per Ezechielem quoque Dominus ait : Salvabo *Ezech. xxxiv, 22, 23.* gregem meum, ait Dominus ; et suscitabo super eum pastorem unum, qui pascat eum, David servum meum, id est Messiam, ut omnes exponunt. De hoc in Zacharia et *Zach. ii, viii, ix; Joel ii, iii.* Joele plenius legitur prophetatum. Præterea, in Christi baptismo ac transfiguratione

Digitized by Google

Matth. III, 17; XVII, 5. vox Patris intonuit : Hic est Filius meus
dilectus, ipsum audite. *Filius triginta annorum erat David quum regnare cœpisset.*
Luc. III, 23. In hac ætate orsus est Christus prædicare,
et evangelicam tradere legem, et in credentium corde regnare per fidem et gratiam. In
Gen. XLI, 46; Ezech. I, 1. qua etiam ætate præfectus est Joseph terræ
Ægypti, Ezechielque vaticinari incepit.

Et abiit rex ad Jebusæum. Per Jebusæum possunt intelligi gentiles, quos Christus per suos fideles multipliciter expugnavit; et abstulit *cæcos et claudos,* id est deorum simulacra, excæcatos quoque in suis perfidiis, atque per vitiorum devia claudicantes in partem utramque. Potest item per Jebusæum habitantem in arce Sion, accipi pontificium seu sacerdotium Judæorum, quod Christus fecit cessare, præmiumque proposuit ei qui illud primo invaderet : quod beatissimus princeps Apostolorum
Act. II-IV. Petrus in die sacratissimo Pentecostes fortissime impugnavit et vicit, in tantum quod
Ibid. VI, 7. ex tunc multa turba sacerdotum obediebat
fidei. Nec pontifices potuerunt resistere Petro : imo auctoritate Scripturarum, excellentia miraculorum, evidentia gratiarum prævaluit, ac imperterrita dixit mente :
Ibid. V, 29. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Et factus est Petrus princeps militiæ, id est secundus post Christum, et caput totius Ecclesiæ, summusque pontifex ejus. Et tetigit *domatum fistulas,* id est, ora Scribarum et Pharisæorum, et stillas documentorum ipsorum obstruxit atque destruxit,
Ibid. IV, 12. affirmans ac probans, quod in solo Christo
sit salus, non in Moysis lege.

Sicque Christus *habitavit in arce.* Nam et
Ibid. V, 12; II, 46. primitiva Ecclesia quotidie erat in porticu
Salomonis et in templo, ac in monte Sion, ubi Christus fuit in medio ejus, prout in Actis habetur. Tunc Christus in suis membris profecit quotidie, et multos in Jeru-
Joann. III, 5; Act. II, 41, 47. salem filios procreavit, regenerans eos ex
aqua et Spiritu Sancto, ut scribitur in Actis. Circa hoc dicit Glossa, ex verbis Rabani sumpta : Multæ uxores David, multas gentes seu Ecclesias significant, quæ Christo copulantur per fidem; concubinæ ve-
A ro, hæreticorum ecclesias, quæ christiani nominis titulo gloriantur. Sed quia propter carnalia lucra Christum sequuntur, non uxores, sed concubinæ vocantur. Quod si reges nunc habeant plures uxores, crimen est, quia figuræ transierunt.

Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David. Christus namque per gloriosos Apostolos tot et tanta fecit miracula in Judæa, quod aliqui reges et principes gentium ea percipientes, desideraverunt sibi annuntiari Evangelium Salvatoris, et pro
B hoc orationes suas tanquam nuntios, direxerunt ad Dominum. Miserunt quoque ligna et lapides, id est subditorum suorum personas, atque lignorum et saxorum artifices, hoc est prædicatores ac prælatos, ad Christum, tales hortando ad promotionem et augmentum Ecclesiæ, ut ædificarent Filio Dei domum, id est Ecclesiam, quæ
ex hominibus tanquam ex vivis lapidibus I Petr. II, 5.
ac lignis fructuosis construitur.

Audierunt ergo Philistiim quod unxissent David regem. Per Philistæos hoc loco
C signantur visibiles hostes Christi, puta persecutores, qui videntes Christum ab Ecclesia coli, Christianos et Christum in membris suis atrocissime et valde diu sunt persecuti. Contra quos Christus ascendit, quia fidelibus suis contulit gratiam superandi illos per sapientiam, patientiam, atque miracula, et per angelorum sanctorum præsidia, non per humanam potentiam : imo sub persecutionibus tyrannorum, maxime crevit Ecclesia, quia frequenter in unius martyris occisione fecit Salvator tan-
D ta prodigia, quod conversa fuerunt multa gentilium millia. Unde Salvator promisit
martyribus sanctis : Ego dabo vobis os et Luc. XXI, 15.
sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Voluit quippe Salvator, ut infidelibus resisterent, rationabiliter respondendo, non corporaliter reluctando, imo adversa omnia
æquanimiter tolerando, percutientibusque Matth. V, 39.
maxillam unam, præbendo mox alteram. Similiter per Philistæos significantur invisibiles inimici, qui regno Christi ab initio

Digitized by Google

infatigabiliter resistere nisi sunt, et Christum de cordibus fidelium excludere studuerunt per suggestiones pestiferas, tentationesque varias; et item contra Ecclesiam primitivam inflammando infideles et obstinatos Judæos, reges et principes perfidos, ac quosdam philosophos, et seminando errores hæreticos, quibus impleverunt multos fideles, qui ab Ecclesia exierunt, et eam graviter afflixerunt. Isti quoque adversarii Christi fremunt et contabescunt, dum vident viros virtutum ad dignitates ecclesiasticas et ad aliorum regimina promoveri : ideo illis resistere moliuntur, et fructum pastoralis præsidentiæ satagunt A impedire, et eos qui secundum carnem sunt nobiles ac potentes, nituntur intrudere, quamvis totius spiritualis exercitationis et salutaris sapientiæ sint expertes. Unde ad Timotheum scribit Apostolus : Quemadmodum Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati. II *Tim.* III, 8; *Exod.* VII, 11.

Postremo, sicut David proposuit præmium speciale expugnatori Jebusæi et arcis Sion, ita Salvator in Evangelio præclaram spondet mercedem cunctis qui viriliter agunt, atque diabolum vincunt, et maxi- B me his qui exercitia magis ardua exsequuntur, et hæresiarcham aut tyrannum dejiciunt, sicque tuentur Ecclesiam.

ARTICULUS X

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : CONGREGAVIT AUTEM RURSUS DAVID OMNES ELECTOS.

Reportatio arcæ ad urbem Jerusalem, hoc loco describitur. *Congregavit autem rursus David omnes electos ex Israel,* id est, per epistolas aut per nuntios convocavit ad se viros præcipuos ex toto regno suo, *triginta millia.* Nec refert an erant præcise tot, an parum plures seu pauciores : quia minutias numerorum aut temporum Scriptura frequenter non curat. Et recte nunc dicitur rursus populum congregasse, quia præcedenti capitulo est narratum, qualiter jam ante congregaverit populum. *Surrexitque David et abiit, et universus populus qui erat cum eo de viris Juda,* qui familiarius adsistebant regi, tanquam de eorum tribu nato, *ut adducerent arcam Dei* de loco suo ad regiam urbem cum grandi solennitate : propter quod majores
I *Reg.* VII, I. de plebe fuerant convocati. Porro de arca dictum est in primo libro. *Super quam invocatum est nomen Domini exercituum,* id est, coram cujus arcæ præsentia, seu coram qua Deus omnipotens invocabatur, præsertim a pontifice, ut ipse Dominus C Deus exaudiret et daret responsa, prout super Exodum plenius dictum est. Dicitur *Exod.* XXV, 22.
autem Deus Dominus exercituum, id est angelicorum chororum. *Sedentis in Cherubim,* id est inter Cherubim, *super eam.* Nam super arcam fuit propitiatorium seu *Ibid.* 17-22.
aurea tabula, quam duo Cherubim alis suis ex transverso tegebant, et inter eos apparuit Dominus, præstititque responsa : ideo dicebatur in Cherubim, id est inter eos, sedere, ita quod propitiatorium illud fuit quasi sedes Dei, qui ab illo loco ostende- D bat se populo ac precibus pontificis propitiari, et per effectum misericordiæ suæ apparebat ibidem. Propter quod tabula illa aurea propitiatorium vocabatur : quod etiam dicebatur oraculum, quia ex illo loco procedebant ac audiebantur divina responsa et Dei verba. Hinc in Exodo narratur : Arcam de lignis setim compingite. Duos *Ibid.* 10, 18, 20.
quoque Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, etc.

Digitized by Google

Et imposuerunt arcam Dei super plau- A
strum novum, quod trahebatur a bobus,
Num. vii, 9. quum tamen debuissent eam portasse hu-
meris propriis ipsi Levitæ, prout in Nume-
rorum libro jusserat Dominus. Et forte
posuerunt arcam super novum plaustrum,
I Reg. vi, 7. quia super tale plaustrum fuit a Philistæis
remissa, ut primo libro patuit. *Tulerunt-
que,* id est acceperunt, *eam de domo Abi-
nadab* sacerdotis, secundum Glossam, *qui*
Abinadab, vel quæ domus Abinadab, *erat
in Gabaa. Oza autem et Ahio filii Abina-
dab minabant plaustrum novum,* id est B
boves plaustrum trahentes. *Quumque tu-
lissent eam de domo Abinadab, qui erat
in Gabaa custodiens arcam Dei,* tanquam
sacerdos et vir tam famosæ virtutis, quod
ad eum potius quam ad alium sacerdotem
arca fuit deducta. *Ahio præcedebat arcam
Dei,* eundo parum ante quadrigam ad pro-
videndum de convenientiori itinere.

Circa hoc oritur quæstio, qualiter hic di-
catur, quod tulerunt arcam de domo Abi-
nadab, qui erat in Gabaa, quum in primo
I Par. xiii, 6. libro Paralipomenon scriptum sit, Ascen- C
dit David et omnes viri Israel ad collem
Cariathiarim, qui est in Juda, ut afferrent
inde arcam Dei. Ad hoc quidam respon-
det, quod Cariathiarim et Gabaa erant ur-
bes vicinæ, et in Cariathiarim primo con-
gregatus est populus ad David, et inde
transierunt ad adducendum arcam quæ
I Reg. vii, 1. erat in Gabaa, ac inde ducendo eam, trans-
ierunt per Cariathiarim. Sicque intelligen-
I Par. xiii, 6. dum est quod ex primo libro Paralipomenon
allegatur. Verum ista responsio in exposi-
tione primi libri est reprobata; similiter in D
primo libro Paralipomenon; nec consonare
videtur ei quod in præallegato primo libro
Ibid. 5. Paralipomenon legitur : Congregavit David
universum Israel a Sihor Ægypti usque
dum ingrediaris Emath, ut adduceret arcam
Dei de Cariathiarim. Insuper quod dicitur,
populum Israel primo congregatum in Ca-
riathiarim ad David, incertum est, imo nec
consonum esse apparet ei quod in præme-
morato libro Paralipomenon fertur : Ait Da-
Ibid. 2. vid ad universum cœtum Israel : Si placet,
mittamus ad fratres nostros reliquos in uni-
versas regiones Israel, et ad sacerdotes, ut
congregentur ad nos. Unde apparet quod
congregati fuerunt ad David, in loco quo
erat quando hæc dixit ac nuntios misit, ut-
pote in Jerusalem; nec in aliqua Scriptura
authentica reperiri videtur, quod in Caria-
thiarim ad David collecti sint. Hinc quo-
que Magister in historiis circa hunc pas-
sum testatur : Gabaa non est hic nomen
urbis aut loci, sed secundum interpreta-
tionem suam significat collem. Itaque dato
quod arca fuerit de Cariathiarim ad alia
loca translata, antequam David transtulit
eam, magis tamen tenendum esset, quod
ad Cariathiarim fuit reducta, quam quod
David reduxerit eam de oppido, quod Ga-
baa dicitur. Glossa quoque super prælle-
gatum Paralipomenon librum asserit ar-
cam reductam per David a Cariathiarim
urbe, de qua fuit Urias propheta, quem Jer. xxvi,
occidit Joachim rex Juda, ut habetur in Je- 20. 23.
remia. Fuitque Cariathiarim hæc, una de
urbibus Gabaonitarum, ut in libro Josue Josue ix.
describitur. 17.

*David autem et omnis Israel ludebant
coram Domino,* id est, devote psallebant.
Unde in primo libro Paralipomenon dici-
tur : David et universus Israel ludebant I Par. xiii,
coram Domino omni virtute in canticis. Is- 8.
tud ergo est intelligendum de ludo virtu-
tis, de quo et infra fatetur David : Ludam,
et vilior fiam plus quam factus sum. De
quo et in Proverbiis Sapientia loquitur :
Delectabar per singulos dies, ludens coram Prov. viii,
eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. 30. 31.
Est ergo ludus devotionis, qui est latriæ
actus. Denique, etiam secundum Philoso-
phum, specialis est virtus, per quam homo
bene se habet in ludis : idcirco non omnis
ludus, est ludus dissolutionis. De hoc Du-
randus in Summa sua plenius scribit. Lude-
bant ergo *in omnibus lignis fabrefactis,* id
est musicis instrumentis de ligno formatis :
in omnibus, inquam, quæ habebant, et quo-
rum usus ad hoc erat conveniens; *et citha-
ris et lyris,* id est symphoniis, *et tympanis
et sistris et cymbalis.* Tympanum dicitur

Digitized by Google

ligneum instrumentum, in quo extenditur A corium ad bene sonandum. Sistrum dicitur tuba. Cymbala ex concussione ad invicem sonum reddunt suavem.

Postquam autem venerunt ad aream Nachon, id est horreum viri sic dicti. Verumtamen primo Paralipomenon dicitur, I Par. xiii, 9. Ad aream Chidon, quia forsan binomius fuit. Chidon tamen interpretatur clypeus. Unde quidam dicunt esse hunc locum, ubi Josue viii, 18, 19. Josue levavit clypeum contra Hai, ut in Josue libro narratur. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam,* id est, sustentavit ne de curru corrueret, *quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam,* id est, currum sic agitabant, quod arca quasi deciderat. Porro primo Paralipomenon I Par. xiii, 9. legitur : Bos quippe lasciviens, paululum inclinaverat eam. *Iratusque est Dominus indignatione contra Ozam,* id est, zelo justitiæ et rigorosa ultione per modum se habuit irascentis, *et percussit eum,* id est, repente plagavit, *super temeritate,* id est propter præsumptionem et insipientiam suam. *Qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.* In libro Paralipomenon fertur, Ibid. 10. quod Dominus eum percussit, eo quod tetigisset arcam. Quæ autem fuerit illa plaga, non expressit Scriptura. Magister vero in historiis ait, quod aruit dextera Ozæ, et tunc subito exspiravit. Hæc quoque percussio Ozæ, ministerio angeli creditur facta, quamvis incertum appareat an ministerio angeli boni, an potius angeli mali.

Sed mirum videtur, cur Dominus ita percusserit Ozam dum tetigit arcam, quia tali casu pium fuit sustentare eam, imo et licitum etiam cuicumque de populo, quum in tanta necessitate dispensatio habeat locum, quemadmodum laico licet corpus dominicum levare de terra, si non adsit constitutus in ordine sacro. Similiter licitum esset colligere Sacramentum de pyxide lapsum, ne laberetur in terram. Et cur potius percussus est Oza, quam frater ejus? Pro horum solutione pensandum, quod (secundum Josephum) percussus est Oza, quoniam tetigit arcam, quum non esset sacerdos : sicque diceretur ulterius, quod arca non fuit tam multum inclinata, quod necessaria fuit sustentatio illa. Unde in libro Paralipomenon scribitur, quod bos paululum inclinaverat eam. Vel absque debita reverentia tenuit illam. Hieronymus vero et Glossa super librum Paralipomenon dicunt : Tradunt Hebræi Abinadab sacerdotem jussisse filiis suis Ozæ et Ahio, ut portarent arcam humeris suis secundum Num. iv, 15; vii, 9. præceptum legis; sed quia non portaverunt, nec Caathitis portandam dederunt, B percussit Dominus Ozam, et divisit. Aruerunt namque (ut aiunt) brachium ejus et humerus, quibus arca fuit portanda, et facta est distinctio obedientiæ et inobedientiæ. Verum his rursus objici potest, quod in Scholastica fertur historia : Hebræi tradunt, quod ea nocte Oza cum sua dormivit uxore : idcirco percussus est, quia per continentiam debuit se parare. Et respondendum, quod quidam Hebræi assignant unam causam, alii alteram. Nonnulli dixerunt Ozam fuisse percussum, quoniam arcam C tetigit nudam : quod reprobatur, quoniam involvebatur suis operimentis antequam Ibid. iv, 5, 20. deportabatur, ne a Levitis vel plebe nuda conspiceretur, ne subito morerentur, ut in Numerorum libro habetur. Denique percussus est Oza magis quam Ahio, quia in hac re culpabilior fuit, et fratrem suum (ut aliqui opinantur) induxit ad temeritatem præfatam. Percussus est quoque dum tetigit arcam, quia tunc evidentius patuit, quod arca non debuit sic deferri. Quocirca inquiritur, quia si ideo percussus est, cur D non fuerunt Philistæi percussi ob hoc, quod arcam remiserunt in plaustro. Re- I Reg. vi, 11. spondetur, quod non tenebantur ad præceptum legis prætactum. Imo Oza, qui illud scire et implere debebat, peccavit, quia in hac re Philistæis se conformavit.

Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam, id est, percusso condoluit, et de ejus percussione fuit mœrens, in quantum fuit malum pœnale, quamvis non in quantum fuit effectus divinæ justitiæ. Contristatus est item

Digitized by Google

de Ozæ culpa, ob quam meruit ita plagari, potius quam de æquitate divina. *Et vocatum est nomen loci illius, percussio Ozæ, usque in diem hanc.* In libro Paralipomenon dicitur, divisio Ozæ, sed redit in idem : quia per illam percussionem fuit Oza divisus et subtractus ab Israelitica plebe. Et forsan verbum illud Hebraicum, designat utrumque. Creditur quoque, quod Oza per temporalem illam percussionem purgatus sit, et damnationem evasit. Nam etsi repente obierit, potuit tamen in tempore illo permodico pœnitere, præsertim dum manum suam, brachiumque et humerum sensit arere. *Et extimuit,* id est, ex corde valde timuit, *David Dominum in die illa, dicens : Quomodo ingredietur ad me arca Domini?* id est, ad domum meam, seu ad arcem Sion, aut urbem Jerusalem introducere eam non audeo, ne forsitan ob aliquam culpam meam merear percuti, et indignus sim arcæ præsentia. Itaque ex effectu divinæ justitiæ motus fuit ad reverentialem Dei timorem. Etenim felix quem faciunt aliena damna peritum. Et in Proverbiis scriptum est : Pestilente flagellato, stultus sapientior erit : quanto magis sapiens?

I *Par.* XIII, 11.

Prov. XIX, 25.

Et noluit ad se divertere arcam Domini in civitatem, videlicet *David, sed divertit eam in domum Obededom Gethæi :* id est, in suburbio posuit eam in domo Levitæ Obededom, qui vocatur Gethæus, quia ad tempus in civitate nomine Geth creditur commoratus. Porro, secundum Petrum Comestorem, Obed Edom, duæ sunt dictiones. Nam ita exponit, Posuit arcam in domo Obed filii Edom. Alii dicunt, quod una sit dictio : quod verius æstimatur, et Hieronymo ac Hebræis plus consonum. Nempe ut ait Glossa, Obededom interpretatur, serviens homo : quoniam Obed interpretatur serviens; Edom, homo. Si autem essent nomina duo, Obed Edom, interpretaretur, serviens homini. Est quoque consuetudo Scripturæ, quod exprimendo nomen filii alicujus ac patris sui, interponat hoc nomen, Filius, sicut quum dicitur, David filius Isai; vel aliquid tale apponat, quo designatur, quod unus sit filius, alius pater. *Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus. Et benedixit Dominus Obededom et omnem domum ejus.* Dicunt aliqui, quod Deus benedixit ei ac suis domesticis, quasi symmistra sua *, dando ac multiplicando eis temporalia bona. Unde Magister in historiis refert : Dicunt Hebræi, quod uxores ejus ac nurus pepererunt masculos, et jumenta duplices fetus. Alii dicunt, quod benedixit eis in temporalibus ac spiritualibus, quoniam arcam cum reverentia ac devotione susceperunt et custodierunt. Temporalia autem non sunt præmium sufficiens et condignum operis virtuosi.

* symmystis suis

Nuntiatumque est regi David, quod benedixisset Dominus Obededom et omnia ejus. Si in solis spiritualibus benedixisset Dominus illis, hoc non fuisset tam cito et evidenter cognitum aliis. *Propter arcam,* id est propter devotam et condecentem arcæ susceptionem. *Dixitque David : Ibo, et reducam arcam cum benedictione,* id est cum laude divina. Vel, Cum benedictione, id est fructuosa mercede, *in domum meam,* sperans quod Dominus benedicet mihi ac domui meæ propter arcam, quemadmodum benedixit Obededom. *Abiit ergo David, et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio.* Porro quod subditur, *Et erant cum David septem chori, et victima vituli,* non est in Hebræo : quod tamen breviter potest exponi, ut per choros intelligantur distinctæ congregationes seu ordines canentium atque psallentium Deo. Chorus * quoque est nomen mensuræ plenæ simila, id est delicatissima farina, quam obtulit David, et continet decem ephi, id est triginta modios, ut patet in Ezechiele. Rursus, chori vocantur musica instrumenta fistulas duas habentia, in quarum unam intromittitur ventus, et per aliam emittitur sonus. Per victimam vituli, intelliguntur hostiæ, seu ipsi vituli ad sacrificandum adducti.

* corus

Ezech. XLV, 11.

Cumque transcendissent, id est velociter pertransissent, *qui portabant arcam*

Digitized by Google

Domini, puta Levitæ, qui ex Ozæ percussione edocti, recordati sunt legis, et arcam suis humeris portaverunt, *sex passus, immolabant bovem et ovem et arietem* Deo in sacrificium : quæ immolatio fiebat manibus sacerdotum; *et David percutiebat in organis armigatis,* id est ad armum, humerumve ligatis, ut fieri in organis portatilibus solet. Vel secundum nonnullos, genus est organi, quod fit cum aqua, quia non sonat nisi habeat aquam, ita quod aqua ponitur in concavitate, et sonum reddit. *Et saltabat totis viribus ante Dominum,* quia ex interioris lætitiæ, devotionisque fervidæ exuberantia, fiebat in corpus ejus redundantia deliciosa; nec internam illam devotissimam jucunditatem ac ferventissimam devotionem reprimere quivit, quin foris erumperet, et per certa indicia monstraretur; nec regiæ suæ potestatis altitudinem attendebat, sed ex commemoratione pietatis divinæ et beneficiorum ejus super Israeliticum populum, inebriatus fuit lætitia spirituali, nec coram populo saltare erubuit. *Porro David accinctus erat ephod lineo,* quo ex humilitate vestivit se, tanquam superpellicio quodam super regalia indumenta, imo ut etiam regalia exueret insignia. Eratque vestis Levitarum seu prophetalis, qua uti solebant prophetæ et filii
I Par. XV, 27. prophetarum, prout istud primo Paralipomenon fuit expositum; ubi etiam continetur, quod David indutus fuit stola byssina præter ephod. *Et David et omnis Israel,* id est quidam de omnibus, *deducebant arcam testamenti Domini,* id est arcam in qua positæ erant tabulæ testamenti, in quibus scriptus erat Decalogus : ut in Exodo et alibi in multis legitur locis; *in jubilo,* id est cum ineffabili quadam hilaritate, *et in clangore buccinæ,* id est cum sonitu buccinarum, imo et cum aliorum musicorum symphoniis instrumentorum, ut hic et in
Ibid. 16, 28. libro Paralipomenon scriptum est.

Quumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem, id est sursum saltantem, *atque saltantem coram Domino* de loco ad locum, ex mira devotione atque interna hilaritate : sicut adhuc interdum contingit quibusdam devotis personis, quod improvise ac subito quandoque implentur tanta alacritate, devotione et jucunditate, quod præ vehementia se nequeunt continere, sed cursu, saltu, tripudio interiorem suam dispositionem ostendunt; *et despexit eum in corde suo,* quia superba fuit, sicut et pater ejus, et hujus mundi spiritum habuit : ideo non capiebat ea quæ Dei erant; Marc. VIII, 33.
et regem contempsit, quia non ivit in tanta processione cum regio apparatu ac ornamentis regalibus, et quoniam ita se conformavit Levitis in habitu, psalmodia, et musico instrumento. Sed et bonis moribus videbatur talis saltatio esse contraria : quod utique sic fuisset, nisi ex tam virtuosa radice et supernaturali instigatione processisset.

Et introduxerunt arcam Domini, et imposuerunt sacerdotes *eam* arcam *in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat,* id est paraverat, *ei David,* prout primo Paralipomenon scriptum atque expositum est. I Par. XVI, 1.
Quum enim Levitæ arcam deponebant, acceperunt eam majores sacerdotes. *Et obtulit David holocausta coram Domino,* per manus sacerdotum. Holocausta autem erant sacrificia, quæ ad divinæ reverentiam majestatis totaliter incendebantur. *Et pacifica,* id est hostias pro pace conservanda aut obtinenda. *Quumque complesset offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum,* imprecando subditis suis prosperitatem, gratiam et virtutes : quod facere potuit ut rex, cujus est pro bono communi sollicitari ac deprecari; sacerdotibus vero, præsertim pontifici, competebat ex proprio officio spirituali auctoritate benedicere populo, ut in Numerorum libro habetur. Num. VI, 23. *Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri,* id est unicuique personæ : propter quod subditur, *singulis collyridam panis unam.* Collyrida panis, vocatur panis triangularis ac modicus, seu tenuis pa-

Digitized by Google

I Par. xvi, 3. nis, qui in libro Paralipomenon dicitur torta. Aliqui tamen dicunt, quod sit panis quadratus de simila factus, et in sartagine frixus. *Et assaturam bubulæ carnis unam,* id est frustum seu portionem carnis assatæ sumptæ de bove, vel magis de bubalo, quorum utrumque mundum erat et esui Lev. xi, 3; Deut. xiv, 4, 5. aptum secundum legem, ut in Levitico patet; *et similam frixam oleo.* Ex simila namque aquæ admixta fiebat pasta, quæ consequenter frigebatur in oleo, et fiebat panis suavis.

Reversusque est David, ut benediceret domui suæ, id est, provideret rei familiari atque domesticis, et bona imprecaretur I Tim. v, 8. eisdem. Nam (ut ait Apostolus) : Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. *Et egressa Michol filia Saul in occursum David, ait* ironice et superbe : *Quam gloriosus fuit rex Israel hodie,* quasi dicat, Ignobiliter et inhoneste se habuit, *discooperiens se,* id est, regalibus vestimentis et ornamentis se nudans, *ante ancillas servorum suorum,* id est coram pauperculis feminis, *et nudatus est* regio apparatu ac habitu, *quasi si nudetur unus de scurris,* id est nebulonibus aut vilibus mimis.

Dixitque David ad Michol, injustam reprehensionem inferioris patienter ac mititer ferens : *Vivit Dominus quia ludam ante Dominum,* id est, coram Deo in laudibus ejus lætabor, *qui elegit me* ad regnandum super Israel per me ipsum et per posteros meos, et etiam ad diversa gratiarum charismata, *potius quam patrem tuum* Saul, *et quam omnem domum ejus,* id est quemcumque de ejus tribu aut sobole seu cognatis, *et præcepit mihi ut essem dux super omnem populum Domini in Israel. Et ludam et vilior fiam,* id est humilior, *plus quam factus sum,* id est, plus quam feci, conformabo me inferioribus in Dei obsequio ac humili habitu, *et ero humilis in oculis meis,* id est modicus et vilis propria reputatione, quoniam omne bonum Deo grata mente adscribam, et quo plura atque majora ab eo dona suscepero, ei amplius ero subjectus. Hoc fuit propositum sancti David, quod et fideliter adimplevit, quamvis postea in dinumeratione II Reg. xxiv, 1. populi ad horam elatione deceptus sit. *Et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Hoc quidam exponunt de secundariis uxoribus David, dicentes, quod Michol ex superbia appellavit eas ancillas, et de illis procreavit David sobolem copiosam, pulchram, insignem. Cui expositioni videtur consonare quod sequitur : *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius,* id est aliqua proles, *usque ad diem mortis suæ.* Tanquam dicatur, Propter arrogantiam suam privata est fructu uteri sui. Sed Rabbi Paulus hoc reprobat, quoniam Michol uxores David non vocavit ancillas servorum David, ideo sic exponit : Cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo, id est honorabilior, quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Et in Proverbiis scriptum est : Gloriam præcedit humilitas. Luc. xiv, 11; xviii, 14. Prov. xv, 33. Porro quod dictum est, Michol filiæ Saul non est natus filius usque ad diem mortis suæ, quidam exponunt, dicentes, quod post hoc tempus non habuit prolem ex David, quamvis ante habuerit filium ex eodem : quia quod supra legitur, David habuisse filium de Egla, de Michol II Reg. iii, 5. intelligunt. Quidam vero affirmant sic debere exponi : Michol non est natus filius usque in diem mortis suæ inclusive, id est, quousque in partu occubuit. Josephus vero intelligit sic, quod Michol nunquam habuit filios ex David.

Digitized by Google

ARTICULUS XI

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI SEXTI INTELLECTU.

SICUT per David intelligitur Christus, seu quicumque idoneus ejus prælatus, imo et quilibet re et nomine, fide ac opere Christianus; ita per arcam designatur Ecclesia, et item Christi humanitas, ac etiam sacra Scriptura. Itaque per hoc, quod David *congregavit omnes electos ex Israel; triginta millia,* et simul cum eis adduxit arcam de domo Abinadab in civitatem et montem Sion et arcem Jerusalem, præfiguratum est, quod Dominus et Salvator congregavit per fidem et gratiam præelectos ex Judaismo, qui per fidem superbenedictæ Trinitatis, observantiamque Decalogi Deo complacuerunt, et recte per triginta millia exponuntur; atque per eorum obsequium ac sermones, adduxit veteris Testamenti Scripturam ac fidem incarnationis Filii Dei, de Synagoga a Deo relicta, ad primitivam Ecclesiam, de qua ad Hebræos ait Apostolus : Accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis. Huic namque Ecclesiæ contulit Spiritus Sanctus intelligentiam Scripturarum verissimam, Judæis in sua litterali superficie excæcatis. *Hebr.* XII, 22, 23.

Et imposuerunt arcam super plaustrum novum. Novum plaustrum fuit princeps Apostolorum, imo et unusquisque Apostolus, virque perfectus, eo utique modo quo Eliseus dixit Eliæ, et Joas rex Israel Eliseo: Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus. Tales namque prælati instar quadrigæ portant, et tanquam auriga dirigunt subditos suos ac imperfectos. Apostolis ergo, potissimum beatissimo Petro, imposita est arca, id est Scriptura et Christi humanitas, quoniam juxta doctrinam et prædicationem illorum ceteri acceperunt Scripturas, A fidemque incarnationis Verbi æterni. *David autem et omnis Israel ludebant coram Domino.* Sic Christus secundum quod homo, et ejus discipuli ac primitiva Ecclesia, in exordio evangelicæ prædicationis Deum multiformiter laudaverunt in hymnis et psalmis, ac spiritualibus canticis, in mortificatione carnis, et consonantia morum, omnique actu virtutum. Corporaliter quoque, et quasi ad litteram, ista fiunt in processionibus Ecclesiæ, et deportatione dignissimi Sacramenti : in quibus fideles, B eorumque principes ac prælati per se aut per subditos suos personant, atque Altissimo benedicunt in musicis instrumentis et hymnis, psalmis et canticis. *IV Reg.* II, 12; XIII, 14. *Ephes.* V, 19; *Coloss.* III, 16.

Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam. Per aream Nachon intelligi potest ecclesia hæreticorum loquax et pertinax, ac semper parata ad resistendum documentis Catholicorum. Nachon quippe, præparatus interpretatur. Per C boves vero lascivos et calcitrantes, intelliguntur doctores et prædicatores ad vitia carnis et ad rebellionis crimina corruentes : qui arcam declinant, quoniam Christi humanitatem inhonorant, et veritatem Scripturæ ad propria deprimunt commoda. Tunc Oza arcam sustentat, dum fidelis quisque fide catholicus, sed conversatione indignus, sermocinari præsumit, et ad sacramenta accedere non veretur, quum tamen dicat Propheta : Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas ? Et in D Evangelio Christus : Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras projiciatis ante porcos. *Iratusque Dominus, percussit eum super temeritate.* Ecce si ita *Ps.* XLIX, 16. *Matth.* VII, 6.

Digitized by Google

percussus est, qui bono zelo, quamvis non satis discreto, arcam Domini rem inanimatam et ligneam sustentavit: quantam damnationem merentur ac sustinebunt, qui Scripturas sanctas subvertunt, et false exponunt, aut corpus et sanguinem Salvatoris maculata conscientia consecrare, tractare aut sumere non formidant, quum tamen dicat Apostolus, Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Si tanta fuit iniquitas, irreverenter se circa figuram habere: quam vitiosum est, circa rem figuratam tam divinissimam injuste se gerere. Denique, si juxta quorumdam expositionem ita percussus est Oza ob arcæ contactum, quoniam nocte præcedente cum sua dormivit uxore: quam intoleranda instat damnatio incontinentibus ac lascivis presbyteris aut communicantibus, qui non obstantibus suis obscenitatibus et inquinamentis turpissimis, ad spiritualissima ac divinissima Salvatoris mysteria, consecranda, tractanda aut suscipienda audent procedere.

I Cor. XI, 27.

Et extimuit David Dominum. Sic unusquisque sapiens Christianus, ex consideratione damnationis reproborum sacerdotum carnalium, atque indigne communicantium, metuere debet ac retrahi a celebratione et communione, quousque præparaverit se pro posse, et interim alios magis devotos debet ad sacra mysteria participanda hortari. Abstinere etiam debet ab immoderata perscrutatione Scripturæ ac mirabilium Dei: quoniam sicut qui multum comedit mel, non est ei bonum; sic perscrutator majestatis opprimetur a gloria. *Nuntiatumque est regi David, quod benedixisset Dominus* domui *Obededom.* Omnibus enim devote celebrantibus et communicantibus Deus largitur gratiarum suarum charismata: quo cognito, quicumque prælatus seu princeps ad sacram communionem accenditur. Sicque per arcæ reductionem præfigurata est processionalis circumductio Sacramenti, in qua cum prælato sunt diversi chori psallentium, et cum interiori ac exteriori Deitatis laudatione, symphonia et devotione, deducitur Sacramentum. Ipsi quoque fideles offerunt Deo corpora sua et corda hostiam sanctam, vivam, ac Deo placentem. *Et David saltabat totis viribus ante Dominum.* Salubriter totis coram Deo viribus saltat, qui de virtute in virtutem progreditur, fervide proficit, atque celeriter crescit in omni virtute et gratia, quæ sursum sunt quærens et gustans, non carnalia ac terrena. *Accinctus ephod lineo,* id est castimonia corporis, et byssina stola, id est conscientiæ puritate. *Et imposuerunt* arcam *in loco suo.* Sic sacra Scriptura et Christi mysteria virtuosis personis sunt infundenda, purisque cordibus committenda.

Prov. XXV, 27.

Rom. XII. 1.

Ps. LXXXIII, 8.

Coloss. III, 1, 2.

Et *benedixit* David *populo.* Sic præsidentes imprecari debent subditis suis bona gratiæ in præsenti, et dona gloriæ in futuro, ac toto cordis affectu pro illis orare; spiritualia quoque alimenta, imo et corporalia ipsis impendere, pascendo illos scientia et doctrina, omnique necessaria refectione. *Reversusque est David, ut benediceret domui suæ.* Sic unusquisque qui præest, specialem debet sollicitudinem gerere de suis domesticis, eosque informare, corripere, corrigere, educare, ut sint ceteris omnibus exemplares. Domus namque prælatorum ac principum, quasi in specula positæ sunt; et quod inibi agitur, ceteri sibi licitum arbitrantur. Sicque ex domesticis superiorum, inferiores præcipue ædificantur aut scandalizantur.

Et egressa Michol, etc. Sic arrogantes et mundi honores ac commoda exquirentes, justorum ac devotorum simplicitatem et humilitatem derident, et stultitia eis videtur ea despicere, quæ ipsi appretiantur. Propter quod sanctus Job dixit: Deridetur justi simplicitas. Unde, ut infra quarto libro habetur, principes dixerunt ad Jehu de adolescente misso ab Eliseo: Quid venit insanus iste ad te? Et ad Ezechielem Dominus dixit: Portentum te dedi domui Israel. Apostolus quoque: Tanquam purgamentum (inquit) hujus mundi facti su-

Job XII. 4.

IV Reg. IX, 11.

Ezech. XII, 6.

I Cor. IV, 13.

mus. Idcirco in fine dicturi sunt impii : A Sap. v, 4. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam. Merito igitur dictum est, quod Rom. viii, 6. sapientia hujus mundi inimica est Deo; quod item prudentia carnis, mors est : quoniam amatores mundi, veram et salutarem sapientiam reputant fatuitatem. Qui ergo vult reputari inter veraciter sapientes, et esse discipulus sapientiæ salutaris, nequaquam ægre accipiat si irrideatur ab aliis. Quod si ægre susceperit, insipientiam suam Prov. xix, 11. ostendit. Doctrina etenim seu sapientia viri, per patientiam noscitur. Ideo tanto unusquisque minus sapiens esse censetur, quanto impatientior invenitur. Propter quod Ibid. xiv, 29. Salomon est locutus : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

Itaque si taliter increpemur, attendamus et imitemur responsionem mitis et humilis David, qui ait, *Vivit Dominus quia ludam ante Dominum :* hoc est, in Dei obsequio Ps. lxxxiii, 3. gloriemur, ita ut cor nostrum et caro nostra exsultent in Deum vivum, omnisque dissolutio ludicra sit procul a nobis. *Et vilior fiam plus quam factus sum.* Sic et nos humiliemus nos ipsos etiam in aliorum præsentia, nec publice corripi aut vilipendi abhorreamus, nec propter opprobria hominum cessemus ab actibus virtuosis, imo potius accendamur ad eos copiosius exsequendos. Ecce David qui leonem vicit et ursum, et in pueritia sua fuit unctus in regem magis quam aliquis fratrum suorum, inter quos junior fuit, qui et spiritu floruit prophetiæ, injuste objurgatus a conjuge, tam mansuete suscepit, humiliterque respondit : quanto magis patienter nos B ferre oportet, dum juste et a superioribus increpamur? Et quo plura ac eminentiora quis dona desuper est sortitus, eo humiliorem et patientiorem se præbeat, et per humilitatis custodiam, ab omni se reprimat vanitate; et sicut humilis est in propriis oculis, sic coram aliis humiliari, atque ab eis vilis æstimari nequaquam recuset. Sunt enim nonnulli qui propriis verbis se ipsos humiliant; sed si tale quid ab aliis audierint, indignantur. Sunt etiam quidam, qui de sua humiliatione et patientia inaniter C glorianturt, nec Deo adscribunt humiliter, quidquid ab eo acceperunt clementer. I Reg. xvii, 36; xvi, 13.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : FACTUM EST AUTEM QUUM SEDISSET REX.

HIC recitatur, qualiter sanctus David cupiens Deo gratus consistere, accensus zelo divini honoris, desideravit Deo construere templum præclarum. *Factum est autem quum sedisset rex* David *in domo sua,* id est, in suo regali resideret seu moraretur palatio ac regio throno, *et Dominus dedisset ei undique requiem ab universis inimicis suis,* id est, adversarios ejus ei subjecisset, ita quod nec sibi nec regno suo audebant inquietudinem per resistentiam generare : unde frequenter dictum est primo libro, Salvavit Dominus David in omnibus ad quæcumque perrexerat; *di-* D *xit ad Nathan prophetam,* in quo scivit esse Spiritum Dei, ideo voluit ejus consilio uti. Nam scriptum est : Ne innitaris prudentiæ tuæ. In quo innotescunt sapientia atque humilitas David regis, qui licet plenus exsisteret Spiritu Domini, et tantæ excellentiæ esset, nihilo minus de agendis voluit cum inferiori consulere et conferre. Quo quorumdam in oculis propriis prudentium reprobatur præsumptio, qui omnia secundum capitis sui conceptum agere moliuntur : ideo sæpe falluntur, et sibi ac Cf. I Reg. xxiii, 14; xxvi, 24; II Reg. viii, 6, 14. Prov. iii, 5.

Digitized by Google

aliis inveniuntur periculosi. *Videsne quod ego habitem in domo cedrina,* id est in (II *Reg.* v, 11.) palatio de cedris et aliis lignis pretiosis constructo, ut jam patuit, *et arca Dei posita sit in medio pellium?* id est, pellibus (*Exod.* xxvi, 14.) talibus involuta, qualibus secundum legem est involvenda. Quasi dicat: Quum sis sanctus Propheta, et videas ista, mirum quod non hortaris me ad ædificandum Domino condecens templum, in quo arca reverenter locetur, quum non deceat me hominem mortalem habere atque inhabitare domum præclariorem quam Deum, qui jussit arcam (*Ibid.* xl, 3.) suam in tabernaculo suo locari intra Sancta sanctorum, prout in Exodo legitur. Porro de involutione arcæ in Numerorum libro (*Num.* iv, 5, 6.) scriptum est: Deponent velum quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii, et operient rursum velamine hyacinthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum.

Dixitque Nathan ad regem, cujus propositum putavit religiosum et Deo complacitum: *Omne quod est in corde tuo, vade et fac,* id est, quidquid de hac re decrevisti operari, exsequere, *quoniam Dominus tecum est,* id est, gratiose te dirigit. Hoc responsum protulit Nathan spiritu humano, non prophetico ac divino: quod tamen putavit se dicere ex divino instinctu. Cautius autem egisset, si ante responsionem suam petisset revelationem a Domino. Unde circa hæc dicit Glossa: Patet quod prophetiæ spiritus non semper mentes Prophetarum irradiat, propter quod Eliseus (IV *Reg.* iv, 27.) propheta infra testatur de Sunamite: Anima ejus in amaritudine est, et Dominus non indicavit mihi.

Factum est autem in nocte illa, videlicet statim sequente, *et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens,* id est, revelatio desuper facta est, loquens in interiori sensu et intellectu Nathan prophetæ: et ipsa revelatio fuit illa locutio, quæ angelico ministerio facta est, vel in vigilia aut in somno. Et si in vigilia, tunc ad exteriorem sonabat auditum; si vero (quod magis apparet) in somno, tunc sonuit intus. Facta A est quoque in nocte, quoniam tempus nocturnum ad suscipiendas revelationes est aptius, exterioribus sensibus quietatis ac dato silentio. Propter quod scriptum est: Per somnium in visione nocturna aperit Deus aures virorum. (*Job* xxxiii, 15, 16.) Hinc in Evangelio recitatur: Angelus apparuit in somnis Joseph, dicens. (*Matth.* i, 20.) Denique increatus Sermo Dei Patris, videlicet Verbum æternum, locutus est Nathan prophetæ per angelum, quemadmodum in Apocalypsi contestatur: Ego Jesus misi angelum meum testificari hæc. (*Apoc.* xxii, 16.)

B *Vade,* postquam surrexeris, *et loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus, Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* id est, non volo ut construas mihi templum. Cujus una subjungitur ratio: *Neque enim habitavi in domo,* id est templo seu tabernaculo fixo, ex lignis lapidibusque formato, importabili et non moto, *ex die illa qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc, sed ambulavi in tabernaculo* Moysis, quod fuit portabile, nec diu stetit in loco uno. (*Num.* ix, 19.) C Dicitur autem invariabilis et incircumscriptibilis Deus habitare et ambulare in domo aut tabernaculo, per pietatis et gratiæ suæ effectus. *Et in tentorio,* hoc est papilionibus filiorum Israel, *per cuncta loca quæ transivi cum omnibus filiis Israel* tempore Moysis ab Ægypto usque campestria Jericho. Unde in Exodo Moyses legitur exorasse: Si non tu ipse præcedas nos, ne educas nos de loco isto. (*Exod.* xxxiii, 15, 16.) In quo enim scire poterimus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum? D Itaque cum sedentibus Dominus sedet, cum ambulantibus ambulat, cum habitantibus commoratur, in quantum sedentibus, ambulantibus, aut habitantibus misericorditer adest, cooperatur, et providet. Unde in Genesi loquitur Jacob: Dominus fuit socius itineris mei. (*Gen.* xxxv, 3.) *Numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israel,* id est, nec alicui tribui Israel, neque alicui personæ earum, cui personæ aut tribui jussi præsidere Israeliticæ plebi, locu-

Digitized by Google

tus sum, *dicens : Quare non ædificasti mihi* A *domum cedrinam ?* hoc est, nulli judicum istud præcepi, aut quod istud non fecerit improperavi vel increpavi. Circa hoc scribit Lyra : Ideo dicit, Ad unam de tribubus, etc., quia de omnibus fere tribubus fuerunt aliqui pastores populi Israel. De tribu Levi, Moyses et Aaron. De Ephraim, Josue. De Juda, Othoniel. De Manasse, Jephthe. De Benjamin, Aod et Saul. De Nephthali, Barac. De Zabulon, Ahialon. De Issachar, Thola. De Dan, Samson. Verumtamen de tribubus Ruben et Simeonis et Gad, nullus legitur generaliter præfuisse.

[*Exod.* II, 1; v, 14; *Num.* III, 9; *Id.* 7; *Judic.* III, 9; II, 1; *Josue* XVII, 6; I *Par.* III, 10; I *Reg.* IX, 1; *Judic.* X, 6; XII, 11; X, 1; XIII, 2.]

Deinde narratur in textu qui planus est, qualiter Deus pius ac liberalis bonum propositum David acceptavit ac remuneravit. *Et nunc hæc dices servo meo David : Hæc dicit Dominus exercituum : Ego te tuli de pascuis sequentem gregem,* id est, quum pasceres oves et pecora patris tui, jussi per Samuelem te vocari de prato, et ungi in regem, juxta illud in Psalmo : Elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post fetantes accepit C eum ; *ut esses dux super populum meum Israel ; et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti,* te dirigendo, protegendo, ac miserendo ; *et interfeci universos inimicos tuos,* hoc est quosdam de omnibus, vel principales adversarios tuos, quos permisi aut feci occidi, *a facie tua,* id est a tua præsentia, vel per te, dando tibi potestatem prævalendi in bellis ; *fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra :* hoc est, per dona quæ contuli tibi, puta per dona gratiæ gratificantis, D ac gratis datæ, per regiam potestatem, et triumphos assiduos, ac reliqua beneficia mea feci te valde famosum, instar majorum qui fuerunt aut sunt in orbe terrarum. Nam feci te magnum regem, magnum prophetam, magnum sanctum, magnum patriarcham, et sapientissimum virum. Hinc primo libro Paralipomenon David fatetur : Fecisti me spectabilem super omnes homines. Et super illud ejusdem capituli, Fecique tibi nomen grande quasi unius

[I *Reg.* XVI, 11, 13. — *Ps.* LXXVII, 70. — I *Par.* XVII, 17. — *Ibid.* 8.]

magnorum qui celebrantur in terra, dicit Glossa interlinearis : Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysis, Josue, quorum nomina sunt famosa.

Et ponam locum populo meo Israel, id est, locum divini cultus seu templum eis præstabo, ac faciam per filium tuum. Stabilem quoque eis conferam mansionem in terra promissionis : idcirco subjungitur, *et plantabo eum,* id est, firmiter faciam commorari, *et habitabo cum eo,* id est in eorum corde per gratiam, atque in templo B per multiplicem meæ potestatis ac misericordiæ actionem, *et non turbabitur amplius,* hoc est, more solito non inquietabitur, expelletur, aut opprimetur ; *nec addent filii iniquitatis,* id est gentes idololatræ in vestro circuitu demorantes : qui propter scelera sua et infidelitatem potissime dicuntur filii iniquitatis, quasi totaliter mancipati ac subjecti peccatis, sicut de Antichristo dicit Apostolus : Nisi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis. Unde et Eliu loquens de sancto Job, quem putavit pravissimum esse hypocritam ac blasphemum : Pater (inquit) mi, ne desinas ab homine iniquitatis, qui addit super peccata sua blasphemiam. *Ut affligant eum sicut prius fecerunt, ex die qua constitui judices super populum meum Israel.* Nam tempore judicum fuerunt filii Israel sæpe graviterque afflicti a vicinis idololatris, prout in libro Judicum recitatur. Porro, temporibus Regum non fuerunt taliter tribulati, quamvis interdum, præsertim tempore Babylonicæ captivitatis, tempore quoque Antiochi, et postea diu fuerint dire oppressi. In regno etiam decem tribuum fuerunt frequentes et magnæ afflictiones ; sed gens illa ob idololatriam suam non reputabatur in populo Dei. Verumtamen Glossa videtur sentire, ista ad litteram non esse impleta, nec posse exponi de filiis Israel pro tempore David aut Salomonis. Nam in Judicum libro legitur, quod sub Aod judice habuerunt quietem et pacem annis octoginta, nec tempore Regum leguntur quievisse tot annis. Sicque videretur intelligen-

[II *Thess.* II, 3. — *Job* XXXIV, 36, 37. — *Judic.* II, 10-23. — I *Mach.* I. — *Judic.* III, 30.]

Digitized by Google

dum de filiis Israel conversis ad Christum tempore primitivæ Ecclesiæ, et de spirituali eorum pace, quiete ac stabilitate, quas impii non poterant eis auferre, quando il- *Is.* XXXII, 18. lud Isaiæ impletum est : Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, id est, universos hostes tuos visibiles ac invisibiles, faciam ab impugnatione tui deficere ac cessare, ita quod tibi non prævalebunt finaliter. Verumtamen invisibiles inimici ei interdum ad tempus præ- *II Reg.* XI, 4, 14 *et seq.*; et XXIV. valuerunt, quando (ut infra patebit) graviter est transgressus. Verum post vitam præsentem plenius est requiem hanc adeptus. *Prædicitque tibi Dominus,* id est, per me tibi prænuntiat, *quod faciat tibi domum Dominus fidelem,* id est notabilem ac regiam posteritatem, opulentam, copiosamque sobolem. Sic et in Exodo legitur *Exod.* I, 21. Dominus obstetricibus Hebræorum ædificasse domos, quia Dominum timuerunt.

Quumque completi fuerint dies tui, id est, in bonis operibus eos expenderis. Plenitudinem etenim habent dies et actus justorum ; inanes vero et vacui sunt dies malorum. Unicuique quoque præfixus est certus dierum numerus, quibus vivet, juxta *Job* XIV, 5. illud beati Job : Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt. *Et dormieris* somno mortis *cum patribus tuis,* id est, quemadmodum illi defuncti sunt, *suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo.* Doctores catholici, Augustinus, Isidorus et Glossa, videntur sentire, ista non posse exponi de Salomone ad litteram : Primo, quoniam paulo post subditur, Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum : quod non est in Salomone impletum. Secundo, quia subjungitur, Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fi- *Hebr.* I, 5. lium : quod ad Hebræos allegat Apostolus, ad probandum Christi divinitatem. Quumque secundum Augustinum probatio non valeat, nisi ex sensu litterali, videtur istud ad litteram de Christo prænuntiatum. Tertio, quia post additur, Misericordiam meam

A non auferam ab eo : quod non videtur in Salomone completum, quia peccavit gra- *III Reg.* XI, 1-8. vissime, nec de ejus pœnitentia aliquid refert Scriptura. Quarto, quoniam Salomon cœpit regnare, et sedit in throno regali, *Ibid.* I, 39; II, 12. David vivente ac intuente : sicque non convenit ei quod dicitur, Suscitabo semen tuum post te ; rursus, quia jam dictum est, Quum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo. Semen autem quod post mortem David a Deo est suscitatum, et de B ventre ejus egressum, non Salomon, sed Christus fuisse videtur.

Pro horum concordia dicit S. Hieronymus, quod aliquid dicitur in Scripturis de Salomone, in quantum fuit res quædam et homo particularis, puta quod fuit filius David ex Bethsabee ; aliquid quoque fertur *II Reg.* XII, 24. de eo, in quantum fuit Christi figura, et talia plenius sunt impleta in Christo, quam Salomone, qualia sunt quæ hic dicuntur. Sic et illud in Osee, Ex Ægypto vocavi fi- *Osee* XI, 1. lium meum, sanctus evangelista Matthæus *Matth.* II, 15. C allegat de Christo prædictum. Illud quoque in Exodo, de agno paschali conscriptum, Ossa ejus non confringetis, sanctus Joan- *Exod.* XII, 46. nes evangelista de Christo inducit : Os, in- *Joann.* XIX, 36. quiens, non comminuetis ex eo. Hinc quidam scribit circa hunc locum : Salomon fuit figura Christi. Figura autem quum sit res aliqua, potest considerari tripliciter. Primo, ut res tantum in se. Secundo, ut figura alterius tantum. Tertio, secundum utrumque. Sicque aliqua in Scripturis dicuntur de Salomone secundum se : et ita D non fuit figura Christi, sicut quod fabrica- *III Reg.* XI, 7. tus est idola. Aliqua vero dicuntur de eo, in quantum fuit figura Christi tantum, ut illud in Psalmo, Dominabitur a mari usque *Ps.* LXXI, 8. ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum : quod Salomoni non competit, quia non fuit monarcha, sed Christo. Alia dicuntur de Salomone utroque modo, quæ scilicet verificata sunt de ipso, licet imperfecte, et de Christo perfectius : cujusmodi sunt quæ hic ponuntur in littera, saltem pro parte magna. Istud conve-

Digitized by Google

nienter dictum videtur, excepto eo quod præsupponit præallegatum versiculum, Dominabitur a mari usque ad mare, etc., imo et psalmum illum, Deus judicium tuum regi da, scriptum esse de Salomone ad litteram : imo ad litteram de Christo conscriptus est, secundum doctores catholicos, quum multa dicantur in psalmo illo, quæ nequaquam conveniunt Salomoni, videli- Ps. LXXI, 5. cet : Et permanebit cum sole et ante lu- Ibid. 9. nam. Itemque, Coram illo procident Æthi- Ibid. 11. opes. Et, Adorabunt eum omnes reges, Ibid. 17. omnes gentes servient ei. Et, Ante solem Ibidem. permanet nomen ejus. Et, Benedicentur in ipso omnes tribus terræ.

Itaque exponenda est littera ista primo, quantum fieri potest, de Salomone : Quumque completi fuerint dies tui, *suscitabo semen tuum post te,* id est, Salomonem filium tuum, te defuncto, elevabo et confirmabo in regno. Quamvis etenim, vivente III Reg. I, 39, et II, 10. David, Salomon fuerit unctus in regem, et sederit in solio regni, ut infra habetur, tamen post mortem David, principatus Salomonis cœpit omnibus divulgari, et dominatu patris sui sublimior atque potentior fieri, juxta illud libri primi Paralipome- I Par. XXIX, 25. non : Magnificavit Dominus Salomonem, et dedit ei gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel. Hinc aliqui dicunt, quod quamvis Salomon, David vivente, fuit unctus et inthronizatus in regem, non tamen firmiter stabilitus in re- III Reg. II, 10, 25, 34. gno, quousque defuncto David, et interfectis Joab et Adonia, dissipati sunt qui Adoniæ favebant. *Quod egredietur de utero tuo,* id est, nascetur ex semine tuo secundum corpus, non quod anima traducatur cum semine ; et quamvis mater ministret substantiam fetus, vis tamen formativa et ratio seminalis, in semine patris sunt. Quamvis autem Salomon natus fuit ante obitum David, non tamen quando ista prædicebantur per Nathan : ideo prætactæ clausulæ, ad diversa sunt tempora referendæ. *Et firmabo regnum ejus.* Unde infra Ibid. 12. habetur, Firmatum est regnum ejus nimis.

Ipse ædificabit domum nomini meo, hoc est templum ad laudem et gloriam meam, *et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum,* id est per omne tempus veteris Testamenti, præsertim nisi posteritas sua peccando ponat obicem impletioni promissionis istius. Etenim sicut Jacob præ- Gen. XLIX, 10. dixerat, non fuit in toto ablatum sceptrum de Juda, et dux de femore ejus non defecit per posteros David, præsertim usque ad tempus Herodis alienigenæ et veri Messiæ. Nam et Machabæi ex uno latere erant de tribu Juda. Potest quoque veraciter dici, quod thronus David ac Salomonis, sit perpetuatus in Christo, cujus regni non erit Luc. I, 33. finis, qui de illorum natus est semine. Rom. I, 3.

Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, hoc est, per gratiam adoptionis, et curam provisionis ero pater ipsius, et ipse erit filius meus adoptivus, saltem ad tempus, et secundum præsentem justitiam. Salomon quippe longo tempore habuit se devote. Nam et infra habetur, quod Dominus dilexit eum, et a Nathan vocatus est II Reg. XII, 26. Amabilis Domino. An vero etiam secundum æternam prædestinationem fuerit talis, infra quæretur. Hinc primo Esdræ libro scriptum est : Certe in gentibus multis non II Esdr. XIII, 25. erat rex similis Salomoni, et dilectus Deo suo erat. *Qui si inique aliquid gesserit.* Nam et Salomon tandem gravissime est III Reg. XI, 1-8. transgressus. Verumtamen universorum præscius Dominus, sic quasi ambigue et conditionaliter est locutus, ne Salomon videretur ex necessitate quadam peccasse, si ejus transgressionem Deus absolute prænuntiasset. *Arguam eum in virga virorum,* hoc est afflictione inferenda a viris, seu gladio adversariorum. Unde infra libro tertio recitatur, quod propter scelera sua Dominus suscitavit ei adversarios multos, et Ibid. 14, 23-26, 30-37. per Ahiam prophetam prædixit regnum dividendum, atque pro majori parte ipsi Jeroboam tribuendum : quo cognito, valde afflictus est Salomon. *Et in plagis filiorum hominum,* hoc est diversis incommodis atque molestiis, quibus filii hominum solent affici in hac vita, ac invicem sibi inferre. Quum enim peccasset tam dire in senio

Digitized by Google

suo, tandem ad diversas devenit tristitias, A prout ipse in Ecclesiaste testatur : Vidi, inquiens, universa sub sole, et ecce vanitas et afflictio spiritus. Idcirco tæduit me vitæ meæ. (*Eccle.* I, 14; II, 17.) Tunc quoque minorata est fama ejus. Circa hoc refert Lyra, in Hebræo habetur, In plagis filiorum Adam. Quod exponunt Hebræi, dicentes, quod primus Adam in centum tribus annis, quibus continuit ab Eva propter occisionem Abel, commixtus est dæmonibus succubis, quæ conceperunt ab eo, pepereruntque dæmones, qui postea incitaverunt Salomonem ad peccandum : B propter quod divisum fuit regnum suum tempore filii sui. Ecce quam stolidissimis erroribus involvuntur Judæi.

Misericordiam autem meam non auferam ab eo. Qui dicunt Salomonem finaliter pœnituisse, et esse salvatum, exponunt hoc sic : Misericordiam autem meam, hoc est gratiam finalem, non auferam ab eo, sed temporaliter castigatum ac pœnitentem salvabo. Hinc Magister in historiis loquitur : Ex hac promissione conjicitur, quod salvus sit Salomon. Ceteri qui vel putant vel C affirmant eum esse damnatum, ita exponunt : Misericordiam meam non auferam ab eo, id est, propter scelera sua non tollam ab eo ac posteris ejus regiam potestatem, successoremque regni. Cui expositioni videtur consonare quod subditur : *sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea,* hoc est a pietatis meæ respectu, ita ut in posteris ejus non manserit regale imperium; vel (ut aliqui dicunt) quem juste damnavi. De qua re quid sentiendum appareat, tactum est plenius ultimo primi D libri capitulo. (I *Reg.* XXXI.) Præterea, quamvis non solum Lyra, sed alii quoque quidam expositores catholici, ablationem istam misericordiæ Dei referant ad destitutionem regiæ successionis, tamen Rabbi Paulus circa hoc specialiter scribit contra Lyram, dicendo : In hoc quod dicit postillator verbum illud, Misericordiam autem meam, etc., non intelligi, nisi quantum ad temporale regnum, videtur nimis litteralizare. Manifestum est namque secundum doctores nostros, puta catholicos, quod lex vetus disponebat ad Christum, sicut imperfectum ad perfectum. Unde communiter temporalia bona David et filio ejus promissa, [principaliter intelliguntur pro spiritualibus,] similiter perpetuitas fidelitatis domus ejus. Et si intelligantur de regno temporali, principalius tamen etiam ad litteram intelligenda sunt de regno æterno, sicut illud quod dictum est Abrahæ : In semine tuo benedicentur omnes gentes. (*Gen.* XXII, 18.)

Et fidelis erit domus tua et regnum tuum, usque in æternum ante faciem meam, et thronus tuus erit firmus jugiter. Quamvis istud aliquo modo dicatur posse exponi de posteris David et successoribus regni sui, videlicet Salomone ac ceteris, quoniam multi eorum fuerunt justi, et veræ Deitatis cultores, qui et aversos reduxerunt ad Dei cultum, ipseque Salomon multo tempore fuit fidelis (III *Reg.* II, 3.); tamen secundum Augustinum, ista expositio est valde impropria. Nam et Salomon, ejusque filius Roboam, ac multi alii reges, ex eis nati, ad idololatriam et carnalitates nimias corruerunt. (*Ibid.* XI, 4; XIV, 22-24, etc.) Ait itaque Augustinus : Errat qui putat promissionem hanc in Salomone completam. Attendit quod dictum est, Hic ædificabit mihi domum, quoniam Salomon nobile templum exstruxit (*Ibid.* VI, V.); et non attendit, quod dicitur, Fidelis erit domus tua, etc. Attendat ergo domum Salomonis, plenam mulieribus alienigenis colentibus falsos deos (*Ibid.* XI, 1-3.), et ipsum regem quondam sapientem, ad idololatriam eamdem seductum. Nec audeat æstimare, Deum istud mendaciter promisisse, et talem Salomonis ruinam Deum non præscisse. Idcirco in Christo, qui factus est ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3.), videmus ista impleta; nec alium quærimus sicut Judæi. Nam et ipsi hunc filium David promissum, non intelligunt Salomonem, sed alium sperare se dicunt, cujus imago aliqua seu figura præcessit in Salomone, qui templum ædificavit, et juxta nominis sui interpretationem, habuit pacem, atque in regni sui exordio fuit laudabilis.

Digitized by Google

Secundum omnia verba hæc jam descri- A pta, *et juxta universam visionem istam* imaginariam, imo et prophetalem, cujus sensum intellexit Nathan propheta, (propter quod fuit, quantum ad hoc, visio seu revelatio etiam intellectualis), *sic locutus est Nathan ad David.*

Sensus allegoricus. Jam exponenda est littera ista de Christo, de quo planius veriusque exponitur. *Quumque completi fuerint dies tui, suscitabo semen tuum post te,* id est, Christum ex semine tuo faciam nasci ex Virgine gloriosa : juxta illud in Jeremia, Jer. xxiii, 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum; *quod egredietur de utero tuo,* non immediate, sed per intermedios multos; vel, Ex utero tuo, id est ex utero Virginis ex te natæ. *Et firmabo regnum ejus.* Luc. i, 32, 33. Unde angelus dixit ad Virginem : Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. *Ipse ædificabit domum nomini meo,* id est militantem Ecclesiam : quia congregavit fideles per fidem et caritatem, ex quibus tanquam C ex vivis et electis lapidibus, I Petr. ii, 5. Deo Patri seu superbeatissimæ Trinitati templum construxit, in quo Deus habitat gratiose, et regnat benigne. Hinc per Zachariam prædictum est : Zach. vi, 12. Ecce vir, Oriens nomen ejus, et ædificabit templum Domino. De hac domo ait Apostolus ad Hebræos : Hebr. iii, 6. Christus tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. Atque ad Timotheum : I Tim. iii, 15. Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. *Et stabiliam* D *thronum regni ejus,* id est regiam ejus auctoritatem ac judiciariam potestatem, *usque in sempiternum.* Christus quippe regnat in militanti Ecclesia per fidem et gratiam usque ad finem mundi. Deinde per beatificam visionem et gloriæ lumen regnat in ea, in patria, et in tota triumphante Ecclesia. Unde a Daniele est prædictum : Dan. vii, 14. Dedit ei Antiquus dierum, videlicet Pater æternus, potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. Hinc Isaias : Is. ix, 7. Super solium, inquit, David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.

Ipse erit mihi in filium, hoc est, Filius meus naturalis, verus et unicus erit, imo et æternaliter est. De quo in Proverbiis dicitur : Prov. xxx, 4. Quod nomen ejus? et quod nomen filii ejus, si nosti? Qui (ut ad Romanos B asseritur) Rom. i, 4. prædestinatus est Filius Dei in virtute. *Et ego ero ei in patrem,* id est, Pater ejus consubstantialis et æternalis ero et sum. *Qui si inique aliquid gesserit.* Hic Judæi insultant nobis, dicentes : Aut inique aliquid egit Christus vester, aut non. Si sic, ergo peccator est; si non, ergo istud non est de ipso prædictum. Ad quod respondetur, quia (ut apud Isaiam legitur) Is. liii, 9. Christus iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Sed quum ipse sit caput omnium electorum, cum quibus constituit unum mysticum corpus, quædam in Scripturis dicuntur de ipso in persona membrorum suorum, propter connexionem et condescensionem capitis hujus ad membra sua : sicque mos est Scripturæ, ea quæ capitis sunt, adscribere membris, et econverso. Unde in Psalmo cujus exordium est, Ps. xl, 2. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, qui de Christo ejusque traditore manifeste conscriptus est, legitur : Ibid. 5. Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. *Arguam eum in virga virorum,* id est, membra ejus corripiam, puta credentes, vel ipsum pro peccatis membrorum, juxta illud in Isaia : Is. liii, 6. Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Unde ait in Psalmo : Ps. lxviii, 5. Quæ non rapui, tunc exsolvebam. Itemque : Ps. lxxxvii, 8. Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Misericordiam autem, hoc est gratiam, *meam non auferam ab eo :* quoniam Christus fuit summe præventus, repletus, et confirmatus in gratia secundum naturam

Digitized by Google

assumptam, et fuit in eo gratia unionis, gratia capitis, gratia personalis, et gratia beatificæ visionis. Vel, Misericordiam meam non auferam ab eo : quia Christus in suis vicariis, principibus ac prælatis, jugiter regnat in universali Ecclesia, et membris ipsius abundantissima gratia est collata sub evangelica lege : propter quod tempus novi Testamenti, tempus gratiæ appellatur. Unde in Zacharia scriptum est : Et erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David, et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum. Quod prædictum est ad designandum magnitudinem pietatis ac gratiæ Dei tempore Christi ac evangelicæ legis. *Et fidelis erit domus tua :* hoc est, Christi familia constans erit in fide et gratia, quæ vocatur domus David, hoc est Christi præfigurati per David ; vel, quia fideles sunt spirituales filii David per fidei ac virtutum sequelam, sicut in simili ait Apostolus ad Galatas : Qui ex fide sunt, hi filii sunt Abrahæ. Hinc in Actis primitiva Ecclesia legitur orando dixisse : Deus, qui dixisti per os David patris nostri. Ideo ait Glossa : Ecclesia dicitur domus David propter genus David, et domus Dei propter templum Dei de hominibus factum.

Zach. xii, 8.

Galat. iii, 7.

Act. iv, 25.

Consequenter describitur, qualiter David ex tantis Dei promissis, non est inaniter elevatus, sed humiliter regratiatus. *Ingressus est autem David rex.* Quo introivit ? Puto quod in locum seu tabernaculum, in quo collocaverat arcam, ut præcedenti habetur capitulo, ut in loco illo sacro devotius se haberet. Siquidem dispositio, consecratio, et sanctimonia loci, cooperantur ad devotionis augmentum. *Et sedit coram Domino,* hoc est, humiliter posuit se in Dei præsentia, quæ ibi specialiter fuit propter arcæ præsentiam, et loci consecrationem. Unde quidam exponunt, Coram Domino, id est coram arca in qua Deus specialiter præsentabatur. Nam et supra arcam facta fuit ac stetit aurea tabula, quæ dicebatur propitiatorium atque oraculum, quia ex illo loco Dominus exaudivit orantes, et dedit responsa, ac propitiabatur populo suo : sicque tabula illa fuit quasi sedes Dei, ut dictum est plenius in Exodo.

II Reg. vi, 17.

Exod. xxv, 17.

Et dixit : Quis ego sum, Domine Deus? quasi dicat, Indignus sum tantis beneficiis tuis, et tam gratioso respectu majestatis tuæ ad me. *Et quæ domus mea ?* hoc est soboles, tribus seu familia : tanquam dicat, Nec ipsa hæc meruit. *Quia adduxisti me hucusque :* id est, ab exordio vitæ meæ fuisti mihi gratiosus defensor et conservator usque in præsens, atque per semitas æquitatis me direxisti, quemadmodum scriptum est, Justum deduxit Dominus per vias rectas : ita ut dicere queam, Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. Vel, Adduxisti me hucusque, hoc est usque ad solium istud regale, et usque ad prosperitatem qua polleo. Itaque sanctus David, quanto summi et primi benefactoris majestatem ac munificentiam plenius consideravit, tanto se ipsum profundius humiliavit, et præcordiali affectu gratias egit. *Sed et hoc* ipsum *parvum* visum est in conspectu tuo, Domine Deus,* hoc est, excellentiæ tuæ non suffecit, nec satis multum reputasti, conferre mihi beneficia multa et magna in vita præsenti propriaque persona, *nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum,* id est, nisi etiam promitteres mihi pro successoribus ac posteris meis magna et prospera, quod scilicet succedent mihi in regia dignitate. *Ista enim est lex Adam, Domine Deus,* hoc est proprietas hominis protoplasti, seu jussio ei facta, videlicet sollicitudinem gerere de prolis successione ac prosperitate. Unde primis parentibus dictum est : Crescite et multiplicamini. Hæc autem lex ab Adam est in posteros derivata. Vel, Hæc est lex Adam, id est hominis, ut gratias agat Deo de beneficiis suis. Porro Adam, in Hebræo est nomen commune, significans hominem, nomenque proprium hominis primi.

Sap. x, 10.

Ps. lxxii, 24.

* parvum

Gen. i, 28.

Ibid. viii, 17 ; ix, 1, 7.

Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te ? id est, tanta est pietas ac liberalitas tua in me, ut tibi sufficien-

Digitized by Google

ter et plene nequeam grates rependere, A nec majora audeo postulare : imo plura et ampliora dedisti ac spopondisti, quam petere præsumpsissem. *Tu enim scis servum tuum, Domine Deus,* hoc est, cor meum cognoscis, et scis quod ex animo loquor ista; per effectum quoque beneficiorum ac promissorum jam prætactorum demonstras, quod memor sis mei, et per approbationem me noscas, ac speciali modo me scias, quemadmodum dixisti ad Moysen : Te ipsum novi ex nomine. *Exod.* xxxiii, 17.

Propter verbum tuum, id est ad verificandum promissa, quæ sanctis Patriarchis Abrahæ, Isaac, et Jacob promisisti de regia stirpe oritura ex eis per tribum Juda, et quæ specialiter prædixisti Samueli de me, *et secundum cor tuum,* hoc est ex cordis tui proposito, et juxta magnitudinem liberrimæ tuæ liberalitatis; itemque, Secundum cor tuum, hoc est ex pietate et caritate voluntatis tuæ ad nos, et secundum propriam tuam bonitatem, qua proprium tibi est divitias tuas aliis communicare; *fecisti omnia magnalia hæc,* id est, tot et tanta beneficia dedisti ac promisisti. Hinc ad Ephesios ait Apostolus : Deus operatur omnia secundum propositum et consilium voluntatis suæ. *Ita ut notum faceres servo tuo,* hoc est, mihi hæc ipsa notificares, et quid in posterum sis facturus, prædiceres. Nam et hoc est speciale donum Dei, scire beneficia ejus, similiter futura prænoscere. Propter quod loquitur Paulus : Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. *Idcirco magnificatus es, Domine Deus,* hoc est, excellentiam magnifice demonstrasti, atque in corde meo magnus es cognitus ac honoratus. Nam et hoc ad magnificum spectat, dare et agere ampliora quam meretur recipiens. *Quia non est similis tui* in creaturis, id est æqualis, quum sis universis ac singulis infinite sublimior. Verumtamen rationales et intellectuales creaturæ sunt similes Deo, similitudine participata et imitativa, imo ad Dei imaginem similitudinemque creatæ : ad quam similitudinem hortatur nos Christus, Estote, inquiens, perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. *Neque est Deus extra te in omnibus quæ audivimus auribus nostris,* hoc est, præter te non est verus Deus, nec dii gentium, de quibus audivimus, veram habent in se deitatem.

(*I Reg.* xv, 28; xvi, 1, 12. — *Ephes.* i, 11. — *I Cor.* ii, 12. — *Gen.* i, 26, 27. — *Matth.* v, 48.)

Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra? id est, in mundo hoc inferiori non est gens tantæ dignitatis et gratiæ, ut plebs Israelitica : quod verum fuit B tempore veteris Testamenti, sub quo plebs illa fuit a Deo præelecta, et multis ac magnis donis, virtutibus, miraculis, præ ceteris decorata. Propter quod locutus est Moyses : Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram, quia dilexit vos Dominus. *Propter quam* Israeliticam gentem *ivit Deus,* hoc est, per opera sua gratiosa atque miraculosa processit, et in Moyse ivit. Ivit quoque per angelum, qui filios Israel in columna ignis et nubis præcessit et duxit, juxta illud Exodi : C Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te, et introducat ad locum quem paravi. Et angelus iste interdum vocatur Deus aut Dominus, prout in Exodo patet, quia in Dei persona apparuit, loquebatur, aut aliqua faciebat, ut sanctus exponit Gregorius. Circa hæc scribit Lyra : In Hebræo habetur, Quæ est gens ut populus tuus Israel, propter quam iverunt dii? Quod exponit Rabbi Salomon de Moyse et Aaron, qui missi fuerunt ad educendum Israel de Ægypto, et dicuntur dii partici- D pative. Sed melius potest exponi de pluralitate Personarum in divinis, quarum indivisa sunt opera : sicque notatur pluralitas Personarum, quum dicitur, Iverunt dii, quia tres Personæ vere dicuntur deitatem habentes. Quoniam tamen deitas illa et essentia, simpliciter una est in tribus Personis, ideo subditur in singulari, Ut redimeret eam sibi.

(*Deut.* vii, 6, 8. — *Exod.* xiii, 21. — *Ibid.* xxiii, 20.)

Ut redimeret eam sibi in populum, hoc est, quatenus Deus ad suum honorem liberaret plebem Israeliticam a servitute

Ægyptiorum, ad hoc quod esset populus suus peculiaris, et suis beneficiis gratus, ac libere sibi serviret in terra promissionis; *et poneret sibi nomen,* hoc est, denominationem acciperet a plebe præfata: quoniam propter opera circa eam exhibita, vocatus est Deus Israel, et Deus Hebræorum, juxta illud Exodi: Deus Hebræorum vocavit nos. [*Exod.* III, 18.] Vel, Poneret sibi nomen, hoc est, præclaram acquireret famam per mirabilia pro populo illo peracta. Unde in Exodo dixit ad Moysen: Videntibus cunctis, signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus. [*Ibid.* XXXIV, 10.] Et cur faceret ea, exprimit in libro Numerorum, dicens: Vivo ego, et implebitur gloria Domini universa terra. [*Num.* XIV, 21.] Hinc quum Dominus permisisset filios Israel a viris Hai fugari, Josue plorans et orans, inter cetera dixit ad Deum: Quid facies magno nomini tuo? [*Josue* VII, 5, 9.] Hinc demum scriptum est in Isaia: Qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum. [*Is.* LXIII, 12.] Et rursus ibidem loquitur Deo Isaias: Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. [*Ibid.* 14.]

Faceretque eis, hoc est pro redemptione Israelitarum, *magnalia,* id est supernaturalia signa, atque magnifica opera, quoad Hebræorum eductionem, quæ erant Ægyptiis metuenda. Propter quod subditur: *et horribilia super terram,* sicut quod tribus diebus fuerunt palpabiles tenebræ in Ægypto, ita quod nullus Ægyptiorum videre potuit proximum suum, et aliæ plagæ Ægyptiis inflictæ, quæ in Exodo sunt descriptæ; [*Exod.* X, 22, 23.] *a facie populi tui,* hoc est, hæc magnalia peregisti intuitu Israeliticæ plebis tuæ, ac dividendo inter populum tuum atque Ægyptios. Propter quod Moyses dixit ad Pharaonem: Ut scias quanto miraculo Dominus dividat inter filios Israel et Ægyptios. [*Ibid.* XI, 7.] Quidam exponunt aliquid subintelligendo, ut sit sensus: Fecisti magnalia et horribilia illa, supple, ejiciendo ac dejiciendo adversarios a facie populi tui Israel, per quem Ægyptios ac Chananæos multipliciter peremisti. Huic expositioni consonat illud primi Paralipomenon: Magnitudine sua atque terroribus ejiceret nationes a facie ejus. [I *Par.* XVII, 21.] *Quem redemisti tibi ex Ægypto,* unde per Moysen tuum populum eduxisti ad tui ipsius laudem et gloriam, *gente et deo * ejus:* [* *gentem et deum.*] hoc est, ex Ægyptiaca gente et diis eorum, tuum populum eruisti, qui non solum Ægyptiis, sed et idolis eorum in Ægypto servivit, quemadmodum in Deuteronomio et Ezechiele manifeste habetur. [Cf. *Josue* XXIV, 14; *Ezech.* XX, 26.] Itaque ponitur hic numerus singularis pro plurali, quum dicitur, Et deo ejus. Porro Deus non solum Ægyptios, sed et deos eorum contrivit, juxta illud in Numeris: Nam et in diis eorum exercuit ultionem. [*Num.* XXXIII, 4.] Aliqui textus habent, Gentem et deum ejus. Quod quidam exponunt sic: Gentem, utpote præfatum Israeliticum populum; et deum ejus, hoc est Moysen, cui in Exodo loquitur Dominus: Ecce constitui te deum Pharaonis. [*Exod.* VII, 1.] Alii sic exponunt, Gentem et deum ejus, id est, plebem Chananæorum, ac deos eorum, supple, expulit et ejecit Deus a facie Israelis. Verumtamen sensus iste non videtur ex textu haberi.

Et firmasti tibi populum tuum Israel in populum sempiternum: hoc est, per dona gratiæ tuæ firmiter statuisti hunc populum esse populum tuum hereditarium, ac jugiter te colentem, juxta illud in Isaia, Hereditas mea Israel: [*Is.* XIX, 25.] et hoc per successionem impletum est in electis ex populo Judæorum, quia reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. [*Rom.* XI, 5.] Vel sensus est, quod hoc Deus fecit quantum in se fuit, quamvis populus ille se frequenter avertit a Deo, et tandem pro maxima parte omnino aversus fuit ac induratus. *Et factus es, tu Domine Deus, eis in Deum:* hoc est, tu qui universorum creator ac Dominus es, factus es specialiter Deus plebis illius, conferendo eis legem, ac alia beneficia multa et magna: sicque factus es Deus illorum absque tui ipsius mutatione per novos effectus omnipotentiæ ac beneficentiæ tuæ, juxta quem sensum fertur in Psalmo, Domine, refugium factus es nobis. [*Ps.* LXXXIX, 1.] Hinc in Exodo Dominus ait filiis Israel: Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, et redimam [*Exod.* VI, 6, 7.]

Digitized by Google

in brachio excelso, et assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus. Denique de hac Israelitici populi electione, claritate et excellentia, ait Moyses : Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cærimonias justaque judicia, et universam legem quam ego proponam hodie ante oculos tuos ? *Deut. IV, 7, 8.*

Nunc ergo, Domine Deus, verbum quod locutus es super servum tuum, et super domum ejus, suscita in sempiternum, hoc est, perpetuo imple præfatam promissionem, mihi ac posteritati meæ a te factam; *et fac sicut locutus es, ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum,* hoc est, ad tui ipsius reverentiam fac hoc, *atque dicatur : Dominus exercituum, Deus super Israel,* hoc est, Deus omnipotens et Dominus cœlestium agminum, dignanter factus est Deus Israeliticæ plebis, super eam speciali provisione respiciens. *Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino :* hoc est, soboles, familia seu successio mea coram te firmiter permanebit, si feceris sicut locutus es, et sicut oro impleri. *Quia tu, Domine exercituum, Deus Israel, revelasti auriculam servi tui,* hoc est, auribus meis per Nathan prophetam denuntiasti, *dicens : Domum ædificabo tibi,* id est, successores in regno ex semine tuo tibi præstabo, sicut expositum est. *Propterea invenit servus tuus cor suum,* hoc est, fiduciam istam orandi concepit, istamque voluntatis suæ dispositionem sensit in se, *ut oraret te oratione hac.* Quasi dicat : Nisi tua pia promissione et gratiosa præventione mihi tanta ac talia spopondisses ac prædixisses, non præsumerem ista orare.

Nunc ergo, Domine Deus, tu es Deus, qui nec mentiri, nec fallere potes, quum sis substantialiter verus et veritas, *et verba tua erunt vera. Locutus es enim ad servum tuum bona hæc. Incipe ergo* implere quæ promisisti, *et benedic domui servi tui,* id est, in prole atque domesticis meis auge, et conserva tuarum munera gratiarum, *ut sit in sempiternum coram te,* hoc est, jugiter tibi sit placita, et coram te permansura, *quia tu, Domine Deus, locutus es hæc; et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.*

Præterea quæri potest, cur David tam ferventibus repetitisque verbis rogavit verba divinæ promissionis impleri, quum verba Dei cassa esse non queant, nec falsa. Et respondendum, quod David non ignoravit promissiones Dei frequenter esse intelligendas sub conditione implicita, utpote nisi homines peccando obicem ponerent : ideo exoravit pro gratia, ne vel ipse vel posteri sui obstaculum ponerent impletioni divinæ promissionis. Insuper scivit Deum sic multa promittere, ut tamen velit ea per orationes et opera bona promereri seu obtineri. Propter quod etiam Christus passione instante oravit pro sua glorificatione, dicens : Pater, venit hora, clarifica filium tuum. Hinc quoque per Jeremiam loquitur Deus : Subito loquar de gente et regno, ut ædificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum, ut facerem ei. Itaque sicut juxta commune dictum Sanctorum, quædam est prophetia prædestinationis, quæ semper certitudinaliterque impletur; alia est prophetia comminationis, quæ aliquando non impletur : sic quædam divina promissio, est promissio prædestinationis, quæ impletur certissime, et quædam conditionis, cujus impletio ex meritis pendet eorum quibus fit ipsa; et hi quibus fit, interdum non sciunt qualiter sit intelligenda divina promissio eis facta. Et quamvis contingat non fieri quod Deus promisit, nihilo minus verba Dei sunt vera, quia secundum intellectum, quo a Deo prolata sunt, et secundum quem vere accipienda sunt, indubitanter sunt vera. *Joann. XVII, 1.* *Jer. XVIII, 9, 10.*

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

DE SPIRITUALI ET MYSTICA EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI INTELLIGENTIA.

FACTUM *est autem quum sedisset rex* A David *in domo sua,* etc. Moraliter ex capituli hujus initio instruuntur christiani principes ac prælati, ut tempore pacis et prosperitatis nequaquam vacent otio, ludis, jocis, libidini, sed zelo divini honoris; et quanto ab exterioribus hostibus liberiores consistunt, atque majori quiete et prosperitate utuntur, tanto contra invisibiles hostes sollicitius vigilent, et beneficia Dei profundius pensent, sicque vehementius accendantur ad divini cultus promotionem. *Videsne quod ego habitem* B *in domo cedrina?* Erubuit sanctus David, quod palatium suum pulchrius ac pretiosius fuit tabernaculo Dei, in quo fuit arca : per quod plurimi principes et prælati divites ac nobiles carne, redarguuntur, qui pretiosa et ampla habent aut construunt castra, fortalitia, palatia aut castella, nec curant quod materiales ecclesiæ, in quibus dignissimum Sacramentum servatur, aliaque sacramenta ac divina exercentur, de vili constant materia, aut vetustate labuntur, nec reparantur, imo ad reparationem C hujusmodi inveniuntur parcissimi. In his improbus amor sui præponderat zelo Dei, idcirco sunt ministri diaboli. Insuper, unusquisque fidelium fervens sit ad construendum Deo templum in semetipso, et item in cordibus proximorum, ita ut in primis purget se ipsum, deinde verbo aut exemplo proximorum purgationi et ædificationi intendat. Nam ut docet Apostolus, non solum animæ, sed et corpora nostra templa sunt Spiritus Sancti, si virtutibus obsequantur. (I Cor. III, 16; VI, 19.) Iterum, sicut David quamvis rex D magnus et sapientissimus fuit, tamen a Nathan propheta quæsivit consilium; sic magnates et omnes qui præsunt, a viris justis ac prudentibus, qui non tantum præsentia, sed et futura prospiciunt, debent investigare quid præsertim in arduis sit agendum. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque noveris observantem timorem Dei, cujus anima est secundum animam tuam. (Eccli. XXXVII, 15, 16.)

Numquid tu ædificabis mihi domum? Ecce quod Deus omnipotens, justus et sanctus, noluit sibi materiale templum ædificari a David, nec ab aliquo judicum Israel, qui ante eum fuerunt, quoniam viri sanguinum erant. Etenim quamvis infra tertio libro Salomon dicat, patrem suum David non potuisse templum construere propter ingruentia undique bella, attamen (III Reg. V, 3.) veram atque potissimam causam prohibitionis illius ipsemet David Salomoni aperuit, primo Paralipomenon libro loquens ad eum : Fili mi, voluntatis meæ fuit, ut ædificarem domum nomini Dei mei; sed factus est sermo Domini ad me, dicens : Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti, nec poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me. (I Par. XXII, 7, 8.) Hinc in novo etiam Testamento effusores sanguinis sunt irregulares, nec clericis licet bellare. Verumtamen ædificatio templi prohibita fuit David mystica significatione, ad designandum, quod qui exterioribus involvuntur, et rebus carnalibus occupantur, ac circa litigia et vindictas intenti sunt, ad spiritualem ædificationem templi Dei, hoc est reformationem correptionemque proximorum, inepti exsistunt. De hoc multa scribit Gregorius, cujus verba habentur in Glossis. Nempe per prohibitionem illam (ut ait) est designatum, quod in se ipso debet mundus exsistere, qui vult

Digitized by Google

aliorum peccata corrigere. Quod utique A
Luc. IV, 23. decet, ne ei dicatur : Medice, cura te ipsum.
Rom. II, 21. Et illud Apostoli : Qui alium doces, te ipsum non doces. Porro in novo jam
I Cor. X, 6, 11. Testamento quo abierunt figuræ, viri sanguinarii materiales ecclesias ædificare non prohibentur : imo plurimum commendantur, qui circa religiosorum locorum et ecclesiarum atque altarium constructionem liberales exsistunt. Et qui circa hæc opera pietatis tenaces sunt, pensent quod per
Agg. I, 9, 10. Aggæum loquitur Dominus : Quia domus
* festinatis mea deserta est, et vos festinastis * unus- B quisque in domum suam : propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum. Unde elicitur, quod liberales circa construenda loca sacra, merentur etiam in præsenti affluentiam temporalem ac corporis sospitatem, et ultra hæc, dona gratiæ in præsenti, ac bona gloriæ in futuro.

Ego te tuli de pascuis. David fuit evidens Christi figura. Christum autem Deus Pater constituit regem, ducem atque pontificem super universum populum suum : C
Matth. III, 13; IV, 2. imo quum Jesus Christus greges populorum sequeretur, eundo inter illos ad baptismum S. Joannis, et in deserto jejunasset, mox a Patre missus est ad populum Israel instruendum, et tunc per diversa miracula ac præclarissima signa est magnificatus, et præ cunctis hominibus spectabilis factus. *Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum, et habitabo cum eo,* etc. Omnia ista multo excellentius sunt impleta in populo christiano sub evangelica lege, quam unquam in populo Judæorum. D Nempe populum christianum posuit Deus non solum in terra promissionis, sed et in toto orbe terrarum, quem plantavit per dona gratiæ in pace et securitate, et habitavit variis modis in medio ejus.

Quæ est gens ut populus tuus Israel? Ista excellentia populo christiano præclarissime competit. Etenim propter redemptionem et salutem populi hujus, Deus Dei Filius descendit in mundum, et intravit Ægyptum, ad litteram; spiritualiter quoque, assumendo pœnarum et tribulationum obscuritatem. In Apocalypsi autem hic mundus Ægyptus et Sodoma nuncupatur. Apoc. XI, 8.
Christus quoque a populo quem sanguinis sui pretio de spirituali Ægypto seu vitiorum caligine liberavit, Deus Christianorum vocatur. Quæ autem, qualia, et quanta miracula, signa, prodigia et portenta fecerit Christus per se ipsum, per gloriosos Apostolos, per martyres sanctos et ceteros præelectos pro populo christiano convertendo, corroborando, salvando, nullus plene potest exprimere : imo omnia illa magnalia quæ olim in lege exhibuit populo Judæorum, per beatissimos Apostolos transtulit ad plebem Christianorum, inter quos incomparabiliter plura et majora egit miracula, atque effudit gratiarum charismata, quam olim in veteri Testamento. Et firmavit sibi hunc populum in populum sempiternum, Ecce, inquiens, ego vobis- Matth.
cum sum cunctis diebus usque ad con- XXVIII, 20.
summationem sæculi; et populum illum antiquum, ob suam incredulitatem, usque in finem reliquit.

Præterea exemplo sancti David, discamus universa beneficia Dei generalia et specialia, naturalia et supernaturalia, corporalia ac spiritualia, quantum nobis possibile est, vigilanter attendere, frequenter recolere, ac super his Deo altissimo totis viribus, devotissima ac ardentissima mente grates referre, non lingua tantum et verbis, sed opere quoque et virtuosis obsequiis. Ex consideratione demum præteritorum beneficiorum atque præsentium munerum, augeatur in nobis jugiter humilis ac filialis ad Deum fiducia, ita ut eum indesinenter oremus, in fide nil hæ- Jacob. I, 6.
sitantes, sicque inveniamus cor nostrum ad ista ac cetera bona agenda : quia ut asserit Glossa, nihil fugacius est corde humano, nec instabilius videtur quid eo, quod peccando et stolide imaginando, ac frivole discurrendo, atque indomite evagando mox perdimus; sed reducendo illud ad Deum, et a vanis dispersionibus recolligendo ad necessarium unum, protinus illud inveni- Luc. X, 42.

Digitized by Google

mus ; et quasi cancellis clausum tenemus, dum ex assidua divinæ majestatis omnia intuentis consideratione, illud coram Deo stabilire ac semper salubriter occupare conamur, cum Elia dicentes : Vivit Dominus ante cujus vultum sto hodie. (III *Reg.* xvii, 1.) Quod qui pensare non desinit, cor suum possidet, invenit, figit, custodit ac salvat. Postremo, cum beato David Deum affectuosissime deprecemur, ut bona gratiæ ac gloriæ quæ promisit populo christiano, consequi mereamur, nec vitiis nostris indigni reddamur eisdem, nec obicem ponamus Spiritui Sancto. Quemadmodum etiam David rex sollicitus fuit pro filio idoneo successore, sic principes et prælati tota diligentia enitantur, ut viri vere idonei, virtuosi, prudentes, eis in principatu et prælatione succedant, nec aliquos nisi tales in officiis ponant, aut vices suas [eis] committant. Ad quod tam Dei quam proximorum et subditorum amore debent induci : alioqui gravissimis atque innumeris involventur peccatis.

An Salomon sit salvatus.

Circa dicta in isto capitulo quæritur, an Salomon sit salvatus. Et videtur quod imo, ex multis verbis in isto capitulo de ipso expositis, quia de ipso Dominus dixit : Quod si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum; misericordiam autem meam non auferam ab eo. Et rursus : Ego ero illi in patrem. Unde Magister in historiis ait : Ex hac promissione conjicitur, quod salvus sit Salomon. Idem videtur sentire Hieronymus in pluribus locis. Ambrosius quoque dicit eum ante obitum vere pœnituisse. Lyra etiam refert hic, quod quædam glossa Hebraica dicit hoc ipsum super Ecclesiasten. Et alibi narrat, quod apud Judæos est quidam libellus de pœnitentia Salomonis. Denique in Ecclesiaste ipse Salomon loquitur : Ego Ecclesiastes, fui rex Israel in Jerusalem. (*Eccle.* i, 12.) Circa quod aliqui scribunt, quod ex humilitate dixit, Fui rex, quasi indignum se reputans nomine regis impræsentiarum, quum tamen rex esset; et dicunt quod edidit librum illum in senectute quum pœnituisset. In oppositum hujus arguitur, quia neque in libro Regum, nec Paralipomenon, aliquid de ejus pœnitentia tangitur (in quibus tamen ejus gravissima scelera describuntur) (III *Reg.* xi, 1-8.), sicut de pœnitentia Manassæ secundo Paralipomenon agitur. (II *Par.* xxxiii, 12-19.)

Insuper Lyra scribit hoc loco : Istud est mihi valde dubium, quod scilicet Salomon pœnituit, quia si vere pœnituisset, quum esset rex valde potens, destruxisset templa idolorum quæ ædificaverat, ut videtur : quod tamen non fecit, quia steterunt usque ad tempus Josiæ regis, ut infra quarto libro habetur. (IV *Reg.* xxiii, 13.) Nec ex hoc loco potest efficaciter argui de misericordia Dei ad eum, nisi quantum ad temporale regnum, ut præcedenti articulo dictum est. Hæc Lyra. Sed quid contra ultimam rationem hanc Lyræ scribat Rabbi Paulus, præcedenti habetur articulo. Prima quoque ratio Lyræ, quod scilicet templa idolorum destruxisset, non apparet idonea. Constat enim, quod infra Salomonem et Josiam fuerunt virtuosi reges, videlicet Asa, Josaphat, Ezechias, ac alii : qui nec templa nec idola illa destruxerunt, qui tamen toto corde idololatriam abhorrebant. (III *Reg.* xv, 14; *Ibid.* xxii, 43, 44; IV *Reg.* xviii, 3 *et seq.*) Potuisset etiam Salomon in extremis pœnituisse, quando nec tempus, nec facultatem habuisset demoliendi idola illa.

Verumtamen de hac re definire nil audeo, et quod sine periculo ignoratur, divino committo judicio. Siquidem multa sunt ex quibus satis timendum videtur de ejus damnatione. Nam et infra tertio libro continetur, qualiter propter scelera sua increpatus fuit a Domino, (III *Reg.* xi, 9, 11.) nec tamen tunc acquievit, imo volebat occidere ipsum Jeroboam, (*Ibid.* 40.) eo quod ab Ahia propheta esset designatus et prænuntiatus rex futurus super decem tribus : quod tamen Salomon scivit propter sua facinora jussum a Domino. Amplius, primo Paralipomenon legitur David Salomoni dixisse : Si quæsieris Deum, invenies; si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. (I *Par.* xxviii, 9.) Similiter in Ecclesiastico, ubi præconia et vituperia seu vitia Salomonis scribuntur, recitatis (*Eccli.* xlvii, 15-27.)

Digitized by Google

postremo sceleribus ejus, nil prorsus de ejus pœnitentia tangitur. Itaque non simus curiosi de hac re inquirenda; sed tanti viri lapsu pensato, vereamur occulta Dei judicia, neque de sua scientia aut sapientia A quis præsumat, sed magis formidet, sciens quod verissime dicat Scriptura : Servus *Luc.* XII, 47. sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis. Et : Cui *Ibid.* 48. plus datum est, plus requiretur ab ipso.

ARTICULUS XIV

EXPLANATIO CAPITULI OCTAVI : FACTUM EST AUTEM POST HÆC.

RECITATUR in capitulo isto, qualiter B Dominus contulit sancto David merito suæ devotionis magnas victorias. Nam quia gratus fuit Deo, meruit plura accipere; et narrantur hic quatuor victoriæ ejus, quibus quatuor gentibus, Deo auxiliante, præ-
I *Par.* XVIII, 1. valuit. *Factum est autem post hæc, percussit David* cum suo exercitu *Philistiim et humiliavit eos,* ipsorum robur atque superbiam prosternendo. *Et tulit David frenum tributi de manu Philistiim,* id est, potestatem et jus quoddam exigendi tributum a filiis Israel abstulit Philistæis, C vincendo eosdem. Nam longo tempore filii Israel solverunt Philistæis tributum, sed David in tantum prævaluit illis, quod facti sunt ei tributarii. Denique potestas illa exigendi tributum, recte vocatur frenum : quoniam sicut freno subditur equus sessori, sic tali potestate una gens subjicitur alteri.

Consequenter tangitur qualiter vicerit Moabitas. *Et percussit Moab,* id est Moa-
Gen. XIX, 37. bitas natos ex semine Moab filii Lot, *et mensus est eos funiculo,* id est, terram eo- D rum in suam redegit potestatem, atque ad libitum pertransivit, et cui voluit dedit hereditatem. Est quippe funiculus instrumentum metiendi, juxta illud in Ezechie-
Ezech. XL, 3. le : Funiculus lineus in manu ejus, utpote
Zach. XI, 7. viri mensoris. In Zacharia quoque : Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram Funiculum. *Coæquans terræ,* id est, valde prosternens atque humilians Moabitas. Vel, Mensus est eos funiculo, id est, mensura justitiæ et æquitatis rigore eos dijudicavit et castigavit, coæquans terræ, id est, fortiora eorum castra ac habitacula omnino evertens, ne rebellarent. *Mensus est autem duos funiculos,* id est, duplicem modum procedendi cum eis consideravit, *unum ad occidendum, et unum ad vivificandum :* id est, principaliores et magis reos per viam justitiæ interfecit, aliis per viam pietatis pepercit, puta vulgaribus quos reliquit in vita, ut sibi sub tributo servirent. Nec sine rationabili causa vastavit sic Moabitas, quamvis non exprimatur in textu.

Sequitur qualiter vicit Syros. *Et percussit David Adarezer filium Rohob regem Soba,* id est regionis sic dictæ, pertinentis ad Syriam, ut aliqui dicunt : sicque alia fuit a regione in qua regnavit regina Saba. Nam et primo Paralipomenon dicitur Soba, non Saba, et ibi additur, Soba re- I *Par.* XVIII, 3.
gionis Emath, id est Antiochiæ : quo constat, quod ad Syriam pertinebat. *Quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten,* id est usque ad flumen illud. Hinc in præallegato libro Paralipomenon clarius dicitur, Quando perrexit ut *Ibidem.*
dilataret imperium suum usque ad flumen Euphraten. Et hoc juste facere potuit, imo et debuit. Nam usque flumen illud, quod est unum de quatuor fluviis paradisi, pro- *Gen.* II, 14.
miserat Deus filiis Israel terras Chananæorum, juxta illud Deuteronomii : A deserto *Deut.* XI, 24.

Digitized by Google

et Libano, et usque ad flumen Euphraten A erunt termini vestri. *Et captis David ex parte ejus mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum, subnervavit omnes jugales curruum,* id est equos qui assueti erant trahere bellicos currus. Non ex crudelitate hoc fecit, sed ne equi illi amplius apti essent ad talem usum, et ne contra legem videretur sibi equos multiplicare superflue, quoniam in Deuterono-
Deut. xvii, 16. mio Dominus jussit : Quum fuerit rex constitutus, non multiplicabit sibi equos. *Dereliquit autem ex eis centum currus,* B id est, equos tot quadrigarum, aut etiam ipsas quadrigas reservavit sibi ad utiles usus : et (ut aliqui dicunt) ad unum currum pertinebant quatuor equi. Dicitur autem primo libro Paralipomenon, quod David
I *Par.* xviii, 4. cepit mille quadrigas Adarezer, et septem millia equitum : quod qualiter valeat concordari cum his, quæ isto habentur capitulo, in quo fertur quod cepit ex parte illius mille septingentos equites, in præal-
Ibidem. legato libro Paralipomenon est expressum.

Venit quoque Syria Damasci, id est Sy- C rorum exercitus, quorum metropolis est
Is. vii, 8. Damascus, juxta illud in Isaia, Caput Syriæ Damascus ; *ut præsidium,* id est auxilium, *ferret Adarezer regi Soba* adversus David. *Et percussit* David *de Syria viginti duo*
I *Par.* xviii, 5. Cf. Lyranum. *millia virorum.* In libro Paralipomenon dicitur, Viginti millia; sed minor numerus non excludit majorem, nisi signum exclusivum addatur. Major quoque numerus includit minorem. *Et posuit David præsidium,* id est custodiam militum, *in Syria Damasci.* Unde in libro Paralipomenon D
I *Par.* xviii, 6. legitur, Posuit milites. Hos etenim posuit ibi, ut tenerent Syros sub jugo David. *Factaque est Syria serviens David* regi *sub tributo. Servavitque Dominus David in omnibus, ad quæcumque profectus est,* id est, in omnibus bellis concessit ei victoriam. *Et tulit David,* id est, secum accepit, *arma aurea et torques aureos quos*
* detulit *habebant servi Adarezer, et tulit* ea in Jerusalem. Et de Bete et de Beroth civitatibus Adarezer, tulit David rex æs multum nimis.* In libro Paralipomenon scriptum est, De Thebath et Chun; sed diversa ista I *Par.* xviii, 8.
vocabula significant eadem oppida. Porro quod subditur, De quo ære fecit Salomon omnia vasa ærea in templo, et mare æreum, et columnas et altare, non est hoc loco de textu : imo (ut ait quidam) appositum fuit a quodam glossatore, et postea vitio scriptorum hæc glossa inserta est textui. Sed advertendum, quod verba ista in Paralipomenon continentur præallegato libro, quo habetur, De quo fecit Salomon mare æneum *Ibidem.*
et columnas et vasa ænea : sicque verba hæc non sunt omnifarie verba glossantis, quamvis hic per modum glossæ sint addita, quia de textu alterius Scripturæ canonicæ sunt accepta.

Audivit autem Thou rex Emath, id est Antiochiæ, quæ et Epiphania nuncupatur secundum Glossam, *quod percussisset David omne robur,* id est totum exercitum, *Adarezer* regis. *Et misit Thou Joram filium suum.* In libro Paralipomenon dicitur, Ado- *Ibid.* 10.
ram filium suum; sicque filius ille videtur fuisse binomius. *Ad regem David, ut salutaret eum, congratulans* suæ victoriæ, *et gratias ageret, eo quod expugnasset Adarezer, et percussisset eum. Hostis quippe erat Thou* ipsius *Adarezer :* idcirco de ejus ruina gaudebat. Non enim didicit adimplere, quod in Proverbiis jubetur : Quum ce- *Prov.* xxiv, 17.
ciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus non exsultet cor tuum. Quod tamen de ruina culpæ potest intelligi. De ruina autem et oppressione injusti adversarii rei publicæ potest quis gaudere zelo justitiæ, imo et ex boni communis amore. Frequenter autem contingit, quod aliqui confœderantur et amicitia copulantur ad invicem, quia adversarium habent eumdem. Unde et Aristoteles in libro ait Posteriorum, quod solertia est industria inveniendi causam rei seu medium subito, ut si quæratur cur isti facti sunt amici ad invicem, et respondeatur, quia eumdem habent inimicum. *Et in manu ejus,* videlicet præfati filii Thou, *erant vasa argentea et vasa aurea et ænea* :* quia omnia * ærea

Digitized by Google

ista misit Thou regi David per manum filii sui, pro encæniis et gratiarum actione quod hostem suum prostraverit ; *quæ et ipsa sanctificavit rex David Domino,* id est, divino usui deputavit, ut scilicet ex eis fierent instrumenta divini cultus, *cum argento et auro* et manubiis, id est aliis, *quæ sanctificaverat,* id est consecraverat, *Domino,* ne amplius converterentur in usum humanum, sed in ministerium templi futuri, *de universis gentibus quas subegerat,* id est, quæ abstulit gentilibus quos sibi jure prælii subjugavit, *de Syria et Moab et filiis Ammon et Philistiim et Amalec, et de manubiis Adarezer filii Rohob regis Soba.* Quod autem David vastaverit Syriam, Josephus quoque ostendit.

Sequitur qualiter David vicerit Idumæos. *Fecit quoque David sibi nomen, quum reverteretur capta Syria in valle Salinarum,* quæ abundabant ibidem, *cæsis decem et octo millibus :* quia tot millia Idumæorum occidit ibidem per manum servorum suorum. Siquidem in libro Paralipomenon
I Par. xviii, 12. legitur : Abisai filius Sarviæ percussit de Edom in valle Salinarum decem et octo millia. Sicque victoria illa adscribitur regi David ut principaliori, et ipsi Abisai tanquam ministro et exsecutori. Aliqui textus hic habent, Duodecim millia : quod, teste Hieronymo, ex scriptorum vitio contigit ; nam decem et octo erant. Joab vero percussit ibidem duodecim millia, ut patet in titulo psalmi quinquagesimi noni, cujus exordium est : Deus, repulisti nos et destruxisti nos ; in cujus titulo inter cetera continetur : Et convertit Joab, et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia. *Et posuit in Idumæa custodes,* id est militarem custodiam, ne fierent Idumæi sibi rebelles, *statuitque præsidium. Et facta est universa Idumæa serviens David* sub tributo. Tuncque impletum est quod di-
Gen. xxv, 23. ctum fuit Rebeccæ : Major serviet minori, id est, populus natus ex Esau primogenito Isaac, serviet regi ac populo nato ex Jacob secundo genito. *Et servavit Dominus David in omnibus ad quæcumque profe-*

A *ctus est,* præservando eum a diversis periculis, dandoque ei virtute divina tantos triumphos.

At vero quum dicitur David sibi fecisse nomen in valle Salinarum, potest per Nomen, intelligi fama notabilis, quam ex illa consequebatur victoria. Verumtamen Glossa exponit sic : Fecit sibi nomen, id est, arcum seu fornicem triumphalem sibi erexit in signum triumphi. Sed contra hoc objicit Lyra, quia tale fit ad jactantiam, propter quod Saul increpatur de erectione I Reg. xv, 12, 17 et seq.
B arcus triumphalis. Hinc (ut ille subjungit) Rabbi Salomon exponit de sepultura Idumæorum, tunc occisorum in prælio, quos David fecit sepeliri : per quod acquisivit sibi nomen bonum, exercendo pietatem circa defunctos ; et etiam quoniam in Deuteronomio Dominus jussit Judæis : Non Deut. xxiii, 7.
abominaberis Idumæum, quia frater tuus est. Judæi namque et Idumæi a duobus fratribus, scilicet Jacob et Esau, descenderunt : ideo David misericordiam istam ipsis exhibuit, quod et infra tertio libro III Reg. xi, 15.
C legitur Joab fecisse. Sed quamvis istud probabiliter dictum sit, non tamen habet vigorem ratio illa Glossæ objecta : quia quod unus facit ex elatione, alius facere potest ex virtute ac zelo justitiæ. Ejusdem quoque scripturæ multiplex potest esse sensus etiam litteralis, ut asserit Augustinus.

Et regnavit David super omnem Israel. Faciebat quoque David judicium et justitiam omni populo suo : quoniam sine personarum acceptione causam cujuslibet
D sibi propositam diligenter consideravit, prudenter judicavit, et quæ dictavit ac definivit, recte est exsecutus, faciens unicuique reddi quod meruit, suumve fuit. Judex namque in omnibus debet se juste habere, et omnem privatum affectum ac passionem inordinatam excludere : quia ad ipsum tanquam ad vivam legem ac animatam justitiam, confugiunt subditi, secundum Philosophum.

Præterea, quoniam rex non potest per se ipsum exsequi universa, nunc subditur qui

Digitized by Google

fuerunt coadjutores et officiati David regis. *Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum,* id est princeps militiæ. *Porro Josaphat filius Ahilud erat a commentariis,* id est cancellarius vel scriptor gestorum, secundum Petrum Comestorem. Nam reges gesta sua conscribi fecerunt. Porro, secundum Glossam, a commentariis fuit qui causas annotatas ad memoriam regi reduxit. Unde (ut dicitur) in Hebræo habetur, Recordator. Cujus (ut aliqui dicunt) officium fuit, repetere coram rege casus ad ejus forum deductos, ut congruo ordine expedirentur, utpote primus casus primo, deinde secundus, et ita per ordinem. Est autem, A commentariis, vocabulum unum indeclinabile. *Et Sadoc filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, erant sacerdotes* principales post Abiathar pontificem; vel sacerdotes specialiter regis. Post quos erant alii plurimi sacerdotes. Pater quoque
I *Reg.* xxii, 20. istius Abiathar, vocabatur Achimelech, ut patuit primo libro. Qui etiam in libro Pa-
I *Par.* xviii, 16. ralipomenon appellatur Achimelech. In-
II *Reg.* xv, 27. fra quoque legitur de Jonatha filio Abiathar, et forsitan idem fuit binomius, aut duo fuerunt. *Et Saraias scriba,* id est legisperitus aut doctor, vel (ut aliqui dicunt) temporum scriptor. In libro Paralipome-
I *Par.* xviii, 16. non fertur, Et Susa scriba : unde elicitur, quod eadem persona duo hæc habuit nomina.

Banaias autem filius Joiadæ, erat *super* legiones *Cerethi et Phelethi :* quia præfuit phalangis bellatorum ac militum, qui taliter vocabantur, qui (ut in Scholastica habetur historia) erant custodes capitis David. Translatio autem Chaldaica (ut refertur) per Cerethi et Phelethi intelligit sagittarios, balistariosque. Nonnulli per Cerethi et Phelethi intelligunt septuaginta judices ac seniores locorum, qui successerunt his quos in libro Numerorum legitur Moyses elegis- *Num.* xi, 2.
se. Nam Cerethi sonat, exterminatores : Phelethi autem, admirabiles. Porro (ut Glossa refert) quidam dicunt Cerethæos ad hoc deputatos, ut reos punirent; Phelethæos, ut insontes defenderent. Unde, ut Rabbi Paulus testatur, Cerethi et Phelethi secundum Hebraicam veritatem, quæ hic in Glossa habetur, interpretantur, interficientes et vivificantes : quia eorum officio, secundum judicium regis vel officialium ejus, digni reservabantur ad vitam, et rei ducebantur ad mortem.

Filii autem David sacerdotes erant. In libro Paralipomenon legitur, Filii David I *Par.* xviii, 17.
primi ad manum regis : quod secundum Glossam ideo dictum est, quoniam ceteris erant priores ac nobiliores. Ideo ait Petrus Comestor : Sacerdotes erant, id est post regem ceteris digniores, quemadmodum in Exodo Jethro, sacerdos Madian dicitur. Hinc *Exod.* ii, 16.
aliqui dicunt, quod non habebant nomen officii, sed dignitatis primatum et prioratum honoris. Non autem fungebantur officio sacerdotali in templo, quia non erant de semine Aaron, aut tribu Levi, sed Juda, de cujus tribu nemo præsto fuit altari, se- *Hebr.* vii, 14.
cundum Apostolum ad Hebræos.

ARTICULUS XV

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI OCTAVI INTELLECTU.

PER hoc quod David percussit et sibi subjecit, ac obsequi compulit quatuor gentes in littera nominatas, est præfiguratum, quod Christus legis suæ præceptis subjiceret gentiles in quatuor mundi partibus commorantes, juxta quod scriptum est : Adorabunt in conspectu ejus univer- *Ps.* xxi, 28.
sæ familiæ gentium. Rursus, per hoc quod

Digitized by Google

David populum Israel eripuit a tributo atque obsequio Philistinorum, est præmonstratum, quod rex Messias populum in se credentem erueret de potestate invisibilium hostium, imo et infidelium hominum et tyrannorum persecutorum Ecclesiæ, quos frequenter subjecit suis fidelibus. Etenim dum peccamus, diabolo quasi sub tributo servimus, et ab eo capti tenemur. Sed dum Deo auxiliante tentationibus ac vitiis prævalemus, servit nobis hostis ille antiquus, quoniam machinationes ejus cooperantur nobis in bonum. Rom. VIII, 28.

Et percussit Moab. Per Moab, qui interpretatur, ex patre, designantur impii ac superbi, de quibus in Evangelio ait Salvator : Vos ex patre diabolo estis. Joann. VIII, 44. Hos Christus metitur funiculo, id est, juste judicat, juxta quod promerentur. Unde et ait : Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Matth. VII, 2. Quos terræ coæquat, quia quanto altius se extollunt, tanto profundius dejicit eos, ita ut velint nolint, vilitatem suam tandem agnoscant, et cinerem ac pulverem esse se fateantur; Gen. III, 19. et istud est proprium Deo, qui ait ad Job : Si habes brachium sicut Deus, et si simili voce tonas, respiciens omnem arrogantem humilia. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam. Job XL, 4, 6, 8. *Mensus est autem duos funiculos.* Sic Filius Dei, cui omne judicium dedit Pater, Joann. V, 22. quosdam impios ac superbos rigore justitiæ damnat, quosdam dulcore clementiæ convertit et salvat, qui cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Rom. IX, 18.

Et percussit David Adarezer quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten. Sic Christus prostravit gloriam mundi, principesque convertit, ita quod vulnerati corde præ contritionis dolore aut caritatis ardore, Deo se subjecerunt, quando per sanctos Apostolos undique prædicantes, processit usque ad maria et flumina, ac terminos terræ, Ps. LXXI, 8. ut regnum militantis Ecclesiæ toto diffunderetur orbe terrarum. Unde præcepit Apostolis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Marc. XVI, 15. *Subnervavit omnes jugales* A *curruum.* Per equos, qui animalia sunt velocia et robusta, designatur acumen humani ingenii, præsumptio philosophorum, qui per suam prudentiam homines tanquam quadrigam traxerunt post se : quorum robur Dominus vicit, et sapientiam fecit stultitiam, omnemque altitudinem se extollentem contra fidei veritatem confudit, quemadmodum ait Apostolus : Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? I Cor. I, 20. Unde promisit discipulis : Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Luc. XXI, 15. B *Et tulit David arma aurea et torques.* Sic Salvator omnia naturalia dona, et acquisitas scientias, ac venustatem rhetoricæ intulit suæ Ecclesiæ, ut fideles talibus utantur salubriter contra hæreticos, et abstulit ea ingratis, quos statuit in inferno, ubi non est sapientia, nec scientia, neque consilium. Eccle. IX, 10.

Venit quoque Syria Damasci ut præsidium ferret Adarezer. Sic principes sæculi, philosophi atque hæretici, adjuverunt se mutuo contra Ecclesiam, sed pariter defecerunt. C *Audivit autem Thou rex Emath.* Per hunc regem figurati sunt principes et magnates, qui primo crediderunt in Christum, et de ejus prosperitate, divulgatione que fidei gratulabantur. Propter quod subditos ac domesticos suos direxerunt ac converterunt ad Salvatorem, in quorum manibus erant vasa aurea, argentea et ærea, id est corda diversis modis disposita, et magis ac minus nobilia, seu dona clariora et obscuriora, sapientia, eloquentia, constantia : quæ omnia Christus Deo Patri consecravit, D cui omne bonum adscripsit, atque ad cujus honorem et gloriam retulit universa.

Præterea, per Idumæorum dejectionem intelligitur carnalium et avarorum conversio gratiosa seu damnatio justa. Edom namque, terrena vel rubens interpretatur. Insuper, per hoc quod David posuit in terris ac gentibus a se victis, præsidium et custodes, designatur quod Dominus in populis nationum quas convertit ad fidem, posuit virtuosos prælatos et homines sa-

pientes, qui conversos confirmaverunt ac conservaverunt in fide et Christi dominio. Postremo, per officiatos David significantur vicarii Christi, imperator, reges ac judices, doctores, prælati et prædicatores, qui varia exercent opera in Dei Ecclesia, et præsunt militibus ejus, ac opera Dei describunt, et gesta Sanctorum, decursusque temporum. Filii vero David sunt viri heroici et perfecti, in dono sapientiæ et caritatis vertice consummati, sicque secretarii et consiliarii Omnipotentis effecti, qui Christo sunt proximi, et genus electum valde, sacerdotiumque regale, spirituales Deo hostias orationum, præconiorum, sacrificiorum et operum perfectorum jugiter immolantes : idcirco sunt primi ad manum Regis altissimi, tanquam ad ejus voluntatem in omnibus adimplendam ferventissimi atque pronissimi.

(I *Petr.* II.)

ARTICULUS XVI

DECLARATIO CAPITULI NONI : ET DIXIT DAVID.

FIDELITAS et pietas Davìd ad filium Jonathæ dilectissimi sui amici, hic describuntur. *Et dixit David,* forsitan diu ante ea quæ præcedenti capitulo sunt descripta, quamvis postea recitetur, quia in recitatione rerum gestarum, non semper ordo temporis observatur. *Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul,* præsertim ex semine Jonathæ? quod peto, *ut faciam cum eo misericordiam Dei,* id est veram pietatem et misericordiam Deo placentem, ac imitativam misericordiæ Dei ad homines, *propter Jonathan,* id est amore Jonathæ, atque ut impleam fœdus amicitiæ ac fidelitatis quod inii secum. Unde in primo libro Jonathas ait ad David : Si vixero, facies mihi misericordias Domini; si vero mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam a domo mea in sempiternum. Et percusserunt fœdus uterque. *Erat autem de domo,* id est familia, *Saul, servus nomine Siba,* natus de tribu Benjamin, sicut et Saul. *Quem quum vocasset rex ad se, dixit ei : Tu es Siba? Et ille respondit : Ego sum servus tuus. Et ait rex* ad Sibam : *Numquid superest aliquis de domo Saul,* id est de semine ejus, *ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi : Superest filius Jonathæ debilis pedibus,* id est claudus exsistens : qui qualiter factus sit claudus, præhabitum est. *Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem : Ecce, ait, in domo est Machir filii Ammiel in Lodabar.*

(I *Reg.* XX, 14, 15; XXIII, 18.)

(II *Reg.* IV, 4.)

Quum autem venisset Miphiboseth filius Jonathæ filii Saul ad David, corruit in faciem suam, hoc est, in terram prostravit se, ut flecteret ipsum David ad pietatem, a quo timuit forsitan dure tractari, propter injurias David a Saul illatas. Ex humilitate quoque exhibuit illum honorem regiæ majestati. *Et adorâvit* regem adoratione duliæ, non latriæ. *Dixitque David : Miphiboseth. Qui respondit : Adsum servus tuus. Et ait ei David : Ne timeas* me timore humano. Sic itaque pius David consolabatur ipsum Miphiboseth, quia (ut dicitur) vidit eum paventem. Vel forsan non formidavit, quia percepit a Siba quod David voluit ei benefacere propter Jonathan patrem suum. *Quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonathan patrem tuum, et restituam tibi omnes agros Saul patris,* id est avi *tui :* qui agri jure regni ad meam devoluti sunt potestatem; *et tu comedes panem in mensa mea semper,* id est, omni tempore opportuno reficieris regiis cibis ac potibus. *Qui adorans, dixit,* hu-

Digitized by Google

miliando se coram rege ex tanta regis dignatione ad se: *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* tanquam dicat: Indignus sum tanta dignatione ac beneficentia tua ad me, et quod tam gratiose me adspexisti, qui similis sum mortuo cani ob meam defectuositatem ac vilitatem, cujus pater, avus, et patrui sunt occisi. Ecce quantum humiliavit se bonus iste Miphiboseth, de regia stirpe natus, filius nobilissimi Jonathæ, non solum carnis propagatione, sed etiam imitatione virtutum.

1 *Reg.* XXXI, 6.

Vocavit itaque rex Sibam puerum, id est servum, *Saul, et dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, et universam domum ejus,* id est totam substantiam Saul, *dedi filio domini tui,* id est huic Miphiboseth filio Saul, qui fuit dominus tuus. Quidam tamen exponunt istud de Micha filio Miphiboseth: quod non oportet; sed aliqua quæ sequuntur, de illo Micha sunt exponenda. *Operare igitur ei terram tu et filii tui et servi tui; et inferes,* id est apportabis, *filio domini tui cibos ut alatur:* quod non potest exponi de Miphiboseth, quia in mensa regis, de cibariis ejus nutriebatur. *Miphiboseth autem filius domini tui, comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quindecim filii et viginti servi. Dixitque Siba ad regem: Sicut jussisti, domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus. Et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis. Habebat autem Miphiboseth filium nomine Micha. Omnis vero cognatio domus Sibæ,* videlicet quindecim filii ejus et viginti servi, *serviebat Miphiboseth,* agros ejus colendo ac bona levando et disponendo. *Porro Miphiboseth habitabat in Jerusalem, quia de mensa regis jugiter vescebatur, et erat claudus utroque pede.*

Sensus moralis.

Moraliter ex isto capitulo admonemur sequi fidelitatem ac pietatem David atque humilitatem Miphiboseth. Et si Miphiboseth tantum humiliavit se coram rege mortali terreno, ex consideratione dignationis, beneficiorumque regis illius ad se, ita quod comparavit se mortuo cani: quanto magis contemplatione dignationis, pietatis et beneficiorum Regis æterni invariabilis et immensi, debemus nos profundissime humiliare, præsertim quia de mensa altaris sui assidue reficimur pretiosissimo Sacramento. Rursus, per David intelligitur Christus, per Miphiboseth filium Jonathæ, quicumque fidelis filius gratiæ, vere humilis ac vilis in oculis suis. Talem itaque Christus misericorditer suscipit, quia infirma et abjecta mundi Deus elegit. Et sicut ait Gregorius, hos elegit Deus, quos despicit mundus. Talis quoque in Christi mensa nutritur, id est, in divina Scriptura, ac multiplici ejus intelligentia delectatur corde ac alitur. Specialiter etiam per Miphiboseth claudum, possunt intelligi simplices religiosi vere interni, ad ea quæ mundi sunt, prorsus debiles et inepti: quos Deus in mensa sua, id est in sua provisione paterna, ecclesiasticis reficit sacramentis, contemplationibus divinorum, suavitate spiritualium gaudiorum. Et sicut Siba cum sua familia servivit Miphiboseth, ita activi debent contemplativis servire, ac corpori necessaria præparare.

1 *Cor.* I, 27, 28.

Digitized by Google

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO CAPITULI DECIMI : FACTUM EST AUTEM POST HÆC, UT MORERETUR REX FILIORUM AMMON.

SANCTUS David non solum studuit esse gratus personis eorum qui sibi benefecerunt, sed et posteritati eorum. Ideo sicut præcedenti capitulo recitatum est, qualiter benefecerit ipsi Miphiboseth propter Jonathan patrem suum; sic hic narratur, qualiter voluit benefacere regi Ammonitarum propter beneficia patris ipsius. *Factum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon,* id est Naas rex Ammonitarum, *et regnavit Hanon filius ejus pro eo. Dixitque David : Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas,* consolando eum de morte patris sui : quod est mise-
Eccli. vii, 38. ricordiæ opus, juxta illud Ecclesiastici, Ne desis plorantibus in consolatione; *sicut fecit pater ejus mecum misericordiam.*

Secundum Glossam, iste Naas fuit rex Ammonitarum, quem Saul expugnavit et
I *Reg.* xi. vicit, ac fugere compulit, ut in primo libro recitatur; et quia hic Naas fuit hostis Saulis, benigne recepit ipsum David confugientem ad se, quem scivit fugere a facie Saul. Hoc idem dicit Hieronymus. At vero primo Regum libro habetur, quod David
Ibid. xxi, 10. fugiens a facie Saul, venit ad Achis regem Geth, a quo quum timeret occidi, fugit ad
Ibid. xxii, 3. regem Moab, et apud eumdem regem dimisit suos parentes. Et ita dicendum relinquitur, quod Naas iste fuit rex Moabitarum et Ammonitarum, sicut frequenter contingit eumdem præesse pluribus regnis, quemadmodum etiam tempore Moysis Ba-
Num. xxii, 4. lac fuit rex Moabitarum et Madianitarum, ut in libro legitur Numerorum. His concordat, quod Magister in historiis scribit, dicendo : Quum fugisset David ab Achis, a patre istius Hanon benigne collectus fuit : quo patet, quod rex ille Moab, fuit A etiam rex filiorum Ammon et pater istius Hanon.

Verum, ut refert Lyra, Rabbi Salomon dicit contrarium, utpote quod rex Moab ad quem fugit David, non fuit iste Naas rex Ammon, et quod rex ille Moabitarum, quamvis primo pie recepit David ac ejus parentes, postea tamen indignatus contra David, quia recessit de regno suo ad ex- I *Reg.* xxii, 5. hortationem Gad prophetæ, et rediit in terram Israel, occidit parentes David, et quosdam ejus cognatos apud se derelictos et B sibi recommendatos. Ceteros vero fugientes Naas rex Ammonites apud se pie servavit, et hoc vocat hic David misericordiam sibi factam a Naas. Istud quoque videtur Lyræ rationabilius dictum, quoniam supra scriptum est, qualiter David valde dure processit contra regem Moab et populum II *Reg.* viii, 2. ejus. Hic vero narratur, qualiter amicabiliter voluit procedere circa regem Ammon. Ex quo manifeste videtur, quod iste Naas fuit alius a rege Moab, cui recommendavit suos parentes. Circa istud apparet dicen- C dum, quod verior et rationabilior sit dicta expositio Glossæ et catholicorum doctorum, quia magis concordat Scripturæ. Nec verum est, quod supra dictum sit, ipsum David dure aut rigide processisse contra regem Moab; sed contra Moabitas, qui forsitan suo regi erant rebelles, aut injuriosi in David, ita quod contra eos habuit causam et pugnam, non contra eorum regem, de cujus consensu potuit vastatio illa contingere. Vel forsitan assumpserunt sibi alium regem. Nec verisimile esse apparet, D quod David qui erat vir totus idoneus, discretus, urbanus, recessit a terra et rege Moab sine scitu et consensu ipsius. Nec

Digitized by Google

probabile reputatur, quod ideo occidisset parentes David, etiam si eo ignorante redisset David ad tempus in terram Juda, sed magis gavisus fuisset, putando quod David redisset illuc ad nocendum ibidem.

Misit ergo David legatos, *consolans eum, per servos suos super patris sui interitu.* Nam hortabatur, ut amicitiæ quæ erant inter patrem suum et se, fixæ manerent inter eos ambos, exhibuitque se paratum ad ipsius subsidium. Sic et Apostolus consolabatur Thessalonicenses super morte carorum suorum : Nolumus, inquiens, vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent. Et tandem concludit : Itaque consolamini invicem in verbis istis. *Quum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon, dixerunt principes filiorum Ammon,* qui sub rege erant in majoribus constituti officiis, *ad Hanon dominum suum: Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, et non ideo, ut te investigaret, et exploraret civitatem :* sic et Joab dixit ad David, quum Abner venisset ad eum in Hebron; *et everteret eam, misit David servos ad te ?* Impii namque et callidi ita faciliter de aliis sentiunt, dicunt, et judicant, qualiter ipsi in se ipsis dispositi sunt. Ideo in libro Sapientiæ scriptum est : Semper præsumit sæva perturbata conscientia. In Job quoque fertur : Sonitus terroris semper in auribus impii, et quum pax sit, ille semper insidias suspicatur.

(I Thess. IV, 12, 17.) (II Reg. III, 25.) (Sap. XVII, 10.) (Job XV, 21.)

Tulit itaque Hanon servos David. Hanon ille nimis cito credidit consiliariis suis. Facilitas autem credendi decipit multos, præsertim majores, qui ex tali errore frequenter in diversa labuntur pericula et peccata. Propter quod expertus hoc ipsum rex Assuerus ait : Quidam aures principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. Quæ res veteribus probatur historiis, et ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorumdam suggestionibus, regum studia depravantur. *Rasitque dimidiam partem barbæ eorum.* Primo Paralipomenon scriptum est, quod decalvavit eos. Quorum utrumque fuit Judæis valde ignominiosum, et contra ritum legis eorum : quia in Levitico jussum fuit, Non radetis barbam ; et in Deuteronomio, Non facietis calvitium. Imo usque in præsens, apud aliquas nationes viri imberbes refutantur, irridentur, et spernuntur ut feminæ. *Et præscidit vestes eorum medias usque ad nates,* hoc est inguina, ita ut verecundiora parebant, *et dimisit eos.* Unde elicitur, quod servi David erant honeste vestiti, videlicet vestibus satis longis. *Quod quum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum. Erant enim viri confusi turpiter valde. Et mandavit eis David : Manete in Jericho, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini,* ne augeatur vestra confusio in hac terra. Jericho autem civitas fuit eis redeuntibus primo occurrens.

(Esther XVI, 6, 7.) (I Par. XIX, 4.) (Lev. XIX, 27.) (Deut. XIV, 1.)

Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David regi in suis ministris : unde apparet, quod perceperunt regem David misisse servos suos ad regem ipsorum bona intentione, et ex amicitia vera ; *miserunt et conduxerunt mercede Syrum Rohob, et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum.* Noverant enim David regem esse bellicosum, et tantam injuriam zelo justitiæ vindicaturum, nec volebant se ei humiliare et recognoscere culpam, ac petere veniam, sed auxerunt contemptum in Deum Israel, et in David Dei vicarium. *Quod quum audisset David, misit Joab et omnem exercitum bellatorum,* non volens exspectare tam diu, quod ipsi ingrederentur regnum suum. *Egressi sunt ergo filii Ammon* de sua metropoli nomine Rabbath, *et direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ,* ut si contingeret eos succumbere, possent celeriter in urbem confugere. *Syrus autem Soba et Rohob et Istob et Maacha,* et qui erant cum ipsis, *seorsum erant in campo.* Sic volebant exercitum David intra se claudere, et ex utraque parte impugnare. Et

Digitized by Google

II *Reg.* VIII, 6. A quoniam Syri cum aliis erant subditi regi David, et servientes ei sub tributo, infideliter egerunt, associando se adversariis David, et contra eum pugnando : quod tamen egerunt, ut liberarentur ab ejus dominio ac tributo, quemadmodum Sedecias (Cf. IV *Reg.* XVII, 4.) rex cupiens liberari a jugo et tributo quod regi Babylonis solvebat, misit ad regem Ægypti, ut sociarentur contra Chaldæos.

Videns ergo Joab quod præparatum esset adversus se prælium, et ex adverso, scilicet ante portam, *et post tergum,* puta in B campo, ubi conducticius stabat exercitus. Hoc enim callidus Joab, expertus in re militari ac bellica, consideravit, aut inquirendo percepit : quia in bellis plus valet prudentia, quam fortitudo corporea. *Elegit sibi ex omnibus electis Israel,* id est, ex militibus et pugnatoribus elegantioribus sui exercitus assumpsit quos voluit, *et instruxit,* hoc est ordinavit, vel etiam de modo pugnandi ac procedendi informavit, *aciem,* id est militum suorum multitudinem ordinatam ad pugnam, *contra Syrum,* C id est Syrorum exercitum, quem scivit esse robustiorem : ideo personaliter contra eos congressus est, tanquam vir audax. Propter quod etiam fortiores milites secum assumpsit contra Syrum. *Reliquam autem partem populi,* id est exercitus, *tradidit Abisai fratri suo,* hoc est sub ejus directione : quia exercitum suum divisit in duas partes, secundum quod adversarii erant in duas partes divisi, quatenus utraque pars adversariorum impugnaretur ab ante ; *qui direxit aciem adversus filios* D *Ammon. Et ait Joab : Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium,* quantum potueris, et præsertim, si adversarios tuos fugaveris, vel quidam de tuo exercitu adjungent se mihi ; *si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi,* in casu quo indigueris, et mihi possibile fuerit. *Esto vir fortis* corde et corpore, aggrediendo viriliter ardua, et pro bono communi ac defensione subeundo pericula mortis sine inordinato timore. Ideo subditur, *et pugnemus pro populo nostro, et pro civitate Dei nostri :* ne scilicet adversarii nostri invadant et vastent terram ac plebem nostram, nostrasque urbes, præsertim metropolitanam Jerusalem, ubi sunt sancta nostra. *Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo,* id est, de exitu belli disponet, prout sapientiæ atque justitiæ suæ placuerit. In his verbis insinuavit Joab victoriam a divina providentia dependere, atque in Deo principaliter esse sperandum in præliis, quemadmodum Salomon ait, Equus paratur ad (Prov. XXI, 31.) diem belli, Dominus autem salutem tribuet : nihilo minus pugnatores facere debent quod in ipsis est. Denique ad Joab pertinebat, sic alios exhortari, quoniam princeps fuit militiæ. *Iniit itaque Joab et populus ejus qui erant cum eo, certamen contra Syros, qui statim fugerunt a facie ejus :* quia Deus omnipotens corda Syrorum perterruit, obstupefecit, debilitavit. *Filii autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem. Reversusque est Joab a filiis Ammon, et venit Jerusalem.*

Videntes igitur filii Ammon quoniam Syrus expavit, et quoniam corruisset coram Israel, congregati sunt pariter, ut cum fortiori exercitu pugnarent contra Hebræos. *Misitque Adarezer* rex *et eduxit,* id est, ad se vocavit, *Syros qui erant trans fluvium* Mesopotamiæ seu Euphraten. Unde in Josue libro habetur : Trans fluvium (Josue XXIV, 2.) habitaverunt patres vestri. *Et adduxit eorum exercitum. Sobach autem magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum. Quod quum nuntiatum esset David* regi, *contraxit,* id est congregavit, *omnem Israelem,* id est universos viros aptos ad prælium, *et transivit Jordanem, venitque in Helam. Et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnaverunt contra Israel. Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus,* id est pugnatores, qui ex curribus illis pugnabant : sicque ponitur hic continens pro contento ; *et quadraginta millia equitum.*

Digitized by Google

His contrariari videtur, quod primo Paralipomenon legitur : Interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia peditum. (I Par. xix, 18.) Sed quid pro horum concordantia sit dicendum primo libro Paralipomenon est expressum. *Et Sobach principem militiæ percussit, qui statim mortuus est. Videntes autem universi reges qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expaverunt et fugerunt quinquaginta et octo millia coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel, et servierunt* [*eis*], *timueruntque Syri auxilium præbere filiis Ammon.* Textus hujus et consimilium verba, quæ non exponuntur, adeo plana sunt, quod expositione non indigent.

(Sensus spiritualis.) Moraliter ex isto docemur capitulo, non faciles esse ad credendum malum de aliis, præsertim de bonæ famæ hominibus, neque ex levi suspicione ad judicia incauta procedere. Alioqui multa et magna incidemus incommoda. Allegorice, per David et ejus ministros ac nuntios, intelliguntur Christus et ejus fideles, præsertim doctores et prædicatores. Per regem autem Hanon et servos ipsius, designantur diabolus et angeli ejus, aut etiam homines vitiosi mundani. Per barbam vero quæ est signum virilitatis, significantur soliditas salubrium doctrinarum, atque bonorum constantia operum. Per vestes quoque, virtutes ac dona Spiritus Sancti, quibus anima induitur et ornatur, intelliguntur. Dum itaque dæmones aut impii homines trahunt Christi A ministros, prædicatores, doctores, prælatos, ad cessandum a salutaribus documentis, aut virtuosis exemplaribusque operibus, abradunt mediam barbam eorum. Quod si ad cessationem ab utroque pertraxerint eos, totam eorum barbam abradunt. Et quia prædicatio ejus contemnitur, cujus vita vitiosa aspernabilisque consistit, præcipue student inducere eos ad cessandum ab actibus virtuosis : quia et hi qui non implent ea quæ docent ac sermocinantur, graviter peccant sermocinando. Peccatori etenim B dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas? (Ps. xlix, 16.) Et sicut oratio, ita et prædicatio ejus qui avertit aures suas ne audiat legem, est exsecrabilis. (Prov. xxviii, 9.) Conformiter, dum impii illi inducunt hos Christi ministros ad peccandum mortaliter, præcidunt vestes eorum, de quibus legitur in Apocalypsi : Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis. (Apoc. iii, 4.) Sed dum eos alliciunt ad carnalia vitia, vitamque evidenter scandalosam et turpem, præcidunt vestes ipsorum usque ad nates. Insuper, sicut rex C Hanon et servi ejus præciderunt vestes servorum David usque ad inguina, sic dæmones inducunt homines christianos ad tantam fatuitatem, quod vestimenta sua superiora decurtant quasi usque ad nates : atque in tantum corda eorum excæcant, quod sponte ipsimet faciunt sibi, quod servi David invitissime sustinuerunt ; nec in vestitu tam brevi intelligunt se potius esse derisos, quam vestitos.

ARTICULUS XVIII

ELUCIDATIO CAPITULI UNDECIMI : FACTUM EST AUTEM VERTENTE ANNO.

CONSEQUENTER describitur grandis et multiplex ipsius David transgressio, non ob ejus diffamationem, sed ad divinæ misericordiæ commendationem, atque ad copiosam nostram instructionem, D cautelam et confortationem, quatenus ex tanti viri ruina gravissima, discamus de propria fragilitate et lapsu esse formidolosi, custoditi, solliciti. Nempe felix quem faciunt aliena damna peritum. Quod si ce-

Digitized by Google

ciderimus, non desperemus; sed pœnitentiam, humiliationem, compunctionem, satisfactionem ipsius David sequamur.

Factum est autem vertente anno, id est anno sequente ac revertente, *eo tempore quo solent reges ad bella procedere,* utpote tempore veris initiove æstatis, dum aura est temperata, et equi ac animalia in agris, campis et pratis inveniunt pabula, *misit David Joab et servos suos cum eo et universum Israel,* id est multos de singulis tribubus, *et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabbath* metropolim regni. *David autem remansit in Jerusalem,* reputans præsentiam suam cum exercitu suo non esse necessariam propter hostium insufficientiam ad resistendum. *Dum hæc agerentur, accidit quadam die ut surgeret David de stratu suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiæ. Viditque David mulierem se lavantem* aqua frigida propter refrigerationem caloris, secundum quosdam; vel propter menstruum fluxum purgandum, ut alii dicunt; *ex adverso super solarium suum. Erat autem mulier pulchra valde. Misit ergo rex, et requisivit quæ esset mulier,* an scilicet esset soluta et virgo, an vidua aut maritata: ut si esset soluta, et virgo aut vidua, in conjugem eam acciperet, sicque optato uteretur amplexu. *Nuntiatumque est ei, quod esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi.* In Scholastica fertur historia, quod erat filia Eliæ filii Achitophel consiliarii David.

Missis itaque David nuntiis, tulit eam victus concupiscentia mala, et oblitus divini timoris, non obstante quod jam percepit eam esse maritatam. *Quæ quum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea. Statimque sanctificata est ab immunditia sua.* Quare non potius ait, Statim inquinata est et privata munditia sua? quia et si ante hoc crimen fuerit virtuosa, tamen adulterino illo concubitu fuit puritate virtutum ac gratiæ spoliata. Sed hoc dici non oportuit, quia per se evidens fuit. Porro sanctificatio illa ab immunditia, multipliciter

A potest exponi. Primo, quod post coitum mane se lavit, corporaliterque purgavit. Secundo, quod statim concepit, propter quod menstruus sanguis in ea cessavit, vel deinceps non fuit usque ad partum. Nam menstruum reservat natura post conceptionem, in alimoniam fetus usque ad nativitatem ex utero. Quidam tamen dicunt eam tunc menstruatam, atque ad tactum regis, menstruum mox cessasse. Jam enim per tempus notabile fuit incognita viro. Verumtamen alii dicunt hujus oppositum,
B quia durante hujusmodi fluxu, feminæ sunt male coloratæ atque ineptæ ad coitum. Nonnulli dicunt eam a sua immunditia sanctificatam, id est a sterilitatis opprobrio liberatam, quoniam ante non genuit. Breviter autem et certe dici potest, quod ab immunditia, hoc est superfluo seminis sui, purgata sit. Circa hæc Magister in historiis refert: Dicit Epiphanius, quod quum vocasset David ad se Bethsabee, Nathan propheta cognovit hoc ipsum in spiritu, et festinavit ad David, ut antequam mulier ve-
C niret, prohiberet ipsum David a crimine; sed ipsum Nathan impedivit Belial, quia in via invenit hominem occisum, nudum jacentem, et fecit moram apud eumdem. Eaque nocte peccavit David, et luxit Nathan. *Et reversa est in domum suam, concepto fetu. Mittensque* Bethsabee nuntium familiarem secretum, *nuntiavit David, dicens: Concepi.* Sensit se concepisse per signa, quibus hoc scitur. Nam et tunc feminæ graviter affliguntur, et graves sunt corpore. Quocontra beatissima atque mun-
D dissima virgo Maria quum concepisset de Spiritu Sancto, abiit cum omni alacritate *Luc.* I. 39.
et agilitate in montana. Insinuavit itaque mulier regi se concepisse, ut rex provideret suo honori, nec tanquam adulter diffamaretur, et etiam ne ipsa velut adultera *Lev.* XX. 10.
lapidaretur.

Misit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Misitque Joab Uriam ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Joab, et populus, et quomodo administraretur bellum. Et dixit

Digitized by Google

David ad Uriam : quem de obsidione fecit redire ad se, quatenus ipse Urias iret, et dormiret cum conjuge sua, et sic proles ei adscriberetur, adulteriumque lateret. Et dixit ad Uriam : *Vade in domum tuam, et lava pedes tuos,* hoc est, post viæ laborem te refove balneis : et ita a parte intelligitur totum. Vel, de pedibus specialiter dictum est, qui solent itinerantibus ablui. *Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum,* puta Uriam, *cibus regius :* id est, David misit delicata et pretiosa calidaque cibaria ac pocula post Uriam, ut illis vesceretur cum conjuge, atque per talia concitaretur libidine. *Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, et non descendit in domum suam.*

Nuntiatumque est David a dicentibus : Non ivit Urias ad domum suam. Et ait David ad Uriam : Numquid non de via venisti? Quare non descendisti in domum tuam? tanquam dicat : Quum utique tam longum confeceris iter, deceret te uti solatio, et uxorem invisere. *Et ait Urias ad David : Arca Dei,* quam aliqui sacerdotum secum tulerunt, ut ejus virtute daretur a Deo subsidium : nam et divina responsa per applicationem arcæ dari solebant, ut dictum est sæpe; *et Israel,* id est tribus Jacob, *et Juda,* id est tribus Juda : quæ specialiter nominatur, quia regalis erat, et numero major ac viribus fortior, bellicosior, atque audacior; *habitant in papilionibus,* id est tentoriis; *et dominus meus Joab* militum princeps, *et servi domini mei,* videlicet milites præclarissimi quibus præest, *super faciem terræ manent* in armis ac vestibus; *et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea?* quasi dicat : Illis me majoribus ac melioribus in laboribus et afflictionibus taliter constitutis, non decet me delectationibus gustus et tactus vacare, sed condolere, et instar illorum affligi. *Per salutem tuam* corporalem *et salutem animæ tuæ* spiritualem, juro et testor, quod *non faciam hanc rem,* quam mihi injungis, non ex inobedientia aut contemptu tui imperii, sed amore justitiæ. Qualiter autem liceat per creaturas, et per regis salutem jurare, in quantum in eis resplendeat aliquid majestatis divinæ, alibi dictum est. Sic et Joseph in Genesi, per salutem legitur Pharaonis jurasse. *Ait ergo David ad Uriam : Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa et altera die. Et vocavit eum David, ut comederet coram se, et biberet, et inebriavit eum,* quatenus ratione sopita, a prætacta consideratione rationabili deficiens, concupiscentiam sequeretur : non tamen fuit ita inebriatus, quod usum rationis in toto amisit. *Qui egressus vespere, dormivit in stratu suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit.*

Gen. XLII, 15, 16.

Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Joab. In qua significavit Uriam in se peccasse, et ideo morte dignum. Quod et Joab credidit verum. Fuit autem, ut Josephus ait, Urias armiger Joab. *Misitque per manum Uriæ, scribens in epistola : Ponite Uriam ex adverso belli,* hoc est in acie contra hostes directe, *ubi fortissimum est prælium, et derelinquite eum,* abstrahendo ei auxilium, *ut percussus intereat,* sicque offensa ejus in me, et pœna mortis ei pro ea inflicta, perseverent ignotæ. *Igitur quum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab. Et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethæus.*

Misit itaque Joab, et annuntiavit David omnia verba prælii, præcepitque nuntio, dicens : Quum compleveris universos sermones belli ad regem, si eum videris indignari, et dixerit, quare accessistis ad murum ut præliaremini? an ignorabatis quod omnia * *desuper ex muro tela mittantur? Quis percussit,* hoc est occidit, *Abimelech filium Jerobaal,* hoc est Gedeonis? *Nonne mulier misit super eum fragmen molæ,* hoc est lapidis magni, *de muro, et*

* multa

Judic. IX, 53.

Digitized by Google

interfecit eum in Thebes? Qualiter hoc factum sit, in Judicum libro habetur. *Quare accessistis ad murum? Dices : Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit.* Scivit enim callidus Joab, quod hoc rumore audito, rex contentaretur. *Abiit ergo nuntius, et venit et narravit David omnia quæ ei præceperat Joab. Et dixit nuntius ad David : Prævaluerunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos in agrum. Nos autem, facto impetu, persecuti eos sumus usque ad portas civitatis; et direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper, mortuique sunt de servis regis. Quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est. Et dixit David ad nuntium : Hæc dices Joab* ex parte mei : *Non te frangat ista res,* id est, fiduciam tuam non minuat. Unde de Juda legitur Machabæo,
I *Mach.* IX, 7. quod confractus est corde, quando non habuit spem triumphi. *Varius enim eventus est belli, et nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas eam, et exhortare eos.*

Audivit autem uxor Uriæ, quod mortuus esset vir suus, et planxit eum. Aliqui dicunt, quod ficte tantum, quia gavisa fuit
Lev. XX, 10. de morte mariti, ut sic pœnam lapidationis evaderet et uxor fieret regis. Verumtamen potius reor, quod etiam ex corde ploravit de mariti interitu quem dilexit, quamvis ejus dolori consolatio quædam ex prætactis causis fuerit mixta. Circa hoc scribit Lyra : Ad cujus intellectum sciendum, quod Rabbi Salomon dicit hic, quod viri procedentes ad bellum, dabant uxoribus libellum separationis, quatenus libere possent contrahere, si ipsi viri in bello occumberent, et computabatur tempus, id est hora, separationis seu divortii a die dationis libelli. Et ideo, quia uxor Uriæ conceperat ex David post recessum sui mariti, ideo eo defuncto, evadebat pœnam lapidationis. Istud dictum videtur omnino absurdum et falsum : quia si sic, David non commisisset adulterium cum Bethsabee, quæ secundum hæc non fuisset tunc uxor Uriæ, nec

A ipsa meruisset lapidibus obrui. Nec divortium fuit ita permissum, tanquam licitum et absque peccato, sed sicut usura cum alienis. Propter quod dicitur a Malachia : Operiet iniquitas vestimentum ejus, videlicet viri dantis uxori libellum repudii. *Malach.* II, 16. Quod ibidem diffusius demonstravi.

Hinc etiam Rabbi Paulus seriose contra præfata Rabbi Salomonis verba scribit, dicendo : Rabbi Salomon et alii expositores Hebræi, sæpe corrumpunt verum intellectum Scripturæ, sequendo litteram plus
B quam oportet. Sic quoque frequenter labuntur in oppositum vitiosum extremum, fabulando multa contraria litteræ, et quæ nusquam in Scripturis reperiuntur authenticis. Nam et ista Rabbi Salomonis assertio, dependet ex opinione quorumdam Thalmudistarum, asserentium quod David nunquam fuit adulter cum uxore Uriæ. Ad quod probandum, fingunt istud de libello separationis, quod Rabbi Salomon hic inducit : quod est maxime contra textum, in quo David reprehenditur tanquam vere
C adulter, quod et ipse fatetur. Si autem illa fictio esset vera, nunquam fuisset adulterii reus. Nam uxor Uriæ fuisset libera a tempore dationis libelli, quæ præcessit primam commixtionem David cum ea, ut certum est secundum illam confictionem. Causa quoque dationis hujus libelli repudii, quam assignat Rabbi Salomon, ut scilicet mulieres viris in bello mortuis libere possent contrahere, est penitus vacua et inanis : quoniam quamvis viri nunquam dedissent talem libellum repudii, nihilo
D minus defunctis maritis, libere potuissent contrahere, quum certum sit, quod in morte alterius conjugum, solvatur vinculum conjugale, etiam si libellus repudii non præcedat. Hæc Rabbi Paulus.

Transactoque luctu, id est, evoluto tempore quo Bethsabee virum suum deflevit : nam certis diebus solent uxores deplangere viros defunctos, et lugubres ferre vestes. Scriptum est autem in Ecclesiastico : Luctus mortui, septem dies. Porro in Deuteronomio legitur, quod uxor seu filia viri *Eccli.* XXII, 13. *Deut.* XXI, 11, 13.

Digitized by Google

in bello occisi, quam aliquis Judæorum A volebat habere uxorem, sederet per unum mensem in domo deplorans maritum seu patrem in prælio interfectum. Itaque transacto hoc luctu, *misit David et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei filium. Et displicuit verbum hoc quod fecerat David,* id est opus seu illud significatum per verbum, *coram Domino.*

ARTICULUS XIX

DE MORALI AC MYSTICO HUJUS UNDECIMI CAPITULI INTELLECTU.

CAPITULUM istud moralibus plenum B est documentis. *Factum est autem vertente anno, eo tempore quo solent reges ad*
Job VII, 1. *bella procedere.* Quamvis militia atque tentatio sit vita hominis super terram, ita ut jugiter omni tempore, die ac nocte debeamus esse spiritualibus armis præcincti ac præparati ad dimicandum contra aciem vitiorum, contra carnem et sæculi vanitates, contra invisibiles hostes; quædam tamen tempora sunt specialiter deputata hujusmodi pugnæ, ut tempus Quadragesimæ et Adventus, ac alii pœnitentiarum abstinen- C tiarumque dies: in quibus reges qui rationis gubernaculo, et evangelicæ legis freno ac directorio regunt in primis se ipsos, deinde et alios, procedunt ad spiritualia prælia contra veræ salutis ac gratiæ impedimenta. Præterea, per David potest hoc loco intelligi quicumque magnus prælatus ac præsidens, qui subditos ac vicarios suos ad exercenda pastoralia opera dirigit, et ad expugnandum adversarios humanæ salutis; et tamen personaliter negligenter se habet, et per otiositatem vitia carnis illa- D bitur. De quibus dum statim non pœnitet, multa quoque alia incidit scelera.

Viditque mulierem se lavantem. Ecce David mulierem incaute respiciens, et in eam adspectum figens, concupiscentiæ mucrone est læsus. Ex incustodia etenim oculorum, multitudo quædam oritur vitiorum: ideo morose non licet inspicere, quod non licet appetere; et specialiter periculosum est viro taliter inspicere feminam, sicut econtra. Hinc ait Glossa : Justo retributionis examine agitur, quod qui exteriori oculo negligenter utitur, interiori obtenebretur. Sic mors ingreditur animam per Jer. IX, 21.
fenestras sensuum corporis. Propter quod Dominus loquitur per Prophetam : Unus- Ezech. XX, 7.
quisque offensiones oculorum suorum abjiciat. In Numerorum quoque libro scriptum est, [quod] præcepit Dominus filiis Israel, ut facerent sibi fimbrias per qua- Num. XV, 38, 39.
tuor angulos palliorum, ponerentque in eis vittas hyacinthinas, quas quum viderent, recordarentur omnium mandatorum Domini, ne sequerentur cogitationes, et oculos per res varias fornicantes. Hinc Ecclesiasticus monet : Virginem ne conspi- Eccli. IX, 5, 7, 8.
cias, ne scandalizeris in decore ejus. Noli circumspicere in vicis civitatis. Averte faciem tuam a muliere compta. Et quoniam sic visum custodire, est donum Dei, ideo ait Psalmista : Averte oculos meos, ne vi- Ps. CXVIII, 37.
deant vanitatem. Denique evagatio oculorum, stultitiæ signum est; et eorum refrenatio, actus est sapientiæ. Ideo Salomon dixit : Oculi sapientis in capite ejus; oculi Eccle. II, 14; Prov. XVII, 24.
autem stultorum in finibus terræ. Ideo sanctus et sapiens Job testatur : Pepigi fœdus Job XXXI, 1.
cum oculis meis, ne saltem cogitarem de virgine. Itemque : Si secutus est oculus Ibid. 7.
meus cor meum, hoc est, visum exteriorem refrenavi ab eorum intuitu, ad quæ inspicienda inclinatio cordis movebat. Itaque si tantum reprehenditur David, qui

Digitized by Google

ideo concupivit, quia inspexit : quanta increpatione sunt digni, qui idcirco inspiciunt, quoniam concupiscunt?

Misit David ad Joab, dicens : Mitte ad me Uriam. David de adulterio suo statim non pœnitens, ad tantam quoque iniquitatem mox corruit, quod prolem ex suo semine nascituram, optavit legitimo contorali adscribi, et ei in hereditate succedere. Deinde virum illum justum circumvenire tentavit et inebriavit. Quem quum a justo suo proposito non posset avertere, accusavit eum principi militum false, ac jussit in mortem præcipitari, retribuens ei mala pro bonis; et traditor factus, in tantum fraudulenter egit cum milite strenuo ac fideli, quod propriæ mortis epistolam fecit eum portare. De cujus etiam morte gavisus fuit, et uxorem ejus accepit : [III *Reg.* xxi, 19.] propter quod poterat ei dici, Occidisti, et insuper possedisti. Sic unum peccatum per pœnitentiam non deletum, mox pondere suo trahit ad aliud, et sæpe ad graviora. Nam David regio cibo delicate refectus, dormivit post prandium, et somnolentiæ dedit locum. Deinde incaute adspexit, vitiose concupivit, irrefrenate implevit, et cetera mala jam recitata illapsus est : quorum omnium origo quædam videtur otiositas exstitisse. Otia quippe dant vitia, et [*Eccli.* xxxiii, 29; *Prov.* xii, 11.] multa mala docet otiositas. Ideo Salomon protestatur : Qui sectatur otium, stultissimus est. Et in Ecclesiastico dicitur : [*Eccli.* xxxiii, 28.] Mitte servum in operationem, ne vacet. Ezechiel [*Ezech.* xvi, 49.] quoque ait : Hæc fuit iniquitas Sodomæ : superbia, saturitas panis, abundantia, et otium ejus; et manum pauperi et egeno non porrigebat.

Et ait Urias : Arca Dei et Israel et Juda habitant in papilionibus, etc. Per Uriam hoc loco intelliguntur viri discreti et pii, qui superioribus suis vel parentibus, aut amicis in tribulatione, infirmitate aut angustia constitutis, in tantum eis compatiuntur, quod renuunt carnaliter delectari ac viliter consolari : quocontra insipientes, lascivi et improbi, non omittunt vacare suis deliciis, vanitatibusque intendere, quid quid eorum propinqui, amici, prælati, seu ecclesiasticæ personæ sustineant. Contra quos scriptum est per Amos : [*Amos* vi, 4, 6.] Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; et nihil patiebantur super contritione Joseph. Præterea, per arcam potest designari Ecclesia; per Israel, contemplativi; per Juda, activi; per Joab et ejus servos, præsidentes et eis subjecti : qui nunc in tentoriis commorantur, quoniam peregrinantur a Domino in præsenti [II *Cor.* v, 6.] exsilio, atque in loco certaminis sunt constituti, multisque tribulationibus affliguntur : idcirco est condolendum, plorandum, non carnaliter delectandum.

Insuper advertendum, quia ut tangit Glossa, interdum quod secundum litteram bonum est, malum in mysterio repræsentat; atque quod malum est in se, bonum mystice signat. Sicque Isidorus per David hoc loco intelligit Christum, per Uriam diabolum, per Bethsabee Ecclesiam ex gentilitate collectam : ita quod sicut David, occiso Uria, sortitus est conjugem ejus; sic Christus, victo diabolo, copulavit sibi Ecclesiam ex gentibus, quam ante possedit diabolus. Alii per Uriam intelligunt Synagogam, per Bethsabee legem, per David Christum, qui Synagoga conculcata ac derelicta, legem transtulit ad Ecclesiam, secundum intelligentiam spiritualem atque ad evangelicæ legis confirmationem.

Postremo, circa hæc advertendum, quia (ut scribit Guillelmus Parisiensis libro de Fide et legibus) tales expositiones quosdam audientes et legentes graviter offendunt, dum imperite proponuntur. Propter quod ait : Significationes non litterales, quatuor modis fiunt. Primo, ipso facto, ut dum res ad hoc factæ sunt, ut aliquid significarent, ut quod Isaias fuit nudus et [*Is.* xx, 2.] discalceatus, et Ezechiel fecit sibi vasa [*Ezech.* xii, 3, 7.] transmigrationis. Secundo, quando aliquid dicitur expresse ad significandum, ut illud Ezechielis, Aquila grandis magnarum [*Ibid.* xvii, 3.] alarum : per quam significatur ibi rex Babylonis. Tertio, per consequentiam, ut quod

Digitized by Google

ubi prohibetur idololatria exterior corporalis, prohibetur consequenter idololatria spiritualis. Quarto, per rerum similitudinem, quæ non ad hoc factæ sunt ut significent. Et tres primæ expositiones non sunt audientium offensivæ, sed quarta hæc, si inepte proponatur : ut si dicatur, Hoc significat illud. Si autem dicatur, quod similitudo seu modus unius designat modum alterius, non est offensivum, quemadmodum per Jeremiam non ait Dominus quidquam de significatione, sed modum et similitudinem tantum exprimit, dicens : Quomodo si mulier contemnat amatorem suum, sic contempsit me domus Israel; nec dixit quod amator hujusmodi significet ipsum, sed modum expressit et similitudinem inter amatorem et mulierem, et inter se et Synagogam. Si hoc modo loquerentur expositores in allegoriis et tropologiis suis, non offenderent audientes; sed quoniam dicunt, Tale quid significat tale quid, et est figura vel prophetia seu parabola talis rei, quum alterum non sit dictum aut factum propter alterum significandum, offendunt graviter audientes, sicut in facto David et Uriæ, ubi dicunt, quod David qui utique in illo facto fuit proditor, adulter et homicida, significat Christum, et Urias vir fidelis et sanctus, diabolum, et Bethsabee Ecclesiam. Si autem sic dicerent, Sicut David amavit uxorem Uriæ, et præ ejus amore procuravit mortem sui mariti, sic Rex cœlorum amavit Synagogam sive Ecclesiam, ac præ ejus amore destruxit diabolum vel principes Synagogæ, et eam assumpsit in sponsam, non offenderent audientes. Hæc doctor præfatus.

Jer. III, 20.

ARTICULUS XX

EXPLANATIO CAPITULI DUODECIMI : MISIT ERGO DOMINUS NATHAN AD DAVID.

HIC recitantur increpatio ac pœnitentia David, et misericordia ei a Deo exhibita. *Misit ergo Dominus Nathan ad David* ad increpandum. Dominus autem totum quod gestum fuit a David circa Uriam et conjugem ejus, revelaverat Nathan prophetæ. *Qui quum venisset ad eum, dixit ei : Responde mihi judicium,* id est, justam sententiam profer de causa quam tibi proponam. *Duo viri erant in civitate una.* Nathan proposuit parabolam, et David putavit eum referre rem gestam. Voluit autem Deus ipsum David sic circumveniri, et propria capi responsione, ut cognita sua culpa, profundius humiliaret se ipsum, nulla via evadendi aut excusandi inventa. Exponendum est itaque, quid parabola ista signaverit. Duo viri, videlicet David et Urias, erant in civitate una Jerusalem, *unus dives,* quia David fuit rex opulentus, *et alter pauper,* comparative loquendo : nam quamvis esset dives miles, tamen respectu regis fuit pauper. *Dives habebat oves et boves plurimos valde,* quia David multas habuit uxores et concubinas; *pauper autem nihil habebat omnino præter ovem unam parvulam:* nam Urias unam dumtaxat habuit conjugem, quæ respectu regalium feminarum modica fuit dignitate; *quam emerat,* dando pro illa, *et nutrierat, et quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, et de calice illius bibens,* id est, adolescentulam illam accepit, quæ fuit sibi commensalis quasi domestica ovis, non pascualis, *et in sinu illius dormiens,* id est contoralis; *eratque illi sicut filia,* id est valde familiaris atque dilecta. *Quum autem peregrinus quidam venisset ad divitem,* id est, spiritus fornicationis, alienus

Digitized by Google

a patria Beatorum, accessisset David, ipsum tentando; *parcens ille sumere de ovibus et de bobus suis,* id est, nullam uxorum suarum cognoscens, *ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se,* id est, spiritum fornicationis oblectaret satisfaciendo concupiscentiæ, in quo delectatur immunditiæ spiritus, *tulit ovem viri pauperis, et præparabat * cibos homini illi qui venerat ad se,* id est, uxorem Uriæ cognovit.

* præparavit

Iratus autem David zelo justitiæ *adversus hominem illum indignatione nimis, dixit ad Nathan : Filius mortis est vir qui fecit hoc,* id est morte dignus. Quamvis enim secundum legem fur non occidebatur pro furto, tamen furtum seu rapina poterat ex circumstantiis et aliis additamentis in tantum gravari, quod mortis sententiam incurrebat. *Ovem reddat in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit,* id est, quatuor oves pro una sublata restituat, prout in Exodo præceptum est. [Exod. xxii, 1.] Salomon tamen in libro Proverbiorum ait de fure, quod deprehensus, [Prov. vi, 31.] septuplum restituet. Reges namque secundum exigentiam causæ, loci et temporis ac personæ, poterant circa judicialia legis præcepta addere aliqua pro majori rigore, non tamen textum Scripturæ mutare. Hinc et Zachæus ait ad Christum : Si quem defraudavi, reddo quadruplum. [Luc. xix, 8.] Porro pro uno bove sublato, jussit lex restitui quinque boves. [Exod. xxii, 1.] Ad propositum quoque, pro eo quod David occidit Uriam, occisi sunt quatuor filii ejus. [II Reg. xii, 15 18; xiii, 28, 29; xviii, 14; III Reg. ii, 25.] Nam primogenitum ejus ex Bethsabee Dominus fecit mori, postea Absalon occidit Amnon, Joab Absalonem, Salomon Adoniam : quod Deus partim permisit in ultionem tanti flagitii David.

Dixit autem Nathan ad David : Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego unxi te in regem, id est feci te ungi, *super Israel, et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui,* id est bona Saul, qui fuit ad tempus dominus tuus, *et uxores domini tui in sinu tuo.* Alibi non legitur, A quod uxores Saul defuncti duxerit David in conjuges : attamen forsitan fecit hoc. Non enim omnia gesta sunt scripta. Vel si non fecit hoc, tantam tamen habuit dominationem in populo, quod poterat facere. *Dedique tibi domum Israel et Juda,* id est, tam tribum Juda, quam ceteras tribus Israel tibi subjeci. *Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora :* quasi dicat, Non sunt parva. Attamen comparatione supernaturalium donorum, beneficiorumque gratiæ, præsertim gratum facientis, quæ B Dominus dederat David, parva fuerunt ista exteriora. Denique ista locutus est Dominus, quatenus ex consideratione multitudinis ac magnitudinis beneficiorum Dei, transgressio David gravior appareret, sicque vehementius pœniteret. Vel dixit hæc Deus, improperando ipsi David beneficia tanta ex zelo justitiæ, ad confundendum ingratitudinem, congeriemque vitiorum ipsius. Verumtamen Deus omnipotens, liberalissimus, supernobilissimus et immensus, nec ex parcitate, neque ex instabilitate, nec C quantum in se est, improperat beneficia sua alicui, secundum quod Jacobus apostolus ait de eo, Qui dat omnibus affluenter, et non improperat; [Jacob. i, 5.] sed quod interdum ex zelo justitiæ, et pro impiorum justa confusione, atque ut ingratorum malitia clarius innotescat vel eis vel aliis, Deus quandoque improperet, in multis patet locis Scripturæ, præsertim in Ezechiele et alibi sæpe. [Ezech. xvi.]

Quare ergo contempsisti verbum Domini, id est præceptum ejus de adulterio homicidioque vitandis? [Exod. xx, 13, 14; Lev. xx, 10.] D quum tamen debuisses Deo tanto gratior obedientiorque fuisse, quanto majora ac plura ab eo beneficia suscepisti. Porro in omni mortali peccato, est implicite aut æquivalenter, aut formaliter et directe contemptus Dei et ejus præcepti, eo quod homo tam irreverenter se habeat coram Deo, nec sollicitus sit ejus præsentiam venerari. Sed vix aliquis potest esse tam malitiosus, ut formaliter et directe contemnat Dei verbum, id est, ex aspernatione Dei seu vilipensione actuali

Digitized by Google

sui præcepti peccet, quales videntur fuisse, (Job xxi, 14.) de quibus in libro Job legitur : Dixerunt Deo, Recede a nobis, scientiam viarum (Ibid. 15.) tuarum nolumus. Et rursus : Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? *Ut faceres malum in conspectu ejus,* cujus præsentiam et intuitum non pensasti, tam impie te habendo. Quod ait, *ut,* exponendum est concomitanter, non directe causaliter, sicut (Ps. L, 6.) in Psalmo, Tibi soli peccavi, ut justificeris. *Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius,* id est gravis tribulatio seu interfectio, *de domo,* id est posteritate *tua* ac sobole, *usque in sempiternum,* quamdiu duraverit in hoc mundo, præsertim nisi juste agendo relaxationem promereatur; *eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua.* Sed quum mala culpæ non sint a Deo, nec proles aliquid sit suorum parentum quantum ad spiritum suum, sed quoad corpus : quomodo intelligendum est, quod mala hæc culpæ inflicta sint a Deo posteritati et soboli David, propter ipsius David transgressionem? Et respondendum, quod mala hujusmodi, in quantum sunt formaliter mala culpæ, non fuerunt a Deo, nisi permissive, nec aliquid positivum erant; sed in quantum mala pœnalia, erant a Deo etiam effective, quoad id quod entitatis fuit in eis. De tali enim malo scri- (Amos iii, 6.) ptum est : Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit? Unde et per Isaiam (Is. xlv, 7.) Dominus loquitur : Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum. Et juxta hunc modum intelligenda sunt quæ sequuntur.

Itaque hæc dicit Dominus : Ecce ego suscitabo, id est, venire faciam, *super te malum* magnæ tribulationis *de domo tua:* et ita fuit effective a Deo. Quod etiam fuit malum gravissimæ culpæ : et ita fuit a Deo permissive; nec tamen Deus permisisset filios David ad tanta corruere scelera, sed gratiam ea vitandi ipsis dedisset, si ipsi fecissent quod erat in ipsis. *Et tollam uxo-* A *res tuas in oculis tuis,* id est evidenter, ita quod hoc statim percipere poteris, *et dabo proximo tuo,* id est proprio filio tuo, videlicet Absaloni; *et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus,* id est scientibus eis, qui aderunt, manifeste. Quod qualiter factum sit, infra habetur, ubi narratur (II Reg. xvi, 22.) quod tetenderunt Absaloni in solario tabernaculum, ubi publice intravit ad decem concubinas patris sui. Ex quo etiam constat, quod concubinæ illæ erant veræ uxores David, sed secundariæ et minus prin- B cipales, propter quod concubinæ vocantur. *Tu enim fecisti abscondite* adulterium cum uxore Uriæ : quamvis enim vocavit et introduxit eam per nuntios, occulte tamen peccavit cum ea, vel saltem perpaucis scientibus; *ego vero faciam verbum istud,* id est rem significatam per verba hæc, *in conspectu omnis Israel,* qui fuit cum Absalone, *et in conspectu solis hujus,* id est in exteriori adspectu, qui fit per lumen solare. Verumtamen multa tropice in Scripturis dicuntur, ut illud, Mare vidit et fu- (Ps. cxiii, 3.) C git : sicque sol dicitur conspexisse; et item quoniam alios facit conspicere, lucem fundendo, quæ ad exteriorem requiritur visum, vel propter colores, vel propter medium, vel propter visum ipsum, aut propter plura eorum.

Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino, id est, ad Dei injuriam male, imo et pessime, feci. *Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit,* id est, a te abstulit, et tibi dimisit, *peccatum tuum,* id est congeriem scelerum quæ fecisti : quæ D omnia quantum ad culpam, tibi ignovit eodem momento, quo ex vera contritione dixisti, Peccavi Domino; sed quoad pœnam, non dimisit ea tibi plenarie, quia Deus inultum ire non patitur ullum pecca- (Job xxiv, 12.) tum, ut fertur in Job. Et tamen ipsa contritio de peccato, est magna pars ultionis, imo et satisfactionis, sicut et pudor de enormitate et turpitudine culpæ, similiter humilis confessio oris : imo contritio, pudor, humiliatio possent esse ita intensæ, quod totam delerent iniquitatem, etiam

Digitized by Google

quantum ad pœnam, prout doctores super quartum Sententiarum declarant. Denique, quod David dixit, Peccavi Domino, potest intelligi sicut et illud quod ait in Psalmo, *Ps.* L, 6. Tibi soli peccavi. Quocirca asserit Glossa, quod rex qui superiorem in terra non habuit, soli Deo qui ejus fuit judex, peccavit. Verumtamen David etiam valde peccavit in proximum, cujus violavit uxorem, et cujus occidit personam; sed non peccavit in proximum tanquam in judicem se superiorem, sed tanquam in eum quem damno atque injuria læsit. *Non morieris* morte æternæ damnationis, ut meruisti peccando, quoniam merito tuæ contritionis et humilis confessionis, pœna illa æterna, in temporalem pœnam est commutata. Vel, Non morieris statim morte temporali ac corporali, quæ secundum legem est inferenda homicidis atque adulteris. *Exod.* XXI, 14; *Lev.* XX, 10.

Certum reor, quod nisi vas misericordiæ electus David, ex inenarrabili contritionis dolore dixisset, Peccavi Domino, nequaquam Nathan propheta tam subito eum consolatus fuisset, dicendo, Dominus transtulit peccatum tuum. Nempe electus vir ille occulta divinæ sapientiæ moderatione tam diu relictus in mentis suæ caligine, ita quod infra tot dies non advertit nec consideravit suæ transgressionis immanitatem, subito præventus et irradiatus ab infinita misericordia Omnipotentis, ex consideratione bonitatis et beneficiorum Dei ad se, atque ex inspectione transgressionis et ingratitudinis suæ, tam vehementissime doluit vera contritione, quod cor suum pene scissum fuit præ doloris acerbitate et quantitate : propter quod, necessarium fuit eum sic consolari. Quod Nathan ex divina illustratione perpendens, tam repente, Deo instigante, consolabatur dolentem. Nam (ut sanctus ait Hieronymus) oportet ut dolor contritionis sit adæquatus multitudini magnitudinique iniquitatis. Et ut beatus dicit Bernardus, non sufficit labiis dicere, *I Reg.* XV, 24, 30. Peccavi : quia et Saul hoc dixit, non tamen veniam obtinuit, quam David uno verbo promeruit. Dicitur quoque in Scholastica historia, quod David verbis Nathan auditis, et dicens, Peccavi Domino, mox descendit de throno consistorii, et sedit in terra, et tanquam verus deicola, non erubuit peccata sua coram omnibus confiteri. Præterea advertendum, qualiter in David impletum est quod in libro Sapientiæ legitur : Quia per quæ quis peccat, per hæc et punitur : *Sap.* XI, 17. quoniam sicut David in alterius uxore et sanguine Deum offendit, maritatam cognoscendo, ejusque virum necando, sic suæ uxores sunt violatæ et filii occisi : et quod gravius erat, a proprio filio uxores ejus violabantur incestu nefario, et filii ejus se invicem occiderunt. *II Reg.* XVI, 22; XIII, 28, 29; XVIII, 14.

Non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. Hoc aliqui sic exponunt, quod homines vitiosi vituperaverunt Deum tanquam injustum, pro eo quod reprobavit et amovit Saul a regno, qui minus peccavit, quam David, in his propter quæ fuit regia successione privatus, non tamen sic reprobando derelinquendoque ipsum David. Ita exponitur istud communiter, sed non videtur idonee dictum, quoniam quando hæc dicebantur a Nathan, peccatum hoc David adhuc latebat, nisi quantum forsan ex increpatione Nathan cœpit vulgari : sicque ob hanc rem nondum fuit Deus ab impiis blasphematus, nisi forsan sumatur præteritum pro futuro, per modum prænuntiationis propheticæ propter certitudinem prophetiæ. Videtur autem sic posse exponi. Nam occasione adulterii fecit David ipsum Uriam ab idolatris Ammonitis occidi, et cum Uria fuerunt et alii interfecti : ex qua victoria Ammonitæ inducti sunt ad laudandum deum suum falsum ac idola : quorum laus, fuit quædam veri Dei blasphemia. Vel forsitan Deum Israel, tanquam impotentem ad suorum defensionem, blasphemarunt, dicentes : Ubi est Deus eorum ? *Ps.* CXIII, 2. Ex his constat, quod infantulus ille propter patris sui iniquitatem vita privatus sit, ita quod pater in filio est punitus : quoniam filius, quan-

tum ad corpus, est aliquid suorum parentum. Nec in isto derogatum est illi infantulo, cui Deus convertit ac ordinavit mortem illam ad majus bonum. Qualiter vero istud non contrarietur divinæ justitiæ, imo nec pietati divinæ, nec verbis Ezechielis ac Jeremiæ, dicentium, Unusquisque in peccato suo morietur, et filius non portabit iniquitatem patris, supra atque in aliis locis dictum est sæpe.

Jer. xxxi, 30; Ezech. xviii, 20, 24.

Præterea ex his apparet, quod increpatus sit David a Nathan longo tempore post adulterii sui perpetrationem, utpote nato infantulo tunc concepto. Quocirca non tantum admiror, quod vir ille tam virtuosus, post tanta gratiarum charismata, repente ad tanta devolutus est scelera, quantum, quod infra totum tempus quod fluxit ab adulterio illo usque ad increpationem ministratam per Nathan, non consideravit suos excessus, neque pœnituit. In quibus omnibus innotescit, quam ineffabiliter magna et miseranda sit humana fragilitas, cæcitas ac defectuositas, et quod vera contritio non nisi ex speciali Dei præventione ac gratia oriatur.

Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus parvulum infirmitate letali, *quem pepererat uxor Uriæ David, et desperatus est* posse convalescere. *Deprecatusque est David Dominum pro parvulo,* ut Deus dignaretur eum supernaturaliter curare. Et quamvis David audivit a Nathan infantulum moriturum, attamen ignoravit an prophetia illa fuerit prænuntiatio comminationis et conditionatæ assertionis, sicut prophetia de obitu Ezechiæ, subversioneque Ninive. *Et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum* in locum secretum, orationi, compunctioni, et lacrimis aptum, *jacuit super terram,* se ipsum profunde humiliando coram Altissimo. *Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes,* id est obnixe et quasi importune rogantes *eum, ut surgeret de terra* ad edendum. *Qui noluit, nec comedit cum eis cibum. Accidit autem die septima ut moreretur infans.* Unde aliqui dicunt, quod

IV Reg. xx, 1-7; Is. xxxviii; Jonæ iii, 4-10.

A circumcisus non fuit, quia circumcisio fiebat die octavo. Alii putant, quod in periculo licuit tempus hoc prævenire. *Timueruntque servi David nuntiare ei quod mortuus esset parvulus. Dixerunt enim : Ecce quum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram : quanto magis, si dixerimus, Mortuus est puer, se affliget? Quum ergo David audisset servos suos mussitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus. Dixitque ad servos suos : Num mortuus est puer?* B *Qui responderunt ei : Mortuus est.*

Surrexit ergo David de terra, cognita morte infantuli, nolens de malo irremediabili se ipsum magis affligere, *et lotus unctusque est.* Nam faciem lavit, et unguento aut balneo usus est. *Quumque mutasset vestem,* quia in veste pœnitentiali Dominum exoravit, flevit et jejunavit, et forsan in cilicio aut in sacco, *ingressus est domum Domini,* id est tabernaculum, in quo constituerat arcam, *et adoravit* Dominum, gratias agens justis ac piis judiciis C ejus; fuitque patiens in suarum precum et abstinentiarum repulsione ac filii morte, conformans in hoc voluntatem suam voluntati ac ordinationi divinæ. Exhilaravit quoque ita se ipsum, ut consolaretur ipsam Bethsabee, quam diligebat. *Et venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, et comedit. Dixerunt autem ei servi sui : Quis est sermo quem fecisti? Propter infantem, quum adhuc viveret, jejunasti et flebas; mortuo autem jam puero, surrexisti, et comedisti panem. Qui* D *ait : Propter infantem, quum adhuc viveret, jejunavi et flevi; dicebam enim : Quis scit, si forte donet mihi eum Dominus, et vivat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare jejuno? Numquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad eum; ille vero non revertetur ad me.*

II Reg. vi, 17.

Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam, dormivit cum ea : non ante ejus purificationem secundum legem, sed tempore procedente. *Quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus*

Lev. xii, 4.

Digitized by Google

Salomon : quod interpretatur pacificus; sicque Deo inspirante ac disponente vocatus est, quoniam fuit puer, de quo Deus (II *Reg.* VII, 12-16.) per Nathan prædixerat David regi, quod filius ejus ei successurus in regno, in quiete et pace regnaret, ac templum construeret. *Et Dominus dilexit eum.* Quamvis (*Sap.* XI, 25.) Deus diligat cuncta quæ fecit, rationales tamen creaturas proprie dicitur diligere quas prædestinavit, sicut de Jacob per Malachiam (*Malach.* I, 2.) testatur : Jacob dilexi. Hinc multi conjiciunt Salomonem esse salvatum. Qui autem super hoc dubitant, aut aliter opinantur, dicunt quod Dominus Salomonem dilexit, quia ad tempus fuit bonus et gratiosus, et quia multis naturalibus ac temporalibus bonis eum ornavit. Dicitur enim Deus aliquem duobus modis diligere, utpote dilectione prædestinationis æternæ, qua soli diliguntur electi, et dilectione præsentis justitiæ, qua diliguntur a Deo omnes qui in caritate exsistunt. *Misitque in manu Nathan prophetæ,* id est, ipsum Nathan misit ad puerum, et per ministerium Nathan imposuit puero aliud nomen. Unde subjungitur, *et vocavit nomen ejus, Amabilis Domino,* id est JEDIDIAH in Hebræo, quod interpretatur dilectus Domini, vel amabilis Deo, *eo quod diligeret eum Dominus.* Aliqui [textus] habent, Misitque eum in manu Nathan prophetæ, id est, Salomonem commisit ac voluit Deus educari ac informari per Nathan, ut in virtutibus crescens, fieret dignus regno.

Consequenter describitur qualiter capta est Rabbath. *Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, et expugnabat urbem regiam. Misitque Joab ad David nuntios, dicens : Dimicavi adversum Rabbath, et capienda est urbs Aquarum,* id est Rabbath metropolis aquis vallata. Vel, ut aliqui dicunt, Urbs Aquarum, id est populorum, quoniam fuit plurimum populosa. *Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam, ne quum a me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria.* Hoc Joab vel ex humilitate, vel ex quadam fidelitate ad

A regem ei denuntiavit; vel potius ex quadam versutia, adulatione, et ambitione, quia ambitiosus erat, et regi complacere desiderans, gratiam ejus captavit, ut in suo firmaretur officio. *Congregavit itaque David omnem populum* prælio aptum atque residuum, *et profectus est adversum Rabbath. Quumque dimicasset* cum suo exercitu contra urbem, *cepit eam.*

Et tulit diadema regis eorum de capite ejus. Per regem Ammonitarum non intelligitur hic filius Naas regis, qui patri suo

B Naas successit in regno, sed falsus deus seu idolum Ammonitarum, nomine Melchom, quod interpretatur, rex eorum. Unde primo Paralipomenon legitur : Tulit autem (I *Par.* XX, 2.) David coronam Melchom de capite ejus. Circa hoc scribit Hieronymus, et habetur in Glossa super [primum] Paralipomenon : Tradunt Hebræi : quod illicitum erat Judæis de idolis aliquid auri vel argenti accipere, quia lex idololatriam vetat; ideo (*Exod.* XX, 3-5.) Ethai, qui de Philistæis ad David venerat, rapuisse coronam de capite Melchom, ut

C liceret David Judæo de manu hominis capere, quod de capite idoli capere sibi non licuit. *Pondo auri talentum :* quia hoc diadema continebat in pondere talentum auri, juxta illius regionis mensuram; *habens gemmas pretiosissimas.* Hinc in Scholastica fertur historia : Erant in diademate illo gemmæ pretiosæ et auri talentum. Verumtamen David juxta tenorem legis primo conflavit et purgavit metallum, et postea sibi inde diadema formavit, in cujus medio sardonycem incomparabilem collocavit.

D Nec tamen in hoc fecit contra illud Deuteronomii, Sculptilia eorum igni combures, et non concupisces aurum et argen- (*Deut.* VII, 25.) tum de quibus facta sunt : quia hoc fuit præceptum de idolis, idolorumque ornamentis, quæ erant in terra promissionis, quando filii Israel primo ingressi ac demoliti sunt eam. *Et impositum est super caput David. Sed et prædam civitatis asportavit multam valde.*

Populum quoque ejus adducens, ad forum judicii seu locum supplicii, *serravit,*

Digitized by Google

id est, serris divisit per medium, *et circumegit super eos ferrata carpenta*, id est ferrea seu ferrata quædam vehicula rostris incidentia, scilicet currus falcatos sive ferratos, imo carpentis hujusmodi ipsos serravit. Carpentum namque securis est. *Divisitque cultris, et traduxit in typo laterum*, id est, cultros traduxit seu traxit per eos eo modo, quo traducuntur cultelli per lateres adhuc molles, ut apte formentur seu figurentur. Itaque quosdam per vehicula illa serravit, vel serris divisit, quosdam cultris secavit : nec tantum rigorem exercuisset in eos mansuetus et pius rex David, nisi valde peccassent in Deum et in populum suum ac se. Verumtamen non punivit totum populum illum hoc modo, sed eos qui consilium dederant regi suo, qui præfato modo servos (II *Reg.* x, 3, 4.) David irrisit. *Sic fecit civitatibus universis filiorum Ammon*, id est rectoribus civitatum illarum, qui ad illam irrisionem instigaverunt, aut simili modo specialiter ac graviter erant culpabiles. Non enim omnes nobiles terræ illius occidit, imo nec omnes filios regis Naas, sed filium ejus regem, a quo servi sui fuerunt irrisi. Unde infra legitur, quod Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, præbuit David regi necessaria quando fugit a facie Absalonis. (II *Reg.* xvii, 27-29.) Nam illum Sobi constituit regem pro fratre suo quem interfecit. Porro, primo Paralipomenon scriptum est, quod David eduxit populum Rabbath, et fecit super eos tribulas et trahas et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur et contererentur. (I *Par.* xx, 3.) Tribulæ autem vocantur vehicula, quibus teruntur messes. Et ut ait Isidorus, tribula est genus vehiculi, quo teruntur frumenta. Trahæ vero dicuntur alia genera vehiculorum, quæ rotas non habent, vel instrumenta quæ trahuntur super terram de novo seminatam ad complanandum eamdem. *Et reversus est David et omnis exercitus* ejus *in Jerusalem.* Non tamen habitaverunt omnes ibidem, sed cum rege ingressi sunt primum illuc communiter, deinde redierunt in sua. Asportavit etiam secum de Rabbath plurimam prædam.

ARTICULUS XXI

DE EJUSDEM CAPITULI DUODECIMI INTELLIGENTIA SPIRITUALI.

(*Ps.* cxliv, 3; cxlvi, 5.) PER hoc quod Deus (cujus sapientiæ non est finis aut numerus) increpavit David regem, per os Prophetæ proponendo illi paradigma aptissimum, datur intelligi, quod excellentes personæ, præsertim reges et principes, non qualitercumque, sed parabolica locutione, aut pia quadam circumventione, aut captatione benevolentiæ eorumdem sint arguendi, ne si nimis audacter aut irreverenter reprehendantur, magis exasperentur. Ideo scriptum est : Noli resistere contra faciem potentis, neque coneris contra ictum fluvii. (*Eccli.* iv, 32.)

Insuper, ex isto docemur capitulo, quam enorme vitium sit adulterium, quod (non obstante intensissima contritione, profundissima humiliatione, integerrima emendatione beati David) Deus omnipotens tam horribiliter ac multipliciter in illo punivit, ut patuit et patebit. Qualis ergo post vitam hanc erit eorum damnatio, qui quum nunc non semel dumtaxat, sed et frequenter adulterii crimen committere non verentur, non tamen in vita hac castigantur. Nonne post vitam præsentem ineffabiliter torquebuntur? Ideo Salomon dixit: Si justus in terra (*Prov.* xi, 31.)

Digitized by Google

recipit, quanto magis impius et peccator? A
Hebr. xiii, 4. Et Apostolus ad Hebræos : Fornicatores et
adulteros judicabit Dominus. Denique hujus facinoris enormitatem, proportionatamque ultionem tangit sanctus Job, di-
Job xxxi, 9-12. cens : Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alterius uxor mea, et super illam incurventur alii. Hoc etenim nefas est et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.

B Amplius, ex isto capitulo arguuntur avari, raptores, et pauperum impotentiorumque oppressores, qui si aliquando expensas alios bene tractando faciant, nituntur expensa ab impotentioribus et egenis recuperare et extorquere : quorum iniquitas clamitat ante Deum, et diram expetit ultionem. Qui autem lauta tenent convivia, aliosque invitant desiderio laudis humanæ, aut simili elatione seu injusta intentione, faciunt hoc accedente ad eos peregrino, puta diabolo : qui respectu electorum qui diu in peccatis non permanent, recte di- C citur peregrinus, quia non diu in eorum cordibus commoratur. In reproborum autem et impœnitentium cordibus habitat tanquam civis.

Iratus autem David adversus hominem illum. Sic multi, cognito aliorum excessu, zelo videntur justitiæ incitari et inflammari contra peccatores; sed propria vitia non emendant, imo nec pensant, nec corrigi et objici sibi ea æquanimiter patiuntur : de quibus constat, quod nec alios ex caritate corripiant, quoniam caritas incipit a se D ipsa, id est proprio suo subjecto. Nempe
Luc. ix, 25. quid proficit homo si universum mundum lucretur, et perdat se ipsum? Ideo in Ec-
Eccli. xxx, 24. clesiastico scriptum est : Miserere animæ
Prov. xviii, 17. tuæ placens Deo. Et in Proverbiis : Justus in principio accusator est sui. Unde et in
Matth. vii, 3, 5. Matthæo ait Salvator : Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

Tu es ille qui fecisti hanc rem. Hoc improperari potest ac objici his, qui contra propriam operantur doctrinam, et quæ condemnant in aliis, perpetrare non verecundantur. Quorum unicuique dicet Judex : Ex Luc. xix, 22.
ore tuo te judico, serve nequam. Unde ad Romanos ait Apostolus : Existimas autem, Rom. ii.
o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quod tu effugies judicium Dei? Et denuo ibidem : Qui prædicas non fu- Ibid. 21, 22.
randum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abhorres idola, sacrilegium facis. *Quare contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu ejus?* Pensemus quam enorme atque damnabile sit præceptum Dei contemnere, et Deo inspiciente, mandata ipsius violare : et tamen id agit omnis qui peccat mortaliter. Advertamus beneficia Dei generalia ac specialia super nos et in nobis, et ita pensare poterimus, quam enormia sint nostra peccata, et satagemus vitare ea.

Dixit David : Peccavi Domino. Ita et nos a superioribus aut proximis nostris correpti, recognoscamus humiliter proprias culpas, nec corripienti indignemur, nec excusemus vel alleviemus vitia nostra, certi quod in multis offendimus, et innumera- Jacob. iii, 2.
bilia lateant nosmetipsos. Nam ut Salomon loquitur, Viro qui corripientem dura cer- Prov. xxix, 1.
vice contemnit, repentinus superveniet interitus. Ecce David non dixit reprehensori : Numquid consiliarius regis es? Imo celerrime etiam coram aliis sua confitebatur ac deflevit peccata. Ita agamus et nos, nec publice argui et pœnitere ac recognoscere nostra peccata erubescamus. *Ingressus* David *seorsum, jacuit super terram.* Ita et nos ad orandum intente, quæramus locum seorsum quietum, abstractum, sicut docet Salvator : Tu autem cum oraveris, Matth. vi, 6.
intra cubiculum; et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Hinc fertur in Actis, quod Petrus ascendit in superiora, Act. x, 9.
ut oraret. Et scriptum est in Luca, quod ascendit Christus in montem orare. Ora- Luc. vi, 12.
tioni autem jejunium, aut saltem sobrietas jugiter debet addi, et humiliatio magna

Digitized by Google

cordis ac corporis, et aspera vestis, quatenus caro castigetur. Qui enim sunt Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. Quod si ad libitum non fuerimus exauditi, non ob hoc pusillanimes mox reddamur, sed Deo subjecta sit anima nostra in omni spe, humilitate et patientia vera; et propter inevitabilia mala non doleamus inordinate, nec amicos seu propinquos defunctos inconsolabiliter defleamus, sed divinæ providentiæ et justis ejus judiciis subditi simus.

Galat. v, 24.

Ps. LXI, 2.

Pugnabat Joab contra Rabbath. Sic miles Dei contra omnem sæculi vanitatem, fœditatem et impietatem jugiter debet pugnare. Complementum autem hujusmodi prælii debet per Christum fieri velle, et non sibi, sed Domino omnem triumphum adscribere. Nam ipse est, qui operatur in nobis velle atque perficere ex sua piissima voluntate. *Congregavit David omnem populum.* Sic Salvator suos electos unit per fidem, spem, caritatem, quatenus contra suæ salutis adversarios concorditer prælientur, et adjuvent in tali conflictu se mutuo. *Tulit diadema regis eorum, et impositum est super caput David.* Impii sunt quasi corona diaboli, qui dum convertuntur ad Dominum, fiunt diadema ipsius, juxta illud Isaiæ : Eris quasi corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.

Philipp. II, 13.

Is. LXII, 3.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTIIDECIMI : FACTUM EST AUTEM POST HÆC.

MODO narratur qualiter Dominus (sicut per Nathan prædixit) suscitavit, vel permissive vel effective super David malum de domo sua. *Factum est autem post hæc, ut* ipsius *Absalon filii David sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret filius David Amnon,* qui etiam fuit frater ipsius Thamar ex parte patris, ut infra tangetur : sed ipsa vocatur specialiter soror Absalonis, quoniam ex utroque parente fuit soror sua; *et deperiret in eam valde,* non solum corporali languore, sed et libidinosa ac vitiosa affectione, *ita ut propter amorem,* id est ex vehementi et prædominante amore *ejus* carnali, *ægrotaret.* Fuit etenim amor ἔρως, qui sæpe corporalem inducit languorem, imo aliquando mortem. Nam passiones appetitus sensitivi, quum fiant cum corporali transmutatione, eo quod sint in organo corporali, quanto sunt intensiores et immoderatiores, tanto immoderatius atque nocivius corpus immutant. Sic et juvenis ille qui beatissimam Agnetem amavit, præ ejus ægrotavit amore. *Quia quum esset virgo* ipsa Thamar, *difficile ei videbatur, ut quidpiam inhoneste ageret cum ea :* non quod virginis deflorationem vel incestum horreret, quia passionis vehementia fuit victus et excæcatus, sed quoniam filiæ regis virgines sub arcta et diligenti erant custodia, ita quod viris non patebat ad eas privatus et periculosus accessus. Propter quod Josephus ait : Quum neque propter virginitatem, neque propter custodiam ejus posset prævalere, crudeli percussus vulnere carpebatur.

Erat autem ipsius *Amnon amicus, nomine Jonadab, filius Sammaa fratris David, vir prudens valde.* Vera prudentia non nisi virtuosis inest hominibus, ut etiam in Ethicis docet Philosophus. Quum ergo in isto negotio Jonadab vitiosissime se habuerit, non utique prudens, sed nequam et callidus fuit, quando consuluit istud quod sequitur. Verumtamen ex naturali disposi-

Digitized by Google

tione et aliis causis potuit esse ad prudentiam veram dispositus, prudensque fuit, si quando fuit virtuosus. Jonadab iste, in Josepho Jonathan appellatur. *Qui dixit ad eum : Quare sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies?* tanquam dicat : Quum sis primogenitus tanti regis, et successurus ei in regno, merito esses jucundus ac florens. *Cur non indicas mihi?* quum sim tibi familiaris et fidelis amicus : et tamen revera non fuit verus amicus, quia (ut etiam Tullius protestatur) quidquid contrariatur virtuti, repugnat et amicitiæ. *Dixitque ei Amnon : Thamar sororem fratris mei Absalon amo,* in tantum, quod ex amoris magnitudine et alteratione corporali excessiva illam sequente ægroto, nec edere valeo : sicque pallor et macies signa sunt amoris. *Cui respondit Jonadab : Cuba super lectum tuum, et languorem simula,* alium, inquam, languorem quam eum quem habes. *Quumque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei : Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum et faciat pulmentum, et comedam de manu ejus.*

Accubuitque Amnon et quasi ægrotare cœpit. Quumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem, qui visitavit Amnon jacentem in lecto : *Veniat, obsecro, Thamar soror mea.* Amnon loquens ad Jonadab, dixit, Sororem fratris mei, non, Sororem meam, amo : quatenus Jonadab minus abhorreret illum amorem tam libidinosum. Sed loquens ad patrem, Veniat, inquit, soror mea : ut rex minus suspicaretur aliquid mali. *Et faciat in oculis meis,* utpote me præsente, ut eam intuendo sic occupatam delecter, *duas sorbitiunculas,* id est pulmenta apta ad glutiendum. Tamen ut Josephus scribit, erant frixæ collyridæ : quæ quid sint, supra patuit. (II *Reg.* vi, 19.) *Et cibum capiam de manu ejus. Misit ergo David ad Thamar domum, dicens : Veni in domum Amnon fratris tui, et fac ei pulmentum.*

Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui. Ille autem jacebat. Quæ tollens farinam, miscuit ; et liquefaciens in oculis A *ejus, coxit sorbitiunculas. Tollensque quod coxerat, effudit* in scutellam seu vas, *et posuit coram eo, et noluit comedere. Dixitque Amnon : Ejicite universos a me. Quumque ejecissent omnes, dixit Amnon ad Thamar : Infer cibum in conclavi,* ut in loco illo secreto apto facinori fruar te, *ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas quas fecerat, et attulit ad Amnon fratrem suum in conclavi. Quumque obtulisset illi cibum, apprehendit eam, et ait : Cuba mecum, soror mea.* Sororem B vocat, ne illa scelus percipiat, et amoroso nomine ad consensum trahatur. *Quæ respondit : Noli, frater mi.* Fratrem suum vocat, ut tantæ propinquitatis nomine audito, retraheretur a crimine. *Noli opprimere me,* quum etiam alienam opprimere sit iniquum. *Neque enim hoc fas,* id est licitum, *est in Israel,* hoc est, quia in lege prohibitum est sub pœna mortis. (*Lev.* xx, 17.) *Noli facere stultitiam hanc,* hoc est opus tam irrationabile et brutale, in quo ratio et omnis sapientia maxime absorbentur. Estque stulC tissimum taliter vinci libidine. *Ego enim ferre non potero opprobrium meum,* hoc est, tam ignominiosam mei constuprationem, nec occultare potero, nec æquanimiter tolerare. *Et tu eris quasi unus de insipientibus in Israel,* hoc est, diffamiam magnam incurres, et reputaberis fatuus homo, quum tamen oporteat te bonæ famæ studere, ut possis patri tuo in principatu succedere. Porro, quod ait, Quasi, dicit hic veritatem, non similitudinem tantum. *Quin potius loquere ad regem, et non negabit* D *me tibi* dare in conjugem.

Dicunt aliqui, quod David in bello acquisivit matrem istius Thamar, et quod mater ejus tunc fuit prægnans hac filia ab alio viro, sic quod non fuit naturalis filia David, et per consequens, nec vera naturalisque soror ipsius Amnon. Sed hoc non videtur textui concordare, nec in aliqua authentica reperitur historia. Et super illud Ezechielis, Frater sororem suam in te polluit nefarie, (*Ezech.* xxii, 11.) communiter dicunt expositores, quod intelligatur de Amnon et Tha-

Digitized by Google

mar. Ideo potius reor, quod Thamar protulit verba hæc ut averteret fratrem suum a tanto facinore, spe obtinendi eam licite et honeste; et quamvis mentiretur, dicendo, Rex non negabit me tibi, fuit officiosum mendacium et leve peccatum. Hoc et Josephus sensisse videtur, dicendo : Thamar ita locuta est, ut ad tempus petulantem fratris sui impetum valeret refrenare. Magister quoque in historiis : Hoc, inquit, dicebat, ut subterfugeret manus ejus. Verumtamen aliqui dicunt, præceptum legis

Lev. XVIII, 9. prohibens sororem ex patre a fratre sumi in conjugem, esse intelligendum, quando frater et soror fuerint gentis ejusdem : Thamar autem fuit filia Maacha mulieris gentilis, quam tamen (ut creditur) David ad Judaismum convertit; Amnon vero ex utroque parente fuit Israelita : sicque potuisse Thamar fieri conjugem Amnon. Sed istud salvari non potest, quoniam in Deuterono-

Deut. XXVII, 22. mio legitur : Maledictus qui dormit cum sorore sua filia patris sui vel matris suæ.

Lev. XX, 17. Idem quoque in Levitico perhibetur.

Noluit autem Amnon acquiescere precibus ejus rationabilissimis, *sed prævalens viribus oppressit eam, et cubavit cum ea.* Sed quæri potest, cur non clamavit, quum

Deut. XXII, 24. secundum legem debuisset clamare, quia fuit in civitate, imo in palatio, nec longe erant qui poterant subvenire. Forsan ne fratrem suum confunderet, et mortis sententiæ subderet eum. *Et exosam eam habuit odio magno nimis, ita ut majus esset odium, quo eam oderat, amore quo ante dilexerat.* Illa etenim quantum poterat, viriliter restitit : idcirco (ut ferunt Hebræi) miser ille se graviter læsit.

Dixitque ei Amnon : Surge et vade. Ipsa autem (ut ait Petrus Comestor) rogavit ut maneret cum ipso, et fieret ei uxor, putans forsan in hoc posse dispensari. *Quæ,* nolente ipso, *respondit : Majus est hoc malum quod nunc agis adversum me, expellens me,* in quantum hoc agis ex maximo odio et contemptu personæ meæ, cui post tantam injuriam teneris ad recompensam et compassionem, non ad contumeliæ hujus

A augmentum; *quam quod ante fecisti, me opprimens :* quod aliquam videtur excusationem admittere, in quantum venit non ex malitia, sed infirmitate et passione prædominante. Imo quoniam defloravit eam, tenebatur eam habere uxorem, secundum legis præceptum, in Exodo ac Deuterono- *Exod.* XXII, 16, 17; *Deut.* XXII, 28, 29.
mio scriptum, nisi aliunde fuisset obstaculum : quo exsistente, debebat ei aliis modis pro posse pro illato damno possibilem restitutionem, quamvis condignam non potuit, juxta quod in Ecclesiastico fer-

B tur : Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. *Eccli.* XXVI, 20. *Et noluit audire eam; sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit : Ejice hanc a me foras, et claude ostium post eam. Quæ induta erat talari tunica :* quæ scilicet usque ad talos ejus descendit, quam Josephus vocat colobium manicatum. Tamen, ut quidam refert, in Hebræo habetur, Serica tunica. Sed potius est tenendum, litteram hanc veritati Hebraicæ consonare, et verbum illud Hebraicum esse forsitan æquivocum ad utrumque. *Hujus-*

C *cemodi enim filiæ regis* David *virgines vestibus utebantur.* In quo religiositas regis David apparet, qui tam humilibus vestibus non in terram defluentibus, sed vix eam tangentibus, jussit suas filias uti; nec dubium, quin in ceteris suis domesticis proportionabiliter vestium condecentiam observavit. Ex quo reprehenduntur superbæ ac fatuæ mulieres ac virgines temporis hujus, quæ licet a regia nobilitate plurimum distent, tamen vestibus enormiter longis, ac se per terram trahentibus indu-

D untur. In ornamentis etiam pretiositate, figura ac multitudine vestium gravissime peccant. Similiter adolescentes ac viri suo modo.

Ejecit itaque eam minister illius foras, clausitque fores post eam. Quæ in signum doloris, *adspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat,* per palatium regis, ut aliqui dicunt, cum tali dispositione, utpote victa dolore ac mœrore ob tantas sibi illatas injurias, *ingrediens* domum Absa-

lonis, *et clamans* cum lacrimis. Aliqui tamen dicunt, quod non fecit hæc mox, ut fuit ejecta ab Amnon, nec in regis palatio, sed postquam venit ad domum Absalonis : alioqui scandalizasset se ipsam. Sed prima expositio verior reputatur. Nam Amnon taliter eam ejiciendo, satis eam scandalizavit, et ipsa erat tanto confecta mœrore, et tam irreverenter tractata, quod non pensavit se gravius posse confundi, nec ipsa in hac re culpabilis fuisse videtur. *Dixit autem ei Absalon frater suus : Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum?* Hoc Absalon ex gestibus illis suæ sororis advertit, præsertim quoniam illa non negavit, nec aliam suæ afflictionis exposuit causam. *Sed nunc, soror, tace; frater tuus est,* ideo ejus improbitati compati debes; *neque affligas cor tuum pro hac re* tam immoderate, sicut nunc agis. Ista locutus est Absalon pro sororis suæ carissimæ consolatione, quamvis utique illa merito tristabatur : quæ tamen tristitia fuit rationis gubernaculo moderanda. *Mansit itaque Thamar contabescens,* id est mœrore et dolore se ipsam conficiens, et quasi in viduitate persistens, *in domo Absalon fratris sui.*

Quum autem audisset rex David verba hæc, hoc est hæc gesta significata per verba hæc, *contristatus est valde,* tam de filii sui primogeniti inhonestissimo ac vitiosissimo facto, quam de filiæ suæ deturpatione, et maxime de Dei offensione ac populi scandalizatione; *et noluit contristare spiritum Amnon filii sui,* eum increpando ac castigando ut meruit, *quia diligebat eum,* non qualitercumque nec tantum, quia et alios filios suos dilexit, sed dilexit eum præcipue : idcirco subjungitur, *quia primogenitus erat ei.* Sed ista videtur fuisse carnalis et prava dilectio, quum vera dilectio exigat corripi ac corrigi dilectum peccantem, et tanto plus, quanto magis diligitur, juxta illud Ecclesiastici, Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella. Unde iterum ait Scriptura : Quis filius quem non corripit pater? Insuper, qui oppressit virgi-

Eccli. xxx, 1. *Hebr.* xii, 7. *Deut.* xxvii, 22.

A nem*, secundum legem meruit mortem : ergo non solum corripere, sed et occidere debuit David judex et rex filium oppressorem. Iterum, Heli reprobatus est, quia non satis acriter suos corripuit filios, quos tamen corripuit : magis ergo David meruit reprobari, qui tam sceleratissimum filium incorreptum et impunitum reliquit, præsertim quum judex debeat sine personarum acceptione judicium atque justitiam exercere.

* sororem. — I *Reg.* II, 23 *et seq.*

Ad ista quidam respondent, excusantes B ipsum David, dicentes, quod in correptione et castigatione rei, servanda sunt et consideranda modus, tempus, persona : ideo interdum est differenda ad horam. Propter quod David distulit corripere istum Amnon, quoniam vidit eum pœnitentem de suo excessu et tristem, ne absorberetur abundantiori tristitia. Unde aliqui dicunt, quod postea corripuit eum secrete. Et quidam ait, quod pro tunc non corripuit eum, quoniam Amnon erat debilis et infirmus, et dolens de facto suo : quod falsum C videtur, quia ut dictum est, fuit tam fortis, quod prævalens viribus oppressit sororem, et David jam noverat eum infirmitatem illam, qua lecto decubuit, confinxisse. Textus quoque apertissime dicit, quod noluit spiritum ipsius Amnon contristare, videlicet corrigendo, quia diligebat eum. Hinc aliis magis apparet, quod David in hac re fuit culpabilis, sicut in aliis multis. Nam et infra tertio libro habetur, quod non corripuit Adoniam dicentem, Ego regnabo. Verumtamen aliqui dicunt, quod non te- D nebatur ipsum Amnon occidere, quoniam violentia illa fuit occulta, similiter defloratio Thamar : quæ probari non poterant, nisi per querimoniam Thamar, et sui corporis ostensionem. Thamar autem tacuit de consilio Absalonis. Verumtamen, si Absalon putasset se posse procurare occisionem Amnon a rege per accusationem Thamar, maluisset hoc, quam quod per servos suos ipsum occidit. Denique, si Amnon vere de suo pœnituisset facinore, veniam postulasset, vel reconciliasset se, aut satis-

III *Reg.* I, 5, 6.

Digitized by Google

fecisset pro posse sorori : quorum nullum videtur fecisse ; imo si ea egisset, non fuisset (ut creditur) occisus ab Absalone.

Porro non est locutus Absalon ad Amnon, nec malum, nec bonum : quod intelligi potest, ita quod de ista materia nihil locutus sit ei, ne Amnon se observaret, quatenus suo tempore illum occideret ; vel quod omnino abstinuit ab ejus colloquio, quod non puto, ne Amnon consideraret aversionem et odium Absalonis adversum se. *Oderat enim Absalon Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam. Factum est autem post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalon in Baalhasor, quæ est juxta Ephraim. Et vocavit,* hoc est, ad prandium invitavit, *Absalon omnes filios regis,* qui sine licentia patris sui hoc facere non audebant. *Venitque ad regem et ait ad eum : Ecce tondentur oves servi tui. Veniat, oro, rex cum servis suis,* hoc est filiis aliisque ministris sibi complacentibus, *ad servum suum,* id est ad prandium quod parabo. Hoc Absalon non dixit ex animo, quia patris sui præsentiam non optavit ibidem ; sed patrem ideo invitavit, ne suspicaretur aliquid mali esse in causa, et ut sine scrupulo ac timore permitteret ipsum Amnon pergere illuc. *Dixitque rex ad Absalon : Noli, fili mi, noli rogare ut veniamus omnes et gravemus te. Quum autem cogeret eum,* id est instanter, quasi importune, *et noluisset ire,* scilicet rex, *benedixit* rex *ei,* hoc est filio quasi caritativo ac liberali. *Et ait Absalon ad David : Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex : Non est necesse ut vadat tecum. Coegit itaque Absalon eum, et dimisit* ire *cum eo Amnon et universos filios regis* residuos et satis adultæ ætatis ad hoc. Nam Salomon videtur adhuc fuisse infantulus.

Feceratque Absalon convivium quasi convivium regis. Judæi namque in tonsione ovium suarum, sicut et in sepultura parentum suorum consueverunt facere magna convivia, sicut et primo dictum est (I *Reg.* xxv, 36.) libro de Nabal. Nam oves et pecora erant A præcipuæ eorum divitiæ. Quod et in commemorationem fecerunt Patriarcharum, qui pastores ovium fuerant. *Præcepit autem Absalon pueris,* id est servis *suis, dicens : Observate quum temulentus fuerit Amnon vino,* hoc est inebriatus, *et dixero vobis, Percutite eum, et interficite* eum, quia tunc non poterit præcavere, resistere, aut fugere. *Nolite timere : ego sum qui præcipio vobis,* qui sum filius regis, sicut et Amnon, et avum habeo regem, quod ipsi Amnon non competit : ideo sufB ficientis sum potestatis respondendi pro vobis, vosque tuendi. Forsan servi isti fuerunt natione gentiles, et ex patria matris Absalonis, ideo minus timuerunt hoc facere. *Roboramini et estote viri fortes. Fecerunt ergo pueri Absalon adversum Amnon, sicut præceperat eis Absalon. Surgentesque omnes filii regis ascenderunt singuli mulas suas.* Istæ mulæ (ut creditur) datæ fuerunt regi, quia ut in Levitico legitur, prohibitum fuit Judæis facere commixtiones (*Lev.* xix, 19.) animalium diversarum specierum, ex quiC bus et mulæ nascuntur ; non tamen fuit eis prohibitum uti eis. Nam et David infra legitur super mulam sedisse. Forsan et isti (III *Reg.* i, 33.) filii regis timuerunt occidi, quia subjungitur, *et fugerunt,* relinquentes corpus fratris insepultum.

Quumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens : Percussit Absalon omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus. Surrexit itaque rex David et scidit vestimenta sua, et cecidit super terram, et omnes servi illius D *qui adsistebant ei, sciderunt vestimenta sua.* Nam ille qui nuntiavit hoc, cœpit forsitan fugere dum Amnon adhuc percuteretur, et putavit alios filios regis simili modo tractandos. Verum talia mala solent exaggerari. *Respondens autem Jonadab filius Sammaa fratris David, dixit : Ne existimet dominus meus rex, quod omnes pueri regis occisi sint ; Amnon solus mortuus est.* Hoc dixit non spiritu prophetico, ut quidam stulte dixerunt, adjicientes, quod Jonadab iste fuit Nathan propheta,

Digitized by Google

quum certum sit, quod sanctus Nathan nequaquam dederit pessimum illud consilium de virgine opprimenda; sed dixit istud ex humana versutia atque probabili conjectura, quia sciebat inveteratum rancorem Absalonis in Amnon, propter deflorationem sororis. Propterea subditur, *quoniam in odio Absalon erat positus, ex die qua oppressit Thamar sororem ejus.* Et quoniam Jonadab scivit hoc, merito avisasset ipsum Amnon ad præcavendum se ab Absalone. *Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens, Omnes filii regis occisi sunt : quoniam Amnon solus mortuus est.*

Fugit autem Absalon. Et elevavit puer speculator oculos suos, et adspexit. Et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis. Qui fugiunt, disperguntur hinc inde frequenter per devia. *Dixit autem Jonadab ad regem : Ecce filii regis adsunt; juxta verbum servi tui, sic factum est. Quumque cessasset loqui, apparuerunt et filii regis; et intrantes, levaverunt vocem suam, et fleverunt. Sed et rex et omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis,* sicut in morte primogeniti fieri solet, et condoluerunt juveni tam inopinate occiso, qui sperabatur tantus futurus. Rex quoque non ignoravit, sua peccata esse occasiones tantorum malorum, propterea magis dolebat : forsitan etiam quia cognovit quod imparatus ad mortem, et ebrius fuit occisus. *Porro Absalon fugiens, abiit ad Tholomai regem Gessur,* hoc est regionis sic dictæ, avum suum. *Luxit ergo David filium Amnon multis diebus. Absalon autem quum fugisset, et venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis* cum servis suis, qui ipsum Amnon occiderant.

Cessavitque rex David persequi Absalon, eo quod consolatus esset super Amnon interitu. Consideravit enim hæc justo Dei contigisse judicio, et ipsum Amnon valde peccasse, mortemque meruisse sic propriam opprimendo sororem. Est etiam valde naturale, quod dolor, mœror, ac ceteræ passiones appetitus sensitivi paulatim A decrescant. Nam et earum organum ac subjectum lassatur, et considerationes ex quibus immediate nascuntur, successive deficiunt, aut remittuntur, corde circa alia occupato ac fuso; et quoniam homo perpendit se dolendo, tristando, imaginando de præteritis illis, nihil proficere, sed se ipsum infructuose affligere, et quod contra irremediabilia mala, præcipue valeat eorum oblivio. Dicit autem Rabbi Paulus, quod David nunquam incepit persequi Absalonem : ideoque improprie dici, quod B cessavit persequi eum. Unde ait : Verbum illud Hebræum, pro quo Hieronymus transtulit, Cessavit, esse æquivocum ad cessare et desiderare. Hinc quoque in Scholastica historia dicitur : Rex cessavit persequi velle Absalon, hoc est, voluntatem persequendi deposuit. Nihilo minus dici potest, quod hoc ipsum fuit persecutio quædam, quod oportebat Absalonem esse profugum a terra natali, nec interim posse propria bona levare; nec puto, quod David voluerit unquam Absalonem pro fratricidio illo occidere, C quum et postea quando pravius peccavit, prohibuerit eum occidi, ut infra habetur. II *Reg.* XVI, 22; XVIII, 5.

Præterea, in Scripturis leguntur feminæ multis viris nocuisse, vel decipiendo, vel incitando, vel mala pœnalia infligendo : videlicet ipsi Adæ, quem Eva traxit ad culpam, ut patet in Genesi; Lamech, qui bigamiam primo induxit, duas conjuges accipiendo; Pharaoni, qui uxorem Abrahæ introduxit ad se, propter quod fuit plagatus; Judæ patriarchæ, qui peccavit cum Thamar; Ruben, qui cum uxore patris sui D peccavit, utpote cum noverca; Lot, qui cum propriis commixtus est filiabus; filiis Israel et Zambri, qui sicut in libro Numerorum narratur, peccaverunt cum filiabus Madian; David, Salomoni, Adoniæ, et Amnon, sicut in libro isto refertur (Adonias quippe petendo Abisag, mortem incurrit); Holofernes, quem Judith occidit; Abimelech, qui et ipse Saram uxorem Abrahæ abstulit, ut in Genesi scriptum est; Sisaræ, quem, ut in libro Judicum continetur, Jahel occidit; Naboth, quem Jezabel lapidavit,

Gen. III, 6; IV, 19; XII, 15, 17; XXXVIII, 16; XXXV, 22; XIX, 33, 35.

Num. XXV, 1, 6; II *Reg.* XI, 4; III *Reg.* XI, 4; II, 21-24.

Judith XIII, 10; *Gen.* XX, 2; *Judic.* IV, 21; III *Reg.* XXI, 13.

Digitized by Google

Judic. IX, 53. Marc. VI, 24, 27. ut tertio Regum asseritur; item Abimelech filio Gedeonis, quem mulier saxo peremit; et beatissimo Joanni Baptistæ, quem Hero- A dias procuravit interfici; principi quoque Apostolorum, qui ad interrogationem ancillæ, Christum negavit. Matth. XXVI, 69-72.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : INTELLIGENS AUTEM JOAB, QUOD COR REGIS VERSUM ESSET AD ABSALON.

NUNC describitur, qualiter David pro suo adulterio sit punitus per propriarum uxorum incestuosam violationem, et per sui ipsius a regno expulsionem. *Intelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor regis versum esset ad Absalon,* hoc est, inclinatum ad recipiendum eum in gratiam suam. Hoc autem astutus Joab ex aliquibus regis verbis aut factis perpendit : attamen David erubuit ex se ipso hoc facere, ne vel de inconstantia argueretur, vel contra legem agere videretur, filium fratricidam, nullo pro illo rogante, accipiendo ad veniam. *Misit Thecuam,* id est ad villam sic
Amos I, 1. dictam, de qua fuit Amos propheta, *et tulit,* id est ad se vocavit, *inde mulierem sapientem :* quæ (secundum Magistrum in historiis, et Glossam) creditur fuisse proavia seu avia Amos prophetæ, fuitque femina famosæ prudentiæ atque facundiæ.

Dixitque ad eam : Lugere te simula, et induere veste lugubri. Circa hoc scribit quidam : Ex hoc videtur esse falsum, quod aliqui dicunt ad litteram, hanc mulierem duos filios habuisse, quorum unus interfecerat alium : quia sic non fuisset simulatio luctus, sed veritas; nec esset locutio figuralis, sed magis rei gestæ : cujus contrarium dicitur infra, Posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc, ut verterem figuram sermonis hujus. Verumtamen legi in quadam glossa, quod Hebræi dicant hanc feminam duos filios habuisse, quibus pro hereditate dividenda inter se litigantibus, unus alium interfecit. Qui ergo vult hoc B tenere, dicere potest, quod locutio hujus feminæ, quantum ad hoc, fuit figuralis, quod non narravit rem gestam propter se ipsam nude, sed transtulit eam ad alia designanda, ponens se in persona David, et duos filios suos in persona Amnon ac Absalon, et cognationem suam, in persona aliorum filiorum David regis. Sicque vertebat figuram similitudinis hujus. Denique quod Salvator in Evangelio tanquam parabolam ponit de Lazaro ac divite, expositores communiter dicunt fuisse rem gestam : Luc. XVI, 19 et seq.
C et tamen vocatur parabola, in quantum per similitudinem alterius rei significativa. Sic etiam sanctus Job de se ipso loquens, dicitur assumpsisse parabolam. In Job XXVII, 1; XXIX, 1.
libro quoque Numerorum habetur : Assumpta Balaam parabola sua, irruente in Num. XXIV, 2-4.
se Spiritu Dei, ait : Dixit homo, cujus obturatus est oculus; dixit auditor sermonum Dei : quod utique ad litteram locutus est de se ipso, et tamen præmittitur parabolam assumpsisse. *Et ne ungaris oleo* refrigerativo caloris, hoc est quovis subtili D unguento pro corporis refocillatione, *ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum,* quæ corporis delinitiones ac mollia solet contemnere, sicque facilius ad misericordiam flectas regem; *et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab verba in ore ejus.*

Itaque, quum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit : Serva

Digitized by Google

me, rex, hoc est, præbe auxilium, et in A vita conserva me, succurrendo, ne præ tristitia moriar. *Et ait ad eam rex : Quid causæ habes? Quæ respondit : Heu, mulier vidua ego sum; mortuus est enim vir meus. Et ancillæ tuæ erant duo filii,* id est, ego ancilla tua habui duos filios; *qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset; et percussit alter alterum, et interfecit eum. Et ecce consurgens universa cognatio adversus ancillam tuam, dicit : Trade eum qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum* B *pro anima fratris sui, quem interfecit, et deleamus heredem. Et quærunt exstinguere scintillam meam, quæ relicta est,* hoc est, cognati volunt occidere filium meum residuum : in quo et per quem relucet nomen, memoria, et virtus parentum suorum, quemadmodum ignis in scintilla resplendet, et per eam manifestatur; *ut non supersit viro meo nomen,* id est memoriale, *et reliquiæ,* id est posteritas prolis, *super terram :* quod valde vitabatur in lege, imo

Deut. xxv, 5, 6. ob hoc vitandum, jubebatur propinquus de- C functi sine liberis, ducere conjugem ejus, et suscitare sobolem ei. *Et ait rex ad mulierem : Vade in domum tuam, et ego jubebo pro te,* id est, cognatis et ceteris prohibebo occidere filium tuum.

Dixitque mulier Thecuitis ad regem : In me, domine mi rex, sit iniquitas, et in domum patris mei : id est, si quid peccati est in hoc, quod sic filio meo ignoscis, mihi et parentelæ meæ imputetur, *rex autem et thronus ejus sit innocens,* nec ei nec ejus potestati aut successori imponatur. D Hebræi (ut fertur) exponunt sic : Domine mi rex, contingere potest, ut tu aliunde multipliciter occupatus, obliviscaris hanc causam : et sic in domo mea eveniet, quod filius meus occidetur a sua cognatione, et tu eris innocens, quia præter tuam fiet intentionem. Hæc expositio videtur inepta, quia mulier per modum optantis dixit : In me, domine mi rex, sit hæc iniquitas, etc.; non autem optavit filium suum occidi. Denique filius ejus secundum legem me-

rebatur a sua cognatione occidi, suum Num. xxxv, 19.
fratrem sic occidendo : non ergo fuisset iniquitas, sed justitia eum occidere. *Et ait rex : Qui contradixerit tibi,* id est, noluerit credere tibi narranti verba quæ dixi, videlicet quod jubebo pro filio tuo, *adduc eum ad me,* id est, mea auctoritate denuntia ei, quod veniat ad me, *et ultra non addet ut tangat te,* id est, tibi molestus ultra non erit persequendo filium tuum : quoniam districte prohibebo id ei, ut te, id est filium tuum, non tangat, cujus percussio tibi tam gravis est, sicut percussio tui ipsius.

Quæ ait, cupiens promissionem regis sibi factam, amplius confirmari : *Recordetur rex Domini Dei sui,* id est, intuitu et amore Dei provideat, *ut non multiplicentur proximi sanguinis,* id est consanguinei filii mei defuncti, *ad ulciscendum :* id est, oro ut tu, domine, sententiam tuam pro filio superstite jam prolatam, sic robores et divulges, quod cognati non præsumant confluere, quatenus simul manu valida filium meum occidant : quod unus aut pauci eorum præ timore tuo facere non auderent; *et nequaquam interficient filium meum,* si feceris quod rogavi. *Qui ait : Vivit Dominus,* id est, juro per Deum, *quia non cadet de capillis filii tui super terram :* hoc est, tam evidenter ac firmiter judicabo pro eo, quod pro hac causa nemo audebit ei aliquam læsionem inferre.

Dixit ergo mulier : Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait : Loquere. Dixitque mulier, quasi jam regem proprio judicio habens captum et obligatum ad ignoscendum Absaloni : *Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei,* hoc est, contra Absalonem filium tuum, et eos qui secum fugerunt de terra hac? qui quantum ad hoc sunt populus Dei, quod erant de stirpe Israel, vel ad Judaismum conversi, seu veri Dei cultores. Et quid contra istos cogitaverit ac dixerit rex, subjungitur : *et locutus est rex verbum istud,* utpote Absalonem, et servos ejus non posse redire ad terram hanc, in

Digitized by Google

qua cultus est veri Dei; *ut peccet* ipse rex in hoc ipso per immoderatum rigorem: quoniam Absalon et ministri ejus in terra illa gentilium, poterant faciliter ad idololatriam declinare. Unde et supra primo libro David dixit ad Saul: Maledicti sunt in conspectu Domini, qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade et servi diis alienis. Sicque quod dictum est, *ut,* tenetur hic non directe causaliter, sed concomitanter. Potest quoque ita exponi: Locutus est rex verbum istud, Ut peccet populus Dei, videlicet Absalon et sui ministri: quia ad verbum ejus, quo jussit eos manere in terra illa gentilium, concomitari poterat prætactum idololatriæ vitium in eisdem. *Et non reducat ejectum suum,* id est, ipse rex non det Absaloni ac suis licentiam redeundi.

I *Reg.* XXVI, 19.

Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram quæ non revertuntur: id est, etiam ex hac consideratione decet te regem esse propitium Absaloni, quoniam omnes sumus mortales, et quotidie propinquamus sepulcro, nescientes diem et horam, sic quod propter humanam fragilitatem ac pronitatem ad mala, clementer agendum est, ne reus morte præoccupatus, in statu periculoso decedat. Quidam exponunt sic: Omnes morimur, id est, quum sumus mortales, nec post mortem possumus naturaliter ad vitam hanc revocari, sicut nec aquæ in terram descendentes revertuntur eædem numero ad aerem, sed consumuntur et absorbentur in terra, et si vaporabiliter eleventur, non tamen eædem huc redeunt, juxta illud in Isaia, Quomodo descendit imber de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram; unde et sanctus Job, Viam (inquit) per quam non revertar, ambulo; itemque, Homo quum dormierit, non resurget: ideo tu, rex, qui filium tuum occisum non vales ad vitam istam reducere, parcere debes viventi, ne et istum propter illius occisionem interficiendo aut derelinquendo, perdas utrumque.

Matth. XXV, 13. *Is.* LV, 10. *Job* XVI, 23. *Ibid.* XIV, 12.

Nec vult Deus perire animam, id est, hominem peccatorem non vult mori in suis peccatis, prout in Ezechiele habetur: Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? Ideo subditur, *sed retractat,* id est, sententiam damnationis differt, et communem legem de impii damnatione dudum promulgatam, quasi revocare videtur in particulari, dum ei qui secundum legem communem meruit mox puniri, concedit locum et tempus pœnitendi, ac veniam promerendi: imo per se ipsum, per angelicum quoque instinctum, per Scripturas, per prædicatores, per beneficia et exempla, per prospera et adversa, per miracula et naturales eventus, hortatur eum ad emendationem. Hinc ad Corinthios ait Apostolus: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. *Cogitans,* id est pie et paternaliter providens, *ne penitus pereat* per obstinationem et condemnationem æternam, *qui abjectus est,* id est a Deo aversus atque diabolo incorporatus. Qui enim peccat mortaliter, se ipsum abjicit a Deo, a statu salutis, a mystico corpore Salvatoris in regionem dissimilitudinis et statum damnationis. Sed et diabolus abjicit eum a virtute et gratia, et a sublimitate justæ conversationis, in lacum peccati, in voraginem vitiorum, in profunditatem et vilitatem perditionis. Deus vero non ita abjicit eum a se, quin, quantum in se est, semper paratus sit ad veniam, hac vita durante, recipere. Propter quod in Threnis fertur: Non repellet in sempiternum Dominus: quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum. Hinc quoque teste Apostolo, ipse vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. In his verbis mulier tetigit aliam rationem, cur David debuit parcere Absaloni, quia videlicet Deus tam pius est, ergo et princeps Dei vicarius, debet in hoc Deum imitari. Unde pietas præcipue ad principem spectat, quemadmodum in Proverbiis legitur: Roboratur clementia thro-

Ezech. XVIII, 23. II *Cor.* V, 20. *Thren.* III, 31-33. I *Tim.* II, 4. *Prov.* XX, 28.

Digitized by Google

nus regis. In cujus signum rex apum caret aculeo.

Nunc igitur veni ego ad te, *ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc,* videlicet sententiam, quam protulisti de liberatione filii mei, *præsente populo,* repetendo eam coram omnibus manifeste, ne valeat revocari, aut per ignorantiam prævaricari. *Et dixit ancilla tua* in corde suo, vel aliis antequam te accederet : *Loquar ad regem* fiducialiter, ex consideratione bonitatis ipsius, *si quo modo faciat rex verbum ancillæ suæ,* id est, quatenus aliquo modo dignetur acquiescere petitioni suæ ancillæ. *Et audivit rex verba,* id est, verbis meis dedit assensum, *ut liberaret ancillam suam de manu omnium qui volebant de hereditate Domini delere me et filium meum simul :* hoc est, crueret me de infestatione cognatorum filii mei defuncti affligentium me usque ad mortem, per hoc, quod voluerunt filium meum residuum trucidare; et simili modo eriperet filium meum adhuc viventem de manu illorum. Itaque per hereditatem Domini, intelligit Israeliticum populum Deo peculiarem, a cujus consortio delebatur, qui obiit. *Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis, sicut sacrificium,* hoc est, liceat mihi asserere, quod judicium regis pro filio meo datum, sit acceptum ac firmum, ideoque placitum veluti holocaustum, sicque impleatur in filio tuo, in cujus persona loquor de filio meo. *Sicut enim angelus Domini, sic est dominus meus rex,* hoc est constans, justus, et verax est, *ut nec benedictione, nec maledictione moveatur,* id est, nec laudibus, nec vituperiis possit a via virtutum abduci, unde nec prosperis, neque adversis, nec detractionibus, nec adulationibus frangitur : quod frequenter ita fuit in David, quamvis interdum corruerit. Ista autem assimilatio seu comparatio David et angeli, fuit aliqualis, non plena. Multum etenim distat viator, quamvis sanctus, a comprehensore; nec David fuit confirmatus in gratia. Ideo de beatissimo Joanne Baptista dixit Salvator : Qui minor est in regno Dei, hoc est infimus civium supernorum, major est illo. *Unde et Dominus Deus tuus tecum est.*

Deut. VII, 6.

Matth. XI, 11.

Et respondens rex, dixit ad mulierem : Ne abscondas a me verbum quod te interrogo. Dixitque ei mulier : Loquere, domine mi rex. Et ait rex : Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis? id est, habesne favorem et informationem a Joab ad proferendum hæc omnia? Jam enim rex consideravit, quid mulier intendebat, et suspicabatur quod a Joab esset inducta, quia sciebat quod Joab dilexit Absalonem pro tunc. Libentius quoque acquievit revocationi Absalonis, quando scivit hoc ipsi Joab placere, quia Joab poterat populum quietare, et satisfacere ei de Absalonis reductione.

Respondit mulier, et ait : Per salutem animæ tuæ juro, *domine mi rex, nec ad dexteram est, nec ad sinistram, ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex,* hoc est, nec plus, nec minus est quam dixisti : hoc est, in nullo deviasti a veritate opinando et interrogando, an manus Joab sit mecum, imo directe est mecum in omnibus, ad quæ etiam proferenda induxi te. Ideo subditur : *Servus enim tuus Joab ipse præcepit mihi, et ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc,* id est, ad ista exprimenda induxit, ac docuit me, *ut verterem figuram sermonis hujus,* hoc est, similitudinem præinductam applicarem ad filium tuum. *Servus enim tuus Joab præcepit istud. Tu autem, domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei,* id est sapiens valde, habesque sapientiam cum virtute et vita sancta, quemadmodum angeli Dei, quamvis multo minus quam illi. Nempe si homo potest Deo assimilari in virtute et perfectione, a quo tamen deficit infinite, juxta illud, Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est; et rursus, Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis; itemque, Imitatores Dei estote : quanto magis potest in sapientia et virtute angelo conformari et

Ibid. V, 48.

Luc. VI, 36.

Ephes. V, 1.

Digitized by Google

comparari, non æqualitate, sed similitudi- A ne in hac vita? Siquidem in cœlo potest esse æqualis, imo et major. Nam sicut de singulis angelorum ordinibus aliqui ceciderunt, ita ad singulos aliqui homines perducuntur. Gloriosissima autem Christifera Virgo, super omnes angelorum choros est elevata. Præterea, sanctus David multiplicem sapientiam habuit, utpote acquisitam
Is. XI, 2. et infusam, tam eam quæ est prima inter dona Spiritus Sancti, quam eam quæ est donum gratiæ gratis datæ. Fuitque sublimis propheta, et anagogicus contemplator. B *Ut intelligas omnia super terram,* hoc est quædam de omnibus, ut sit distributio accommoda; vel, omnia ad officium et judicium tuum spectantia, et capax sis omnium, saltem per gratiam.

Quæritur circa præhabita, qualiter licuit regi David promittere mulieri, quod filius ejus fratricida, impunitus maneret, qui se-
Exod. XXI, 12; *Num.* XXXV, 16. cundum legem fuerat occidendus. Non enim videtur, quod licuit regi dispensare contra præcepta Dei. Ad hoc quidam respondent, quod filius ille non fuit secundum legem C occidendus, quia de homicidio non fuit convictus per evidentiam facti, neque per testes, quoniam soli duo filii erant in agro, nec per propriam recognitionem. Quod non videtur idonee dictum, quia tota cognatio persequebatur filium fratricidam : quod non fecisset, nisi fuisset manifestum et evidens, homicidium illud perpetratum esse a fratre. Mulier quoque coram rege hoc testabatur, ut patet in littera, nec licuit filiis Israel persequi et necare homicidam, nisi sententia de hoc data a judice, coram D quo oportebat homicidam convinci. Nec habetur ex textu, quod frater negavit se illud fecisse, nec mater ejus hoc allegavit pro ipso coram rege : quod utique allegasset, si aliquo modo habuisset colorem.

Insuper, si homicidium illud fuisset occultum, mulier per suam parabolam non conclusisset intentum de homicidio Absa-
II *Reg.* XIII, 28. lonis, qui per servos suos fratrem suum coram multis occidit. Verum ad hoc quidam respondet, allegando et sequendo Rabbi Salomonem dicentem, quod omnes inducti ad testimonium quod Absalon occiderat ipsum Amnon, erant propinqui ipsius Amnon defuncti, idcirco non erant idonei ad ferendum testimonium in hoc casu. Sed hoc videtur omnino incongrue dictum, quum scriptum sit capitulo præcedenti, quod populus multus venit per iter de- II *Reg.* XIII, 34. vium, qui ut patuit, interfuit interfectioni ipsius Amnon; nec apparentiam habet, quod omnes illi fuerunt ita propinqui filio regis occiso, quod non poterant in causa illa testari pro ipso. Et dato quod non potuissent testari pro propinquo defuncto, poterant tamen testari contra propinquum viventem : imo, ut patet in Deuteronomio, filius contumax comessator et ebriosus ad *Deut.* XXI, 20, 21. accusationem et protestationem suorum parentum, qui proli maxime sunt propinqui, lapidabatur. Iterum dicit Rabbi Salomon, quod et alius approbat, quod propinqui illi qui testabantur, Amnon occisum a servis Absalonis, non erant ita propinqui Absaloni, sicut fratri ejus occiso, quoniam Absalon ex parte matris, erat de plebe gentilium. Ad quod dicendum, quod multi illorum propinquorum fuerunt propinquiores Absaloni, quam fratri ejus occiso, quia non tantum erant ibi fratres amborum, sed et multi eorum consanguinei et nepotes amborum; sicque ipsi Amnon occiso nepotes illi poterant in casu illo testari. Nec aliquo modo putandum, quod filii regis iverunt absque familia condecenti ad prandium Absalonis. Amplius, dictum est præcedenti capitulo, quod con- II *Reg.* XIII, 23, 27. vivium illud fuit in loco ubi oves Absalon tondebantur, sicque pastores atque tonsores ovium ejus adfuisse videntur. Nam et tonsoribus fiebat convivium, ut patet ex I *Reg.* XXV, 36. dictis in primo libro.

Itaque ad quæstionem propositam respondendum, quod nec rex, nec pontifex poterat dispensare in præceptis Decalogi; sed in præceptis cærimonialibus ac judicialibus poterant dispensare ex rationabili causa et de consilio seniorum, sicut et Christus in Evangelio protestatur, quod

Matth. XII, 3, 4. Abiathar seu Achimelech sacerdos dedit ipsi David panes propositionis ad comedendum, quod videbatur contra cærimoniale
Lev. XXIV, 9. præceptum, quo jubebatur quod soli sacerdotes illis panibus vescerentur. Aliqui quoque dicunt, quod de consensu propinquorum poterat rex cum homicida rigorem juris temperare ne occideretur.

Et ait rex ad Joab : Ecce placatus de forefacto Absalonis, *feci verbum tuum,* id est, decrevi implere quod per mulierem hanc postulasti. *Vade ergo, et revoca puerum Absalon.* Communiter David rex vocavit hunc Absalon puerum, quia tenerrime eum dilexit, quum esset speciosissimus juvenis, et valde amabilis in naturalibus. *Cadensque Joab super faciem suam in terram, adoravit et benedixit regi. Et dixit Joab : Hodie intellexit servus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex. Fecisti enim, domine mi rex, sermonem servi tui. Surrexit ergo Joab, et abiit in Gessur, et adduxit Absalon in Jerusalem. Dixit autem rex : Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat,* id est, coram me non appareat, ne videar ei nimis faciliter indulgere, ac per hoc justitiæ derogare. Ideo quoque dixit hoc rex, ne ex intuitu Absalonis, renovaretur in se dolor de interitu Amnon. *Reversus itaque est Absalon in domum suam, et faciem regis non vidit.*

Porro sicut Absalon non erat vir pulcher in omni Israel, id est, pulcherrimus fuit corpore præ omnibus viris Israel qui tunc erant, *et decorus nimis. A vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula.* Ad pulchritudinem autem secundum Philosophum, tria concurrunt ac requiruntur et pertinent, utpote elegans corporis statura, congrua et proportionata membrorum cohabitudo, ac vividus quidam decensque color. Est vero et alia pulchritudo moralis exterior, in compositione morum exteriorum consistens; et rursus est pulchritudo interior, tam naturalis, quam acquisita per scientias et virtutes, quam supernaturalis per dona gratiæ gratum fa-

A cientis. *Et quando tondebat,* id est, tonderi fecit, *capillum* capitis sui *(semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries).* Dicunt quidam (ut fertur) Hebræi, quod quolibet mense semel tondebatur : idcirco exponunt hoc modo, Semel in anno, id est statuto tempore anni, puta tricesimo die, sive semel in mense. Nam et in Hebræo fertur haberi, Statuto tempore tondebatur. Verumtamen Josephus videtur sentire, quod semel dumtaxat in anno, dicens : Tanta erat ejus cæsaries, ut B octo diebus tonderi vix potuisset, quam semel in anno tonsam ponderabat ducentis siclis. Unde subjungitur : *ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Circa quod Magister in historiis ait : Forte hujus ponderis erat tonsura ejus, utpote abrasura; vel hoc pretio eam emebant mulieres, ut subornarent crines suos. Nec tamen ob hoc oportet asserere, quod ipsemet Absalon vendidit capillos suos abrasos, sed per alios, et si non ob indigentiam pretii, tamen ad ostenC tationem et gloriam vanam. Additur autem in textu, Pondere publico, quoniam triplex exstitit pondus, videlicet templi seu sanctuarii, et institorum, ac vulgare et usuale, utpote civium, quod dicitur publicum. *Nati sunt autem Absalon tres filii et filia una, nomine Thamar, elegantis formæ.*

Mansitque Absalon in Jerusalem duobus annis, et faciem regis non vidit. Misit itaque Absalon nuntium *ad Joab, ut mitteret eum ad regem,* id est, ut ipse Joab D veniret ad Absalonem, sicque ipse Absalon mitteret ipsum Joab ad regem, quatenus impetraret sibi a rege, quod posset ad ejus intrare præsentiam. *Qui* Joab *noluit venire ad eum,* id est ad Absalonem. *Quumque secundo misisset* ad Joab, *et ille noluisset venire ad eum,* forsitan aliunde impeditus, vel ex alia causa quæ ignoratur, *dixit servis suis : Scitis agrum Joab juxta agrum meum habentem messem hordei ? Ite igitur et succendite eam igni.* Quod autem in aliquibus libris subjungi-

Digitized by Google

tur, *Et venientes servi Joab, scissis vestimentis suis, dixerunt, Succenderunt servi Absalon partem agri*, id est fructuum agri, *igni*, non est in Hebraica veritate. *Surrexitque Joab* ad quærendum ab Absalone, cur jussisset hoc fieri, *et venit ad Absalon in domum ejus, et dixit : Quare succenderunt servi tui segetem meam igni? Et respondit Absalon ad Joab : Misi ad te, obsecrans ut venires ad me, et mitterem te ad regem, et diceres ei* ex parte mei : *Quare veni de Gessur?* id est, inutiliter redii inde. *Melius mihi erat ibi esse*, quia eram ibi cum rege illius quotidie in honore, hic vero tanquam exsul et reus compellor a regis consortio, præsentia atque intuitu abstinere. *Obsecro ergo, ut videam faciem regis. Quod si memor est iniquitatis meæ*, id est, recordatur excessus mei cum ira et sine ignoscentia, *interficiat me.* Quasi dicat : Malo pro culpa mea interfici, quam regis adspectu magis diu privari. Hoc tamen Absalon simulatorie dixit, ut animum regis flecteret ad se. *Ingressus itaque Joab ad regem, nuntiavit ei omnia hæc. Vocatusque est Absalon et intravit ad regem, et adoravit* adoratione duliæ *super faciem terræ*, id est prostratus in terram, *coram eo*, scilicet rege. *Osculatusque est rex Absalon* in signum pacis, dilectionis et reconciliationis plenariæ.

Sensus mysticus. Juxta mysticum sensum, per Joab, intelligitur pastor aut ejus vicarius; per David, Christus; per Absalon, peccator et reus. Quemadmodum itaque Joab intelligens cor regis esse inclinatum ad Absalonem, impetravit ei veniam ac reditum per mulierem prudentem; sic bonus prælatus sciens Christum paratum ad indulgendum veraciter pœnitenti, reconciliat subditum suum culpabilem Salvatori per orationem et exhortationem, quæ instar mulieris fecundæ parit fructum, spiritualemque prolem. Itaque, sicut David placatus ignovit Absaloni, sic quilibet nostrum debet facilis esse ad indulgendum suo forefactori. Et væ duris corde, qui vel nunquam aut raro ignoscunt ex corde. Quemadmodum etiam Absalon regi reconciliatus, adhuc prohibitus est accedere ad videndum faciem regis; ita peccator pœnitens et conversus, adhuc tenet in se reliquias præteritarum culparum, videlicet difficultatem ad bona, et pronitatem ad mala : per quæ a contemplatione et pristina Dei familiaritate impeditur ad tempus. Sed si in actibus pœnitentiæ viriliter perseveret, et cum omni compunctione ac humiliatione ad priorem gratiam redire conetur, ad osculum Christi pertingit, et ad dulcem caritatis amplexum, ad divinæ dulcedinis gustum, ad pacis internæ tranquillitatem. At vero per capillos, cogitationes intelliguntur : ideo sicut Absalon statuto tempore capillos tondebat, ita peccator pœnitens, debet cogitationum malarum superfluitatem delere.

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : IGITUR POST HÆC ABSALON FECIT SIBI CURRUS ET EQUITES.

DESCRIBUNTUR hic varia atque gravissima scelera Absalonis, per quæ illata est magna afflictio regi David. Scelera autem Absalonis, fuerunt, ingratitudo ejus ad patrem, a quo misericordiam consecutus, mox decrevit ei reddere mala pro bonis ; ambitioque et incestus, rebellio, schisma, seditio, et alia quæ tanguntur in littera. *Igitur post hæc Absalon fecit sibi currus et equites*, id est, quadrigam qua

Digitized by Google

veheretur quasi rex, et viros equestres A præparavit sibi ac procuravit, *et quinquaginta viros qui præcederent eum* sedentem in curru : sicque per apparatum istum tanquam per quædam præludia sive præambula, monstravit se regnaturum pro patre suo jam sene. Nam Amnon primogenitus fuit occisus : post quem proximus erat Cheleab, qui creditur tunc obiisse, quum deinceps de eo nulla sit mentio. Vel forsitan erat iners, ineptusque regnare.

II *Reg.* XIII, 29.

Et mane consurgens Absalon, ut præveniret venientes ad regem, *stabat juxta* B *introitum portæ in via* vel civitatis, vel palatii. In portis autem solebant judicia fieri, juxta id Deuteronomii : Judices constitues in omnibus portis tuis. *Et omnem virum qui habebat negotium, ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalon ad se, et dicebat : De qua civitate es tu? Qui respondens, aiebat : Ex una tribu Israel ego sum servus tuus,* id est, de illa vel illa urbe ac tribu sum oriundus. *Respondebatque ei Absalon : Videntur mihi sermones tui boni et justi.* Ex his verbis elicitur, quod C Absalon etiam interrogabat viros quid causæ haberent, et cur vellent accedere regem. Ad quod quum illi respondissent, dixit : Videntur mihi sermones tui boni, id est, rationabiles et justi, quum tamen multi haberent causas injustas; sed ambitiosus adulator omnibus conabatur placere, non timens Deum offendere ac mentiri. *Sed non est qui te audiat constitutus a rege,* id est, rex senio et multis causis gravatus, non satis providet de judicibus, qui causas expediant populi. *Dicebatque Absalon : Quis* D *me constituat judicem,* id est regem seu judicem principalem, *super terram,* id est super filios Israel commorantes in terra hac? quasi dicat : Desiderio boni communis opto præesse, quum pater jam senex negligensque consistat; *ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et juste judicem. Sed et quum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens, osculabatur eum* osculo adulationis. Triplex quippe ponitur

Deut. XVI, 18.

osculum, scilicet adulationis, proditionis, et dilectionis.

Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur a rege, id est indifferenter cunctis viris venientibus ad regis judicium, se ficte humilians, juxta illud, Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo; justumque simulans, quia sine personarum acceptione faciebat hoc majoribus atque minoribus. *Et sollicitabat corda virorum Israel,* id est, diversimode inquietavit corda illorum, et fecit eos sollicitos pro ipsius promotione ad regnum. Unde quidam exponunt : Sollicitavit, id est inclinavit, corda illorum ad se; atque (ut fertur) in Hebræo habetur, Furabatur corda eorum, id est, per talia blandimenta ita traxit corda ipsorum in se, et eorum benevolentiam sumpsit, quod quasi extra se et in ipsum transpositi erant, præsertim quod talis ac tantus, tamque amabilis et decorus, tam caritative, pie, et humiliter circa ipsos se habuit. Propter quod reputabant eum regno dignissimum.

Eccli. XIX, 23.

Post quatuor autem annos, quando vidit populum tam inclinatum ad suam promotionem, *dixit Absalon ad regem David.* Ut refert Lyra, in Hebræo habetur, Post quadraginta annos, et quod falsa sit littera habens, Post quatuor annos, vitioque scriptorum corrupta probat : quia a fuga Absalonis usque ad hæc, plures anni fluxerunt. Absalon namque tribus annis fuit in Gessur, ut jam patuit. Duobus quoque annis fuit post hoc in Jerusalem, antequam venit ad regis præsentiam. Postea fecit sibi currus et equites, et populum modo præhabito sollicitavit : ad quæ omnia facienda videtur indiguisse ad minus annis duobus. Verum ista objectio faciliter solveretur, quia qui legunt, Post quatuor annos, exponunt sic : quia duobus annis fuit in Jerusalem, regem non videns; deinde ad regem ingressus, et postea per duos annos quum fecisset sibi currus et equites, blanditus est populo : sicque computatio horum annorum inchoatur a reditu Absa-

II *Reg.* XIII, 38. *Ibid.* XIV, 28.

Digitized by Google

lonis in civitatem Jerusalem. Verumtamen A
verus textus habet, Post quadraginta annos : sic quoque Hieronymus transtulit, et quidam libri correcti sic habent.

Porro in libro de Hebraicis quæstionibus, computatio horum quadraginta annorum
I *Reg.* XXII, 18. incipitur a tempore quo Saul sacerdotes occidit, quoniam David fuit aliquo modo causa atque occasio interfectionis illorum,
Ibid. XXI, 3, 7, 8. quia nimis aperte petivit ab Achimelech panes et gladium, quum sciret ibi adesse Doeg Idumæum, de quo probabiliter timuit, quod referret ista Sauli. Idcirco fit B
hic illius temporis mentio, quoniam illa ipsius David culpa, fuit partim causa hujus rebellionis Absalonis adversus David. Nec obstat quod dictum est, hanc rebellio-
II *Reg.* XI, 4, 15. nem evenisse propter peccatum David cum Bethsabee et contra Uriam : quia plura peccata possunt esse causæ partiales ejusdem pœnæ a Deo illatæ aut inferendæ. Hæc etiam scribit Lyra, et concordat satis cum verbis Petri Comestoris, dicentis : Alia littera habet, Post quadraginta annos. Quadraginta enim anni fluxerunt, ex quo oc- C
cisi sunt sacerdotes Nobe : qui ponuntur hic, ut monstretur divinam ultionem suscitari super David, eo quod Achimelech sacerdotem fefellit.

Additque Lyra : Rabbi Salomon dicit, quod isti quadraginta anni incipiunt a tem-
I *Reg.* VIII, 5 *et seq.* pore quo populus Israel petivit regem contra Samuelis persuasionem. Cujus rei fit hic memoria, quoniam prima facie videbatur magnum malum rebellio Absalonis, sicut et Samuel prænuntiavit, quod petitio populi de concessione regis, non erat ad D
bonum. Sed contra scribit Rabbi Paulus, dicens : Licet David fuisset causa occasionalis occisionis sacerdotum, non tamen culpabiliter attribuendum est ei : tum quia Scriptura non imponit ei hujusmodi culpam ; tum quia non debebat præsumere in Saule esse tantam malitiam, quod occideret sacerdotes propter hospitalitatem sibi ab eis exhibitam, quia nondum fuit a Saule publice ejectus ; tum quia perversitas ipsius Doeg nondum erat David nota.

Ex quibus videtur, quod gestum hoc Absalonis nullam habet continuationem ad petitionem populi de rege instituendo. Hinc computatio horum quadraginta annorum videretur melius inchoari a prima unctione David in regem, de qua supra primo Regum libro : quæ unctio fuit post petitionem populi memoratam, et ante sacerdotum occisionem. Nam in prima illa unctione David, dictum est, Directus est spiritus Domi- I *Reg.* XVI, 13.
ni in David a die illa et in reliquum : quod communiter exponitur de spiritu fortitudinis atque constantiæ, quia post illam unctionem cœpit David famosissimus fieri, et promotus in regem, victoriosissimus fuit. Cujus oppositum videtur ei contigisse in persecutione sibi illata a proprio filio, et deturpatione uxorum suarum a filio suo. Ideo recte incipitur computatio horum annorum ab illa inunctione, ut opposita juxta se posita, clarius innotescant.

Sed in his verbis Rabbi Pauli multa reprehensibilia contineri recensentur. Primum est, quod dicit Scripturam non attribuere culpabiliter ipsi David sacerdotum occisionem. Scriptum est enim primo libro, quod David dixit Abiathar filio Achimelech pontificis interfecti : Ego sum reus *Ibid.* XXII, 22.
omnium animarum patris tui, id est interfectionis personarum omnium sacerdotum illorum. Aliud est, quod dicit ipsum David non debuisse præsumere tantam malitiam esse in Saul, quia nondum ejectus fuit publice ab eodem : quia (ut in primo libro recitatur) Saul sæpe nisus fuit, etiam co- *Ibid.* XVIII, 11 ; XIX, 11 *et seq.*
ram multis, occidere et perfodere ipsum David, antequam venit ad Achimelech sacerdotem ; et tam manifeste persequebatur ipsum David, quod putavit sacerdoti pontifici hoc cognitum esse. Propter quod (ut in primo libro legitur) dixit pontifici : Quare conjurastis adversum me, tu et fi- *Ibid.* XXII, 13, 17.
lius Isai ? Et rursus ad emissarios : Manus (inquit) eorum cum David est, scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Tertium est, quod dicit, perversitatem ipsius Doeg, nondum fuisse cognitam ipsi David. Scriptum est enim primo libro,

Digitized by Google

quemadmodum David dixit Abiathar sacerdoti : Sciebam quod quum ibi esset Doeg, certissime annuntiaret Sauli. Unde (ut dixi superius) quia David hoc scivit, debuisset pontificem avisasse, et ea quæ egit cum eo, occulte fecisse. (I Reg. xxii, 22.)

Verumtamen reor difficulter posse salvari, quod computatio annorum illorum inchoanda sit a tempore quo Saul sacerdotes occidit, si bene pensetur, quod David non vixit nisi septuaginta annis, et quadraginta annis regnavit, ipseque Salomon quum cœpit regnare, fuit circiter undecim annorum, ut infra habebitur, ita quod David fuit circiter quinquaginta novem annorum, quando cum Bethsabee peccavit : post quod peccatum usque ad istam rebellionem Absalon contra David, fluxerunt ad minus septem anni, ut patuit, imo plures. Nam post ipsius Thamar oppressionem, fluxerunt duo anni ante ipsius Amnon occisionem. Post quam fuit Absalon in Gessur triennio, deinde in Jerusalem biennio antequam vidit faciem regis; et post hoc (ut dictum est) fluxerunt circiter duo anni quibus populum sibi attraxit : qui simul sunt novem anni. (III Reg. ii, 11. — II Reg. xi, 4. — Ibid. xiii, 14, 23. — Ibid. 38. — Ibid. xiv, 28.)

Itaque post annos præfatos dixit Absalon ad regem : *Vadam et reddam,* id est persolvam, *vota mea quæ vovi Domino,* id est sacrificia quæ Deo offerre promisi, *in Hebron* urbe notabili tribus Juda. *Vovens enim vovit servus tuus quum esset in Gessur Syriæ,* quia regio ista Gessur fuit pars Syriæ, *dicens : Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino* per manum sacerdotis in Hebron : nondum enim fuit templum constructum, ideo extra Jerusalem licuit sacrificare. Sed istud Absalon creditur confinxisse, ut sub specie religionis patrem suum deciperet, et propositum suæ rebellionis exsequeretur, faciendo conspirationem in Hebron urbe famosa et sancta : juxta quam fuit spelunca duplex, in qua cum suis conjugibus sepulti sunt quatuor magni Patriarchæ, videlicet Adam, Abraham, Isaac, Jacob, Eva, Sara, Rebecca et Lia; in qua etiam urbe cœpit (Josue xv, 13, 54. — Gen. xxiii, 19; xxv, 9; xlix, 29-31; l, 13. — II Reg. ii, 3, 4.)

A David regnare. Hinc et Absalon voluit ibi incipere. *Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron.*

Misit autem Absalon exploratores, id est cursores et observatores, *in universas tribus Israel,* id est ad aliquas urbes tribuum singularum, *dicens : Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite : Regnabit* * *Absalon in Hebron.* Absalon et consiliarii sui ita instruxerunt nuntios, quod eodem die, eademque hora eis præfixa, unusquisque eorum in urbe sibi deputata insonuit buccina. Quo facto, alii ei associati clamaverunt : Regnabit Absalon in Hebron. Sicque fiebat in qualibet urbium ad quas erant directi; eadem etiam hora fiebat ita in Hebron. *Porro cum Absalon ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati,* quos rogavit secum venire, ut putarentur sibi favere, et pauciores cum David manerent : nec dubium quin isti erant viri multum notabiles; *euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes,* ob quam Absalon eos secum assumpsit. *Accersivit quoque Absalon Achitophel Giloniten de civitate sua Gilo,* id est de urbe nomine Gilo, *consiliarium David* præcipuum. Dicunt autem aliqui, quod Achitophel animavit Absalonem contra David, eo quod David adulterium egit cum Bethsabee filia filii sui. *Quumque immolaret hostias* *, quasi Deum honorans, adjutoremque habens, *facta est conjuratio valida,* ita quod fortiter adstrinxerant se adsistere Absaloni. *Populusque concurrens augebatur cum Absalon,* id est, de singulis tribubus multi festinanter convenerunt ad Hebron, ad complacendum adsistendumque Absaloni. (B, C, D — * Regnare. — II Reg. xi, 3. — * victimas.)

Venit igitur nuntius ad David, dicens : Toto corde universus Israel sequitur Absalon, id est, multi de qualibet tribu adhærent ei ut regi. *Et ait David servis suis qui erant cum eo in Jerusalem : Surgite, et fugiamus. Neque enim erit nobis effugium a facie Absalon,* nisi jam festinemus exire. David conscius sibi malorum quæ fecerat, ac reminiscens comminationum sibi per Nathan factarum, formidavit suc- (II Reg. xii, 10-12.)

Digitized by Google

cumbere propter sua peccata: propter quorum demerita, timuit Absalonem posse divina virtute prævalere, tanquam flagellum divinæ justitiæ contra se suscitatum. *Festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii. Dixeruntque servi regis ad eum : Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exsequemur servi tui.*

Egressus est ergo rex, et universa domus ejus, id est domestici, *pedibus suis:* quia humiliavit se rex coram Deo, ut misericordiam consequeretur, idcirco noluit cum apparatu et pompa equestri exire; et stetit procul a domo, ut videret qualiter alii irent aut secum manerent. *Et reliquit rex decem mulieres concubinas,* id est secundarias conjuges, *ad custodiendam domum* palatii. Unde videtur, quod alias sex uxores principales secum eduxit, aut alicubi ad locum securum transmisit. *Egressusque rex et omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo; et universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones Cerethi* II *Reg.* VIII, 18. *et Phelethi :* quæ nomina diffuse exposita sunt supra; *et omnes Gethæi pugnatores validi :* sicut communiter dicitur, hi fuerant Philistæi; *sexcenti viri qui secuti eum fuerant de Geth, pedites præcedebant regem.* Et erant conversi ad Judaismum : qui benefecerunt ipsi David, quando latuit in I *Reg.* XXVII, 3, 2. Geth urbe Philistinorum tempore Saul. Exierunt quoque cum David sexcenti viri, qui adhæserunt ei sub persecutione Saulis, ut Josephus scribit.

Dixit autem rex ad Ethai Gethæum, id est oriundum de Geth : qui secundum Scholasticam historiam, fuit filius Achis regis Philistiim, ac principalis inter sexcentos Gethæos præfatos; qui ex consideratione virtutum David, secutus est eum, et factus proselytus. *Cur venis nobiscum? Reverte re et habita cum rege,* id est cum Absalon, quem assumpserunt pro rege : et tamen non erat rex de jure, scilicet intrusit se ipsum; *quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo,* id est, de aliena terra huc advenisti. *Heri venisti,* id est nuper seu præterito tempore non diu elapso, *et hodie compelleris nobiscum egredi* timore Absalonis : ideo magis condoleo tuæ adversitati. *Ego autem vadam quo iturus sum,* id est, quo Deus voluerit ac disposuerit : quod ego ipse adhuc ignoro. *Revertere, et reduc tecum fratres,* id est propinquos et compatriotas *tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem,* id est bonum favorem ac fidelitatem ad me, quia ita te offers ad subeundum pericula mecum et propter me. *Et respondit Ethai regi, dicens : Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. Et ait David Ethai : Veni et transi. Et transivit Ethai Gethæus, et rex, et omnes viri qui erant cum eo, et reliqua multitudo. Omnesque flebant voce magna,* propter tam inopinatam et magnam adversitatem regi a proprio filio suscitatam, *et omnis populus transibat. Rex vero transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam Olivæ, quæ respicit ad desertum.*

Venit autem et Sadoc sacerdos, et universi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, et deposuerunt arcam Dei, id est, in loco apto reverenter posuerunt. *Et ascendit Abiathar,* qui erat tunc pontifex : et coram omnibus ascendit ad orandum juxta arcam, ut consuleret Dominum, quid esset ipsi David agendum, sed Dominus non dedit responsum. Ascendit autem *donec expletus esset omnis populus qui egressus fuerat de civitate,* id est, donec omnes transierunt, ut sic seorsum oraret devotius. *Et dixit rex ad Sadoc : Reporta arcam Dei in urbem.* Nempe ex quo Dominus non dedit responsum, advertit David Dominum nondum sibi esse reconciliatum, quantum ad pœnæ dimissionem : idcirco arbitrabatur se indignum præsentia arcæ. *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me* in Jerusalem, *et ostendet mihi eam,* id est arcam involutam, quam nudam

Digitized by Google

Num. iv, 20. videre nec regi licebat, *et tabernaculum* A *suum. Si autem dixerit mihi : Non places*, id est, nolo ut amplius regnes, *præsto sum* obedire voluntati ipsius, et sustinere quod mihi inflixerit; *faciat quod bonum est coram se. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem : O Videns*, id est Propheta : unde videtur Sadoc prophetiæ spiritum habuisse, nisi forsan dicatur Propheta et Videns, I Par. xvi, 4. quia in divino obsequio psallentibus et Prophetarum oracula recitantibus præerat. I Reg. x, 10; xix, 23. Unde et primo libro Saul et alii prophetasse dicuntur. In epistola quoque ad Corin- B thios, prophetæ vocantur interpretatores I Cor. xiv, 29. Scripturæ, ut quum ait Apostolus : Prophetæ duo aut tres dicant, et ceteri dijudicent. *Revertere in civitatem in pace, et Achimaas filius tuus et Jonathas filius Abiathar duo filii vestri, sint vobiscum. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi. Reportaverunt ergo Sadoc et Abiathar arcam Dei in Jerusalem, et manserunt ibi.*

Porro David ascendit clivum Olivarum, id est montuosum ascensum montis Oli- C veti, *scandens et flens, et nudis pedibus incedens, et operto capite*, ne videretur plorare, et ne alii ex suo fletu magis desolarentur; et nudis pedibus incedens : sicque maxime humiliavit se, perpendens hæc omnia mala propter sua evenire peccata. *Sed et omnis populus qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. Nuntiatum est autem David, quod Achitophel esset in conjuratione cum Absalon. Dixitque David : Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel*, id est, ab effectu impedi il- D II Reg. xvii, 14. lud, et da ne ei consentiatur : et hoc factum est postea. Timuit autem David consilia Achitophel, quia astutissimus erat in consulendo. *Quumque ascenderet David summitatem montis* Olivarum, *in quo adoraturus erat Dominum :* quia ab illius montis cacumine videre poterat sanctam civitatem et locum divini cultus : et illuc vertebat faciem suam, ut ardentius exoraret; *ecce occurrit ei Chusai Arachites*, id est de oppido Arach natus, amicus et consiliarius ejus, *scissa veste, et terra pleno capite :* quia in signum mœroris sciderat vestem suam, et pulverem sparserat super caput.

Et dixit ei David : Si veneris mecum, eris mihi oneri, id est, gravabis me, quia malo te alibi esse, ubi plus mihi proficuus esses. Communiter autem exponitur, Eris mihi oneri, quia non es aptus ad præliandum. *Si autem in civitatem revertaris, et dixeris* ipsi *Absalon : Servus tuus sum, rex, patere me vivere; sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus : dissipabis consilium Achitophel.* Videtur, quod David in his verbis commiserit viro huic mentiri et fallere. Respondetur, quod fuit fraus utilis, et verba hæc aliquo modo verificantur, quia Chusai impedivit Absalonem a diversis sceleribus, dissipando consilium II Reg. xvii, 7-13. Achitophel, et oppositum persuadendo. Et quantum ad hoc, servivit Absaloni, cooperando ei in bonum. Exhibuit quoque ei quædam obsequia inclinando, et in quibus- Ibid. xvi, 16, 18, 19. dam obtemperando. Alii dicunt, quod non sit necesse ipsum excusare in verbis istis ab officioso mendacio, quem constat in multa mortalia corruisse peccata, et sequenti capitulo legitur graviter deliquisse.

Habes autem, id est, ibi habebis, *tecum* in Jerusalem *Sadoc et Abiathar sacerdotes :* quos et nunc habes spiritualiter tecum per mentis consensum, quoniam sunt de parte mea, sicut et tu; *et omne verbum quodcumque audieris in domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus*, id est, quidquid audieris ab ore Absalonis et fautorum ipsius, quod expediat mihi scire, nuntiabis mihi per sacerdotes præfatos, eorumque filios. *Sunt enim cum eis duo filii eorum, Achimaas filius Sadoc, et Jonathas filius Abiathar; et mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis.* Ecce qualiter sanctus David, quamvis in Deo speraverit, et ejus voluntati resignaverit semetipsum, nihilo minus, quantum in se erat, optavit evadere, prævalere et reduci in sua, fecitque quidquid secundum humanam prudentiam facere potuit. *Veniente*

Digitized by Google

ergo Chusai amico David in civitatem, Absalon quoque ingressus est civitatem, et Achitophel cum eo.*

* Jerusalem

Sensus moralis. Moraliter ex præsenti docemur capitulo, quam enorme crimen exsistat ambitio, qualiter mentem obtenebret, ut nec patri, nec fratri, nec amico, neque alicui parcat; quam multa et magna vitia oriantur ex ea, videlicet simulatio, hypocrisis, mendacium, adulatio, odium, dissensio, schisma, traditio, incestus, conjuratio, conspiratio, homicidium, imo et patricidium, rebellio, et quasi in omnibus reflexio ad se ipsum. O si bene pensemus quam periculosum et stultum est ad præsidentiam anhelare, ad curata officia adspirare, velle præesse, præcipere, et non magis subesse ac obedire! Nonne judicium gravissimum in his qui præsident, fiet? (*Sap.* VI, 6.) Sed quale judicium imminet eis, qui ambitiose se ingerunt, aut suspiciose et inordinate in officiis et præsidentiis se conservant? Hi enim eo ipso quo tales sunt, indigni sunt adjutorio Spiritus Sancti ad salubriter præsidendum, sine quo fructuose nemo valet præesse. Excæcati et miseri isti, ad se ipsos insipienter reflexi, non advertunt divini rigorem judicii, et quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* X, 31), et quod toties ad apostasiæ crimen labantur, quoties hominibus præesse cupiunt aut conantur, vel delectantur. Idcirco sunt filii primi illius apostatæ, qui est rex super omnes filios ambitionis atque superbiæ (*Job* XLI, 25). Heu, quam multi etiam spirituales et ecclesiastici, modo sectantur ambitionem, adulationes, virulentaque oscula, ac cetera vitia Absalonis, qui bonos persequuntur prælatos, ac detrahendo et infestando moliuntur eos occidere, quoad esse bonæ famæ, quod in proximorum cordibus habent, et spirituales patres suos nituntur de prælatione ejicere, ut ipsi subintrent!

Insuper docemur hic patientiam, humilitatem, compunctionem, pœnitentiam, fletum ac pœnitentialem afflictionem sancti David perpendere et sectari, qui expulsionem suam tam tranquille ac patientissime tulit, et sua uberrime deploravit peccata, nec malum quid de suo loquebatur persecutore, imo et obtulit se ad omnem correctionem Dei paratum, sicut fatetur in Psalmo: Quoniam ego in flagella paratus sum (*Ps.* XXXVII, 18). Simili modo et nos, quidquid adversitatis, correptionis, persecutionis, damni, diffamiæ, infirmitatis contigerit nobis, studeamus æquanimiter tolerare, et impleamus quod scriptum est: Non ulciscamur nos pro his quæ patimur; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini (quasi servi qui corripimur) ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus (*Judith* VIII, 26, 27). Postremo, sicut David condoluit Ethai Gethæo et viris ipsius, sic compatiamur et nos eis, qui occasione nostri patiuntur adversa, quibus grati et consolatorii esse debemus: et quamvis David consuluit viris illis reverti et habitare cum Absalone, non tamen communicare ei in vitiis.

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI: QUUMQUE DAVID TRANSISSET PAULULUM VERTICEM MONTIS.

CAPITULUM jam elucidandum enarrat, qualiter David inter tot adversa quamdam habuerit prosperitatem, et occasione illius inciderit magnam culpam; et qualiter mox pro suis peccatis gravem sustinuerit confusionem; sicque ad hoc tandem deventum sit, quod pro adulterio quod commisit, uxores quoque ipsius sunt violatæ

violatione ignominiosissima a proprio filio. *Quumque David transisset paululum verticem montis* Oliveti, in quo devote oravit, sicut præcedenti habetur capitulo, (II Reg. xv, 32.) *apparuit*, id est, regi occurrit, *Siba puer*, id est minister, ipsius *Miphiboseth in occursum ejus cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus et centum alligaturis uvæ passæ*, id est ita confectæ : et ponitur singulare pro plurali, quoniam multas uvas sic confectas et colligatas adduxit; *et centum massis palatharum*, id est ficuum inter tabulas compressarum, *et duobus utribus vini*, id est vasis de corio factis, vino repletis. *Et dixit rex Sibæ : Quid sibi volunt hæc*, id est, cur ea attulisti? *Responditque Siba : Domine mi rex, asini domesticis regis*, id est pro usu servorum tuorum, *ut* si qui præ lassitudine aut infirmitate non poterunt ire, super asinum *sedeant; et panes et palathæ ad vescendum pueris tuis; vinum autem ut bibat, si quis defecerit in deserto.*

Et ait rex : Ubi est filius domini tui, id est Miphiboseth? de cujus absentia David mirabatur, quum fecisset illi tot bona. *Responditque Siba regi : Remansit in Jerusalem, dicens : Hodie*, id est tempore isto, *restituet mihi domus*, id est populus, *Israel regnum patris mei*, id est Israeliticum regnum, quod fuit Saulis avi mei, et devolutum fuisset ad Jonathan patrem meum si supervixisset. Istud impius Siba iste malitiose confinxit ex avaritia, ut scilicet rex contra Miphiboseth amaricatus, reputaret eum quasi reum læsæ majestatis, atque ob hoc privaret eum sua hereditate, conferretque eam sibi, tanquam zelanti pro rege, et adstanti ei in tanta adversitate. Etenim Siba iste omnino putavit Absalonem vincendum, et regem David cum suis prævaliturum, sciens David divinitus electum et unctum in regem, et semper protectum et adjutum a Domino; quem etiam scivit prudentissimum in bellicis rebus, fortem, magnanimum, et strenuissimos viros secum habentem : ideo studuit ei occurrere et placere, ac necessaria mini-

A strare, ut ex his commoda reportaret. *Et ait rex Sibæ : Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth*, id est, omnia bona sua do tibi. Quidam tamen exponunt hoc de terris et agris, quos David dedit Miphiboseth, (II Reg. ix, 7, 9.) prout dictum est supra. In hac re David multipliciter, graviterque peccavit. Primo, ita faciliter credendo accusatori sine testium adhibitione. Secundo, tam inordinate proferendo judicium, utpote sine accusati auditione, sine accusationis examine, sine debita mora seu deliberatione.

B Tertio, innocentem suis bonis privando, et ea pessimo accusatori donando. Et ex hoc inexcusabilior fuit rex, quoniam aliunde frequenter fuit expertus virtutes Miphiboseth : idcirco non debuit tam faciliter credere accusationi contra ipsum delatæ. *Dixitque Siba : Oro inveniam gratiam coram te, domine mi rex.* Quasi dicat adulator iniquus, artifexque mentitor : Potius opto gratiam et favorem regis, quam temporalia commoda ac munera ejus.

Venit ergo rex David usque Bahurim, id

C est locum sic dictum. *Et ecce egrediebatur vir inde de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera*, cognatus Saulis, natus de Benjamin. Infra Semei iste ait ad David : Primus veni de omni domo Joseph (Ibid. xix, 20.) in occursum regis : ergo fuit de tribu Joseph. Ad hoc quidam respondet, quod Semei ex parte patris fuit de cognatione Saul, tribuque Benjamin, sed ex parte matris de tribu fuit Ephraim. Hoc quoque, ut in quadam legi expositione, dicunt Hebræi. Alii scribunt, quod revera ex parte patris

D fuit de Benjamin, sed de domo Joseph fertur fuisse, quoniam habitavit in terra tribuque Ephraim, filii Joseph. Vel secundum quosdam, ex parte matris fuit de Benjamin tribu. Verius autem videtur, quod ex parte patris fuit de Benjamin, quoniam in veteri Testamento viri communiter nomen acceperant ex parte patris. Quum ergo dicatur fuisse de cognatione Saul, videtur quod ex parte patris fuerit Benjamita. Sed tunc rursus oritur quæstio, qualiter fuerit de alia tribu ex parte patris quam matris,

Digitized by Google

Num. XXXVI, 7. quum secundum legem vir et uxor debuerint de eadem esse cognatione et tribu. Ad quod respondetur, quod ratio illius præcepti fuit, ne in anno jubilæo fieret confusio sortium, hereditate unius tribus deveniente ad aliam : ideo mulieres quæ non succedebant in hereditate paterna, poterant ducere viros alterius tribus, sicut et
I *Reg.* XVIII, 27. David de tribu Juda, habuit conjugem Michol de Benjamin tribu.

Itaque Semei, quem Hebræi fabulantur fuisse Nabat patrem Jeroboam, ut in Scholastica fertur historia, *procedebatque egrediens et maledicebat, mittebatque lapides contra David, et contra universos servos regis David. Omnis autem populus et universi bellatores a dextro et a sinistro latere regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei quum malediceret regi : Egredere, egredere.* Hoc dixit subsannatorie, quasi diceret, Dignus es expulsione ; et repetitio fuit confirmationis indicium. *Vir sanguinum,* hoc est copiosus in homicidiis, *et vir Belial,* id est sine jugo rationis atque
* tyranne justitiæ, hoc est tyrannice *. *Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul,* id est, pœnam pro occisione eorum qui de domo Saul occisi sunt, ut tu regnares, inflixit jam tibi, *quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus regnum in manu Absalon filii tui. Et ecce premunt te mala tua,* id est adversitates quas sustines pro tuis peccatis : quod aliqualiter verum est, quamvis non secundum intentionem Semei hujus; *quoniam vir sanguinum es.*

Dixit autem Abisai filius Sarviæ, regi : Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? Vadam, et amputabo caput ejus. Et ait rex Abisai, volenti ulcisci tantam regis injuriam : *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ?* hoc est, cur intromittitis vos de vindicta injuriæ meæ nolente me? Ex quo quidam eliciunt, quod et Joab volebat occidere virum illum iniquum. Vel loquitur ita David, quia Abisai et Joab fratres uterini, quasi in omnibus consenserunt ; vel eo modo quo quid adscribitur communitati, quia uni ex ea id competit. *Dimittite eum, ut maledicat,* hoc est, non resistatis inordinate, nec impediatis illud, in quantum est malum pœnale per respectum ad me, quia aspernationem istam promerui. *Dominus enim præcepit ei ut malediceret David. Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Dimittite eum, ut maledicat mihi juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam,* id est, quatenus Deus dignetur acceptam habere patientiam, qua adversa hæc omnia æquanimiter tolero, *et reddat mihi bonum,* id est veniam et gratiam, reductionem quoque in regnum et gloriam æternalem, *pro maledictione hac hodierna,* id est merito patientiæ qua eam sustineo. Et bene ait, Si forte, quoniam absque revelatione David scire non quivit, quod ex caritate seu meritorie pertulit illa. *Et ait rex Abisai et universis servis suis : Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo :* non quod anima sit ex traduce, sed quod semen ex quo nascitur proles, sit ex ventre et lumbis patris, in cujus semine vis formativa consistit ; *quærit animam meam,* id est, vitam meam animalem, naturalem et corporalem conatur exstinguere ; *quanto magis hic* Semei *filius Jemini maledicet mihi?* id est viri talis de semine Benjamin I *Reg.* IX, 1.
nati, prout primo libro habetur. Quidam tamen per Jemini, intelligunt virum vilem ac rusticum.

Circa hæc quæritur, quia si Dominus præcepit huic Semei maledicere David regi, ergo non peccavit in hoc, sed Deo obedivit ac meruit. Quod si ita est, ergo David injuste præcepit Salomoni interficere vi- III *Reg.* II, 8, 9.
rum illum propter hanc maledictionem, ut infra tertio libro habetur. Et respondendum, quod quidquid entitatis et actualitatis est in actu peccati, est utique a Deo, a quo est omne esse et agere, omnis essentia, virtus et actio ; sed deformitas actus illius, videlicet ipsa aversio a rectitudine rationis et veritate justitiæ, quod est formale peccati, non est directe, sed solum permissive a Deo, nec habet causam efficientem, sed deficientem, estque directe a

libertate arbitrii, in quantum ex nihilo est, et defectiva ac errans : sicut in fornicatione et adulterio quidquid est essentiæ, virtutis et actionis partis vegetativæ seu generativæ, a Deo est; sed quod actus illi procedunt a voluntate inordinata, corrupta et defectiva, est directe a libertate, in quantum ex nihilo est et defectuosa erransque : quæ quantum ad hoc, est potius casus ab ente, et non ens, quam ens. Sic in proposito : quod Semei vir unus audebat regi et militibus ejus tantam irrogare injuriam, fuit a Deo, quantum ad id quod potissimum fuit in illa audacia, in quantum Deus per Semei voluit punire regis excessum; abusus vero illius audaciæ, utpote quod Semei perversa intentione hoc egit, in quo fuit culpa, non fuit a Deo. Et juxta hunc modum in Jeremia, Ezechiele, aliisque Prophetis multoties legitur Deus excitasse, vocasse, movisse Chaldæos, aliosque gentiles ad vastandum filios Israel, in quantum justo judicio per illos punivit populum suum. Illi tamen perversa intentione fecerunt hoc, propter quod meruerunt perire. Propter quod per Isaiam ait
Is. x, 5-7. Dominus de rege Assyriorum : Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est. Ad gentem fallacem mittam eum; ipse autem non sic arbitrabitur, sed ad conterendum erit cor ejus. Sic quoque dicitur Deus per Judæos implesse ea quæ de Christi passione per Prophetas prædixit, quemadmodum sacratissimus princeps Apostolorum prote-
Act. III, 18. statur : Deus qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic.

Ambulavit itaque David et socii ejus per viam cum eo; Semei autem per jugum montis, id est per montis cacumen, *ex latere contra illum gradiebatur :* quem etiam propria invidia atque diabolus contra regem tam patientem excitaverunt; *maledicens, et mittens lapides adversum eum, terramque spargens. Venit itaque rex David et omnis populus* ejus *cum eo lassus ad Jordanem, et refocillati,* id est, cibo, potu, et quiete recreati, *sunt ibi.*

Absalon autem et omnis populus ejus ingressi sunt Jerusalem, sed et Achitophel cum eo. Quum autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absalon in Jerusalem in palatio regis, *dixit : Salve, rex : salve, rex.* Nam veram ejus salutem, videlicet cessationem a malo incepto, pœnitentiamque cupivit. *Ad quem Absalon : Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum?* quasi dicat : Bene ostendis per verba hæc nunc fidelitatem et pietatem tuam ad David, cujus vocaris amicus, a quo in tanta necessitate recedis. Quod Absalon vel increpatorie vel irrisorie dixit, vel ad perscrutandum an Chusai ex animo veniret ad se; et ut ait Hieronymus, Absalon non dixit hoc affectando, sed negando. Vel, ad insinuandum quod non posset homini tali faciliter credere, ne simili modo deciperetur ab eo. *Quare non ivisti cum amico tuo? Responditque Chusai ad Absalon : Nequaquam,* supple, infidelis sum amico meo David, qui secundum te justo judicio est expulsus; *quia illius ero,* id est, tibi adhærebo, *quem elegerit* * *Dominus* saltem permissive, *et omnis hic populus et universus Israel, et cum eo manebo* corpore, non cordis intentione. Quamvis hæc verba possent in aliquo sensu a mendacio excusari, quia ad tempus corporaliter fuit cum Absalon, tamen prout Absalon ea accepit, vera non erant, nec a talibus venialibus culpis necesse est ipsum Chusai ac similes excusari. Nam subditur, *Sed ut et hoc inferam,* id est, decet ut adjiciam verba sequentia, ex quo pateat quod infidelitatem non exhibeo patri tuo : *Cui ego serviturus sum?* quod interrogatorie dixit, idcirco respondet : *Nonne filio regis?* ac si dicat : Si alieno regi, relicto David, adhærerem, posset interpretari in malum; non autem, quod filio regis prioris adhæreo. *Sicut parui,* id est obedivi, *patri tuo, ita parebo et tibi* in licitis.

Dixit autem Absalon ad Achitophel : Inite consilium, id est, convenite ad consulendum, *quid agere debeamus. Et ait Achitophel ad Absalon,* consilio nondum

* *elegit*

Digitized by Google

celebrato, ut videtur. *Ingredere ad concubinas patris tui quas dimisit ad custodiendam domum, ut quum audierit omnis Israel quod fœdaveris patrem tuum,* id est, turpiter inhonoraveris eum incestuoso concubitu, cognoscendo ejus uxores. Quum- Gen. II, 24. que maritus et uxor sint una caro, Absalon fœdando carnem uxorum patris sui, patrem quoque fœdavit. Injuria quoque uxorum redundat in viros. *Roborentur tecum manus eorum,* id est, secure et firmiter tibi adsistant, certi quod post tantam contumeliam patri tuo illatam, nunquam reconciliandus sis ei : idcirco non timeant quod nunc quidam eorum pavide suspicantur, quod scilicet tu et pater tuus tandem reconciliabimini, sicque ipsi ingratitudinem sustinebunt, et displicebunt tam tibi quam patri tuo, eo quod in ista rebellione te foveant. Aliqui opinantur, quod et ideo Achitophel consuluerit istud, quo- II Reg. XI, 4. niam David fœdaverat Bethsabee neptem ipsius Achitophel. Verumtamen, quamvis istud consilium et tantus incestus poterant populum certificare de eo quod dictum est, et quod Absalon ex animo ipsum David persequeretur; tamen ex tantis flagitiis patuit, quod factum Absalonis non erat secundum Deum, et quod ejus promotio Deo non complaceret : ideo si in populo illo erant aliqui vere sapientes et virtuosi, displicuit eis talis processus. *Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel* ibi præsente; tuncque implebatur quod supra Domi- Ibid. XII, 11, 12. nus dixit ad David per Nathan : Tollam uxores tuas, et dabo proximo tuo, et dormiet cum eis in oculis solis, et faciam verbum istud in conspectu omnis Israel.

Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, reputabatur *quasi si quis consuleret Deum,* id est, tam diligenter audiebatur et acceptabatur, ac si Deus consilium daret, sicque quantum ad aliquid, simile fuit. Unde sicut primo Machabæo- I Mach. II, 65. rum de Simone dixit pater ipsius, Scio quia vir consilii est, ita Achitophel acu- A tissimus fuit consultor : et tamen sicut vera carebat prudentia, quæ vitiosis non inest, ita nec vere salubria dedit consilia, quæ sunt actus prudentiæ, quamdiu impius fuit. *Sic erat omne consilium Achitophel, et quum esset cum David, et quum esset cum Absalon.* Istud tamen ejus consilium fuit tam sceleratissimum, quod propter ejus impletionem Deus merito fecisset Absalonem cum suis succumbere; et mirum, quod Achitophel hoc ipsum non consideravit nec timuit.

B Præterea, ex historia hujus capituli accipere possumus multa moralia documenta : Primum, ne simus nimis proni ad credendum mala de aliis, præsertim de bonæ famæ hominibus; nec detrahentibus acquiescamus, sed increpemus, avertamusque eos, vel saltem mœstum vultum eis monstremus : quia ut Salomon ait, Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Qui rursus fatetur : Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Secundum est, ne simus præ- C cipites ad judicandum de aliis; sed causam, quam judex ignorat, diligentissime investiget, et pars altera audiatur. Impleamus ergo quod Ecclesiasticus docet : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. Hinc ad Timotheum monet Apostolus : Sine præjudicio, id est prævio judicio rationis, nihil facias, in aliam partem declinando. Tertium est, quod valde difficile sit in magnis officiis vitare peccata : quoniam David vir tantæ prudentiæ, tam præcipitanter dedit sententiam D contra absentem innoxiumque Miphiboseth. Ideo status officiatorum ac judicum est periculosus, nec appetendus. Quartum est, præclarum exemplum patientiæ magnæ : quoniam David tam mendosa et opprobriosissima verba contra se a vili homine coram tanta plebe prolata, imo et projectiones saxorum tam patientissime toleravit, nec ulcisci permisit : imo omnia illa reputavit, Deo jubente, sibi inferri propter sua piacula, consideravitque ea quasi vulnerum animæ suæ remedia. Ita

Sensus moralis. Eccle. VII, 4. Prov. XXV, 23. Job XXIX, 16. Eccli. XXXII, 24. I Tim. V, 21.

Digitized by Google

et nos certi de providentia Dei, quidquid A adversum asperumque occurrerit, patienter feramus, et quasi de manu Omnipotentis pro dono suæ paternæ provisionis accipiamus, etiam si de speciali excessu non fuerimus nobis mox conscii, quum sciamus quod in multis offendimus omnes, *Jacob.* III, 2. imo et maxime virtuosum sit, non solum sine propria culpa, sed etiam pro justitia pati. Et ecce tot et tanta David rex toleravit; nos autem vix increpari et corrigi volumus pro nostris peccatis, etiam a superioribus nostris. Nonne ei qui talis est, improperatorie dici potest illud in Job. Venit super te plaga, et defecisti; tetigit *Job* IV, 5. te, et conturbatus es? Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum?

ARTICULUS XXVI

EXPLANATIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : DIXIT ERGO ACHITOPHEL AD ABSALON.

RECITATUR in isto capitulo, qualiter B exsistentes cum Absalon, duplex dederunt consilium de modo impugnandi David regem, et qualiter hoc ipsum regi sit annuntiatum. *Dixit ergo Achitophel ad Absalon : Eligam mihi,* hoc est ad subsidium meum, *duodecim millia virorum :* forsitan de qualibet tribu mille, ne aliqua tribus videretur contemni. Voluit autem eligere duodecim millia præ ceteris fortiora ac prælio aptiora, juxta numerum duodecim Patriarcharum, et quia tot millia æstimavit ad adversariorum expugnationem sufficere. *Et consurgens, persequar* ipsum *David hac nocte,* antequam ad resistendum se præparet, vel loca munita ingrediatur, aut adjutores sibi adipiscatur; *et irruens,* id est, cum robore et impetu veniens, *super eum* improvise, *quippe qui lassus est et solutus manibus,* id est, viribus suis privatus præ lassitudine, mœstitia et timore, *percutiam eum. Quumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum; et reducam* ad te *universum populum,* qui est cum illo, *quomodo unus homo reverti solet,* hoc est concorditer et de facili. Nempe, ut dicunt Hebræi, Achitophel cum suis persuasit populo, quod David propter scelera sua reprobatus et abjectus esset a Deo, sicut et Saul, ideoque juste impugnaretur, et ad filium ejus Absalon regnum esset jam devolutum. *Unum enim virum tu quæris* principaliter ad occidendum, videlicet proprium patrem, qui tibi nil forefecit : quod agendo, peccas contra legem naturalem, divinam, ac positivam, et ingratissimus es, quum parentibus nequeat reddi æquivalens; *et omnis populus* tuus *erit in pace* temporali, uno illo occiso. *Placuitque sermo ejus Absalon et cunctis majoribus natu Israel* ibi præsentibus, nam et multi erant C cum David, quibus non placuit : quia erat utique bonum consilium ad obtinendum intentum, quamvis iniquum. Et mirum, quod universi illi ita erant subversi atque ingrati David regi, per quem tot beneficia et triumphos erant sortiti, quod tam sceleratissimo crudelissimoque consenserunt consilio, quum nec afflicto sit addenda afflictio.

Ait autem Absalon : Vocate Chusai Arachiten, et audiamus quid etiam ipse dicat. Jam enim Absalon credidit indubitan- D ter, quod Chusai sibi faveret ex animo, et voluit tam prudentem ad se confugientem honorare consulendo eumdem. *Quumque venisset Chusai ad Absalon, ait Absalon ad eum : Hujuscemodi sermonem locutus est Achitophel. Facere debemus, an non?*

Digitized by Google

Quod das consilium? Et dixit Chusai ad Absalon : Non est bonum hoc consilium, quod dedit Achitophel hac vice. Quasi dicat : Quamvis sit prudens, et communiter bonorum dator consiliorum, tamen sicut humanum est, pro nunc non bene consuluit.

Et rursus intulit Chusai : Tu nosti patrem tuum et viros qui cum eo sunt, esse fortissimos : reges namque præliis occupati, solent secum habere strenuiores bellicosioresque viros ; *et amaro animo,* indignantes se ita expulsos, et ex cordis amaricatione paratos ad pugnandum sine B formidine, *veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat.* Ursa namque perditis catulis suis cum ferocitate et mœrore circumspicit, et quem primo viderit, sævissime et impetuosissime mox invadit, putans sibi ab illo catulos suos esse subtractos. Itaque ratione fortitudinis David et servorum ipsius, non expedit agere sicut Achitophel consulit. Et hoc Chusai consequenter probat alia ratione, videlicet ex consideratione prudentiæ et experientiæ David regis, quæ plus valent in bellis quam fortitudo, juxta C illud Sapientiæ : Melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis. (Sap. VI, 1.) *Sed et pater tuus vir bellator est,* id est expertus in bellicis rebus, *nec morabitur cum populo :* id est, ad præcavendum periculum, et ne tradatur ab aliquo, ad secretiora quæque confugiet loca in nocte ista. *Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno quo voluerit loco.* Quod (ut creditur) etiam ideo dixit Chusai, quoniam David quando fuit cum aliis, temporibus nocturnis in deserto aut rure, consuevit causa orationis, contem- D plationis et compunctionis se absentare ad tempus, atque in suis latibulis Deo vacare. Si enim domi egit in lecto, quod ait in Psalmo, Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo : (Ps. VI, 7.) non videtur ambiguum, quin in desertis et campis exsistens id egerit. Erat enim totus internus, et in sensibilibus illis devotionibus exercitatissimus, et fecit quod cecinit : In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum. (Ps. LXXVI, 3-5.)

A Renuit consolari anima mea ; memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus. Anticipaverunt vigilias oculi mei. Et : Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. (Ps. LXXVI, 7.) *Et quum ceciderit unus quilibet in principio,* id est quicumque parvus vel magnus occisus fuerit in acie tui exercitus, vel in exordio regni tui, *audiet quicumque audierit, et dicet : Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalon,* id est, modicum reputabitur magnum, B et malum tale exaggerabitur. *Et fortissimus quisque cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur. Scit enim omnis populus Israel, fortem esse patrem tuum, et robustos omnes qui cum eo sunt.*

Deinde reprobato Achitophel consilio, dat Chusai suum consilium. *Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium. Congregetur ad te universus populus Israel* residuus, qui nunc non est tecum, neque cum David, *a Dan usque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis, et tu eris in medio* C *eorum,* tanquam caput et princeps ac forma audaciæ ; *et irruemus super eum in quocumque loco inventus fuerit.* Connumerat se aliis Chusai iste, ut videatur ex corde esse cum Absalone, et sibi credatur. *Et operiemus eum sicut ros cadere solet super terram, et non relinquemus de viris qui cum eo sunt, ne unum quidem. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi funes,* id est machinas quaslibet. Est tamen hyperbolica metaphoricaque locutio. Nam sub- D ditur : *et trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur nec calculus quidem ex ea,* id est, funditus eam destruemus, sicut cum chordis trahitur res mobilis deorsum in terram. Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Circumdabit omnis Israel civitati illi societates, id est acies armatorum ; sed Rabbi Paulus dicit, in Hebræo proprie haberi, Funes. Forsan dictio illa Hebraica est æquivoca.

Dixitque Absalon et omnes viri Israel : Melius est consilium Chusai Arachitæ con-

Digitized by Google

silio Achitophel. Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile : id est, Deo volente ac disponente, Absalon et sui judicaverunt consilium ipsius Achitophel esse inutile aut minus idoneum : quod tamen utile fuit secundum humanum modum pro Absalone ad prævalendum ; *ut induceret Dominus super Absalon malum,* id est, quatenus faceret eum superari, sicut scelera ejus promerebantur.

Et ait Chusai, per se vel per internuntium, *Sadoc et Abiathar sacerdotibus : Hoc et hoc consilium dedit Achitophel Absalon et senioribus Israel, et tale et tale dedi ego consilium. Nunc ergo mittite cito, et nuntiate David, dicentes : Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere* Jordanem ; *ne forte absorbeatur rex* David, id est, ne Absalon ad instigationem Achitophel mutet propositum, et permittat ipsum Achitophel hac nocte venire cum duodecim millibus ad persequendum te, David, sicque gladio consumaris, *et omnis populus qui tecum est.* Unde ut ait Lyra, ubi nostra habet translatio, Ne absorbeatur rex, in Hebræo habetur, Ne consulatur regi, id est Absaloni, quod impleat consilium ipsius Achitophel. Verumtamen Rabbi Paulus affirmat, in Hebræo expresse haberi, Ne absorbeatur rex.

Jonathas autem filius Abiathar, *et Achimaas* filius Sadoc *stabant juxta fontem Rogel* secrete, extra et prope civitatem, exspectantes quid eis denuntiaretur, ad insinuandum regi. *Abiitque ancilla* a sacerdotibus informata et missa, ne quid malæ suspicionis oriretur, si vir urbem egrederetur, *et nuntiavit eis.* Porro ancilla illa exivit portans pannum ad abluendum. *Et illi profecti sunt ut referrent ad regem David nuntium. Non enim poterant videri,* Jonathas atque Achimaas, vel quia steterunt abscondite, vel quia periculosum eis fuisset videri, quoniam Absalon scivit quod erant de parte David. Ideo subditur, *aut introire civitatem* Jerusalem, quam si ingressi fuissent, et Absalon hoc scivisset, male tractasset eos. *Vidit autem eos puer*

A *quidam,* videlicet filius prætactæ ancillæ, ut aliqui opinantur, qui forte ivit cum ea, *et indicavit Absalon,* cupiens ei placere, et commodum consequi. Attamen Josephus refert, quod equites quidam eos viderunt, et Absaloni dixerunt. *Illi vero concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahurim qui habebat puteum,* forsan siccatum, aut modicum aquæ habentem, *in vestibulo suo,* id est porticu, curia seu atrio, *et descenderunt in eum.* Unde elicitur, quod sciverunt se visos ac notatos,
B timueruntque capi : propter quod rogaverunt virum seu feminam domus quam intraverunt, ut absconderet eos, sicque dimisit eos in puteum : ex quo patet, quod in puteo illo non fuit aqua multa. *Tulit autem mulier, et expandit velamen super os putei,* ne quærerentur in puteo, *quasi siccans ptisanas,* id est hordeum pilo tusum decorticatum.

Quumque venissent servi Absalon in domum mulieris, missi ad comprehendendum eos, *dixerunt : Ubi est Jonathas*
C *et Achimaas? Et respondit eis mulier : Transierunt festinanter gustata paululum aqua.* Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Transierunt Jordanem : ideo nuntii Absalonis de illorum comprehensione desperantes, reversi sunt. Verumtamen potius puto translationem nostram continere, sicut habet Hebraica veritas. Nec nuntii illi credidissent mulieri, si dixisset ipsos transisse Jordanem, certi quod non diu recesserunt de fonte Rogel. Quod autem insecuti fuerint eos per spatium aliquod,
D videtur ex eo quod subditur : *At hi qui quærebant, quum non invenissent, reversi sunt in Jerusalem. Quumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, et pergentes, nuntiaverunt regi David, et dixerunt : Surgite, et transite cito fluvium, quoniam hujuscemodi consilium dedit contra vos Achitophel. Surrexit ergo David et omnis populus qui erat cum eo, et transierunt Jordanem, donec dilucesceret, antequam denudaretur verbum, et nec unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium.*

Digitized by Google

Porro Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque et abiit in domum suam, et in civitatem suam; et disposita domo sua, id est testamento facto, *suspendio interiit,* id est, se ipsum suspendit : quia ex indignatione, quod consilium Chusai fuit prælatum consilio suo, et ex tristitia, quia consideravit certissime regem David esse superaturum, et ipsum Chusai amicitiam Absalonis finxisse, in tantum attædiatus fuit quod occidit se ipsum, erubescens aut metuens coram David amplius apparere, vel invidens futuræ ejus prosperitati ac gloriæ; *et sepultus est in sepulcro patris sui.* Sic et Cato occidit se laqueo, ne videret gloriam Julii Cæsaris.

David autem venit in Castra, id est locum fortem munitum, seu urbem ubi circa obviaverunt angeli Jacob de Mesopotamia redeunti, ut in Genesi habetur; *et Absalon transiit Jordanem ipse et omnes viri Israel cum eo. Amasam vero constituit Absalon pro Joab super exercitum.* Nam sicut privavit ipsum David regno, sic et ipsum Joab principatu militiæ. *Amasa autem fuit filius viri nomine Jethra de Jezrael, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab.* Unde constat, quod per Naas hic intelligatur Jesse seu Isai, ita quod idem vir, habuit tria hæc nomina. At vero primo Paralipomenon legitur : Abigail genuit Amasa, cujus pater fuit Jether Ismaelites; quod qualiter intelligi debeat, ibi expositum est. Itaque idem est, Jether et Jethra, qui dicitur esse de Jezrael civitate, quia fortassis habitavit in ea. *Et castrametatus est Israel cum Absalon in terra Galaad. Cumque venisset David in Castra, Sobi filius Naas, de Rabbath filiorum Ammon :* quem Sobi constituit David regem pro fratre suo quem occidit, eo quod servos suos ignominiose tractavit, prout in expositione superiorum plenius fuit dictum; *et Machir filius Ammiel de Lodabar et Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei stratoria et tapetia,* id est lectisternia, et ea quæ vestibus substernuntur, vel parietibus affiguntur, *et vasa fictilia, frumentum, et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum oleo cicer, et mel et butyrum, oves et pingues vitulos,* id est, abundantiam victualium copiosam; *dederuntque David et populo qui cum eo erat ad vescendum. Suspicati enim sunt populum fame et siti fatigari in deserto.* Siquidem Sobi rex, gratus studuit inveniri David regi tempore tantæ indigentiæ ejus.

Gen. XXXII, 1, 2. — I Par. II, 17. — II Reg. XII, in fine.

Ex capitulo isto docemur, quod non sit sapientia, nec scientia, nec consilium contra Dominum, in cujus manu sunt omnium corda, et quocumque voluerit, vertit ea; qui (ut in Job asseritur) apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. Et ibidem : Qui dissipat consilia malignorum, ne manus eorum possint implere quæ cœperant. Sic plane contigit Absaloni atque Achitophel, fautoribusque eorum. Docemur quoque ex præinductis, quod Deus permittit frequenter peccatores ad damnabilissimum ac vitiosissimum finem venire, propter præcedentia eorum facinora, sicut de Achitophel jam est dictum : quem Deus ad tam periculosissimum, miserrimum, ac stolidissimum finem venire non permisisset, nisi ante tam enormiter excessisset. Et ecce vir ille qui tam prudentissimus habebatur, tam fatuissimus est effectus, quod suspendit se ipsum. Nullus ergo in oculis suis sit sapiens, nemo inaniter glorietur, neque præsumat : quia qualiter cursum vitæ terminabit præsentis, ignorat. Hinc in timore Dei et vera humilitate expedit semper stare.

Sensus spiritualis. Prov. XXI, 30, 1. — Job V, 13. — Ibid. 12. — Rom. XI, 25. — I Cor. III, 21.

Postremo, juxta allegoricum intellectum, per David accipitur Christus; per Absalon, principes Synagogæ; per Achitophel, proditor Judas; per Chusai, discipuli Christi ex Judaismo, et ceteri majores qui ex Synagoga ad Christum conversi sunt, ut Nicodemus, Joseph, Gamaliel. Quemadmodum ergo ambitiosissimus Absalon expulit proprium patrem regno, et eumdem occidere est molitus, sic superbi et ambitiosi prin-

Joann. III, 1; Matth. XXVII, 57; Act. V, 34.

cipes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi, persecuti sunt Christum, verum Israel regem, ejicientes extra vineam verum heredem, a quorum tyrannide Christus interdum fugit ad tempus, quousque tempore suæ salutiferæ passionis, desuper præstitutum fuit impletum. Quemadmodum etiam Achitophel conatus est ipsum David improvise occidere, sic traditor nisus est Christum manibus tradere Judæorum clam ad occidendum. Hinc ambo similem exitum sunt adepti. Et sicut Chusai restitit consilio Achitophel, sic Nicodemus et Gamaliel restiterunt frequenter consiliis principum et Scribarum, Christo et ejus discipulis insidiantium. Quemadmodum etiam Chusai de voluntate David finxit se esse fratrem* Absalonis, ut ejus mysteria regi David insinuaret, ita de voluntate Apostolorum, Gamaliel inter principes sacerdotum, Scribas et Pharisæos ad tempus resedit, quasi ipsorum unus, quatenus eorum machinas reseraret Apostolis, et pro fidelibus loqueretur : ut partim in Actis Apostolorum, et plenius in Itinerario S. Clementis describitur.

Matth. XXI, 39. *Joann.* X, 39; XI, 54. *Matth.* XXVI, 16. *Ibid.* XXVII, 5. *Joann.* VII, 50, 51; *Act.* V, 34-39.

* fautorem

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : IGITUR CONSIDERATO DAVID POPULO SUO.

VICTORIA David et dejectio Absalonis, hic describuntur. *Igitur considerato David populo suo,* videlicet qualis et quantus esset, et qualiter aptius posset dividi ac disponi, *constituit super eum tribunos,* id est millenarios, quorum unusquisque mille bellatoribus præerat, *et centuriones, et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, et tertiam sub manu Abisai, filii Sarviæ fratris Joab, et tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth,* id est natione Philistæi, sed ad Judaismum conversi. Itaque David peritus et expertus in re militari et bellicis rebus, divisit totum exercitum suum in tres partes principales, quibus præfecit tres viros præcipuos, unicuique parti unum, et quamlibet illarum trium partium divisit in millenos atque centenos, præficiens millenarios mille, centurionesque centum. Verumtamen Joab tanquam princeps militiæ, præfuit omnibus illis. Porro in bellis potissime confert ad prævalendum apta ordinatio et collocatio ac distinctio populi; multitudo vero inordinata, non est nisi hostium victima : imo pauci convenienter dispositi, constantesque corde, plus valent quam multo plures inordinati.

Dixitque rex ad populum : Egrediar et ego vobiscum, id est, paratus sum exire vobiscum, præbere exemplum, et subire periculum, imo et esse primus in acie, præsertim quoniam propter me orta est hæc tempestas. Talis autem audacia regis seu principis, multum animavit subditos. *Et respondit populus,* non rebellione, sed reverentia ad regem : *Non exibis. Sive enim fugerimus, non magnopere,* id est non multum, *ad eos de nobis pertinebit; sive media pars ceciderit de nobis, non satis curabunt :* id est, non quærunt principaliter interficere nos, sed te, *quia tu unus pro decem millibus computaris,* id est, mallent te perimere, quam decem millia auxiliatorum tuorum. Dicitur autem in Scholastica historia, quod populus David fuit septem millia. Sic et primo libro habetur, quod totum pondus belli versum est in Saul. Et infra tertio libro legitur rex Syriæ suis jussisse : Non pugnabitis contra quempiam, nisi contra regem Israel. *Melius est igitur ut sis nobis in urbe præsi-*

I *Reg.* XXXI, 3. III *Reg.* XXII, 31.

dio, id est pro refugio et auxilio, ut si contigerit nos fugere, valeamus per te instaurari et reparari ad pugnam. Capite enim sublato, corpus truncatum est. *Ad quos rex ait : Quod vobis rectum videtur, hoc faciam.* Unde patet, quod rex seu princeps debet dirigibilis, non pertinax, esse in arduis.

Stetit ergo rex juxta portam, deducens exercitum usque ad locum illum, et roborans populum atque considerans qualiter egrederentur. *Egrediebaturque populus per turmas suas centeni et milleni. Et præcepit rex Joab et Abisai et Ethai, dicens : Servate mihi*, id est, non occidatis, nec occidi permittatis, *puerum Absalon.* Unde elicitur, quod David ex revelatione certus fuit, vel ex confidentia Dei probabiliter novit exercitum suum prævaliturum, valdeque timuit de periculo Absalonis, et de æterna damnatione ipsius, sciens quantis involutus esset criminibus : idcirco præcepit ne occideretur. *Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalon.*

Itaque egressus est populus in campum contra Israel. Et factum est prælium in saltu Ephraim, id est juxta nemus illud in campo. Et quamvis ultra Jordanem in terra Galaad facta sit pugna, tamen facta fertur in saltu Ephraim, quoniam saltus ille ultra Jordanem situs fuit ex opposito tribus Ephraim, habitantis ab alia parte Jordanis, propter quod vocatus est saltus Ephraim. *Et cæsus est ibi populus Israel*, id est, viginti millia de populo Absalonis, *ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa viginti millium. Fuit autem prælium ibi dispersum super faciem omnis terræ. Et multo plures erant quos saltus consumpserat, quam hi quos voraverat gladius in die illa :* quia inter arbores illas fugere non valebant, sed a feris plurimi occidebantur, et multi corruerunt in foveas.

Accidit autem ut occurreret Absalon servis David, qui tamen non invaserunt eum, sed fugere permiserunt propter regis præ-
A ceptum, *sedens mulo. Quumque ingressus fuisset mulus* super quem sedit, *subter condensam quercum et magnam*, id est spissam ac plenam ramis ac frondibus, *adhæsit caput ejus quercui* per capillos longissimos quos habebat : unde videtur capitis armaturam non habuisse vel deposuisse; *et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus cui insederat, pertransivit. Vidit hoc quispiam, et nuntiavit* ipsi *Joab, dicens : Vidi Absalon pendere de quercu. Et ait Joab viro qui nuntiaverat ei : Si vidisti, quare*
B *non confodisti eum cum terra*, id est tam valide cum lancea, quod corruisset in terram ? *et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum. Qui dixit ad Joab : Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis. Audientibus enim nobis præcepit rex, tibi et Abisai et Ethai dicens : Custodite mihi puerum Absalon. Sed et si fecissem* hoc *audacter contra animam meam*, id est in periculum vitæ meæ, et cum grandi peccato regis
C præceptum transgrediendo ; *nequaquam hoc regem latere potuisset*, quia tandem hoc percepisset, vel ex humana, vel ex divina insinuatione, et sic vindicaret in me ; *et tu stares ex adverso*, id est, ad complacendum regi, fingeres te iratum mihi, et diceres me male egisse, interficiendo filium regis contra ejus imperium. Vir iste videtur magnus et audax fuisse, qui principi militiæ audebat sic loqui. *Et ait Joab : Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo Joab tres lanceas in*
D *manu sua, et infixit eas* successive *in corde Absalon*, id est pectori ejus seu cordi, aut prope, sumendo cor pro materiali et organica corporis parte. Unde dici solet, quod cor in animali est primum vivens, et ultimum moriens. *Quumque adhuc palpitaret inhærens quercui, cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, et percutientes, interfecerunt eum.*

Cecinit autem Joab buccina, ad insinuandum quod cessarent ab insecutione fugientium, *et retinuit populum, ne perse-*

Digitized by Google

queretur fugientem Israel, volens parcere A *multitudini,* capitaneo interfecto : sicque rigori clementiam miscuit. Et quamvis Absalon fuit publicus hostis boni communis et tyrannus, videtur tamen Joab peccasse, eum sic perimendo in suis peccatis, eo quod rex prohibuerat istud, et quoniam aliter poterat Absalon impediri ab ampliori reipublicæ perturbatione, et quia præceptum regis ex pietate descenderat. *Et intulerunt Absalon, et projecerunt eum in saltu in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis. Omnis autem Israel fugit in tabernacula sua. Porro Absalon erexerat sibi, quum adhuc viveret, titulum qui est in valle Regis.* Quocirca Magister in historiis ait : Absalon erexerat titulum sibi in Regia valle, duobus stadiis a Jerusalem distante. *Dixerat enim : Non habeo filium, et hoc erit monumentum nominis mei,* id est ad perpetuam sui memoriam, ut viveret semper in cordibus hominum, quia cupidissimus fuit laudis humanæ, eratque nomen tituli. *Vocavitque titulum nomine* C *suo, et appellatur Manus Absalon.* Quem titulum aliqui dicunt fuisse arcum seu fornicem triumphalem, in quo sculpta fuerit manus Absalon. Putant quidam fuisse ædificium quoddam pulchrum et altum, quod esset memoriale suæ personæ. Josephus autem, cui in hoc magis videtur credendum, scribit quod fuit marmorea statua. *Usque in diem hanc.* Dixerat enim : Non habeo filium, qui succedat mihi, et sit memoriale nominis mei. Supra scriptum

II *Reg.* XIV, 27. est : Nati sunt Absalon tres filii. Unde elicitur, quod interim obierunt. D

Achimaas autem filius Sadoc ait ad Joab : *Curram et annuntiabo regi, quia judicium fecerit ei Deus de manu inimicorum ejus,* id est, justam ultionem in ejus inimicos exercuit. *Ad quem Joab dixit : Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia* die ; *hodie nolo te nuntiare. Filius enim regis mortuus est.* Aliqui tamen exponunt, In alia, id est in alio triumpho, id est, dum rex habuerit victoriam sibi magis placentem. Nam istam victoriam audiet cum timore de occisione filii sui : qua cognita, vehementer tristabitur. *Et ait Joab ad Chusi : Vade et nuntia regi quæ vidisti. Adoravit Chusi Joab,* adoratione duliæ, regratians ei, quod illam legationem sibi injunxit. Hieronymus dicit, quod Chusi sit hic nomen commune, designans Æthiopem. Non enim putandum, quod Joab miserit Chusai Arachiten, amicum et consiliarium David pro ista denuntiatione agenda. Hinc alii dicunt, quod fuit alter ejusdem nominis, et longe inferior. Porro Rabbi B Paulus affirmat, quod hi duo in Hebræo diversa habeant nomina, ita quod amicus David vocetur Chusai, et iste Chusi. Asserit quoque, quod Chusi in Hebræo sit nomen æquivocum, quia uno modo est nomen commune, significans idem quod Æthiops ; alio modo nomen est proprium, et qualiter hic sumatur, dicit non bene posse probari ex littera. *Et cucurrit. Rursus autem Achimaas filius Sadoc, dixit ad Joab : Quid impedit, si etiam ego curro post Chusi ? Dixitque ei Joab : Quid vis currere, fili mi ? Veni huc ; non eris boni nuntii bajulus. Qui respondit : Quid enim si cucurrero ? Et ait ei : Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii, transivit Chusi.*

David autem sedebat inter duas portas. Speculator vero qui erat in fastigio portæ super murum, elevans oculos, vidit hominem currentem solum. Et exclamans, indicavit regi. Dixitque rex : Si solus est currens, *bonus est nuntius,* hoc est, prospera annuntiatio est, *in ore ejus.* Qui enim adversa annuntiant, non solent se mutuo prævenire, nec taliter festinare, sed simul venire. Similiter si fugisset de prælio, non venisset sic solus. *Properante autem illo et accedente propius, vidit speculator hominem alterum currentem. Et vociferans in culmine, ait : Apparet mihi alter homo currens solus. Et ait rex : Et iste bonus est nuntius. Speculator autem, Contemplor, ait, cursum prioris quasi cursum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex : Vir bonus est, et bonum*

Digitized by Google

portans nuntium, venit, scilicet ipse Achimaas, quem vides venire ; idcirco non est verisimile, quod fugit de prælio solus, aut præ aliis, quia ad ignaviam hoc spectaret. Interdum tamen magnitudo periculi cogit etiam eos currere, aliosque præcurrere, qui adversa nuntiant et sinistra. Præterea, quæritur quomodo David veraciter dixerit, Vir bonus est et nuntium portans bonum venit, quum Joab ad Achimaas dixerit, Quid vis currere, fili ? non eris boni nuntii bajulus. Ad quod faciliter respondetur, quod annuntiatio illa fuit bona, in quantum si- B gnificavit victoriam regi datam ; sed mala, in quantum admixtam habuit significationem occisionis filii regis.

Clamans autem Achimaas, dixit ad regem : Salve, rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait : Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem. Et ait rex : Estne pax puero Absalon, hoc est, estne vivens adhuc et sanus ? *Dixitque Achimaas : Vidi tumultum magnum,* id est inquietudinem C et concursum multorum, seu murmur et strepitum plurimorum audivi, *quum mitteret Joab servus tuus, o rex, me servum tuum.* Quod verum est. Ideo Achimaas hoc dicendo, non mentiebatur, ut aliqui opinantur : nec enim negavit se scire quod quærebatur, et veritatem obscura oratione celavit, quod licet, et hoc, ne regem contristaret. Sed forsan videtur mentitus in eo quod addidit, *Nescio aliud :* et tamen qui vult eum a mendacio excusare, dicere potest, quod in nomine magni tumultus mors D Absalonis includebatur, ut causa in suo effectu. *Ad quem rex : Transi, ait, et sta hic.*

Quumque ille transisset, et staret, A *apparuit Chusi. Et veniens ait : Bonum apporto nuntium, domine mi rex. Judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. Dixit autem rex ad Chusi : Estne pax puero Absalon ?* Ex paterna et tenera affectione consuevit ipsum Absalonem sic puerum nominare, quia in naturalibus erat valde amabilis et decorus. *Cui respondens Chusi : Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, et universi qui consurgunt adversus eum in malum,* id est, sic pereant et occidantur, sicut puer de quo quæris. Et loquitur Chusi iste aspernatorie de Absalone, quasi dedignans eum nominatim exprimere, et velut irrisorie eum puerum vocans. Quasi dicat : Talis hostis proprii patris, et turbator totius communitatis, non est dignus puer vocari.

Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, et flevit. Et sic loquebatur vadens : imo (ut sequenti habetur capitulo) operuit caput suum, et alta voce cla- II *Reg.* XIX, 4.
mabat : *Fili mi Absalon, Absalon fili mi.* In quibus verbis repetitio est magni amoris, imo et doloris, indicium. *Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon ?* id est, utinam mortuus essem, ita quod tu adhuc viveres, et tua peccata corrigeres. Vel, utinam adhuc mori possem, quatenus tu suscitareris a morte, et pœnitentiam ageres. Ista itaque fuit causa tanti doloris in rege devoto, spirituali contemplativoque viro : quia perpendit quam periculosissime obierit filius suus vir speciosissimus, et quam gravissima esset ejus damnatio ; et quoniam scivit se ac sua peccata fuisse occasionem, quod omnia mala illa Deus, cujus judicia *Ps.* XXXV, 7.
sunt abyssus immensa, permisit.

Digitized by Google

Verumtamen non doluerunt se prævaluisse, sed regi condoluerunt, et forsan multi eorum de Absalonis tristabantur interitu propter regem. *Audivit enim populus in die illa dici : Dolet rex super filio suo. Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem,* in qua rex erat, ne ejus dolor ex eorum intuitu augeretur, *quomodo declinare solet populus versus et fugiens de prælio. Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna : Fili mi Absalon, Absalon fili mi.*

Ingressus ergo Joab ad regem in domum suam, dixit : Confudisti, id est, erubescere fecisti et inhoneste tractasti, *hodie vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam,* id est, vitam tuam a letali impugnatione ac morte eripuerunt, dejiciendo adversarios tuos, *et animam filiorum tuorum,* quorum aliqui creduntur fuisse in prælio illo, *et filiarum tuarum, et animam,* id est animas, *uxorum tuarum* principalium, *et concubinarum tuarum,* id est secundariarum et minus principalium conjugum. Quamvis enim Absalon, si prævaluisset, illas femineas non occidisset personas, tamen minus reverenter eas tractasset; et salvæ factæ fuerunt de timore et cordis afflictione in quibus erant, ne David succumberet. *Diligis odientes te,* non solum diligendo eos cordis affectu, sed exteriori quoque effectu hoc ipsum immoderate monstrando, sicut nunc agis inimicissimum filium deplorando. Et utique David vir evangelicæ perfectionis, inimicos dilexit, amando personam sive naturam, non vitium : idcirco, quod interdum inimicos persecutus est et occidit, non fecit ex odio, sed justitiæ zelo. [*Matth.* v, 44.] *Et odio habes diligentes te,* id est, ita te habes, ac si eos odires : quia ad magnam tristitiam eos inducis, nec signa benevolentiæ et amoris nunc eis ostendis, quum tamen modo sit tempus opportunum ad hoc. Non autem oderat eos odio vitioso aut invidentiæ motu. *Et vere cognovi modo, quia si Absalon viveret, et nos omnes occubuissemus* victi ab illo, *tunc placeret tibi* res gesta hujusmodi. Non oportet ipsum Joab in hoc verbo a mendacio excusare. Non enim optavit rex triumphum Absalonis, sed ut non occideretur in bello imparatus omnino ad mortem. Et tamen possent hæc verba intelligi, quod rex taliter deflendo invidiosum ac pessimum filium, ita se gessit, ac si maluisset totum suum occubuisse exercitum, quam solum Absalonem. *Et ostendisti hodie quia non curas de ducibus tuis et de servis tuis,* id est officiatis et ductoribus particularium turmarum tui totius exercitus, scilicet me et fratre meo Abisai ac Ethai, quia per modum non curantis te habes, dum totus intentus es deplorationi sceleratissimi filii tui.

Nunc ergo surge et procede. In fine præcedentis habetur capituli, quod David Absalonem defleverat transeundo, sed in præsenti capitulo legitur, quod operuit caput suum et clamabat voce magna : Absalon fili mi, etc. [II *Reg.* XVIII, 33.] Unde elicitur, quod postquam deflevit illum eundo et forsitan capite nudo, operuit caput suum, et deploravit illum sedendo. Ideo Joab dixit, Surge : quod tamen sic posset exponi, id est, a luctu desiste. *Et alloquens, satisfac servis tuis,* id est, gratias age eis, et jucunde alloquere, vicemque redde. *Juro enim tibi per Dominum, quod si non exieris,* sicut nunc consulo, eundo de domo usque ad portam, *ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac,* id est, ante noctis adventum omnes relinquent te, provisuri sibi de alio rege. Ad hoc enim Joab exercitum suis persuasionibus induxisset. Vel si aliqui forsan mansissent cum rege per cordis adhæsionem, tamen tam pauci fuissent, quod aliorum respectu quasi nulli apparuissent. *Et pejus erit hoc tibi,* id est major adversitas, seu majus malum pœnale, *quam omnia mala* pœnalia seu adversa, *quæ venerunt super te ab adolescentia tua usque in præsens.* Et quod ait, Omnia mala, intelligendum est exclusive, utpote cetera præter ista. Et rursus quod ait, Omnia, exponi potest vel distributive et collective, vel distributive et divisive, hoc est omnia ma-

Digitized by Google

la illa simul accepta, vel unumquodque eorum seorsum consideratum : et hoc secundo modo potius accipiendum videtur. Verumtamen multa mala culpæ, acciderunt ipsi David, pejora his malis pœnæ.

Surrexit ergo rex David, *et sedit in porta,* quousque exercitus venit ad eum. *Et omni populo nuntiatum est, quod rex sederet in porta. Venitque universa multitudo,* id est populus, *coram rege :* quo veniente, assurrexit, et eos gratanter hilariterque suscepit. *Israel autem fugit in tabernacula sua,* videlicet illi qui fuerunt cum Absalone, et evaserunt de prælio. *Omnis quoque populus,* qui adhæserat Absaloni, *certabat,* id est, verborum disceptatione laborabat pro rege revocando, *in cunctis tribubus Israel, dicens : Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum.* Itaque beneficia atque victorias regis ad memoriam revocabant, sicque ad eum rehabendum accendebantur. *Ipse salvavit nos de manu Philistinorum, et nunc fugit de terra propter Absalon. Absalon autem quem unximus super nos, mortuus est in bello. Usquequo siletis,* non loquendo ac cohortando ut rex revertatur, *et non reducitis regem?* Sic loquebantur ad invicem. *Et consilium totius Israel venit ad regem :* quia percepit, sive per legatos missos ab illis, sive per aliquem prævenientem et regi placere optantem.

Rex vero David misit ad Sadoc et Abiathar sacerdotes, dicens : Loquimini ad majores natu Juda, id est tribus Juda, *dicentes : Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam?* ac si diceret : Quum sitis consanguinei mei, et de tribu eadem simus progeniti, non decet quod aliæ tribus veniant ante vos ad reducendum me. Isti de tribu Juda magis peccaverunt in regem, recedendo a rege, et adhærendo ac adsistendo adversario ejus : et tamen rex per humilitatem prævenit eos, et reddit bona pro malis, memor quod
II *Reg.* II, 4. erant sui cognati, et quod primo unxerunt eum sibi in regem. Et forsan coram rege apparere erubuerunt, propter infidelitatem quam ei exhibuerunt. Eadem ratione sanctus David prævenit Amasam filium suæ sororis per humilitatem, qui tanto plus reus fuit in regem, quanto ejus inimico Absaloni familiarior factus erat. Etenim factus fuit princeps militiæ ejus, speciali- II *Reg.* XVII, 25.
terque sollicitus et laborans pro ipsius David deletione. *Sermo autem omnis Israel pervenerat ad regem, ut reducerent eum in domum ejus, quia dixit eis : Hæc dicetis ad populum Juda : Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos. Quare novissimi reducitis regem?*

Et Amasæ dicite : Nonne os meum et caro mea es? Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, id est, per exsecrationem juro, *si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab :* id est, non solum tibi offensam ignosco, sed insuper assero quod faciam te principem militiæ loco Joab, erisque vita comite princeps militum quamdiu regnavero. Verumtamen quidam exponit sic, *pro Joab,* id est sub Joab, adjiciens quod dictio in Hebraico posita, quandoque significat *pro,* quandoque *sub;* tamen est eadem sententia, quoniam David non intendebat amovere ipsum Joab a suo officio, sed quod iste suppleret vices ejus, loco et tempore opportuno. Hæc ille. Alii dicunt, quod David proposuit ipsum Joab ab officio suo deponere, quoniam Absalonem filium suum contra præceptum suum *Ibid.* XVIII, 14, 33.
occidit in suis peccatis : quod utique rex valde dolenter accepit. Et verius puto, quod proposuit eum ab officio removere, quia et Josephus hoc sensisse videtur, et Magister in historiis ait sequenti capitulo, quod David præcepit Amasæ tanquam principi militiæ, Convoca mihi omnes viros Juda. *Ibid.* XX, 4.
Communiter quoque expositores testantur, quod eadem causa ipse Joab occidit Abner et Amasam, puta ex ambitione, ne per eos impediretur a principatu militiæ. Et potest sic argui, quia vel ante istud tempus quo David demandavit quæ dicta sunt Amasæ, habuit ipse David aliquem quasi vicarium Joab, qui sub eo militibus præfuit, tanquam ex speciali officio vicariatus ad

Digitized by Google

hoc determinatum, vel non. Si habuit, cur voluit illum removere, a quo offensus non legitur, et non potius ipsum Joab, a quo fuit offensus? Si non, cur voluit jam de novo instituere tale officium? Nullibi quoque in Scriptura canonica vel authentica legitur, quod David aut posteri ejus habuerint aliquem talem determinatum ad officium principatus militiæ sub principe militum : imo si David talem habuisset, maxime (ut apparet) fuisset Abisai, cui et sequenti capitulo legitur commisisse actum principis militiæ, nec aliquo modo videtur, quod David voluerit illum a tali dignitate deponere. Insuper, super id quod
II *Reg.* xx, 6. sequenti capitulo scriptum est, Tolle servos domini tui et persequere Seba, dicunt multi expositores, quod David commisit hoc Abisai, non Joab fratri ipsius : quia jam voluit Joab deponere. Imo in Scholastica fertur historia : Et ait rex Abisai, non Joab, quem jam amoverat a principatu. Postremo, quod Amasa fuisset princeps militiæ sub Joab, non fuisset contra honorem ipsius Joab : cur ergo ob hoc Amasam occidisset?

Et inclinavit cor omnium virorum Juda quasi viri unius : id est, David tam humiliter et benigne præveniendo populum tribus Juda, attraxit eos concorditer ad se, ita quod omnium eorum erat quasi cor unum ad regis revocationem et reductionem. Unde subjungitur : *Miseruntque ad regem, dicentes : Revertere tu et omnes servi tui* speciales atque domestici, et qui tibi in persecutione hac adhæserunt. *Et reversus est rex, et venit usque ad Jordanem, et omnis Juda,* id est tribus Juda, *venit usque in Galgalam,* id est loco sic dicto, *ut* honorifice *occurreret regi, et traduceret eum Jordanem.*

Festinavit autem Semei filius Gera filii
Ibid. xvi, 5 *et seq.* *Jemini de Bahurim,* de quo dictum est ante : qui gravissime peccavit in David, ideo timuit jam occidi; sed confidens de clementia regis, qui ad Amasam, aliosque offensores suos tam benigne se habuit, properavit occurrere regi, ac veniam po-

A stulare; *et descendit cum viris Juda in occursum regis David cum mille viris de Benjamin; et Siba puer de domo Saul, et quindecim filii ejus ac viginti servi erant cum eo. Et irrumpentes Jordanem,* ipse Semei et qui erant cum eo, qui cum velocitate pertransierunt Jordanem usque ad ripam oppositam in qua adhuc rex stetit, *ante regem transierunt vada,* id est aquas Jordanis, per quas præcesserunt regem ut servi, et *ut traducerent domum regis,* id est ipsum regem et ejus domesticos, *et facerent* B *jussionem regis.* Aqua autem Jordanis communiter magna fuit : propter quod aliqui dicunt, quod traducebant per naves; alii, quod per equos, et quod præfati præcedebant regem equestres ad perscrutandum ubi aqua erat minus profunda. Porro Josephus dicit, quod hi inter quos Semei venit, fecerunt pontem Jordanis, quatenus facilius cum exercitu suo rex transiret. *Semei autem filius Gera prostratus coram rege, quum jam transisset Jordanem, dixit ad eum : Ne reputes mihi,* C *domine mi, iniquitatem,* id est, excessum meum non impules mihi per justam vindictam, *neque memineris injuriarum servi tui, in die qua egressus es, domine mi* II *Reg.* xvi, 7, 8.
rex, de Jerusalem, neque ponas, rex, in corde tuo : id est, ad ulciscendum non recorderis injuriarum quas ego servus tuus tibi irrogavi, quando a facie Absalonis fugisti. *Agnosco enim servus tuus peccatum meum : et idcirco hodie primus veni de omni domo Joseph, descendique in occursum domini mei regis.*

D *Respondens autem Abisai filius Sarviæ, dixit : Numquid pro his verbis non occidetur Semei qui maledixit christo Domini?* tanquam dicat : Non permittit justitia, ut propter hæc verba veniam consequatur, qui regi vicario Dei, et Deo jubente uncto in regem, tam enormiter forefecit et impie maledixit, ac crimen læsæ majestatis incurrit in eum. *Et ait* rex *David : Quid mihi et vobis, filii Sarviæ?* id est, cur intromittitis vos de ultione injuriæ meæ aliter quam mihi placet? Nam in hac re Joab

Digitized by Google

consensit Abisai; vel loquitur rex ambobus pluraliter, eo modo quo solet aliquid adscribi communitati aut societati, quia competit uni aut quibusdam ex ea, juxta quem modum Christus in Evangelio dixit discipulis : Quid molesti estis huic mulieri? ut uno modo exponitur. *Cur efficimini mihi hodie in satan,* id est in adversarios? quia si occideretur juxta vestram voluntatem nunc Semei, alii qui mihi forefecerunt, suspicarentur sibi idem futurum in posterum, sicque modo discederent a me præ timore. *Ergone hodie interficietur vir in Israel? An ignoro me hodie factum regem super Israel?* id est, jam quasi de novo factus sum rex per hoc quod illi qui me abjecerunt, recipiunt me in regem : idcirco non decet quod quemquam illorum modo occidam, sed sicut rex in exordio sui dominii exercet clementiam et subjectos hilariter tractat, ita me facere nunc oportet. *Et ait rex Semei : Non morieris,* id est, jam et me regnante non occideris pro culpis tuis in me commissis. *Juravitque ei* hoc ipsum. Verumtamen David in extremis agens, jussit Salomoni occidere eum ob causas infra tertio libro exponendas.

(Matth. xxvi, 10.) (III Reg. ii, 8, 9.)

Miphiboseth quoque filius Saul, filius filii Saulis, utpote Jonathæ, *descendit in occursum regis illotis pedibus et intonsa barba.* Circa hæc scribit Petrus Comestor : Hebræus habet, infectis pedibus, dicens, quod fecerat sibi ligneos pedes. Asserit quoque Lyra in Hebræo haberi, Incomposita barba, quoniam filii Israel non solebant tunc tondere barbam, ut supra expositum est. Attamen dici potest, quod aliqui pili barbæ tunc tondebantur, sicut et nunc in eis quorum barba non raditur. *Vestes quoque suas non laverat, a die qua egressus fuerat rex usque in diem reversionis ejus in pace,* id est, lavari non fecit vestes suas, volens compati regi, nec vivere delicate rege carissimo in angustiis constituto : similis Uriæ, qui uxorem accedere et pedes lavare nolebat, principe suo Joab et populo Dei in rure jacentibus. *Cumque occurrisset regi, dixit ei rex : Quare non venisti mecum, Miphiboseth?* Aliqui dicunt, quod quasi indignans, vocavit eum nomine suo. Vel forte quasi compatiens : et sicut Miphiboseth jam perceperat qualiter accusatus erat regi a servo suo, et qualiter rex ipsum ob hoc spoliavit hereditariis bonis; sic forsitan rex percepit innocentiam hujus Miphiboseth, quam nihilo minus ex ore ejus volebat audire.

(II Reg. x, 4, 5.) (Ibid. xi, 11.) (II Reg. xvi, 3, 4.)

Et respondens ait Miphiboseth : *Domine mi rex, servus meus* Siba *contempsit me,* id est, inobediens fuit, quia noluit mihi providere de animali quo veherer. *Dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, ut ascendens abirem cum rege : claudus enim sum servus tuus. Insuper et accusavit me servum tuum apud dominum meum regem. Tu autem, domine mi rex, sicut angelus Dei es,* id est justus et sapiens, *fac quod placitum est tibi* de hereditate quam mihi abstulisti, et servo meo dedisti. *Neque enim fuit domus patris mei,* id est posteritas Saul, *nisi morti obnoxia, domino meo regi,* id est, ab eo occidi promeruit, habendo respectum ad injurias Saul, quas per se et suos fautores tibi inflixit. Jonathas tamen et alii non consentientes, non erant ita morti obnoxii. Magisque tenebatur benefacere ipsi Miphiboseth propter virtutes immediati patris sui Jonathæ, et pactum quod pariter inierunt, quam lædere eum propter malitias Saul. Sed Miphiboseth humiliter loquitur, proferens ea quæ ad regis excusationem videbantur aliqualiter pertinere. *Tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ. Quid ergo hodie habeo justæ querelæ? aut quid possum ultra vociferari ad regem?* quasi dicat : Tanta beneficia mihi exhibuisti ex una parte, quod ex altera parte conqueri nequeo, etiam si auferas data.

(I Reg. xviii, 3; xx, 16.)

Ait ergo ei rex : Quid ultra loqueris? id est, non oportet te de hac re amplius loqui. *Fixum est quod locutus sum,* id est, sententia contra te prolata, qua bona tua contuli servo tuo, non potest a me revocari in toto : quæ tamen utique potuit, imo et debuit totaliter revocari; imo in

Digitized by Google

contrarium potuisset mutari, cognito errore proprio, et fraude atque malitia Sibæ. *Tu et Siba dividite possessiones :* quasi dicat, Ambobus totum dedi diversis temporibus, sed quia uterque totum habere non potest, inter vos dividatur. Sed ei cui injuste datum fuit, debuit auferri, et justo possessori totum restitui. Insuper Siba fuit juste et acriter puniendus propter iniquitates suas in Deum ac dominum suum Miphiboseth, atque ad pœnam talionis fuisset adstrictus. *Responditque Miphiboseth regi : Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam.*

Berzellai quoque Galaadites senex valde, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est octogenarius : ex quo patet, quod et illis temporibus ætas illa valde magna reputabatur. Nam et
Ps. LXXXIX, 10. David tunc dixerat : Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Unde quidam concludunt, supernaturale fuisse quod homines ante diluvium vixerunt annis nongentis aut circiter. *Et ipse præbuit alimenta regi quum moraretur in Castris.* (II Reg. XVII, 27-29.) *Fuit quippe vir dives nimis,* et tamen liberalis ac justus, ut ex Scripturis apparet, quia suis divitiis utebatur prudenter. *Dixit itaque rex ad Berzellai : Veni mecum ut requiescas securus in Jerusalem. Et ait Berzellai ad regem : Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem? Octogenarius sum hodie. Numquid vigent sensus mei ad discernendum suave vel amarum ?* id est, tantæ sum senectutis, quod gustus meus vigorosus non est ad discernendum inter dulcia et amara ; *aut delectare potest servum tuum cibus et potus?* id est, amplius non delector in delicatis ac regiis escis ac poculis ; *vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum?* id est, in melodiis ultra non glorior, consumpto vigore sensuum exteriorum. *Quare servus tuus fit oneri domino meo regi ?* id est, non decet ut ego qui

A aliunde satis abundo, gravem regis præsentiam, cui deservire non valeo, confectus jam senio. *Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum. Non indigeo hac vicissitudine, sed obsecro ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea, et sepeliar juxta sepulcrum patris mei et matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, domine mi rex, et fac illi quidquid bonum tibi videtur. Dixit itaque rex : Mecum transeat Chamaam, et ego faciam ei quidquid tibi placuerit,*
B *et omne quod petieris a me, impetrabis. Quumque transisset universus populus et rex Jordanem, restitit et osculatus est rex* ipsum *Berzellai,* valedicendo ei ex amore præcipuo, et pro pacis indicio, *et benedixit ei ; et ille reversus est in locum suum.*

Transivit ergo rex in Galgalam, id est locum famosum sic appellatum, *et Chamaam* filius Berzellai *cum eo,* quoniam David filium illum loco patris sui secum accepit. *Omnis autem populus Juda traduxerat regem, et media tantum pars ad-*
C *fuerat de populo Israel. Itaque omnes viri Israel,* qui nondum advenerant neque adfuerant traductioni regis per Jordanem, *concurrentes* in Galgala *ad regem, dixerunt ei : Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et traduxerunt regem et domum ejus Jordanem, omnesque viros David cum eo ?* id est, cur te occulte seu non præsentibus ac scientibus nobis deduxerunt ? *Et respondit omnis vir Juda,* id est quidam pro omnibus de tribu Juda natis, *ad viros Israel : Quia propior est mihi rex,* quum
D sit natus de tribu Juda. *Cur irasceris super hac re ? Numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera data sunt nobis ?* id est, ea quæ fecimus, fecimus ex caritate ad regem, non propter bonum delectabile aut utile quod contulerit nobis, quia nec pavit nos, nec munuscula nobis largitus est.

Et respondit vir Israel, id est populus undecim tribuum, *ad viros Juda, et ait : Decem partibus ego major sum apud regem, et primogenitus ego sum :* id est, un-

Digitized by Google

decim tribus continentur in nobis, et sic decem tribubus te excedo; una quoque tribus in me contenta, de primogenito Jacob est nata, videlicet tribus Ruben; *magisque pertinet ad me David quam ad te,* propter has duas causas, videlicet ob dignitatem primogenituræ et abundantiam multitudinis meæ, per quam valeo ei amplius deservire, in qua etiam dignitas regis consistit, juxta illud Proverbii: In multitudine populi, dignitas regis; in paucitate plebis, ignominia principis. *Cur fecisti mihi injuriam, et non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Juda filiis Israel:* quorum verba non sunt descripta. Sed forsan dixerunt se digniores, quia reges ex Juda nascituros Jacob prædixit, et alia multa privilegia tribui illi fuerunt collata, et primo super se in regem ipsum David unxerunt. Credendum autem videtur, quod in hac contentione superba, puerili atque inutili, David rex libenter interposuisset se medium ad concordandum, sed præ tumultu nequivit. Et ecce quanta est inconstantia hominum, quanta mutabilitas eventuum humanorum: quoniam tribus istæ quæ paulo ante regi concorditer restiterunt, jam inter se contenderunt, eo quod una præ aliis fuit honorata in regis reductione. Hoc quoque pensandum, quod per Israel hoc loco intelligantur undecim tribus. Tertio autem et quarto libris, per Israel intelliguntur decem tribus post regni divisionem, quia ex tunc tribus Benjamin adhæsit tribui Juda: propter quod per tribum Juda intelliguntur ibi duæ tribus aut tres, quia et tribus Levi eis adhæsit, ut infra habetur.

Gen. XXIX, 32. Prov. XIV, 28. Gen. XLIX, 10. II Reg. II, 4. III Reg. XII, 31.

Sensus spiritualis. Spiritualiter ex isto edocemur capitulo, exemplo sancti David, deplangere eos qui in peccato moriuntur mortali, et improvise seu alio modo in suis occiduntur peccatis: in quibus incomparabiliter plus dolenda est mors animæ sempiterna, quam mors corporalis brevissima. Per Joab vero intelliguntur homines carnales, mundani, qui præsentia attendunt potius quam futura, et mala pœnalia ponderant magis quam mala culpæ, summumque malum existimant præcipuas adversitates vitæ præsentis, quas vir vere spiritualis, internus et contemplativus, respectu malorum culpæ ac infernalis miseriæ, pro nihilo arbitratur. Insuper docet nos historia ista, quod vexatio sæpe dat intellectum: quoniam populus Israel quum succubuisset in prælio, consideravit beneficia David, et petiit eum redire. Sic multi in adversitatibus pensant beneficia Christi, qui eos de jugo diaboli, de servitute peccati, de tormentis liberavit inferni: propter quod deprecantur, ut gratiose revertatur ad eos. Quemadmodum etiam David specialiter revocavit ad se tribum Juda et Amasam, sic Christus ecclesiasticos viros ac prælatos specialiter exhortatur ad vitæ emendam, ad gratiam pristinam, ad præsidentiam salutarem.

Is. XXVIII, 19. II Reg. XVIII, 7.

At vero per Semei designantur, qui in adversis injuriantur justis et superioribus suis, sed eisdem in prosperis blandiuntur, veniamque precantur. Per Miphiboseth vero accipiuntur boni fideles, qui Christo capiti suo compati student, et ejus amore affligunt se ipsos, ac viles consolationes despiciunt, dum spiritualis consolatio Christi eis subtrahitur, nec exteriori ornatu pompatico se decorant: quibus tamen maligni multipliciter obloquuntur. Ex hoc demum, quod David occasione Sibæ peccavit tam graviter, constat quam vitandi ac periculosi sint detractores et adulatores principibus ac prælatis. Porro ex responsione et facto Berzellai reprehenduntur antiqui, qui non obstante senio suo, adhuc moliuntur placere magnatibus, et magnorum se ingerunt curiis, atque in delicatis cibis et potibus, in canticis et musicis delectari exquirunt, quum jam pœnitentiæ fletibus et meditationi mortis assidue deberent insistere. Verumtamen regibus licet talibus melodiis atque solatiis pro recreatione cum moderamine uti, quia diversis curis atque oneribus affliguntur, premuntur et distenduntur. Postremo, per contentionem illam stultam ac frivolam inter tribum Juda et

Ibid. XVI, 4.

Digitized by Google

ceteras tribus, præfigurata est contentio A ambitiosorum in Ecclesia Dei, qui ex ambitione pro dignitatibus inter se litigant, pro propriis sollicitantur honoribus, atque *Rom.* XII, 10. invicem non honore et humilitate, sed inani suspicione et elatione præveniunt, dum unusquisque se ipsum nititur exaltare, et proximum suum vilificare. Possunt quoque per undecim tribus, intelligi sæculares, per tribum Juda, Regi propinquiores ecclesiastici : inter quos est frequens dissensio.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI : ACCIDIT QUOQUE UT IBI ESSET VIR BELIAL.

FREQUENTER contingit, ut post bella B contra extraneos et expugnationem illorum, sequantur periculosiora prælia intestina, sicut in libro de Civitate Dei ostendit Augustinus de Romanis. Sic in ista historia partim jam patuit, atque in isto capitulo adhuc aliqualiter tangitur de Judæis. *Accidit quoque ut ibi,* videlicet in II *Reg.* XIX, 41-43. contentione descripta in fine præcedentis capituli, *esset vir Belial,* id est sine timore, jugoque disciplinæ, *nomine Seba,* vel, ut aliqui dicunt, Sæba, ita quod per punctum SEGOL, id est *æ* diphthongon scribitur C in Hebræo, *filius Bochri, vir Jemineus,* id est de semine Jemini, de quo dictum est sæpe, eratque de semine Benjamin : et ita hic Seba videtur fuisse de consanguinitate Saulis, unde et pronus fuit ad rebellionem contra David, dolens ac invidens de translatione regiæ dignitatis a tribu Benjamin posteritateque Saul, ad tribum Juda, et ad ipsum David. *Et cecinit buccina,* ut ei audientia præberetur, cunctis mirantibus de improviso clangore, *et ait : Non est nobis pars in David,* id est, non indigemus com- D munionem et participationem habere cum ipso sicut cum rege ; et prout ipse inhonoravit nos, ita et ipsum despiciamus ; *neque hereditas in filio Isai,* id est, opus nobis non est, ut jugiter huic David et ejus posteritati adhæreamus, quasi eo relicto non valeamus provideri de rege ; nec ipse hereditario jure rex est, quum sit filius Isai, qui simplex fuit civis, non rex aut filius regis. *Revertere in tabernacula tua, Israel :* unusquisque nostrum de quacumque undecim tribuum natus, ad propria revertatur, ut inter nos provideamus nobis de rege. *Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri,* id est, undecim tribus cum Seba recesserunt a rege ; *viri autem Juda adhæserunt regi suo a Jordane usque Jerusalem.*

Quumque venisset rex in domum suam in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas, id est secundarias conjuges suas, cognito quod filius suus Absalon cognovisset eas, *quas dereliquerat ad custodiendam domum, et tradidit eas in custodiam,* id est, reclusit et a virorum retraxit consortiis : non tamen quasi reas in captivitatem aut carcerem trusit, quamvis forsan culpam inciderunt in concubitu illo incestuoso, non satis dissentiendo, aut renitendo quantum in ipsis fuit ; *alimenta eis præbens. Et non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ.* Reclusit autem eas David, quia nec ipse voluit amplius eas cognoscere, quum essent a filio suo fœdatæ, nec ab alio voluit eas cognosci, quoniam erant suæ uxores. Et erant *in viduitate viventes,* id est instar viduarum, atque in continentia viduali : sicque in viduitate vivebant, non quod maritus earum obierit, sed quantum ad tori separationem.

Digitized by Google

Dixit autem rex Amasæ : Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, et tu adesto præsens, id est, cum eis redi ad me, ut in eorum præsentia constituam te principem militiæ, ut aliqui dicunt. *Abiit ergo Amasa, ut convocaret Juda. Et moratus est extra placitum quod ei statuerat rex :* id est, infra tres dies non rediit, quia fortassis infra spatium illud non potuit negotium adimplere, vel aliud impedimentum ei occurrit. *Ait autem David ad Abisai : Num magis afflicturus est nos Seba filius Bochri, quam Absalon ?* id est, non decet ut permittamus nos infestari ab eo durius, quam nos Absalon infestavit : quod tamen fieret, si permitteremus eum diu impunitum, ita quod vel ipse vel alius constitueretur rex undecim tribuum. *Tolle ergo servos domini tui,* id est pugnatores ac milites qui erant vel adhuc sunt sub Joab principe militum : qui tamen secundum Magistrum in historiis, jam fuit a principatu illo amotus, vel secundum alios, amovendus. Propter quod David non commisit ei istud negotium. Attamen quidam dicunt, quod Joab jam fuit absens ad congregandos viros qui adhæserant David regi in persecutione Saulis. Quod non videtur, quia secundum Josephum, Joab fuit præsens, nec propter illos tam paucos congregandos oportuerat ipsum Joab exire. Imo secundum Josephum, illi viri, qui erant sexcenti, exierunt cum David fugiente, et redierunt cum eo. Denique, ex statim sequentibus innotescit, quod Joab fuit in via cum Abisai ; nec ulla fit mentio, quod in via venit ad eum cum congregatis ab ipso. *Et persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, et effugiat nos. Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque et Phelethi, et omnes robusti exierunt de Jerusalem, ad persequendum Seba filium Bochri.*

Cumque illi essent juxta lapidem grandem qui est in Gabaon, Amasa veniens, occurrit eis. Porro Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper gladio accinctus dependente usque ad ilia in vagina, qui fabricatus levi mo- A *tu egredi poterat et percutere.* Ilium seu ile, dicitur intestinum parvum, rotundum, renibus animalis adhærens. Ex his satis apparet, quod Joab exivit cum Abisai volens placere regi, quem offendit, Absalonem contra regis imperium occidendo. *Dixit itaque Joab ad Amasam : Salve, mi frater.* Consuetudo enim nobilium est, ut consanguinei se invicem vocent fratres ac sorores. Et tam amoroso cum nomine appellavit, ut ille minus sibi præcaveret de dolo. *Et tenuit manu dextera mentum* B *Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium quem habebat Joab,* id est, a vulneratione gladii non præcavit : et forsitan nec gladium attendebat, nec mali quid suspicabatur de consobrino, pace jam facta per regem, et culpa sua sibi dimissa. *Qui percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram, et mortuus est.* Unde patent crudelitas, falsitas, calliditas, simulatio impii Joab, qui strenuissimum juvenem proprium consobrinum, quem aperte invadere non audebat, tam C proditorie atque sævissime uno ictu occidit, quia *nec secundum vulnus apposuit.* Percussit autem eum manu sinistra, et sub specie amicitiæ ac osculi blandimento, apparatuque faciei sereno tantam texit mentis suæ sævitiam atque invidiam, ac tantum commisit flagitium.

Porro, ut in Scholastica fertur historia, Joab arte quadam simulans quasi gladius cecidisset et reciperet eum, improvise et subito latus Amasæ perforavit, et gladium extrahendo, vulnus sic auxit, quod D intestina elapsa sunt. Hinc refert Lyra quod in Hebræo habetur, Exiit scilicet ensis et cecidit : quia videlicet Joab ex proposito ita disposuit, ut caderet gladius de vagina in terram, quatenus Amasa æstimaret quod Joab levaret gladium ad reponendum in vaginam, non ad vulnerandum.

Verum ut dictum est præcedenti articulo, Joab occidit Amasam eadem causa, qua occiderat Abner, ne scilicet principatum obtineret militiæ. Specialiter quoque indignabatur, ac invidebat nepoti, quod ille (II *Reg.* III, 27.)

II *Reg.* XVII, 25. qui paulo ante fuerat contra David, quando ipse Joab non sine periculo adstitit ei, jam promoveretur a rege, et loco sui esset secundus post regem, seu militum princeps : et quantum ad hoc, videbatur factum Joab aliquantulum habere colorem, nisi tam proditorie hoc fecisset.

Joab autem et Abisai frater ejus, persecuti sunt Seba filium Bochri. Interea quidam viri quum stetissent juxta cadaver Amasæ de sociis, hoc est militibus et amicis ipsius *Joab, dixerunt : Ecce qui esse volebat comes David,* id est princeps militiæ regis, *pro Joab.* Quasi dicant : Jam apparet, quam insipienter egit, opponendo se Joab, atque ad principatum militiæ adspirando : et ubi jam excellentia ejus ? Verumtamen isti loquebantur ex affectione sua pro Joab. Non enim legitur Amasa adspirasse ad illud officium ; et infra habe-
III *Reg.* II, 31, 32. tur, quod Salomon asserit Amasam justum fuisse. Non autem est mirum aut novum, quod vir bonus ad præsidentiam bene dispositus, ab homine ambitioso seu impio occidatur. Et forsan Deus permisit Amasam sic occidi, quia excessit adhærendo
II *Reg.* XVII, 25. Absaloni contra David. *Amasa autem conspersus sanguine,* hoc est, corpus ejus proprio perfusum cruore, *jacebat in via. Vidit hoc quidam vir, quod subsisteret omnis populus ad videndum eum :* sicut adhuc moris est, quod ad inspiciendum nova, rara, insolita, mira et improvisa, confluunt homines ; *et amovit Amasam de via in agrum* clamans, quod juste occisus esset, quia dolose fecisset moram redeundi ad regem ultra tempus præfixum. Quod dixit, ne adstantes moverentur adversus Joab, et eum sequi renuerent. *Operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri.*

Porro ille, videlicet Seba, *transierat per omnes tribus Israel usque in Abelam, et in Bethmaacha,* hoc est per undecim tribus. Non enim per tribum Juda transierat, sed per undecim tribus, quas hortabatur, ne

A redirent ad obedientiam David, sed se potius constituerent regem. *Omnesque viri electi,* id est præcipui elegantesque viri de undecim tribubus, *congregati fuerant ad eum,* hoc est ad Seba, volentes eum promovere. Aliqui tamen exponunt, Ad eum, id est ad Joab. Sed hoc non videtur textui consonare, quamvis etiam multi electi fuerint secum. Et quod ait, Omnes, exponendum est, quidam de omnibus. *Venerunt itaque et oppugnabant eum in Abela et in Bethmaacha, et circumdederunt munitio-*
B *nibus civitatem, et obsessa est urbs. Omnis autem turba quæ erat cum Joab, moliebantur destruere muros. Et exclamavit mulier sapiens de civitate* Abela, in qua Joab cum exercitu obsedit Seba : *Audite, audite, dicite Joab : Appropinqua huc, et loquar tecum. Qui quum accessisset ad eam, ait : Tu es Joab ? Et ille respondit : Ego. Ad quem sic locuta est : Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit : Audio.*

Rursumque illa : Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio, id est, ex anti-
C quis temporibus vulgariter et quasi per modum proverbii dici consuevit : *Qui interrogant,* hoc est, aliquid scire, addiscere, seu quærere volunt, *interrogent in Abela,* id est, in urbe illa invenient abundantiam sapientium hominum, ad respondendum idoneorum. Ut autem Petrus Comestor affirmat, in Hebræo non habetur, Proverbio, sed sic : Sermo dicebatur in veteri, videlicet lege, hoc est, olim in lege Moysis jussum est ut filii Israel prius offerant pacem *Deut.* XX, 10.
urbibus impugnandis, prout in Deuterono-
D mio legitur. Sed et alii quidam fatentur, quod vetus proverbium accipitur hic pro lege. Nihilo minus advertendum, quod illud præceptum de pace offerenda, non erat intelligendum de urbibus Chananæorum, quas filiis Israel Deus promisit ac dedit in primo eorum ingressu in terram promissionis. Unde quum in Deuteronomio Dominus præcepisset, Si quando accesseris *Ibid.* 10, 16.
ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem, paulo post subdidit, De his autem civitatibus quæ dabuntur tibi, nul-

Digitized by Google

lum omnino permittes vivere. *Et sic perficiebant,* hoc est, juxta ea quæ in Abela didicerunt esse agenda, agebant. *Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel?* id est, credere debes mihi, quoniam ex speciali gratia et sapientia mihi collata, possum et soleo respondere quod verum et justum est filiis Israel. Circa hoc refert Lyra : Dicunt Hebræi, quod mulier ista fuit Sara filia Aser, quæ cum Jacob intravit Ægyptum, et quod habuit spiritum prophetiæ, annuntians Jacob patriarchæ ipsum Joseph non esse defunctum, quando Jacob putavit quod mortuus esset. Sed Lyra satis hoc reprobat, quia secundum fabulam istam fuisset hæc mulier, quando hæc dixit, circiter septingentorum annorum. *Et tu quæris subvertere civitatem, et evertere matrem in Israel?* quasi dicat : Contra legem agis in hoc, quod oppidum istud quæris destruere antequam ei pacem offers, præsertim quum civitas ista ob sapientiam habitantium in ea, sit mater Israelitarum, quos instruit. Aliqui textus habent, Matrem civitatum, et sensus redit in idem, sumendo continens pro contento. Tamen in Hebræo non habetur, Civitatum. *Quare præcipitas hereditatem Domini?* hoc est, cur conaris dejicere urbem hanc, quæ est pars terræ promissionis, quam Deus pro hereditate promisit ac contulit filiis Israel?

Gen. XLVI, 17.

Respondensque Joab, ait : Absit, absit hoc a me; non præcipito neque demolior, id est, non intendo directe hoc facere, dummodo ipsum Seba seditiosum dederitis manibus nostris. *Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David. Tradite illum solum, et recedemus a civitate.* Quocirca est quæstio, qualiter dicatur esse de monte Ephraim, quum sit dictum, quod fuit de Benjamin tribu. Respondetur, quod habitavit in monte Ephraim. *Et ait mulier ad Joab : Ecce caput ejus mittetur ad te per murum.* Unde elicitur, quod mulier ista cognovit, vel ex revelatione divina, vel ex

A conjectura humana, quod cives acquiescerent suo consilio. *Ingressa est ergo ad omnem populum* qui erat in Abela, potissime ad majores, *et locuta est eis sapienter,* id est, rationabiliter ipsis persuasit quod non possent resistere regi David, quia electus esset a Deo, et prævaluisset in præliis undique, et quod omnes qui opposuerunt se ei, perissent seu victi essent. *Qui abscissum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Joab* per murum. Maluerunt enim illum solum decapitari, quam periculis secum B involvi. *Et ille,* videlicet Joab, *cecinit buccina,* in signum victoriæ, *et recesserunt ab urbe, unusquisque in tabernacula sua. Joab autem reversus est in Jerusalem ad regem.*

Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israel. Qui autem dicunt eum fuisse ab officio illo paulo ante depositum, asserunt eum jam restitutum. Et quamvis non legitur hic increpatus a rege de occisione proditoria Amasæ, probabile tamen est, quod rex dure increpaverit eum, quamvis in officio suo reliquerit eum ad vitandum C disturbium. *Banaias autem filius Joiadæ* erat *super Cerethæos et Phelethæos.* Hoc supra fuit expositum. *Aduram vero* erat *super tributa* levanda ab his qui regi sub tributo serviebant. *Porro Josaphat filius Ahilud* erat *a commentariis.* Hoc quoque superius expositum est. *Siba** *autem scriba.* Supra scriptum est, Et Saraias scriba. Unde vir iste videtur fuisse binomius; nec erat Siba servus Miphiboseth. *Sadoc autem et Abiathar, sacerdotes. Ira autem Jairites,* hoc est, de urbe sua ita cognominatus, D *fuit sacerdos David,* id est specialis et proprius ejus sacerdos in sacrificiis offerendis, et quasi capellanus ipsius. Vel ut quidam exponunt, Fuit sacerdos David, id est magnus apud eum, quemadmodum Jethro dicitur sacerdos Madian fuisse ; atque (ut fertur, secundum Hieronymum) fuit magister ipsius regis, ad cujus consilium corripiebatur.

II Reg. VIII, 18.

Ibid. 16.

* Siva

Ibid. 17.

Exod. II, 16; XVIII, 1.

Sensus mysticus.

Juxta mysticum intellectum, per Seba virum Belial, intelliguntur turbatores communitatis, rebelles et seditiosi, qui facili

occasione suis se opponunt superioribus, A atque ad schisma, resistentiam ac inobedientiam concitant alios; canuntque buccina, superbe aut facunde seu clamorose loquendo. Ad extrusionem quoque superioris sui adspirant, et se ipsos ad præsidentiam nituntur ingerere. *Viri autem Juda adhæserunt regi suo a Jordane usque Jerusalem.* Sic veri fideles corde, ore et opere Domino confitentes confessione propriæ culpæ ac laudis divinæ, adhærent Christo non in prosperis tantum, sed etiam in adversis, a tempore sui Baptismi, quousque ad super- B nam Jerusalem perducantur. Et si aliquando cadant peccando, surgunt veraciter pœnitendo. *Quumque venisset rex in domum suam in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas* suas. Per concubinas David ab
II Reg. xvi, 22. Absalone pollutas, intelliguntur animæ imperfectæ, a quocumque hæresiarcha deceptæ : qui hæresiarcha vocat se filium Christi, id est vere fidelem, et in Baptismo in Christo renatus est. Christus vero tales animas quandoque illuminat, gratiose redeundo ad eas, atque ad ecclesiasticam unita- C tem has reducendo : a quibus quasi discessit, consolationem seu gratiam suspendendo aut subtrahendo, dum eas tentari et falli permisit. Quas quum ad veram reduxerit fidem, tradit custodiæ, præservando ac separando eas ab omni hæreticorum communione ac pristina deceptione; nec ad eas ingreditur, dum solita consolatione privat easdem, ut magis humilient se.

Dixit autem rex Amasæ : Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, et tu adesto præsens. Sic Salvator jubet præla- D tis, ut subditos suos reducant ad ipsum in fide superbenedictissimæ Trinitatis, et personaliter adsint membris ac ovibus Christi sibi commissis, ne insufficientibus eas committant vicariis. *Dixit Joab ad Amasam : Salve, mi frater.* Per Joab hoc loco intelliguntur homines fraudulenti, venenati, ambitiosi, simulatores, crudeles, invidiosi, ac pessimi, qui proximorum tenent mentum dextera manu, dulciterque salutant, sinistra vero occidunt, et intestina eorum effundunt, dum ipsis adulantur, laudesque exhibent, ac foris applaudunt, sed occulte obloquuntur, nocent, affligunt, seu supplantare conantur. De quibus loquitur Jeremias : Sagitta vulnerans est lingua Jer. ix, 8.
eorum; pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Unde et in Proverbiis asseritur : Homo qui blandis Prov. xxix, 5.
fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit pedibus ejus. Impiissima autem ambitio ita excæcat, pervertit, obdurat cor hominis, ut in omnia scelera paulatim labatur, nec propinquis parcat, neque amicis; et quod manifeste facere erubescit aut nequit, occulte perpetrare conetur; justos quoque et meliores se, nitatur a prælatione dejicere, et omni timore Dei neglecto, se ipsum studeat inthronizare : sed et fautores sibi studet acquirere, per quos palliet sua mala, et bonos accuset.

Joab autem et Abisai persecuti sunt Seba. Sic non solum justi, sed et impii quidam prælati et officiati, per excommunicationes, interdicta, suspensiones, pecuniarumque extorsiones, ac alios modos puniunt quosdam reos. *Exclamavit mulier sapiens de civitate.* Per mulierem hanc sapientem et eloquentem, designatur sacra prædicatorum religio et sapientia sacerdotum, quæ in Ecclesia clamat, atque ad inquisita respondet, et increpat eos qui sacra loca demoliuntur. Caput etiam Seba amputari procurat, et projicit ipsi Joab, quoniam seditiosorum rebelliumque superbiam ostendit esse mox perituram et condemnandam. *Fuit ergo Joab super exercitum.* Nam et Christus interdum ambitiosos ac impios permittit ad tempus regnare, qui propter peccata populi, facit Job xxxiv, 30.
regnare hypocritam.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXI

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : FACTA EST QUOQUE FAMES IN DIEBUS DAVID.

PRÆSENS describit capitulum, qualiter A incomprehensibilis Deus, cujus judicia (Ps. xxxv, 7.) sunt velut abyssus multa, declaravit suam justitiam in ultione justa propter injuriam Gabaonitis illatam. *Facta est quoque fames in diebus* regni *David,* hoc est in regno suo : fames (inquam) sterilitatem terræ sequens, *tribus annis jugiter. Et consuluit David oraculum Domini,* id est, responsum a Deo petivit per sacerdotem pontificem, ut sæpius dictum est, aut per Prophetas. Dicuntque aliqui, quod primo anno illius famis non consuluit Dominum, quia putavit sterilitatem illam ex naturali contingere causa; nec anno secundo, quia putavit eam venire propter idolum Michæ, quod erat adhuc in tribu Dan : propter quod, idolum illud destruxit. Sed sterilitate non cessante, consuluit Dominum. Sed istud de idoli Michæ destructione facta per David, non videtur consonare ei, quod scriptum est in Judicum libro : (Judic. xviii, 30, 31.) Posueruntque sibi sculptile, et Jonathan filium Gersam, filii Moysis, ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo. Et quamvis verba hæc dupliciter exponantur, prout super Judicum scripsi, tamen secundum nullam expositionum illarum, conveniunt præfatæ assertioni.

Dixitque Dominus, respondendo regi devoto per sacerdotem, seu alio modo prætacto : *Propter Saul et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas,* id est propter scelera ipsius Saul et sobolis suæ, atque fautorum et cooperatorum ipsius, D quia Gabaonitas interfecerunt injuste : idcirco domus sanguinum appellantur. Vel quia multorum sanguinem fuderunt injuste; vel quia sanguinis proprii effusionem promeruerunt. Vel, Sanguinum, id est vitiorum. Præterea quæritur, cur pro peccato Saul et suorum tamdiu præterito, puniti sint David ac populus ejus fame tam longa, seu terræ sterilitate. Respondetur, quod David negligens fuit, non faciendo justitiam Gabaonitis pro eorum injuria, et multi eorum qui participes erant peccati Saul, ac ei fuerunt cooperati, vixerunt adhuc. Communitas quoque frequenter punitur propter peccatum commissum ab B aliqua parte seu persona ipsius, in quantum omnes de una communitate, sunt quodammodo unum, quemadmodum in libro Josue fertur de Achan et filiis Israel. (Josue vii.) Nec tamen Deus in tali casu derogat his qui in ipsa communitate sunt innocentes de hujuscemodi vitio quod punitur : quoniam pius ac sapiens Deus pœnam quam sustinent, ordinat eis ad majus bonum, videlicet ad purgationem aliarum quas habent culparum, seu gratiæ incrementum.

Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad C *eos.* Cur autem non licuit Saul et suis occidere Gabaonitas, subjungitur. *Porro Gabaonitæ* habitantes in urbe nomine Gabaon et aliis oppidis ei annexis, scilicet Caphira (Ibid. ix, 17.) et Beroth et Cariathiarim, prout Josue describit, *non erant de filiis Israel,* id est de stirpe Jacob, aut tribubus ejus, *sed reliquiæ,* id est posteri quidam, *Amorrhæorum,* qui confugerunt ad Josue. *Filii quippe Israel juraverant eis,* (Ibid. 3-11.) videlicet Josue et principes tribuum, quod non occiderentur, (Ibid. 15.) nec ipsi, nec eorum posteri a filiis Israel. Nam fœdus pacis inierunt cum eis, ut Josue (Ibidem.) narrat, idcirco et Saul, ac suo tempore existentes Judæi, tenebantur fœdus istud implere. *Et voluit Saul percutere eos zelo,*

Digitized by Google

quasi pro filiis Israel et Juda : hoc est, interficere voluit Gabaonitas, et quosdam eorum percussit, fingens et simulans se hoc facere zelo legis, in qua Moyses jussit
Deut. xx, 16, 17. Amorrhæos omnino exterminari, ad utilitatem undecim tribuum ac commodum tribus Juda, dicens, quod Gabaonitæ terram filiis Israel promissam occuparent injuste, et expedire quod urbes ac terræ Gabaonitarum filiis Israel redderentur. Verumtamen zelus Saulis fuit indiscretus, et magis creditur motus avaritia, quam justitia : quoniam urbes et possessiones Gabaonitarum erant in Benjamin tribu, ideo eas optavit ; atque ut fertur, percussit Gabaonitas ex odio sacerdotum quos ante occiderat, quoniam Gabaonitæ sacerdotibus
Josue ix, 27. serviebant, ligna et aquas comportando ad domum Dei, prout in Josue scribitur eis injunctum. Porro, quod in multis libris subjungitur, Ne perimerent eos, in Hebræo non habetur : ideo non est de textu, sed ab aliquo expositore fuit adjunctum, eo quod subintelligatur.

Dixit ergo David ad Gabaonitas : Quid faciam vobis ? et quod erit vestri piaculum, id est placatio ac satisfactio pro injuria vobis illata ? Piaculum quandoque sumitur pro peccato ; aliquando pro satisfactione peccati, et ita hic capitur. *Ut benedicatis hereditati Domini,* hoc est, bona imprecemini filiis Israel, orando pro ipsis ex corde, et pro terræ fecunditate, sicque vobis reconciliatis, Deus populo suo peculiari ac terræ benedicat. *Dixeruntque ei Gabaonitæ : Non est nobis super auro et argento quæstio,* id est, pecuniam non quærimus, *sed contra Saul et contra domum ejus ; neque volumus ut interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait : Quid ergo vultis ut faciam vobis ? Qui dixerunt regi : Virum qui attrivit nos et oppressit injuste* *,
* inique
videlicet ipsum Saul seu posteros ejus, et ipsum in sua posteritate ac sobole, *ita delere debemus, ut nec unus quidem residuus sit de stirpe ejus, in cunctis finibus Israel.* His auditis, David eis persuasit, quod id facere non posset, propter fœdus

A quod iniit cum Jonatha, ut dictum est sæpe, imo et cum Saul, ut patuit primo libro, ubi legitur Saul dixisse ad David : Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et juravit David Sauli. Dixit etiam David Gabaonitis, quod vindictam quærerent nimis magnam : ideo temperaverunt postulationem suam, dicentes : *Dentur nobis septem viri de filiis ejus,* id est de semine ejus, et propinquiores eidem, *ut crucifigamus eos Domino,* id est
B ad Dei honorem, et ad divinæ æquitatis ostensionem, quia non solum peccavit in nos, sed item in Deum, *in Gabaa* urbe *Saul,* in qua habitavit, *quondam electi Domini,* quia electus fuit ex toto populo, ut ungeretur a Samuele in regem, et ad regnandum temporaliter super populum Dei. *Et ait rex : Ego dabo,* quia Deo sic placet, et quia bonum rei publicæ id requirit.

1 Reg. xviii, 3 ; xx, 16. Ibid. xxiv, 22, 23. Ibid. x, 1, 24.

Qualiter autem filii propter peccata parentum, quandoque temporaliter ac corpo-
C raliter juste puniantur, quia quantum ad corpus, sunt aliquid suorum parentum, et propter alias causas, dictum est sæpe. Filii autem non portant iniquitatem parentum quantum ad animam, ita quod bonis gratiæ non privantur propter parentum excessus, quoniam animam immediate habent a Deo. Præterea mirum videtur, quod Deus filios Israel et posteros Saul ita punivit, propter injuriam a Saule Gabaonitis illatam, et non etiam propter interfectionem sacerdotum, quos sceleratissime interfecit.
D Ad quod aliqui dicunt, quod filii et cognati sacerdotum illorum, indulserunt tantam injuriam. Multa quoque sunt facta, quæ non sunt descripta. Sed et interfectio sacerdotum et percussio civitatis eorum, fuit una causa non minima, ob quam interfectus et regno privatus est Saul. Est quoque probabile, quod populus Israel magis consensit Sauli in persecutione Gabaonitarum, quam sacerdotum.

Ezech. xviii, 20. 1 Reg. xxii, 18.

Peperci tque rex Miphiboseth filio Jonathæ filii Saul propter jusjurandum Do-

Digitized by Google

mini, quod fuit inter David et Jonathan A *filium Saul.*

Tulit itaque rex David *duos filios Respha filiæ Aia, quos peperit* ipsi *Saul.* II *Reg.* III, 7. 8. Ista est Respha concubina Saul, ad quam ingressus est Abner, ut supra legitur. *Armoni et Miphiboseth :* ita vocati sunt. Et est iste Miphiboseth alter a filio Jonathæ. Porro, secundum Magistrum in historiis, hi duo adhuc pueri cum Doeg occiderunt sacerdotes Nobe, et postea Gabaonitas : idcirco specialiter nominantur, qui specialiter erant culpabiles. Omnes autem legitimi filii Saulis jam mortui erant. *Et quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai qui fuit de Molathi : et dedit eos in manu Gabaonitarum.* Qui tanquam alieni a sanguine Israelitarum, fuerunt satis ferventes ad suarum ultionem injuriarum. Denique, in I *Reg.* XVIII, 19. primo libro continetur, quod Merob filia Saul major, data est Hadrieli uxor ; et in eodem libro fertur, quod Michol uxorem *Ibid.* XXV, 44. David dedit Saul Phalti filio Lais. Quomodo ergo Michol dicitur hos quinque filios peperisse Hadrieli? Et respondendum, quod erant naturales atque legitimi filii Merob præfatæ ex Hadriele, sed filii adoptivi istius Michol. *Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino,* id est ad beneplacitum Dei. Paulo ante dixerunt Gabaonitæ, Crucifigamus eos in Gabaa : quod fuit in majorem Saulis confusionem, quod in urbe sua seu prope eam in loco tam eminenti, posteri sui sunt lignis appensi. *Et ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primæ, incipiente messione hordei.*

Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substravit, id est, substratorium et quasi lectum sibi fecit, *ibi supra petram,* id est locum petrosum, *ab initio messis,* quæ in terra illa incipit cito propter calorem, *donec stillaret super eos aqua de cœlo,* id est, circiter usque calendas Septembris : quia tunc juxta terræ illius naturam primo descendere solet pluvia post messem. Alii sic exponunt, et forsitan melius, dicentes, quod juxta commune legis præceptum, suspensi in patibulis debebant primo die deponi ac sepeliri, prout in Deuteronomio habetur ; sed hoc in istis servatum non est, quoniam David ex divina revelatione cognovit ut manerent in ligno, quousque imber descenderet, in signum quod Dominus propitiatus esset terræ ac populo. Nam fames orta fuit ex sterilitate, sterilitas ex siccitate : cujus ablatio fuit irrigatio terræ ex pluvia. Alii dicunt, quod manserunt tam diu in ligno, quatenus gentiles audientes eos esse occisos propter in- B juriam irrogatam Gabaonitis ex gentilitate ad Judaismum conversis, allicerentur ad ritum fidemque Judæorum. *Et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem :* quia erant de semine regio, et filii sui aut affines. Habuit quoque aliquos secum custodientes corpora illa, alioqui timuisset sola de nocte, nec tempus dormiendi habuisset aliquando. *Deut.* XXI, 23.

Et nuntiata sunt David quæ fecerat Respha filia Aia concubina Saul, videlicet tanta ejus fidelitas, reverentia, et dilectio C etiam circa defunctos : quod placuit regi. Unde et ipse animatus exemplo Resphæ, fecit quod subditur. *Et abiit David* cum comitiva honesta, *et tulit* per suos ministros *ossa Saul et ossa Jonathæ filii ejus a viris Jabes Galaad,* qui morabantur in terra Galaad, in oppido nomine Jabes ; *qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philistiim, quum interfecissent Saul in monte Gelboe,* hoc est, qui in nemore juxta oppidum suum sito sepelierant corpora Saul ac Jonathæ, I *Reg.* XXXI, 13. D ut habetur in fine primi libri. *Et asportavit inde ossa Saul et Jonathæ filii ejus; et colligentes* cum reverentia *ossa eorum, qui affixi fuerant, sepelierunt ea cum ossibus Saul et Jonathæ filii ejus in terra Benjamin, in latere, in sepulcro Cis patris ejus,* hoc est ad latus illius sepulcri : quod et fecerunt solennius. *Feceruntque omnia quæ præceperat rex. Et repropitiatus est Deus terræ,* fecunditatem condonans.

Consequenter tanguntur in littera quatuor bella David adversus Philistæos. *Fa-*

Digitized by Google

ctum est autem rursus prælium Philistinorum adversus Israel. Et descendit David et servi ejus cum eo, et pugnavit contra Philistiim. Deficiente autem David, forsitan ex labore, et eo lassato, præsertim quia jam erat antiquus, quia ut infra tangetur, istud fuit ultimum prælium ejus, *Jesbi de Nob* * Philistæus vir giganteus, *qui fuit de genere Arapha,* id est giganteo, secundum Hebræos. Verumtamen Magister in historiis circa hoc scribit : Tradunt Hebræi Arapham fuisse Orpham nurum Noemi, quæ genuit viro Gethæo quatuor gigantes, qui hic nominantur, quorum unus dictus est Jesbi de Nob, secundus Saph vel Ziph, tertius Goliath, quartus qui habuit senos digitos in manibus ac pedibus. *Cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat ense novo.* Secundum Lyram, in Hebræo habetur, Qui accinctus erat de novo, ita quod Ense, non est de textu. Et dicunt Hebræi, quod factus erat miles die illo : propter quod voluit fortitudinem suam monstrare in persona regis, ut subditur, *Nisus est percutere David. Præsidioque ei fuit,* id est, subsidium impendit, *Abisai filius Sarviæ,* interponens se fortiter, et caput regis defendens viriliter, *et percussum Philistæum* illum *interfecit :* quod fuit probissimum factum. *Tunc,* videlicet bello peracto, *juraverunt viri David,* id est præcipui et familiares pugnatores ac milites ejus, *dicentes : Jam non,* id est plus de cetero, *egredieris nobiscum in bellum :* unde elicitur, quod istud fuit ultimum prælium David; *ne exstinguas lucernam Israel,* hoc est, ne clara tua præsentia et persona tollatur a nobis. Vel, ne claritas tuæ memoriæ minuatur per hoc, quod in bello victus dicaris.

* Jesbibenob

Secundum quoque bellum fuit in Gob, id est loco sic nuncupato, *contra Philistæos.* Quod ait, Secundum, non designat hic ordinem rei gestæ, sed narrationis : nam prælium istud contigit ante illud, quod immediate jam descriptum fuit, quod ultimum erat tempore. *Tunc,* scilicet in prælio illo, *percussit Sobochai,* id est vir

A et miles David sic dictus, *de Husathi,* id est loco illo, *Saph de stirpe Arapha,* sicut expositum est, *de genere gigantum.* Hic interponit Josephus historiam belli unius, quod in littera non narratur; et ait quod aliud bellum fuit in Gob, in quo fuit robustus vir Ephron nomine, cognatus David, qui suis in fugam versis, plurimos hostium solus occidit, ceterosque fugavit.

Tertium quoque, secundum ordinem descriptionis et narrationis istius, *fuit bellum*
B *in Gob contra Philistæos :* quod tamen secundum ordinem temporis fuit primum inter hæc bella; *in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum.* Istud omnes exponunt de bello, in quo David prostravit Goliam seu Goliath gigantem de Geth. Et ponuntur hic quatuor nomina David : qui primo vocatur Adeodatus, quia desuper fuit gratiose concessus populo Israel pro ejus regimine ac salute. Secundo vocatur filius Saltus, quia de saltu seu locis arbo-
C reis et pascuis fuit assumptus in regem, quum greges pavisset ibidem; vel quoniam tempore Saul frequenter morabatur ac latebat in silvis. Tertio dicitur polymitarius, quoniam fuit de stirpe Beseleel polymitarii egregii tempore Moysis, ut patet in Exodo; vel, quoniam cultum Dei magnifice decoravit et auxit. Est autem polymitarius, architector seu artifex : et dicitur a poliendo. Quarto vocatur Bethlehemites, quia de Bethlehem natus. Verumtamen primo libro habetur, quod David in valle Terebinthi
D percussit Goliath. Ad quod respondetur, quod in valle illa fuit quædam pars quæ vocata est Gob, eratque particularis locus situs in valle illa. *Cujus hastile,* hoc est stipes *hastæ, erat quasi liciatorium texentium,* id est dispositum instar ligni, circa quod texentes licia involvunt : quo insinuatur fortitudo, sive soliditas hastæ illius. Circa hæc scribit quidam, quod David non fuit in aliquo bello ante singulare illud certamen cum Goliath. Contra quod objici posset, quia ut dictum est primo libro,

I Reg. XVII, 50.
Ibid. XVI, 11-13.
Exod. XXXI, 2.
I Reg. XVII, 2, 50.

Digitized by Google

ante illud singulare certamen unus dixit A ad Saul de David : Vidi filium Isai Bethlehemitem fortissimum robore, et virum bellicosum. (I *Reg.* XVI, 18.)

Quartum bellum fuit in Geth, hoc est prope oppidum illud Philistinorum ; *in quo vir fuit excelsus,* id est giganteæ staturæ, *qui senos in manibus pedibusque habebat digitos,* hoc est sex in qualibet manu, et totidem in pede utroque. Ideo subditur, *id est, viginti quatuor.* Sicque fuit homo monstruosus, terribilis. *Qui fuit de origine Arapha ; et blasphemavit Is-* B *rael,* hoc est Israeliticum populum tanquam superstitiosum atque sacrilegum. *Percussit autem eum Jonathan filius Semmaa fratris David.* Dicunt aliqui, quod Jonathan iste fuit frater ipsius Jonadab, qui (ut supra legitur) dedit consilium Amnon non bonum. (II *Reg.* XIII, 3. 5.) Verumtamen Josephus illum Jonadab nominat Jonathan, sicque videri potest alicui, quod idem ipse fuerit Jonadab, ac binomius fuerit. Et tamen unum et idem nomen frequenter habet aliquam variationem in syllaba una vel C pluribus, præsertim in fine.

Hi quatuor præfati gigantes, *nati sunt de Arapha,* hoc est Orpha aut alia femina gigantea, *in Geth,* ut dictum est plenius ; *et ceciderunt in manu David et servorum ejus,* singuli in manibus singulorum, ita quod unus corruit in manu ipsius David, alter in manu Abisai, etc.

Sensus spiritualis. Juxta intelligentiam spiritualem patet ex isto capitulo, quam enorme peccatum sit, frangere votum aut juramentum, aut impotentes ac subditos injuste opprimere, quia pro tali excessu punitus est populus Israel tribus annis continue grandi caristia. Rursus patet ex dictis, quam culpabiles coram Deo exsistant prælati ac præsidentes, qui subditos delinquentes corripere negligunt : ex qua negligentia oritur fames, hoc est spiritualis inopia refectionis internæ. Insuper patet ex isto capitulo, quod quamvis valde commendabile sit propriam injuriam propter Deum omnino dimittere, quoad culpam et pœnam, interdum tamen sit licitum zelo justitiæ ultionem secundum ordinem juris expetere, ne periclitetur bonum commune, nec justitia conculcetur, et ne mali fiant ad peccandum audaciores. Postremo, per bella David regis, et fortissimorum militum ejus contra quatuor Philistæos gigantes, præfigurati sunt spirituales conflictus Christi et fidelium perfectorum contra principes tenebrarum.

ARTICULUS XXXII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : LOCUTUS EST AUTEM DAVID DOMINO.

SANCTUS David post labores certami- D num, post impugnationes ac vulnera vitiorum, post inquietudines multas, magnam tandem quietem sortitus, studuit Deo gratus exsistere ; et grates ei devotissime obtulit, super his psalmum metrice faciens, sicut nunc legitur. *Locutus est autem David Domino,* hoc est, Deo cecinit ad ipsius honorem, *verba carminis hujus in die,* id est tempore, et interiori mentis fulgore ex divina illuminatione quæ diem gratiæ produxit in ejus corde, *qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum,* non solum visibilium, utpote gentium quæ in circuitu ejus erant, sed etiam invisibilium : a quibus in aliquibus tentationibus fuerat victus, sed per pœnitentiam (Deo auxiliante) surrexit, prævaluit, ac deinceps custoditior fuit ; (II *Reg.* XI, 4 ; XII, 13.) *et de manu Saul,* qui præ ceteris hominibus

Digitized by Google

ipsum David fuit acrius persecutus, idcirco A post generalem inimicorum expressionem specialiter nominatur. Quemadmodum autem Josephus protestatur, quum David pace altissima frueretur, cantica et hymnos composuit, alios trimetros, alios pentametros; et organa fecit diversa, in quibus Levitæ et cantores in sabbatis aliisque solennitatibus canerent Deo hymnos seu psalmos.

Et ait : Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus. Psalmus iste in libro Psalmorum septimusdecimus est in ordine, et titulus ibi ei præscriptus, ex B præinductis verbis ab Esdra est sumptus. Porro, ad exponendum hoc loco psalmum istum, laborare aut immorari non volo, quia in expositione super Psalterium eum litteraliter spiritualiterque exposui. Aliqua tamen exponam, in quibus verba cantici hujus a verbis differunt psalmi illius. In Psalterio quippe psalmus iste sic incipit: Diligam te, Domine, fortitudo mea. Sicque pro eo quod dicitur ibi, Fortitudo mea, dicitur hic, Petra mea : hoc est, causa totius soliditatis ac fortitudinis meæ, qui figit me C ac fundat in stabili fidei fundamento. Sic
I Cor. x, 4. et Apostolus loquitur : Petra erat Christus.

Deus meus *fortis,* id est fortificator *meus, et sperabo in eum. Scutum meum, et cornu salutis meæ, et elevator meus :* quia in sublimitate et excellentia donorum naturæ ac gratiæ, in regiæ dignitatis fastigio me locavit; *et refugium meum, salvator meus, de iniquitate liberabis me. Laudabilem invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. Quia circumdederunt me*
Ps. xvii. 5. *contritiones,* id est dolores, *mortis,* ut ha- D betur in Psalmo, *torrentes Belial terrue-*
Ibidem. *runt me.* In libro Psalmorum habetur, Torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Et per torrentes Belial, possunt ad litteram intelligi abundantia et impetus persecutionum, quibus Saul frequenter ipsum David terruit ac turbavit, ita ut aliquando
I Reg. xxiii, 26. desperaverit se posse evadere. *Funes in-*
Ps. xvii, 6. *ferni circumdederunt me,* hoc est dolores gehennæ, sicut in Psalterio legitur; *prævenerunt me laquei mortis,* etc.

Ascendit fumus de naribus ejus. In Psalterio scriptum est, Ascendit fumus in ira Ps. xvii. 9.
ejus, et idem est sensus, quia metaphorice fatur de Deo, quasi de homine irato, de cujus naribus fumus procedit, ex igne iracundiæ nascens. *Et ignis de ore ejus vorabit.* In Psalterio fertur, Ignis a facie ejus Ibidem.
exarsit : sensusque idem est, qui super Psalterium requiratur. *Carbones succensi sunt ab eo,* etc. *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cœlorum.* In Psalterio dicitur, Tenebrosa Ibid. 12.
aqua in nubibus aeris. Dicuntur enim nubes cœlorum, id est cœli aerei, quia generantur ac moventur in aere virtute ac influxu cœlestium corporum. Et sicut per cribrum decidunt grana, ita de nubibus guttatim aquæ descendunt : quod Deus principaliter agit, quamvis fiat per causas naturales; imo quandoque Deus supernaturaliter facit hujusmodi, sicut ad Samuelis petitionem Dominus dedit voces, hoc I Reg. xii. 18.
est tonitrua et pluvias, ut dictum est primo libro. *Et apparuerunt effusiones maris,* etc. In Psalterio scriptum est, Et apparuerunt Ps. xvii, 16.
fontes aquarum. Fontes namque, sicut et flumina, ex mari magno fontaliter habent originem, ita quod fontes sunt effusiones maris, hoc est aquæ effusæ ex mari originaliter profluentes. *Liberavit me ab inimico meo potentissimo,* scilicet Saule rege. In Psalterio pluraliter dicitur, Eripuit Ibid. 18.
me de inimicis meis fortissimis, id est Saule et principibus ejus. In Scripturis quoque frequenter ponitur singulare pro plurali, et econtra. *Et ab his qui oderant me, quia robustiores me erant,* etc. *Et eduxit me in latitudinem. Liberavit me, quia placui ei.* In Psalterio dicitur, Quia voluit Ibid. 20.
me : et idem est sensus, quoniam ideo fecit hoc Deus, quia sic placuit ei, et quia sic voluit, sicut in Evangelio ait Salvator: Etiam, Pater, quia sic placuit ante te. Matth. xi. 26.

Cum sancto sanctus eris, et cum robusto perfectus. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. Et populum pauperem salvum facies, oculisque tuis excelsos humiliabis. In Psalterio scriptum est,

Digitized by Google

Ps. xvii, 28. Oculos superborum humiliabis : et redit in A idem, quoniam sensus est, quod Deus per sapientiam atque justitiam suam, quibus omnia intuetur ad judicandum, humiliat, deprimit et condemnat superbos, et specialiter oculos eorumdem interiores, quibus se apprehendunt tanquam magnum aliquid et præclarum : quibus per æternam damnationem dat intelligere quantum er- *Sap. v, 8.* raverint, ita quod dicunt, Quid profuit nobis superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Interdum quoque in vita hac misericorditer mentes eorum illustrat, B ita quod se vere et virtuose humiliant, di- *Galat. vi, 3.* centes : Qui se putat aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. *Quis est Deus præter Dominum? et quis Deus fortis præter Deum nostrum?* In Psalterio legitur : *Ps. xvii, 32.* Quis Deus præter Deum nostrum? Dicitur autem, nullus fortis præter Dominum, quoniam omnis creatura ex se ipsa infirma est atque deficiens, et a divina omnipotentia ac virtute infinite occumbens.

Deus qui præcinxit me fortitudine, et complanavit perfectam viam meam. In C *Ibid. 33.* Psalterio fertur, Posuit immaculatam viam meam : et sensus est idem, utpote quod Deus conversationem meam ab obliquitate vitiorum, et distortitudine iniquitatis fecit immunem, dando mihi emendationem condignam in omnibus. *Coæquans pedes meos* *Ibid. 34.* *cervis.* In Psalterio : Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum. *Et super excelsa statuens me,* id est, virtutem et agilitatem præstitit mihi ad insequendum ac superandum celeriter adversarios meos invisibiles atque visibiles, quemadmodum cervus sine offendiculo currit velociter. *Dilatasti gressus meos subtus me, et non deficient tali mei.* In Psalterio : Et non sunt infir- *Ps. xvii, 37.* mata vestigia mea : et redit in idem, quoniam sensus est, quod gressus seu processus mei in bonis ac virtutum profectibus perseverabunt in finem. Cetera patent ex declaratione psalmi præfati super Psalterium introducta.

Postremo, circa hæc quærit Isidorus, cur psalmus iste præ ceteris psalmis in libro isto Regum sic inseratur. Et respondet, Non immerito, quoniam psalmus iste regnum illud significat, in quo adversarium non habemus. Quis autem figuratur in David, nisi ille, qui secundum carnem venit *Rom. i, 3.* ex semine David, et in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos? Quando autem meretur hoc corpus eripi de manu omnium inimicorum suorum, nisi dum novissima destruetur mors, *I Cor. xv, 26.* ut perveniatur ad regnum Dei? Porro litteralius poterit responderi, quod ideo psalmus iste hic ponitur, quoniam directe correspondet præinductis victoriis, beneficiisque Dei regi David concessis, de quibus in carmine isto regratiatur Altissimo; atque ut David in hoc ipso proponatur aliis in exemplum; et item ut clarius innotescat, quod ipse in tot tantisque periculis, præliis, diffortuniis, dolis et inquietudinibus, sola prævaluit divina virtute. Quod totum in psalmo isto diffusius declaratur.

ARTICULUS XXXIII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI TERTII : HÆC AUTEM VERBA SUNT NOVISSIMA.

EXCELLENTIA propheticæ revelatio- D nis regi David concessa, hic tangitur. *Hæc autem verba sunt novissima,* supple, a David prolata : et quæ sint illa, subjungitur, *quæ dixit David filius Isai.* Aliqui dicunt eum protulisse hæc verba in mortis articulo seu agone, et quod verba ista sint psalmus specialis, aliis psalmis non annu-

Digitized by Google

meratus. Et utique dici potest quoddam speciale canticum, lausque divina. *Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob,* id est, cui desuper facta est revelatio atque promissio de incarnatione, adventu et mysteriis Messiæ, Salvatoris mundi, qui est Christus Dei, unctus a Deo Patre omni charismate Spiritus Sancti plenissime, juxta illud in Psalmo : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis. (*Hebr.* I, 9; *Ps.* XLIV, 8.) Et in Isaia : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. (*Is.* LXI, 1.) De quo et in Actis sacratissimus princeps ait Apostolorum : Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute. (*Act.* X, 38.) Quamvis autem Deus omnipotens sit Deus universorum jure creationis, gubernationis, conservationis et salvationis, specialiter tamen et frequenter in veteri Testamento vocatur Deus ipsius Jacob patriarchæ, seu populi nati ex eo. *Egregius psaltes Israel,* id est præclarus psalmista Israeliticæ plebis : quæ psalmos David præcipue decantavit et frequentavit in templo, sicut nunc in ecclesia faciunt Christiani. Psalmi etenim multis excellentiis decorantur, videlicet sensuum profunditate, devotionis fervore, verborum suavitate, ac Christi mysteriis. Unde, ut divinus Dionysius protestatur, quidquid in sacra continetur Scriptura, in libro Psalmorum per modum divinæ laudis includitur : ideo psalmi in divino Officio maxime frequentantur.

Spiritus Domini, videlicet Spiritus Sanctus, *locutus est per me,* tanquam per organum animatum et intellectuale, quoniam ex divina revelatione pronuntiavi Christi mysteria, et alia multa futura ac divina præconia. Propter quod gloriosissimus apostolici chori vertex in secunda sua ait Canonica : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. (II *Petr.* I, 21.) *Et sermo ejus per linguam meam* prolatus est, ita quod verba mea sunt sermo ipsius, cujus directione locutus sum, et qui specialem gratiam componendi psalmos, dulciterque psallendi præstitit mihi, ut dicere queam : Dominus dedit mihi linguam eruditam. (*Is.* L, 4.) Denique Sermo Dei increatus, videlicet Verbum Patris æternum, per os et linguam David locutus est. Nam opera superbeatissimæ Trinitatis sunt indivisa. De quo sermone ad Hebræos asseritur : Vivus est sermo Dei et efficax. (*Hebr.* IV, 12.)

Dixit David, *Deus Israel mihi locutus est,* allocutione interna, juxta illud : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. (*Ps.* LXXXIV, 9.) Revelationes autem propheticæ ministerio angelorum sunt factæ, prout D. Dionysius et doctores concorditer tenent. Aliis quoque modis locutus est Deus ad David, videlicet per pontificem quando petivit Dei oraculum per arcæ applicationem, et per Nathan ac Gad prophetas. (I *Reg.* XXX, 7, 8; XXIII, 2; II *Reg.* VII, 2 *et seq.*; XII, 1 *et seq.*) *Fortis Israel,* id est confortator ac omnipotens protector Israeliticæ plebis, seu ipsius Jacob, qui alio nomine dictus est Israel. (*Gen.* XXXII, 28; XXXV, 10.) *Dominator hominum justus :* quoniam legem justissimam dedit hominibus, et nulli injuriam facit, aut violentiam infert tyrannice, imo unicuique reddit juxta quod promeretur, nec acceptor est personarum. (*Apoc.* XXII, 12; *Is.* XLII, 2.) Dominatur quoque hominibus non ob commodum suum, quia bonorum nostrorum non indiget, nec aliquid boni ex nostro obsequio ei accrescit quo ipse perficiatur aut beatior fiat; sed ut homines perficiantur ac beatificentur in eo, obediendo ejus dominio. (*Ps.* XV, 2.) Hinc scriptum est in Job : Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. (*Job* XXXIV, 10, 11.) *Dominator in timore Dei :* non quod ipse cum timore dominetur hominibus, qui non veretur personam cujusquam; sed dominando dat hominibus gratiam, per quam serviunt ei cum timore filiali aut initiali, ac tali timore præcepit se timeri. Propter quod ait Apostolus : Serviamus cum metu et reverentia. (*Hebr.* XII, 28.) Atque in Psalmo : Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. (*Ps.* II, 11.) Unde in Evangelio ait Salvator : Eum timete, qui habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam. (*Matth.* X, 28.)

Consequenter David declarat, qualiter factæ sint sibi revelationes propheticæ ac

divinæ. *Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat:* id est, clare per intellectualem, spiritualem ac anagogicam illuminationem, non per imaginarias visiones manifestatæ sunt mihi veritates divinæ, mysteria Christi, et ea quæ in psalmis conscripsi. Sicque lux gratiæ prophetalis menti meæ in sua puritate resplenduit absque phantasmate, sicut lux solis lucet in aere absque nube eam fuscante et operiente. *Et sicut pluviis germinat herba de terra:* id est, sicut terra de se sicca et infecunda, ex pluviæ irrigatione fecundatur ad germinandum virgulta; sic anima mea de se cæca et infructuosa, ex divini luminis infusione, æternique fontis influxione, illuminata et fecunda effecta est ad vaticinandum secreta cœlestia. Specialiter vero inducit similitudinem istam, ad innuendum quod sicut terra ex pluviarum humore habet fecunditatem, sic Deus prænuntiavit regi David ex suo semine Christum nasciturum, non virtute terrena, sed virtute cœlesti ex superventione et actione Spiritus Sancti in Virgine, quemadmodum ab Isaia est prædictum de Christo:
Is. LIII, 2. Ascendet coram eo sicut virgultum, et sicut radix de terra sitienti.

Nec tanta est domus mea apud Deum, id est, ego et soboles mea non sumus tantæ reputationis, dignitatis aut meriti coram Deo, *ut pactum æternum iniret mecum firmum in omnibus atque munitum,* id est, ut mihi certe promitteret Christum nasciturum de semine meo naturali et humana virtute, sed supernaturali, divina, cœlestique potestate operante Spiritu Sancto, cujus virtute formatum fuit corpus Christi in utero Virginis in instante. Idcirco subjungitur : *Cuncta enim salus mea,* id est, omnis gratia, virtus et felicitas animæ meæ, supple, ex Deo est; et ex sua pietate procedit, dependet, perficitur, non ex viribus meis; *et omnis voluntas,* id est, tota affectio mea, supple, in ipsum conversa est, et adunata ac stabilita, ita quod sicut omne bonum ab ejus misericordia præstolor, sic totum in ipsum refundo ac ordino.

A Verumtamen Deus promisit ipsi David certissime Christum ex ejus semine nasciturum, juxta illud in Psalmo: Juravit Dominus *Ps.* CXXXI,
David veritatem, et non frustrabitur eum : 11.
De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Similiter ei prædixit certissime, quod regnum suum perpetuaretur in Christo. Verumtamen Deus non promisit regi David promissione absoluta et certa, quod posteri ejus regnarent super populum Israel indesinenter per omne tempus veteris Testamenti; sed hoc promisit ei sub condi-
B tione, videlicet si in Dei obsequio perma- II *Reg.* VII,
nerent, prout supra dictum est plenius: et 8 *et seq.*
de hoc etiam potest exponi quod dictum est, Nec tanta est domus mea. Præterea advertendum, quod in locutionibus provenientibus ex prædominante et excessivo affectu amoris, doloris, devotionis aut compunctionis seu gaudii, solet esse truncatio quædam verborum, ita ut necesse sit subintelligi aliquid: quia excessus affectionis, vehementia doloris, ardor devotionis, abundantia jucunditatis abrumpunt verba, ser-
C monemque intercidunt, sicut dum Christus deplorans Jerusalem, dixit : Quia si cogno- *Luc.* XIX,
visses et tu, et quidem in hac die tua, quæ 42.
ad pacem tuam, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Sic et Sponsa in Can-
ticis, Ego, inquit, dilecto meo, et dilectus *Cant.* VI, 2.
meus mihi. Sic quoque est cum præinductis jam verbis David. *Nec est quidquam ex ea quod non germinet :* id est, tota voluntas mea jam ita accensa est, et devotionis spiritu imprægnata, ut quidquid ex ea procedit aut fit, sit fructuosum, atque ad
D Dei gloriam ordinatum.

Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi, id est, de medio justorum ac electorum tollentur ac separabuntur, sicut spinæ extrahuntur ab agro, ne noceant herbis et fructibus bonis; *quæ non tolluntur manibus.* Spinæ namque ob suam acutiem nuda manu non evelluntur, ne pungant et lædant manum tollentis seu auferentis. Ideo subditur, *et si quis tangere eas voluerit, armabitur ferro et ligno lanceato,* id est ferrato : hoc est, cum ferreo

Digitized by Google

instrumento aut pala ferrata eas eradicabit, *igneque succensæ, comburentur usque ad nihilum,* id est, ad nihil utiles erunt, nisi ut totaliter comburantur, sicut dignis-
Matth. III, 10. simus ait Joannes Baptista : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Hinc impio ait Psal-
Ps. LI, 7. mista : Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. Istud, quantum ad corpus et animam, reprobis fiet plenarie in die generalis judicii, quando judex, rex et legifer noster segregabit
Matth. XXV, 32, 46. electos a reprobis, sicut segregat pastor agnos ab hœdis ; et ibunt electi in vitam æternam, reprobi autem in ignem perpe-
Is. XXVI, 10. tuum, juxta illud in Isaia : Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Unde et in Ma-
Malach. III, 18; IV, 1. lachia scriptum est : Videbitis quid sit inter justum et impium. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus ; et erunt omnes superbi et facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, quæ non relinquet eis radicem. De quibus et Nahum
Nahum I, 10. ait : Sicut spinæ complectuntur se ad invicem, ita convivium eorum. Istud quoque, quantum ad animam, particulariter fit in mortibus singulorum pravorum.

Porro, hujusmodi spinis recte comparantur iniqui, quia vitiorum aculeis pleni sunt, impatientes, pungitivi, asperi et amari, correptionem caritativam ac justam, et debitam correctionem non sustinentes, sed remordentes. De quibus loquitur Amos pro-
Amos V, 10. pheta : Odio habuerunt corripientem, et perfecte loquentem abominati sunt. Ideo manibus non tolluntur, id est, miti ac simplici visitatione a sua non cessant malitia ; sed si quis voluerit eas tangere, id est taliter induratos debite castigare, armabitur ferro et ligno lanceato, id est rigore justitiæ et aspera invectione, ac suæ auctoritatis potentia, sicque per pœnas refrenabit hujusmodi, et ad meliora compellet, aut de corpore Ecclesiæ separabit. Quidam putant ipsum David hæc ad litteram prophetasse de Judæis incredulis, qui pro eo quod Christum et ejus discipulos abjecerunt, per

A Romanos vastati sunt, et de terra sua evulsi, quorum civitatem, templum, partemque populi combusserunt Romani.

Consequenter describuntur elegantiores pugnatores ac milites David. *Hæc sunt nomina fortium David* regis, qui fuerunt præcipue fortes, quum tamen haberet multa millia robustorum virorum. *David sedens in cathedra,* videlicet ipsemet David in regali residens throno, *sapientissimus* fuit præ ceteris, quia propheta eximius et valde illuminatus a Deo, peritissimus quo-
B que in bellicis rebus. Nam et regem decet esse omnino divinum et sapientissimum præ subditis suis, quos oportet illuminari, judicari et gubernari ab ipso. Ideo sicut sol excedit astra in claritate, sic rex debet subjectos excedere in sapientia et virtute.

Quod autem subjungitur, *princeps inter tres,* quidam referunt ad verba statim præhabita, exponendo de ipso David, ut dicatur princeps inter tres, id est fortior unoquoque trium fortissimorum. Habuit enim tres fortissimos, ut infra patebit. Alii referunt
C verba hæc ad sequentia, ita quod numerus fortium David regis incipit ab his verbis, ut sit sensus : Princeps inter tres, id est primus trium fortissimorum.

Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno : qui primo Paralipomenon Jesbaam I Par. XI, 11.
nuncupatur ; quem Josephus vocat Eusebium, et addit quod interfecit nongentos impetu uno. Verumtamen primo Paralipomenon fertur, quod levavit hastam suam Ibidem.
supra trecentos vulneratos : quod aliqui
D exponunt de alia et minori ejus victoria ; istud vero de victoria ejus majori. Sive autem istud exponatur de David, sive de Jesbaam, dicendum, quod idcirco comparatur tenerrimo ligni vermiculo, qui teredo seu terebella vocatur : quoniam sicut vermiculus ille in sua natura est mollis valde ac tener, et tamen tam acriter rodit, acuteque mordet, ut durum perforet lignum ; sic David fuit valde mansuetus in domo et circa subjectos, et patiens in adversis : tamen in solio judiciali et contra hostes,

nullus eo acutior. Similiter Jesbaam ad suos fuit mansuetus, sed acutissimus contra hostes. Vel propter nobilitatem ac teneritudinem complexionis, comparatur uterque seu alter istorum præfato vermiculo.

Præterea causa diversitatis expositionis istius est, quod quidam ipsum David connumerant fortibus istis, et sic totum quod dictum est, exponunt de ipso. Alii non connumerant eum : quod magis videtur textui consonare, in quo ita præmittitur, Hæc nomina fortium David; moxque subjungitur, Sedens in cathedra sapientissimus. Quasi dicatur : Ipse rex præfertur fortibus suis qui deinceps enumerantur. Denique, sicut dicunt expositores, non legitur ubi vel quando David vel Jesbaam occiderit octingentos viros impetu uno; sed puto id contigisse in prælio contra Amalecitas, quod
I Reg. xxx, 17. (ut in primo libro scriptum est) duravit a vespera ad vesperam alterius diei, in quo et tot fuerunt occisi, ut ibi dicatur : Et non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes. Dicit autem quidam, non esse intelligendum, quod David interfecit octingentos viros propria manu, sed quod per ejus probitatem fuerunt principaliter interfecti. Verum per probitatem ipsius fuerunt in multis bellis occisi, non octingenti dumtaxat, sed et millia multa.

Post hunc Eleazar. Ex hoc constat, quod si prædicta exponantur de David, nulla hic mentio esset de Jesbaam, qui tamen in Pa-
I Par. xi, 11. ralipomenon ponitur primus inter fortes. Itaque post hunc Jesbaam fuit Eleazar, *filius patrui ejus Ahohi.* Ut refert Hieronymus, dicunt Hebræi, quod Ahohi fuit frater Isai patris David. Propter quod in Scholastica fertur historia, quod Eleazar fuit fi-
Ibid. 12. lius patrui David. In Paralipomenon autem et etiam hic, si immediate præhabita exponantur de Jesbaam, dicitur quod fuit filius patrui ipsius Jesbaam : idcirco apparet dicendum, quod etiam Jesbaam fuit cognatus, consobrinusque David regis. *Inter tres fortes,* quia Eleazar iste fuit unus de tribus fortissimis, *qui erant cum David*
A *quando exprobraverunt Philistiim,* id est, Philistæi maledixerunt filiis Israel, *et congregati sunt illuc in prælium,* id est in loco dicto Phesdomim, prout primo Para- I Par. xi, 13.
lipomenon recitatur. *Quumque ascendissent viri Israel* ad pugnandum contra Philistiim, et statim ex timore fugissent, prout Ibidem.
ex Paralipomenon comprobatur, *ipse stetit et percussit Philistæos donec deficeret manus ejus,* id est fortitudo corporalis seu utraque manus præ lassitudine : non tamen in bello succubuit; *et obrigesceret,* id
B est, stupida seu rigida fieret, *cum gladio,* ictum ictui continuando, et ex concursu sanguinis occisorum decurrentis ac inspissati ad manus ipsius. Verumtamen non videtur solus istud fecisse, quum primo Paralipomenon scriptum sit : Iste fuit cum Ibid. 13, 14.
David in Phesdomim ; fugeratque populus a facie Philistinorum. Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum. Quumque percussissent Philistæos, etc. *Fecitque Dominus salutem magnam in die illa,* id est, grandem prosperitatem atque victoriam
C contulit filiis Israel per ipsum Eleazar. *Et populus qui fugerat,* scilicet ejus exercitus, *reversus est ad cæsorum spolia detrahenda,* id est, ad spoliandum Philistæos occisos.

Et post hunc, Semma filius Age de Arari, id est loco sic dicto : et ita non fuit Semmaa frater David. *Et congregati sunt Philistiim in statione,* hoc est in loco et expeditione. *Erat quippe ibi ager lente plenus. Quumque fugisset populus* Israel *a facie Philistiim, stetit ille in medio*
D *agri, et tutatus est eum,* id est, pugnavit pro populo suo, et eum defendit. *Percussitque Philistæos ; et fecit Dominus salutem magnam.*

Isti tres, videlicet Jesbaam, Eleazar et Semma, fuerunt tres fortissimi. Unde aliqui dicunt, quod quilibet horum fortissimorum expugnavit unum exercitum, ideoque fortissimi nuncupantur. Alii autem tres, qui post illos fortissimos fuerant fortiores, ideo fortiores dicuntur, quoniam unusquisque eorum occidit unum gigan-

Digitized by Google

II Reg. xxi, 17, 18, 21. tem, prout supra dictum est de Abisai, et Sobochai ac Jonathan. *Necnon et ante descenderant tres, qui erant principes inter triginta.* De istis tribus est difficultas præcipua, an fuerunt tres primi robustissimi, vel tres alii qui post illos fuerunt robustiores : quia de his tribus, qui dicuntur hic principes inter triginta, statim subjungitur, quod attulerunt aquam David regi de cisterna quæ erat in Bethlehem. Hanc autem aquam dicit Josephus fuisse allatam a tribus fortissimis primi ordinis. Cui assertioni videtur consonare hic textus, quia post descriptionem apportationis aquæ illius, adjicitur : Hæc fecerunt tres robus- I Par. xi, 19. tissimi. Idem habetur primo Paralipomenon : imo si textus ille libri Paralipomenon acute inspiciatur, videtur aperte insinuari ibidem, quod erant tres robustissimi. Verum his contrariari videtur, quod in libro de Hebraicis quæstionibus, allatio illa aquæ adscribitur tribus fortioribus secundi ordinis, videlicet Abisai, et duobus præfatis sibi adjunctis. Magister quoque in historiis tenet hoc, et addit, quod historia libri Regum, utpote textus iste, adscribit hoc Abisai et Banaiæ atque Sobochai. Quod et alii quidam affirmant, quia quod dictum est, Necnon et ante descenderant tres, qui erant principes inter triginta, exponunt sic : Tres qui erant principes inter triginta, id est principaliores et fortiores triginta fortibus, qui immediate sequebantur in ordine istos tres fortiores. Unde et infra in isto capitulo legitur : Hæc fecit Banaias, et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores.

Verumtamen non oportet istud ita exponere, quia non solum isti tres, sed etiam tres primi fortissimi erant principaliores ac fortiores triginta fortibus. Unde pro eo quod dicitur hic, Qui erant principes inter Ibid. 15. triginta, primo Paralipomenon legitur : Descenderunt autem tres de triginta principibus, id est tres de numero principum triginta virorum fortium, hoc est tres principes ipsorum triginta robustorum virorum. Lyra quoque, qui studiosus fuit circa

A sensum litteralem atque historias, tenet quod tres illi qui aquam attulerunt ad David, fuerunt tres primi robustissimi : quod et probabilius reor. Nam et opus illud, fuit opus summæ audaciæ, ut infra patebit. Commendatio quoque Abisai ac Banaiæ, tam hic quam in Paralipomenon describitur post recitationem apportationis aquæ illius.

Itaque de tribus illis fortibus primi ordinis, id est tribus fortissimis, subditur : *et venerant tempore messis ad David in* B *speluncam Odollam :* quando adhuc fugiebat a facie Saul, ut patuit primo libro. Est I Reg. xxi, 1. autem Odolla nomen urbis, de qua in Michæa habetur, Usque ad Odollam veniet Mich. i, 15. gloria Israel : a qua non multum distabat desertum in quo erat spelunca. *Castra autem Philistinorum erant posita in valle Gigantum.* In Paralipomenon dicitur, In I Par. xi, 15. valle Raphaim. Est enim eadem vallis, de qua dictum est supra. *Et David erat in* II Reg. v, 18. *præsidio,* id est loco munito et firmo, prout infra clarius exponetur. *Porro statio Phi-* C *listinorum tunc erat in Bethlehem,* id est prope oppidum illud. Circa quod quæritur, qualiter statio Philistinorum tunc potuit esse in Bethlehem, si castra eorum erant in valle Raphaim. Ad hoc in Scholastica respondetur historia, quod castra posuerunt in valle Raphaim usque ad civitatem Bethlehem.

Desideravit ergo David aquam de lacu, id est puteo Bethlehem, *et ait : Si quis.* In libro Paralipomenon additur : O si quis. *Da-* I Par. xi, 17. *ret mihi potum aquæ de cisterna, quæ est* D *in Bethlehem juxta portam !* Circa hoc ait Hieronymus : Dicunt Hebræi, quod magis desideravit experiri militum suorum robur atque audaciam, quam poculum aquæ. *Irruperunt ergo,* id est, audacter pertransierunt, *tres fortes castra Philistinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem quæ erat juxta portam, et attulerunt ad David :* redeundo per castra Philistinorum, qui obstupescentes illorum audaciam, ab ipsorum impugnatione abstinuerunt. *At ille noluit bibere, sed libavit,* id est sacri-

Digitized by Google

ficavit, *eam Domino:* non quod sacerdotis officium usurparet, sed vel per manum sacerdotis libavit, vel extenso vocabulo, libavit, id est, ad Dei honorem effudit hanc aquam, gratias agens Deo, qui tam fortes et audaces milites sibi dedit, et de salubri reditu eorumdem, ut tangit Glossa. *Dicens : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc,* id est, gratiose et pie custodiat me, et præservet a potatione istius aquæ, quam potando peccarem : non quia culpa sit aquam potare, sed quia indecens erat aquam tam periculose allatam, tam modicum reputare, atque in proprium usum convertere, et non potius Deo offerre, qui tantam magnanimitatem ac vim dedit nobilissimis illis militibus, quorum periculum non erat parvipendendum. Hinc subditur: *Num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, et animarum,* id est vitæ eorum, *periculum bibam ?* id est, fas non est ut bibam hanc aquam cum labore et periculo sanguinis ac vitæ ipsorum allatam. *Noluit ergo bibere. Hæc fecerunt tres robustissimi.* Ex quo patet, quod isti erant tres fortes primi ordinis.

De fortibus vero secundi ordinis sequitur : *Abisai quoque frater Joab filius Sarviæ, princeps erat de tribus :* non utique de tribus fortissimis jam præfatis, sed erat princeps de tribus, id est unus de tribus fortioribus, seu tribus fortibus secundi ordinis, inter quos fuit præcipuus. *Ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit,* id est in uno bello, eodemque tempore : et forsan in bello contra
I Reg. xxx. Amalecitas prætacto, in quo David cum quadringentis viris interfecit maximam turbam ; *nominatus in tribus,* id est inter tres fortiores computatus, *et inter tres* illos *nobilior,* id est ceteris duobus in factis præclarior, *eratque eorum princeps,* id est principalis inter ipsos ; *sed usque ad tres primos non pervenerat,* id est, nulli illorum trium fortissimorum fuit æqualis : pervenit tamen ad eos, et attigit ipsos, ita quod immediate sequebatur eos in ordine fortium.

A *Et Banaias filius Joiadæ,* non Joiadæ pontificis, de quo infra, sed alterius *viri fortissimi ;* sed quod subditur, *magnorum operum,* potest exponi tam de Banaia, quam de patre ejus : quia uterque magnorum fuit operum perpetrator ; *de Cabseel* urbe natus. *Ipse percussit duos leones Moab,* id est duos viros magnates, et instar leonum audaces ac fortes Moabitas. In Paralipomenon dicitur, Duos Ariel; sed idem est sensus, quia ibidem per Ariel intelligit Glossa leones. Ideo non videtur posse salvari, quod I Par. xi, 22.
B aliqui dicunt in Paralipomenon dici, Arietes. *Et ipse descendit in lacum, et percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.* Nam tempore nivis lapsus fuit leo ille in foveam, quæ nive fuerat cooperta : a qua quum egredi non valeret, irrugiit. Cujus rugitu pertransiens ibi Banaias audito, intravit et interfecit leonem illum, qui vere et proprie dicitur leo : sicque cisterna illa aut parvam aut nullam habuit aquam. Porro, ut refert Hieronymus, Hebræi per leonem istum intelligunt ipsum Joab, quem
C post mortem David Banaias occidit in tabernaculo Domini juxta altare : quod vocatur cisterna, quoniam sicut cisterna purgat immunda, sic altare per sacrificia sua expiat hominum vitia. Sed hanc expositionem doctores communiter non sequuntur. III Reg. ii, 34.

Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, id est similem quasi giganti : quia statura ejus erat quinque cubitorum, sicut in Paralipomenon continetur; *habentem in manu hastam. Itaque quum descendisset ad eum in virga,* id I Par. xi, 23.
D est cum baculo : et bene ait, Descendisset, quia Judæa situ altior est Ægypto ; *vi extorsit hastam de manu Ægyptii, et interfecit eum hasta sua :* quemadmodum David Goliath proprio ense. Glossa Hieronymi per istum Ægyptium intelligit ipsum Semei, qui idcirco vocatur Ægyptius, quoniam sicut Ægyptius quem in Levitico legitur Moyses propter suam blasphemiam lapidasse, Deum Israel blasphemavit, sic Semei David regem, ut patuit supra. Qui fuit dignus spectaculo, quoniam spectaba- I Reg. xvii, 51. Lev. xxiv, 10, 11, 23. II Reg. xvi, 5-8.

Digitized by Google

III Reg. II, 36 et seq. tur an egrederetur Jerusalem; habuitque hastam in manu, id est legem, quam si bene meditatus fuisset, permanendo in Jerusalem, non perisset. Ad quem descendit Banaias cum virga, id est in rectitudine justitiæ. Verum hæc expositio videtur nimium spiritualis : nec enim Semei habuit quinque cubitos in statura. Ideo scribit hic Lyra : In libro de Hebraicis quæstionibus exponitur istud de Semei; sed expositio illa in nullo concordat textui. Propter quod et consimilia, liber Hebraicarum quæstionum super Regum, a multis peritis dicitur non esse Hieronymi, sed cujusdam Judæi, quia et Hieronymus in libro suo de Viris illustribus, inter libros suos nominat tantum super Genesim librum suum Hebraicarum quæstionum. Hæc Lyra. Verumtamen si bene pensemus ista et consimilia verba Hieronymi, ipse potius scribit hæc recitative quam assertive. Porro Magister in historiis istud exponit de duobus Ægyptiis, per quorum unum intelligit Semei. Attamen textus Regum ac Paralipomenon non loquitur hic nisi de uno Ægyptio : ideo sic tenendum est, quod scilicet fuit unus dumtaxat natione Ægyptius.

Hæc fecit Banaias filius Joiadæ. Et ipse nominatus inter tres robustos, id est unus trium fortiorum : ut Petrus Comestor et alii multi exponunt, dicentes, quod Banaias fuit secundus inter tres fortes secundi ordinis. Quod videtur repugnare præhabitis, quum dictum sit, quod tres illi fuerunt qui supra leguntur occidisse tres gigantes ibi notatos, videlicet Abisai, Sobochai et Jonathan. Et respondendum, quod tres fortiores a diversis diversimode assignantur: omnes tamen dicunt ipsum Abisai atque Sobochai fuisse de tribus illis; sed pro Jonatha quidam ipsum Banaiam assignant. Quidam vero hic scribit, quod Banaias nominatur inter tres robustos, non quia esset de numero eorum, sed quoniam propter probitates suas poterat quasi æquipararari uni eorum, propter quod numeratur ante triginta sequentes. Dicit quoque, quod alii duo fortiores, videlicet Sobochai et Jonathan, hic taceantur, quoniam supra satis expressi sunt. Attamen si juxta expositionem istius, Jonathan ille ideo dicitur unus trium fortiorum, quia occidit gigantem, videtur et Banaias posse dici unus illorum, quum et ipse (sicut jam patuit) Ægyptium giganteum occiderit virum. Plura quoque magnifica de ipso leguntur, quam de Jonatha illo. Itaque, Ipse nominatus inter tres robustos secundi gradus seu ordinis, *qui erant inter triginta meliores**, id est fortiores et eminentiores triginta fortibus tertii gradus. *Verumtamen usque ad tres non pervenerat,* id est, nulli trium fortium primi ordinis fuit æqualis. Tamen primo Paralipomenon fertur de eo, quod erat inter tres robustos nominatissimus, id est valde famosus, non tamen nominatior ipso Abisai; et additur ibi, Et inter triginta primus, non quod erat de numero triginta fortium, sed quia prior et elegantior fuit illis. *Fecitque eum sibi David auricularium a secreto,* id est, consiliarium suum constituit Banaiam et socium secretorum suorum, quoniam vidit eum esse virum integrum ac prudentem, et bene celare scientem.

* nobiliores

I Par. XI, 24.

Ibid. 25.

Præterea advertendum, quod etiam in assignatione trium fortissimorum aliqui diversificantur. Unde in Scholastica narratur historia : Ab enumeratione fortium prædicta Hebræus dissentit, numerans tantum triginta sex fortes; et in tribus primis numerat ipsum David, quem dicit multos occidisse impetu uno, quoniam pro peccato quod impetuose fecit cum Bethsabee, multi occisi sunt.

Deinde numerantur et exprimuntur in textu triginta fortes. *Asael frater Joab inter triginta* fortes, *Elehanan filius patrui ejus de Bethlehem, Semma de Harodi, Elica de Harodi, Heles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua, Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Husati, Selmon Ahohites, Maharai Netophathites, Heled filius Baana, et ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, Banaia Pharathonites, Heddai de torrente*

Digitized by Google

Gaas, Abialbon Arbathites, Azmaveth de Beromi, Eliaba de Salaboni. Filii Jassen, Jonathan et Semma de Orori, Aiam filius Sarar Arorites, Elipheleth filius Aasbai filii Machati, Eliam filius Achitophel Gelonites, Hesrai de Carmelo, Pharai de Arbi, Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi, Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Joab filii Sarviæ, Ira Jethrites, Gareb et ipse Jethrites, Urias Hethæus. Plana est littera. Et constat ex verbo hoc, quod David habuit fortes istos antequam cœpit regnare super totum Israeliticum populum : nam Asael fuit occisus, quando ipse David super solam tribum Juda regnavit, vel non habuit omnes simul, sed successive.

Concluditur autem in fine hujus capituli : *Omnes triginta septem.* Si enim istis triginta fortibus addantur tres robustissimi et tres robustiores, fiunt triginta sex. Quibus si addatur vel Jonathan, ab his qui dicunt eum non esse de numero trium fortiorum, vel Banaias ab his qui dicunt ipsum de numero illorum trium non esse, habentur triginta septem. Quibus si ad-

A dantur David et Joab, inveniuntur triginta novem fortes, et triginta octo fortes ipsius David. Porro Joab non exprimitur hic inter fortes, vel quia ejus fortitudo satis insinuatur per hoc, quod scribitur fuisse princeps militiæ, vel quia præfuit omnibus fortibus regis, vel quia inter fortes demeruit nominari propter turpia facta sua, quibus proditorie et inique occidit strenuissimos viros ipsoque meliores, Abner et Amasam. Quocirca mirum apparet, quod strenuissimus ille Amasa inter fortes non B ponitur : quod forsitan contigit, quia adhæsit Absaloni adversus regem David ; vel quoniam ejus fortitudo sufficienter expressa est supra, per hoc quod Absalon fecit eum principem militiæ Israel, et quoniam David rex principatum militiæ ei promisit, aut etiam dedit, secundum quosdam. Postremo, præter præfatos habuit David et alios plures fortes, qui primo Paralipomenon exprimuntur ; sed prænominati erant insigniores. Itaque in Paralipomenon habetur : Porro viri fortissimi, id est valde for- C tes, in exercitu regis seu principis militiæ, erant Asael frater Joab et Elehanan, etc.

II *Reg.* III, 27; XX, 10 et III *Reg.* II, 32.

II *Reg.* XVII, 25.

Ibid. XIX, 13.

I *Par.* XI, 26 *et seq.*

ARTICULUS XXXIV

DE SPIRITUALI HUJUS VICESIMI TERTII CAPITULI INTELLECTU.

DAVID regem et prophetam, esse Christi summi regis, altissimique prophetæ figuram, constat. Porro Jesu Nazareno *constitutum est de Christo Domini,* id est, in ipso vere impletum est*, quæ de Christo fuerunt prænuntiata, ita quod ipse est verus Christus, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent : qui est *egregius psaltes Israel,* quia in Evangelio præclarissime cecinit carmina laudis Patri, quæ docuit Israelem, id est populum christianum divinorum contemplatorem. Per hunc Jesum Christum locutus est Spiritus Sanctus, quia nunquam protulit verbum, nisi ex instiga- D tione et motione divina. Per hoc autem quod David præ ceteris tam puras, mentales et anagogicas habuit illuminationes ac motiones, præfiguratum videtur, quod Christus Filius Dei quantum ad naturam assumptam, clarissime atque purissime cognovit et vidit universa in lumine gloriæ, et in divina essentia, æternitatisque speculo : quoniam a primo incarnationis instante fuit comprehensor, quoad superiores animæ suæ vires; qui etiam aliquo modo fuit viator, et per species rerum in-

* impleta sunt

Act. X, 43.

Digitized by Google

natas, inditas seu acceptas vel acquisitas, A cognovit abdita et futura, sicque propheta fuisse asseritur.

Hæc nomina fortium David. Sicut per David Christus, ita per fortes ipsius David, intelliguntur discipuli Christi, præsertim gloriosi Apostoli, qui vere erant fortissimi : inter quos, tres robustissimi uno modo poterunt dici Petrus, Joannes et Jacobus, qui teste Apostolo Paulo, videbantur (*Galat.* II, 9.) columnæ esse. Et sicut fortissimi illi occiderunt gigantes Philistinorum ; ita non solum hi tres benedicti Apostoli, sed ceteri B quoque Apostoli prælecti, spiritualiter devicerunt invisibiles hostes, et reges ac principes paganorum, atque pontifices Judæorum, qui omnes præ cordis superbia, excreverunt in giganteæ magnitudinis enormitatem, reputantes se ceteris vehementer majores ac meliores, quum malignissimi essent. Tropologice demum, sicut rex David sibi adjunxit illos fortes, fortiores, et fortissimos, ad resistendum visibilibus inimicis ; sic prælatus debet sibi adjungere viros litteratos ac virtuosos, quorum con- C silio et auxilio valeat suum digne officium exsequi, atque invisibilibus æmulis prævalere. Et utinam reges ac principes sæculares ad exstirpandos adversarios fidei christianæ, associarent sibi strenuissimos viros Deum timentes.

Sedens in cathedra sapientissimus inter tres. Sapientissimus iste est Christus, virtus et sapientia Dei Patris, (*I Cor.* I, 24.) cui Pater dedit omne judicium, (*Joann.* V, 22.) seditque in cathedra judiciali, regali, pontificali et doctorali, quum ipse sit judex, rex, pontifex et doctor uni- D versorum clarissimus. De quo per Malachiam est prædictum : (*Malach.* III, 3.) Sedebit conflans et emundans, et purgabit filios Levi. Et Zacharias ait : (*Zach.* VI, 13.) Ipse portabit gloriam, et sedebit et dominabitur in solio suo, et erit sacerdos super solio suo. In Isaia quoque dicitur : (*Is.* IX, 7.) Super solium David et super regnum ejus sedebit. Hic est sapientissimus inter tres divinas et increatas æternas Personas, id est unus eorum qui sunt tres sapientissimi, adjective sumendo nomen hoc, sapientissimi ; quod si substantive sumatur, sunt unus sapientissimus, sicut et unus æternus, unus increatus, et unus immensus. Iste sapientissimus *octingentos interfecit impetu uno,* quoniam sua saluberrima passione dejecit adversarias potestates, et pro crucifixoribus deprecando, plurimorum salutem obtinuit, prout per Isaiam Pater prædixit : (*Is.* LIII, 12.) Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium divident spolia.

Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. Christus corporaliter tenerrimæ, æqualissimæ ac nobilissimæ fuit complexionis, utpote ex purissimis sacratissimæ Virginis sanguinibus habens corpus supernaturali virtute Spiritus Sancti formatum : qui etiam per mansuetudinem summam et compassionem maximam, fuit quasi tenerrimus ligni vermiculus, prorsus mollissimus, dulcis, placabilis ; qui nihilo minus per rigorem justitiæ et districtionem vindictæ, rodit, pungit et penetrat vitiosos, quemadmodum per Osee testatur : (*Osee* XIII, 8.) Occurram eis quasi ursa raptis catulis ; dirumpam interiora eorum, et consumam eos ut leo. Et rursus : (*Ibid.* V, 12.) Ego quasi tinea Ephraim. Iterum Christus vocatur vermis sive vermiculus, vel propter aspernationem qua ab impiis est contemptus, juxta illud Psalmi, (*Ps.* XXI, 7.) Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et despectio plebis : vel quoniam sicut quidam vermes nascuntur de terra absque semine, sic Christus de Virgine. Insuper juxta tropologiam, unusquisque qui præest, debet per caritatis sinceritatem, per sui ipsius humiliationem, per mititatem et pietatem esse quasi tenerrimus ligni vermiculus ; per zelum quoque justitiæ, justamque correptionem et correctionem reorum, pungere et punire, cordaque dura penetrare ac vincere.

Denique, sicut tres robustissimi fortissime pugnaverunt pro filiis Israel, in tantum, quod adversariorum prostraverunt exercitus magnos ; sic debent prælati se murum opponere pro credito sibi grege, et invisibilibus hostibus orando ac aliis modis infatigabiliter reluctari.

Digitized by Google

Desideravit ergo David aquam. David præscius futurorum, aquam Baptismi, et eam quæ de Christi perforato latere fluxit, optavit fidelibus. Aquam autem sapientiæ salutaris, lacrimas pœnitentiæ, rorem gratiæ, lavacrum internæ purgationis omnes debemus appetere : quam qui per se ipsum obtinere non valet, aliorum subsidio studeat procurare ; eamque acquisitam non sibi adscribat, sed offerat Deo, a quo omne bonum originaliter derivatur, præsertim dona supernaturalia gratiæ, ac munera gloriæ. Desideravit autem et Christus aquam, id est hominum conversionem, quam ardentissime concupivit, et ejus procuratione flammam desiderii sui refrigeravit. Quam et prælati virtuosi ac fervidi sibi adducunt non sine periculo : quia per viam laqueis hostium plenam tendunt, et per campum sæculi hujus, invisibilium hostium cuneis circumvallatum ; qui tamen si plene confidant in Domino, cito evadunt. Quam aquam Christus Patri sacrificat, quia et ipse secundum naturam assumptam omne bonum attribuit Deo, quemadmodum in Evangelio protestatur : A me ipso facio nihil. Tali siti debet omnis prælatus ardere, et per se ipsum ac suos suæ sitis refrigerationem, id est subditorum conversionem ac salutem, pro viribus adipisci.

Joann. XIX, 34. *Eccli.* XV, 3. *Joann.* VIII, 28.

Amplius, Christus non solum per David, sed et per fortissimos ejus milites designatur, quoniam leoninam animositatem superborum ac paganorum prostravit. Per hoc autem, quod nullus fortiorum aut fortium ipsius David, ad tres primos fortissimos pervenit, est præfiguratum, quod ad superbeatissimæ Trinitatis æqualitatem nullus Sanctorum pertingere valet.

Quæstio circa prædicta. Postremo quæritur circa prædicta, quo tempore acciderit allatio illa aquæ. Et videtur, quod circa finem vitæ David regis, quum dicat Gregorius, et habetur in Glossa : Lex vetus adulterium vetuit, non autem prohibuit aquam optari, vel militibus fortia a rege juberi. Et scimus, quod David concupiscentia victus, uxorem tulit Uriæ, qui quum longe post contra hostium cuneos sederet, aquam ex eorum cisterna desideravit. Sed hujus oppositum videtur ex textu, videlicet quod allatio aquæ illius contigerit antequam David pervenit ad regnum, quum dicatur in isto capitulo : Descenderant tres ad David in speluncam Odollam. Castra autem Philistinorum erant in valle Gigantum, et David erat in præsidio. Porro statio Philistinorum tunc erat in Bethlehem. Desideravit ergo David et ait : Si quis daret mihi potum aquæ, etc. Quod autem descensus illorum trium ad David in speluncam Odollam, et positio castrorum Philistinorum in valle Raphaim, ad idem referenda sint tempus, constat ex eo, quod primo Paralipomenon scriptum est : Descenderunt autem tres ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philistæi fuerant castrametati in valle Raphaim. Itaque ob hanc causam videtur allatio illius aquæ contigisse, quando David adhuc erat in persecutione Saulis, quamvis hic describatur post recitationem adulterii David. Verumtamen in Scholastica historia aliter dicitur. Nam legitur ibi : Philistæi quondam castra posuerunt in valle Raphaim, usque ad civitatem Bethlehem, et erat penuria aquæ in Jerusalem. David autem ascenderat in arcem ad consulendum Dominum, et commendavit coram adstantibus aquam de Bethlehem, et præcipue eam quæ erat in puteo juxta portam. Tunc tres isti per medium hostium iter facientes, hauserunt aquam, etc. Hæc ibi. Sed non videtur istud textui consonare, nec apparet quod David in potestate sui regni constitutus, permisisset Philistæos terram regni sui sic occupare, quin statim cum exercitu processisset adversus eos : imo si tres illi ausi fuerunt per castra Philistinorum procedere, multo plus David cum eis ac reliquo toto exercitu, in quo erant tam validi pugnatores, ausus fuisset invadere hostes illos, nec distulisset tam diu.

Exod. XX, 17. *II Reg.* XI, 4. *I Par.* XI, 15.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : ET ADDIDIT FUROR DOMINI IRASCI CONTRA ISRAEL.

RECITATUR hic factum David, in quo A mirabilia Dei judicia declarantur, rigor justitiæ, dulcor clementiæ, immensitas divinæ sapientiæ ostenduntur. *Et addidit furor Domini,* id est justitia Dei, quæ ob vehementiam suæ districtionis in ulciscendo, furori similis sæpe esse videtur, *irasci contra Israel,* id est Israeliticum populum, infligendo eis malum pœnæ, quod infra in isto narratur capitulo, et permittendo eorum regem incidere culpam, ob quam ipsi quoque puniti sunt, quia et culpam illam rex permittebatur incidere, propter suo- B rum demerita subditorum. Quamvis enim non subtrahat Deus gratiam uni propter alterius iniquitatem, nisi et ipse cui subtrahitur gratia, aliquo modo illam gratiæ subtractionem promereatur; potest tamen contingere, quod is qui gratiam habet, eam amittat : quam non amitteret, si alii pro ipsius conservatione debito aut decenti modo orarent, aut bene agendo mererentur gratiam conservari vel augeri in illo. Sicque a virtute et gratia humilitatis permissus est David cadere ad vitium elatio- C nis : ad quod non corruisset, si populus ejus orando ac bene conversando meruisset gratiam illam in suo conservari rectore. *Commovitque* furor Domini *David in eis,* id est ad malum populi, *dicentem ad Joab,* hoc est ad hoc, ut diceret principi suæ militiæ : *Vade, numera Israel,* id est undecim tribus, *et Judam,* id est tribum Juda, quæ specialiter nominatur, quia regalis, populosior, audacior, bellicosior fuit tribubus ceteris. Jussit autem numerari viros, videlicet a viginti annis et supra, eos D qui secundum legem poterant ad bella procedere.

Num. i, passim.

Circa hæc duplex oritur quæstio : Prima est, quid David peccavit in hac jussione, si furor Dei, seu divina justitia commovit eum ad hoc. Secunda, qualiter Deus dicatur eum commovisse ad istud, quum primo Paralipomenon scribatur : Consurrexit autem Satan contra Israel, et incitavit David, ut numeraret Israel. Respondetur ad primum, quod Deus non movit ipsum David ad malum culpæ directe et effective, sed occasionaliter et permissive. Diabolus vero concitavit eum ad hoc suggerendo, non compellendo : ideo ipse peccavit libere consentiendo, non implens quod ait apostolus Jacobus : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Et Paulus : Nolite (inquit) locum dare diabolo. Ex hac autem solutione, patet ad secundam quæstionem responsio. Denique, in tantum dependet omne bonum, omne meritum, et omnis culpæ devitatio a pietate et gratia Dei, ut juxta modum jam tactum, etiam mala culpæ Deo in Scripturis videantur adscribi. Sic etenim dicitur indurasse cor Pharaonis, et obfirmasse cor regis Basan. Unde et Isaias loquitur Deo : Quare nos errare fecisti de viis tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Atque Psalmista : Declinasti semitas nostras a via tua.

I Par. xxi. 1. *Jacob.* iv. 7. *Ephes.* iv. 27. *Exod.* iv. 21, etc. *Deut.* ii. 30. *Is.* lxiii. 17. *Ps.* xliii. 19.

Dixitque rex ad Joab principem exercitus sui : Perambula omnes tribus Israel, a Dan usque Bersabee, et numera populum, ut sciam numerum ejus. Dixitque Joab regi : Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis. Sed quid sibi dominus meus rex vult in hujuscemodi re? quasi dicat : Non est bona jussio ista, sed ex elatione videtur

Digitized by Google

procedere. Unde in Paralipomenon legitur
I Par. xxi, 3. Joab dixisse : Quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli? hoc est : Cur jubet istud, pro quo non solum rex, sed et populus ejus est puniendus? Consideravit equidem Joab, regem ex superbia esse motum, timuitque pro peccato ejus, populum quoque castigandum, sicut in talibus casibus solet accidere, quoniam bona et mala superiorum, frequenter redundant in subditos, et econtra, quum sint quodammodo unum. Itaque Joab dixit, Quod in peccatum, hoc est in pœnam peccati, reputetur Israeli; vel, In peccatum reputetur Israeli, quoniam exigentibus demeritis populi, judicabitur rex ad istam corruisse elationem : quod et Joab forsitan intellexit.

Obtinuit autem sermo regis verba Joab et principum exercitus, hoc est principum ipsarum tribuum, qui sub Joab præerant singuli in tribubus suis, seu principes militum. Unde elicitur, quod et principes dissuaserunt regi numerationem hanc populi. Itaque rex in hac re pertinax et indirigibilis fuit : sicque præceptum suum dicitur obtinuisse verba Joab ac principum, id est prævaluisse. *Egressusque est Joab et principes militum a facie regis, ut numerarent populum Israel. Quumque pertransissent Jordanem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis quæ est in valle Gad; et per Jazer transierunt in Galaad, et in terram inferiorem Hodsi, et venerunt in Dan silvestria. Circumeuntesque juxta Sidonem, transierunt prope mœnia Tyri, et omnem terram Hevæi et Chananæi, veneruntque ad meridiem Juda in Bersabee. Et lustrata,* id est circumita, *universa terra* promissionis, *adfuerunt,* hoc est, ad regem reversi sunt Joab et principes, *post novem menses et viginti dies, in Jerusalem. Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi regi. Et inventa sunt de Israel,* id est de novem tribubus : nam sicut in
Ibid. 6. Paralipomenon dicitur, tribum Benjamin, tribumque Levi Joab non numeravit, eo quod invitus exsequeretur imperium re-

A gis; *octingenta millia fortium virorum, qui educerent gladium; et de Juda quinquaginta millia pugnatorum.*

Mirum videtur, quod tam pauci erant in tribu Juda, in qua etiam in egressu de Ægypto, erant septuaginta quatuor millia, ut in Numerorum libro habetur. Ad hoc Num. i, 27.
Rabanus et alii quidam dicunt, hic tantum exprimi numerum principum et majorum. Alii dicunt, in Hebræo et in libris correctis haberi, Quingenta millia. Quocirca rursus objectio oritur, quia secun-
B dum hoc, sola tribus Juda habuisset pro media parte, quasi tot viros, quot reliquæ tribus simul sumptæ, imo plus quam tantos pro media parte, secundum quod iste textus videtur prætendere, qui octingenta millia refert de Israel esse inventa; deinde quia istud discordare videtur ab eo quod scriptum est primo Paralipomenon, De Ju- I Par. xxi, 5.
da inventa sunt quadringenta septuaginta millia. Ad primum horum multi respondent, quod in Juda tribu tanquam in bellicosiori erant plures bellatores, quam in
C aliqua alia tribu; quod item eis annumerati sunt bellatores ad Judaismum conversi, qui ex aliis nationibus erant cum David, ut Ethai Gethæus et sui; et rursus, quod Joab multos aliarum tribuum pertransivit, nec numeravit, et de tribubus Levi ac Benjamin neminem voluit numerare. Ad aliud respondetur, quod Joab ex proposito multos de numeratis ex Juda subticuit regi, ne amplius superbiret : ideo in Paralipomenon poni numerum quem ipse regi expressit, in Regum autem poni catalogum
D Juda verum. Iterum dicunt, triginta millia quæ de tribu Juda in Paralipomenon omittuntur, fuisse capita populi Juda, idcirco ibi non numerari cum reliquis, sed in Regum. Eodem modo solvunt, quod in Paralipomenon leguntur fuisse de Israel mille Ibidem.
millia, et centum millia virorum : videlicet quod Joab subticuit multos regi, et in Regum poni quos ei expressit; vel in Paralipomenon etiam illos poni qui de tribu Levi ac Benjamin poterant æstimari; sive ut alii dicunt, in Paralipomenon numerati

Digitized by Google

sunt et illi qui interfecti erant ante cum Absalon.

Percussit ergo cor David eum, postquam numeratus est populus : id est, remorsum habuit conscientiæ de hoc, quod, clementer a Deo tactus, jam consideravit ex superbia provenisse. *Et dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto :* non solum ex superbia numerando, ut scirem quantis præsiderem hominibus, sicque in potentia et excellentia mea inaniter gloriarer; sed etiam quia transgressus sum legis præceptum in Exodo scriptum, quo dicitur : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Quando tuleris summam filiorum Israel, juxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis quum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad numerum, dimidium sicli. *Sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.*

Exod. xxx, 11-13.

Surrexit itaque David mane, ut orationibus et sacrificiis Deum sibi ac populo reconciliaret, *et sermo Domini factus est ad Gad prophetam, et,* pro id est, *videntem* ipsius *David :* quia per Gad Deus frequenter aliqua regi David annuntiavit, ideo dicitur ejus propheta; *dicens : Vade et loquere ad David.* Non ait, Ad servum meum David, vel, Ad ducem populi mei : quamvis enim jam pœniteret, nondum tamen sustinuit debitam pœnam, nec per satisfactionem fuit Deo reconciliatus. *Hæc dicit Dominus : Trium* plagarum *tibi datur optio. Elige unum quod volueris. Quumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens : Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua,* id est caristia ad tuam afflictionem, qui de populi tui inopia affligeris; *aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et isti persequentur te; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera et vide, quem respondeam ei qui misit me, sermonem.*

Dixit autem David ad Gad : Coarctor nimis, id est, angustiis premor valde, quoniam quidquid horum elegero, grave est vehementer; *sed melius est mihi,* id est salubrius animæ meæ, *ut incidam in manus Domini,* id est, ut pestilentiam eligam quæ a Deo infligitur (*multæ enim misericordiæ ejus sunt :* ideo pœnam hanc forsitan relaxabit, et quod comminatus est, pœnitentibus nobis, forsan non adimplebit), *quam in manus hominum* impugnantium regnum meum, et spoliantium illud bladis, ita ut fames sequatur in populo meo. Istud dixit et petivit ex caritate plebis ac zelo justitiæ, tanquam diceret : Si famem petiero, ego et divites satis habebimus, sed pauperes affligentur; similiter si fugam elegero, communis plebs erit vastanda et occidenda, sed ego et potentiores effugiemus, qui castris et fortalitiis abundamus. Ideo pestem cunctis communem volo eligere. Verum his verbis David objici potest, quod in Daniele ait Susanna : Melius est mihi incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini. Et quod ait Apostolus : Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Et respondendum est, quod melius est quæcumque mala pœnalia ab hominibus sustinere, quam coram Deo malum culpæ committere sive admittere. David vero facit comparationem inter mala pœnalia vitæ præsentis : sicque tolerabilius est a Deo in hac vita pie et paternaliter corrigi, quam ab inimicis hominibus devastari. Hinc secundo libro Machabæorum leguntur Judæi Deum orasse, ut si quando peccarent, ipse eos corrigeret, nec barbaris nationibus eos traderet puniendos. Similiter in Judicum libro scriptum est : Dixerunt filii Israel ad Dominum : Peccavimus; redde tu nobis quidquid tibi placet; tantum nunc libera nos.

Dan. xiii, 23. *Hebr.* x, 31. II *Mach.* i, 4. *Judic.* x, 15.

Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane, in quo Gad dixit ista ad David, qui mane surrexerat, *usque ad tempus constitutum,* id est præfixum. Ex quo videtur, et multi dixerunt, quod per duos integros dies, et per tertiæ diei partem duraverit pestis illa. Sed quoniam paulo post subditur, Venit Gad in die illa ad David, etc., quod videtur dici de die, in cujus ma-

Digitized by Google

ne venit ad David; ideo per tempus constitutum Josephus intellexit prandii tempus, ita quod pestis non duravit nisi usque horam prandii primæ diei : sed quoniam tempus prandii non vocatur in lege tempus constitutum, seu sacrificiis et holocaustis præfixum, sed potius tempus vespertinum, in quo et agnus paschalis, et juge sacrificium offerebantur, ut patet in Exodo; ideo per tempus constitutum, alii dicunt tempus sacrificii vespertini intelligendum. Attamen exponi potest de tertio die, prout littera sonare videtur, ut sit sensus : Misit Dominus pestilentiam usque ad tempus constitutum, id est, ut duraret usque ad tertium diem prædeterminatum, nisi David et seniores sua humiliatione, oratione et pœnitentia obtinuissent plagæ abbreviationem. Sed si constitutum fuit ut duraret per triduum, quomodo poterat aliter fieri? Respondetur, quod determinatio illa tridui fuit comminatorie prænuntiata, et cum omni conditione implicita intelligenda, videlicet nisi pœnitendo aliquid remissionis ac veniæ mererentur, juxta quem modum dictum est Ezechiæ : Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives. *Et mortui sunt de populo a Dan usque Bersabee septuaginta millia virorum.* Magister in historiis circa hoc scribit : In Paralipomenon legitur, Fere trecenta millia; et aiunt Hebræi, ibi positum numerum plebis defunctæ, hic autem numerum nobilium peste hac mortuorum. Verumtamen in libris quos vidi, etiam textus Paralipomenon in primo libro habet septuaginta millia.

Exod. XII, 6; XXIX, 41.

Is. XXXVIII, 1.

I Par. XXI, 14.

Quumque extendisset manum suam angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, id est, aliquos de habitatoribus ejus peste occideret : unde elicitur, quod ministerio angeli boni facta sit illa percussio; *misertus est Dominus super afflictionem, et ait angelo percutienti populum : Sufficit nunc, contine manum tuam. Erat autem angelus Domini juxta aream Areunæ Jebusæi.*

Dixitque David ad Dominum, quum vidisset angelum cædentem populum : Ego sum qui peccavi, et ego inique egi. Isti qui oves sunt, hoc est subditi mihi pastori et regi, ut grex, *quid fecerunt?* Ex hoc videtur David insinuasse, quod populus suus, etiam ille qui fuit percussus, non fuit in populi numeratione culpabilis. Cujus oppositum apparet ex dictis, et ex verbis Gregorii aliorumque dicentium, quod Dominus permisit ipsum David ad peccatum illud corruere, propter demerita plebis suæ. Ad quod dici potest, quod David hoc tunc forsitan ignoravit. Vel ideo populum excusavit, quia ipse immediate fuit culpabilis in elatione, et populi numeratione, et transgressione præcepti de dando dimidio siclo pro quolibet numerato. *Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei,* id est in domesticos atque cognatos meos mecum culpabiles. Ecce verba fidelissimi regis, se ipsum pro suo populo eruendo exponentis discrimini mortis : in quo declarantur caritas ejus ad subditos suos, et zelus justitiæ contra se ipsum ac suos, humillima quoque recognitio suæ culpæ, et præcordialis contritio sua. Siquidem in libro Paralipomenon additur, quod quum David vidisset angelum stantem inter cœlum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Jerusalem, ceciderunt tam ipse quam majores natu, vestiti ciliciis proni in terram, et tunc angelus jussit Gad prophetæ, ut diceret David regi, quatenus ascenderet, et exstrueret altare Domino in area Ornan Jebusæi; tuncque ut legitur hic in textu.

I Par. XXI, 16.

Ibid. 18.

Venit autem Gad propheta ad David in die illa, et dixit ei : Ascende, et construe,* per manum servorum tuorum, *altare Domino in area Areunæ Jebusæi.* Qui, ut jam patuit, in Paralipomenon dicitur Ornan, et vidit cum quatuor filiis suis angelum Dei; atque ex timore tam ipse quam filii sui se absconderunt. Fuit autem natione Gentilis ac Jebusæus, sed cum sobole sua erat ad Judaismum conversus. *Et ascendit David juxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. Conspiciensque Areuna,*

* constitue

I Par. XXI, 20.

Digitized by Google

animadvertit regem et servos ejus transire ad se. Et egressus, adoravit regem prono vultu in terram, et ait : Quid causæ est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum? Cui David ait : Ut emam a te aream, et ædificem altare Domino, et cesset interfectio, quæ grassatur in populo. Et ait Areuna ad David : Accipiat et offerat dominus meus rex, sicut placet ei. Habes boves in holocaustum, et plaustrum et juga boum in usum lignorum. Omnia dedit Areuna regi. Dixitque Areuna ad regem : Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum. Cui respondens rex, ait : Nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita.

Emit ergo David aream, quam Areuna præbuit gratis dare; *et boves* qui immolarentur in holocaustum, *argenti siclis quinquaginta.* In Paralipomenon scriptum est, quod David dedit ipsi Ornan pro loco I *Par.* XXI, 25. areæ siclos auri justissimi ponderis sexcentos : idcirco quod dicitur hic, Argenti siclis quinquaginta, referendum est ad id quod immediate prædictum est, Et boves, ita quod pretium areæ non ponitur in hoc loco, et faciendum est punctum post verba hæc, Emit ergo David aream. *Et ædificavit ibi David altare Domino, et obtulit holocausta,* quæ ad divinæ majestatis honorem totaliter comburebantur, *et pacifica,* hoc est hostias pro pace et venia obtinenda, quæ partim cesserunt in offerentium usum et esum. Denique area illa et locus, in quo David construxit altare, erant in *Gen.* XXII, 9; XXVIII, 11 *et seq.* monte Moria, in quo Abraham voluit ipsum Isaac immolare; ubi et Jacob vidit in somnis scalam : in quo monte (ut infra III *Reg.* V, VI, VII. habetur) Salomon templum ædificavit. *Et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel.*

Circa præhabita quæritur, pro quo peccato populi fuit David relictus sic cadere, et pro quo percussus est populus. Ad quod aliqui dicunt, quod sicut in libro de Hebraicis quæstionibus fertur, peccatum illud fuit, quod populus communicavit ipsi David in flagitiis contra Uriam, non satis II *Reg.* XI. dissentiendo, aut consentiendo, quando innotuerunt. Alii dicunt, quod fuit rebellio populi contra David, quando secuti sunt *Ibid.* XX, 2, 22. Sebam filium Bochri : pro qua rebellione solus Seba fuit punitus. Unde et populus fuit puniendus. Sed contra hoc objici potest, quia in illa rebellione tribus Juda et habitatores Jerusalem adhæserunt fideliter regi David, et ideo non meruissent peste hac percuti : cujus contrarium patet ex textu. Ideo verius reor, quod populus ex multis prosperitatibus, opulentiis, victoriis, et consimilibus donis sibi desuper præstitis, in superbiam et vanam gloriam se erexit. Postremo, circa hæc ait Gregorius : Pro qualitatibus subditorum, disponuntur corda et facta regentium, ut sæpe pro culpa gregis, etiam boni delinquat vita pastoris. David a Deo laudatus, elatione repente inflatus, populum numerando peccavit, et populus pœnam suscepit : quia secundum merita plebium, disponuntur corda rectorum. Justus vero Deus, regis iniquitatem ex illorum animadversione corripuit, quorum causa peccavit. Sed quia propria voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam etiam ipse suscepit. Ita quippe sunt juncta merita rectorum ac plebium, ut sæpe ex culpa rectorum, deterior fiat vita plebium; atque ex merito plebium, mutetur vita pastorum. Sed quia rectores habent judicem suum, non temere judicent subditi vitam regentium : imo magis eam committant infallibili Judici universorum, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI REGUM SECUNDI

Digitized by Google

ENARRATIO

IN TERTIUM LIBRUM REGUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

IN duobus libris præhabitis, de duobus regibus Israel actum est, quorum unus regnavit post alium; jam de tertio rege, qui super totum Israeliticum populum regnavit, tractatur per mediam circiter partem hujus tertii libri. Deinde per aliam ejus partem, atque per totum quartum volumen, fit mentio de regibus Israelitici regni in duo regna divisi, et regibus eorumdem qui vel simul, vel successive regnaverunt. Hinc quidam expositores testantur, quod in præhabitis libris duobus tractatum est de unico filiorum Israel regno; hic tractatur de regno illo diviso, quod juxta prætactum accipiendum est sensum : ideo apud Hebræos duo præcedentes libri sunt unus liber, qui apud eos Samuel appellatur; similiter duo sequentia volumina sunt apud eos unum volumen, quod MALACHIM dicitur in plurali. Hinc Magister in historiis ait : Incipit hic Malachim secundum Hebræos, quod sonat, Regum. Nam quamvis in duobus præcedentibus libris actum sit de duobus regibus Hebræorum non simul regnantibus, tamen quia in opere isto agitur de regibus qui simul regnaverunt in Juda et Israel, merito Regum dicitur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN PRIMUM LIBRUM MALACHIM

ID EST

TERTIUM REGUM

IN HOC AGITUR DE MORTE REGIS DAVID, DE SUCCESSIONE, REGIMINE ET GESTIS SALOMONIS AC QUORUMDAM ALIORUM REGUM JUDA ET ISRAEL.

ARTICULUS PRIMUS

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : ET REX DAVID SENUERAT.

IN primis duobus hujus tertii libri capitulis adhuc de David tractatur, qualiter scilicet successorem regni sui instituit. Unde sequitur : *Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies.* Erat quippe II *Reg.* v, 4. circiter septuagenarius, quia triginta erat annorum dum cœpit regnare, et quadraginta annis regnavit, prout in secundo libro habetur. Tanta autem duratio temporis, reputatur senectus in homine, cujus vitæ periodus usque ad septuaginta annos secundum naturalem cursum communiter *Ps.* LXXXIX, 10. se extendere potest, juxta id Psalmi, Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Verumtamen unus alio celerius senex efficitur : quod ex diversitate complexionum, infirmitatum, læsionum, fatigationum et sollicitudinum potest accidere. *Quumque operiretur vestibus, non calefiebat.* Cujus rei variæ causæ traduntur. Una, quia de parentibus senibus natus est, quum et A Joab filius suæ materteræ, etiam jam fuerit canus et grandævæ ætatis, ut sequenti patet capitulo. III *Reg.* II, 6. Alia, quia ex visione angeli, præcedenti libro recitata, fuit vehementer perterritus : II *Reg.* XXIV, 17. ex qua excessiva perterritione infrigidationem incurrit, quæ permansit in eo usque ad mortem. Vehemens etenim timor parit frigus, propter quod formidantes tremunt et pallent. Tertia, quia frequenter fuit in præliis, in quibus (ut fertur) fuit aliquando vulneratus : sicque ex sanguinis emanatione citius senuit B atque refriguit. Hanc causam assignat Lyra, imo et aliqui ante eum.

Contra quam scribit Rabbi Paulus : Nunquam legitur David in bello vulneratus sive percussus, vel quod sanguinis copia de ipso effluxerit : quod si accidisset, non est verisimile quod Scriptura hoc tacuisset. His verbis Rabbi Pauli videtur Scriptura favere, quia frequenter ait quod Dominus

Digitized by Google

II *Reg.* VIII, 6, 14; I *Par.* XVIII, 6, 13.

salvavit David in omnibus ad quæcumque A profectus est : imo in præliis cunctis videtur valde faciliter divina prævaluisse virtute, in tantum quod raro vel nunquam leguntur aliqui de suo corruisse exercitu, maxime ipso præsente, imo nec ipso absente, nisi in strage Asaelis fratris Joab, atque in strage Uriæ. (II *Reg.* II, 16, 30; XI, 17.) David quoque in præliis habuit fortissimos et peritissimos capitis sui custodes. Hinc Rabbi Paulus aliam causam assignans : Verius, inquit, dici potest, quod David a juventute fuit libidinosus, et actibus venereis excessive implicatus, ut B patet ex toto processu suæ historiæ, et ex multitudine suarum uxorum et concubinarum. Excessivus autem usus venereorum, naturalem consumit calorem et humidum radicale. Propter quod in Proverbiis habetur : Ne des mulieribus substantiam tuam. (*Prov.* XXXI, 3.) Substantia namque vitæ corporalis, in calore naturali et humido radicali consistit præcipue : ideo sicut igni seu calori illius deficientibus escis, mors naturaliter sequitur, sic ex illorum notabili diminutione seu consumptione frigiditas C quasi irrecuperabilis subsequi habet.

Sed quamvis hæc verba Rabbi Pauli pro majori parte sint vera, attamen valde indecenter et male sonat, de tanto Propheta et viro heroico ac maxime contemplativo asserere, quod a juventute sua fuit libidinosus, venereisque excessive intentus. Nec tantas credendum est accepisse uxores desiderio voluptatis, sed prolis ad Dei obsequium educandæ. Præterea certum est, quod David sex annis quibus persecutiones Saulis sustinuit, multa toleravit incommo- D da in desertis, diebus ac noctibus ; et quia tota sua progenies ac parentes propter ipsum sustinuerunt expulsionem, (I *Reg.* XXII, 3.) deinde ex morte filii sui Amnon et violatione Thamar, et persecutione occisioneque Absalonis, (II *Reg.* XIII, 14, 28, 29. *Ibid.* XV, 12 *et seq.*; XVIII, 14, 15.) ineffabiliter magnas gessit in corde tristitias atque angustias, quæ non mediocriter senectutem accelerant, complexionemque lædunt. Ad oculum quoque videmus, quod reges et principes satis cito senescunt. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Omnis potentatus brevis vita ; sic et rex hodie est, et cras morietur. (*Eccli.* X, 11, 12.) Aliqui vero dicunt, quod David ex vestibus non calefiebat in ultionem suæ culpæ, qua oram chlamydis Saulis præsciderat, ut in primo libro narratur, (I *Reg.* XXIV, 5.) quatenus per quæ peccaverat, per ea et puniretur : quod dictum modici est momenti.

Dixerunt ergo ei servi sui in naturalibus periti, ut medici, aliique experti : *Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram eo, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem,* ut minus affligatur frigoribus, et vivat diutius, cujus præsidentia utilis est communitati. *Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel ; et invenerunt Abisag Sunamitem, et adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis. Dormiebatque cum rege, et ministrabat ei. Rex vero non cognovit eam,* videlicet Abisag Sunamitem, hoc est de urbe nomine Suna, de qua fuit et hospitatrix beatissimi Elisei, (IV *Reg.* IV, 8.) ut infra quarto libro describitur. Certum est autem, quod David rex nequaquam cum illa speciosissima dormivit puella, nisi ante acciperet eam in conjugem. Porro, quod non cognovit eam, vel ex impotentia, vel ex occupatione interna circa divina processit.

Verum, ut recitat super Genesim Origenes : Hæretici, qui Scripturam veteris Testamenti dixerunt non esse a Deo lucis, irriserunt Abraham, David, et alios quoque (*Gen.* XXV, 1.) Testamenti illius patres, eo quod in senectute sua acceperunt uxores, quasi et tunc libidine insanientes. Unde et Origenes connubia illa ad spiritualem intelligentiam trahit, per uxorem accipiendo sapientiam, quam sibi sponsam sumpserunt. Et juxta hunc modum dicit glossa Hieronymi super hunc locum : Nonne videtur tibi, si litteram quæ occidit, sequaris, (II *Cor.* III, 6.) figmentum esse, athletarumve * ludicra, quod frigidus senex vestibus obvolutus, nisi complexu adolescentulæ non calescit ? Sicque secundum mentem Hieronymi, videtur hic esse

* Atellanarumve

parabolica seu metaphorica quædam locutio, ut per Abisag intelligatur sapientia, quæ est pura et incorrupta, et senioribus magis conjungi solet, sicut in David, in quo, tempore senectutis magis viguit spiritus prophetiæ. Hæc autem sapientia calefecit David regem ad divinum amorem. Et juxta hunc sensum dicitur in libro Judicum : Ierunt ligna, ut ungerent super se regem. *Judic.* IX, 8.

Sed contra hæc scribit Lyra, quoniam circumstantia litteræ manifeste ostendit, quod Abisag fuit corporalis puella regi adducta in remedium suæ frigiditatis corporeæ : quod etiam constat ex hoc, quod Adonias adhuc juvenis, David defuncto, petiit sibi hanc dari uxorem : cujus petitionis occasione fuit occisus; non autem fuisset occisus, si sapientiam sibi desponsari petisset. Ideo fateri oportet, quod ad litteram fuit puella. Dicunt etenim medici, quod præcipuum remedium contra frigiditatem membrorum atque paralysim imminentem, sit amplexus mulieris, maxime juvenculæ virginis : ideo talis fuit adducta regi David. Nec peccavit in hoc, quia cum ea contraxit connubium. Senes enim quantumcumque possunt contrahere, quamvis non valeant generare; et ut dicunt doctores, si mulier scienter contrahat cum sene, quem scit impotentem, tenet matrimonium : ideo uti amplexibus virginis hujus in statu conjugali, non videtur regi David illicitum, præsertim quum esset ei in tantæ frigiditatis remedium. III *Reg.* II, 17, 21, 25.

Sed contra hanc B. Hieronymi reprehensionem satis apte scribit hic Rabbi Paulus : Glossa Hieronymi non est sic reprobanda, sed ad bonum potius sensum trahenda. Sequentes enim sensum litteralem, sunt in duplici differentia. Quidam etenim tenent, quod solus sensus litteralis est verus et ab auctore intentus; sensus autem spirituales dicunt fictos et nullius auctoritatis : quem errorem secuti sunt Sadducæi negantes resurrectionem, et alia quæ ad pedem litteræ prima facie non apparent. Alii dicunt, quod Scriptura sub una *Act.* XXIII, 8.

A littera habet plures sensus, ut patet per Gregorium tertio Moralium, et per Augustinum in epistola contra Vincentium, licet omnes fundentur super unum sensum litteralem. Error autem primorum patet ex verbis Christi, volentis ostendere errorem Sadducæorum ex sensu litterali ejus quod scriptum est, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob : ex quibus verbis probat, esse vitam post vitam præsentem, quod tamen prima facie non videtur insinuari per verba illa. Patet quoque error illorum *Matth.* XXII, 31, 32; *Marc.* XII, 26, 27.

B ex hoc, quia contingit quod aliqua scriptura secundum unum sensum litteralem intellecta, non inducit aliquam utilitatem in fide aut moribus, vel ad conversationem humanam. Et hoc modo allegat Apostolus illud Deuteronomii, Non alligabis os bovi trituranti : ubi quasi arguens subdit, Numquid cura est Deo de bobus? quasi dicat : Si hoc præceptum solum ad pedem litteræ intelligatur, nullam inducit utilitatem. Et hoc modo arguit Hieronymus in verbis præallegatis contra sequentes litte- I *Cor.* IX, 9; *Deut.* XXV, 4.

C ram occidentem, dicens : Si hæc historia de David et Abisag tantum ad litteram intelligatur, non referenda ad aliquem sensum spiritualem utiliorem, videtur quasi athletarum * ludicra seu fabulationes quæ nil proficiunt. Idcirco historiam istam exponit pulcherrime : qui sensus Hieronymi est in loco hoc litteralis eo modo, quo Apostolus ex auctoritate prætacta sumit argumentum secundum mysticum intellectum. — Quod autem inducit postillator, videlicet Lyra, pro fulcimento planæ expositionis * Atellanarum; I *Cor.* IX, 9.

D litteræ de auctoritate medicorum, dicentium quod optimum remedium contra frigiditatem membrorum, est amplexus mulieris juvenculæ, non facit pro eo. Quamvis enim dicant, quod calor alicujus hominis aut animalis confortet suo contactu calorem naturalem hominis debilitati, non tamen faciunt differentiam de calore juvenculæ virginis seu corruptæ, pulchræ aut incompositæ : ideo præinducta magis intelligenda sunt secundum mysticam significationem verborum, quam principalis

Digitized by Google

auctor Scripturæ (qui Deus est) hic intendit ad nostram doctrinam.

Hæc Rabbi Paulus, cujus dicta satis probabiliter sonant, dempto eo, quod asserit medicos non distinguere in re illa, videlicet ad confortandum calorem hominis infrigidati, de calore juvenculæ virginis aut corruptæ, pulchræ aut incompositæ. Nam et physici tradunt, quod puellæ virgines sunt calidiores quam fractæ. Pulchræ quoque plus movent appetitum : cujus accensio calefacit.

Adonias autem filius Haggith elevabatur, id est, erexit se ipsum ambitiose, *dicens : Ego regnabo. Fecitque,* id est præparavit, *sibi currus et equites et quinquaginta viros, qui ante eum* in curru sedentem
II Reg. xv, 1. *currerent :* sicut hoc supra libro secundo magis expositum est. Ideo autem adspiravit ad regnum, quoniam inter filios David
Ibid. iii, 4. superstites senior fuit : nam erat quartus
Ibid. xiii, 28, 29; xviii, 14, 15. in ordine, Amnon autem et Absalon fuerunt occisi, et tertius, scilicet Cheleab, creditur jam obiisse, vel iners seu ineptus ad regnum fuisse; et item quoniam fuit juvenis pulcher, amabilis, populoque acceptus. *Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens : Quare hoc fecisti?* Per hoc videtur Scriptura innuere, quod David per negligentiam fuit culpabilis, non corripiendo Adoniam de vanitate et usurpatione seu ambitione præfata : unde et Adonias magis audacter prosequebatur suum conceptum, suspicans quod pater suus non resisteret ei. Verumtamen expositores in hac re excusant David a culpa sive a tanta, sive a tota, dicentes, quod ignoravit Adoniam adspirare ad regnum. Nam paulo post Nathan dixit ad Bethsabee : Num audisti quod regnaverit Adonias, et dominus noster David hoc ignorat? Bethsabee quoque ad regem : Ecce, inquit, nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante.

Et sermo ejus cum Joab filio Sarviæ, et cum Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ, id est, consilio atque auxilio Joab principis militiæ, atque Abiathar pontificis, præcipue utebatur. Joab enim

A in civilibus et bellicis rebus fuit summus post regem, et Abiathar in spiritualibus ac divinis : sicque per Joab speravit acquirere adsistentiam militum, et per Abiathar, sacerdotum ac Levitarum; et ab ipso Abiathar tanquam a præsule volebat inungi. Dicitur quoque, quod Joab suspicabatur regem vindicaturum in se iniquitatem, quam commisit in Abner et Amasam, quos proditorie II Reg. iii, 27; xx, 10.
interfecit, et quod rex filio sibi succedenti in regno, ultionem illam committeret : ideo voluit sibi mercari favorem filii re-
B gnaturi, ne puniretur ab eo. Similiter de Abiathar fertur, quod noverat Deum dixisse ad Heli, quod sacerdotii dignitas transferenda esset a posteris suis. Abiathar autem I Reg. ii, 30-36.
descendit ab Heli : idcirco ne sacerdotio privaretur, voluit novi regis favorem mereri. Atque, ut dicitur, Hebræi affirmant Dominum non dedisse responsa per Abiathar a tempore quo David a Jerusalem fugit a facie Absalonis. *Sadoc vero sacerdos,* II Reg. xv, 16.
primus post Abiathar, *et Banaias filius Joiadæ, et Nathan propheta et Semei,* alter
C ab illo qui maledixit regi, *et Cerethi et Phelethi,* Ibid. xvi, 5. per quos qui designentur, dictum Ibid. viii, 18.
est in expositione libri secundi, *et omne robur exercitus David,* videlicet robusti, de quibus in secundo libro satis dictum Ibid. xxiii, 8 et seq.
est, *non erant cum Adonia,* quia sciebant prænuntiatum esse a Deo per Nathan, quod Salomon patri in regno succederet, prout Ibid. vii, 12 et seq.; I Par. xvii, 5 et seq.
in secundo libro patuit, in primo quoque libro Paralipomenon aperte habetur.

Immolatis ergo Adonias arietibus et vitulis et universis pinguibus, id est multis
D et magnis sacrificiis, quæ obtulit per manus sacerdotum velut rex novus, *juxta lapidem Zoheleth, qui est vicinus fonti Rogel,* volens Deo gratus videri, et quasi religiose incipere, *vocavit,* id est, ad convivium invitavit, *universos fratres suos, filios regis, et omnes viros Juda servos regis. Nathan autem prophetam, et Banaiam, et robustos quosque, et Salomonem fratrem suum non vocavit,* quia fuit sibi suspectus. Omnes enim viros Juda servos regis, sibi putavit favere.

Digitized by Google

Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis : Num audisti quod regnaverit Adonias filius Haggith, et dominus noster David hoc ignorat? Nunc ergo veni, accipe consilium a me, et salva animam tuam, filiique tui Salomonis, id est, te ipsam et filium tuum præserva a morte : quia si Adonias post David regnaverit, faciet te occidi tanquam adulteram, et filium tuum tanquam adulteræ prolem, vel aliam contra eum quæret occasionem ad occidendum. *Vade et ingredere ad regem, et dic : Nonne tu, domine mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens, quod Salomon filius tuus,* o Bethsabee, *regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo?* Ubi vel quando David hoc juravit Bethsabee, Scriptura non refert, sed cognita voluntate Dei per Nathan de Salomonis promotione ad regnum, indicavit hoc tempore opportuno ipsi Bethsabee, et juravit ei se ita facturum. *Quare ergo regnat Adonias? Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos.*

Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculo. Rex autem senuerat nimis, et Abisag Sunamitis ministrabat ei. Inclinavit se Bethsabee, et adoravit regem. Ad quam rex : Quid tibi (inquit) vis? Quæ respondens, ait : Domine mi rex, tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ : Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante. Mactavit boves et pinguia quæque, et arietes plurimos, et vocavit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, et Joab principem militiæ; Salomonem autem servum tuum non vocavit. Verumtamen, domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, ut indices eis, quis sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te. Quasi dicat : Quamvis jam multi sint cum Adonia, communitas tamen præstolatur a te audire definitive, quis debeat tibi succedere in primatu. *Eritque,* id est eveniet, *quum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego et fi-*

A *lius meus Salomon peccatores :* id est, si permiseris Adoniam tibi in regno succedere, ipse te defuncto objiciet mihi adulterii crimen, et Salomonem faciet accusari, ut occidat nos ambos, quasi aliter non sit pax in communitate possibilis.

Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. Et nuntiaverunt regi, dicentes : Adest Nathan propheta. Quumque introisset in conspectu regis, et adorasset eum pronus in terram, dixit Nathan : Domine mi rex, tu dixisti : Adonias regnet
B *post me, et ipse sedeat super thronum meum?* Interrogatio est, quasi dicat : Mirum si hoc dixisti, quum ego ex Dei præcepto revelaverim tibi, quod Salomon post te præsidebit. II *Reg.* VII, 12 *et seq.*; I *Par.* XXII, 9, 10. *Quia descendit hodie, et immolavit boves et pinguia, et arietes plurimos, et vocavit universos filios regis, et principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem. Illisque vescentibus et bibentibus coram eo, et dicentibus, Vivat rex Adonias, me servum tuum, et Sadoc sacerdotem, et Banaiam filium Joiadæ, et Salomonem fa-*
C *mulum tuum non vocavit. Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum?* quasi dicat : Absurda res est, quod te nesciente atque vivente, usurpaverit sibi Adonias regiam dignitatem.

Et respondit rex David, dicens : Vocate ad me Bethsabee, quæ finito suo sermone, exivit regis cubiculum. *Quæ quum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum, juravit rex et ait : Vivit Dominus, qui*
D *eruit animam meam de omni angustia, quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens : Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit super solium meum pro me; sic faciam hodie. Summissoque Bethsabee in terram vultu,* id est facie profunde inclinata ad regis honorem atque in signum gratitudinis, quod rex suæ acquievit petitioni, *adoravit regem,* adoratione duliæ, sicut et Nathan, *dicens : Vivat dominus meus rex David in æternum.* Quasi dicat : Quamvis filii

Digitized by Google

mei promotionem desiderem, tamen quantum possibile est, malo ut tu, David rex, adhuc feliciter vivas ac regnes; et quum hic diutius vivere et regnare non poteris, opto ut inter Sanctos post hanc vitam æternaliter perseveres.

Dixit quoque rex David : Vocate mihi Sadoc sacerdotem et Nathan prophetam et Banaiam filium Joiadæ. Qui quum ingressi fuissent coram rege, dixit ad eos : Tollite vobiscum servos domini vestri, id est robustos qui permanserunt in Jerusalem et in palatio, qui sunt servi et milites Joab principis militiæ, *et imponite filium meum Salomonem super mulam meam,* cui ego solus sedere* consuevi, ut pateat quod dignitatem meam ad filium transtuli Salomonem, *et ducite eum in Gihon,* id est ad fontem sic nominatum, scilicet aquam Siloe, juxta quosdam. Gihon autem quandoque est nomen fluvii de paradiso egredientis, et terram Æthiopiæ circumeuntis, ut in Genesi habetur. *Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, in regem super Israel. Et canetis buccina, atque dicetis : Vivat rex Salomon. Et ascendetis post eum, et venietis in Jerusalem, et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me, illique præcipiam ut sit dux super Israel et super Judam. Et respondit Banaias filius Joiadæ, regi, dicens : Amen,* id est, sic fiat. Amen autem quandoque nominaliter sumitur, juxta illud in Apocalypsi, Hæc dicit Amen testis fidelis; et quandoque verbaliter, pro Fiat, ut hic; quandoque adverbialiter, pro Vere, sicut apud Joannem : Amen, amen dico vobis. *Sic loquatur Dominus Deus domini mei regis :* quasi dicat, Verba tua, o rex, sunt verba Dei loquentis per te, et verba tua quasi Dei suscipimus. Et quod ait Banaias, Sic loquatur, dixit congratulando. *Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, et sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David,* id est, latiorem dominationem tribuat Salomoni, quam contulit tibi. Quod etiam infra legitur factum.

* insidere

Gen. II, 13.

Apoc. III, 14.

Joann. XII, 24.

A *Descendit ergo Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, et Banaias filius Joiadæ, et Cerethi et Phelethi; et imposuerunt Salomonem super mulam regis David, et adduxerunt eum in Gihon. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei,* id est vasculum continens oleum unctionis, quo rex et pontifex inungebantur, *de tabernaculo,* in quo fuit arca, ut patuit libro secundo, *et unxit Salomonem,* adstante et cooperante ei in hoc Nathan propheta : nam dixerat David, Ungat eum Sadoc sacerdos et Nathan propheta. Sicque dignitatem officii pontificalis ipsius Abiathar, cœpit David transferre ad Sadoc. Fiebat autem (ut aliqui dicunt) unctio illa regis in fronte ipsius in modum coronæ. *Et cecinerunt buccina, et dixit omnis populus : Vivat rex Salomon. Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et lætantium gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum.*

II Reg. VI, 17.

B

Audivit autem Adonias, et omnes qui invitati fuerant ab eo. Jamque convivium C *finitum erat. Sed et Joab audita voce tubæ, ait : Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis?* id est, quid prætendit aut designat sonitus exsistentium in Jerusalem, qui vociferari videntur, tanquam tumultum aut seditionem habentes? quia a remoto non poterat clamor perfecte discerni, et forsan suspicabatur aliquid ortum in civitate contra Adoniæ præsumptionem. *Adhuc illo loquente, Jonathas filius Abiathar sacerdotis venit. Cui dixit Adonias : Ingredere, quia vir fortis es, et bona* D *nuntians. Responditque Jonathas Adoniæ: Nequaquam; dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem. Misitque cum eo Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaiam filium Joiadæ, et Cerethi et Phelethi, et imposuerunt eum super mulam regis, unxeruntque eum Sadoc sacerdos et Nathan propheta regem in Gihon; et ascenderunt inde lætantes, et insonuit civitas. Hæc est vox quam audistis. Sed et Salomon sedet super solium regni. Et ingressi servi regis, benedixerunt domi-*

Digitized by Google

no nostro regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronum ejus super thronum tuum. Et adoravit rex David in lectulo suo, insuper et hæc locutus est : Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo videntibus oculis meis.

Territi sunt ergo, et surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia, et ivit unusquisque in viam suam. Puto, quod Jonathas ex industria et de consilio Joab atque Abiathar mansit in urbe ad perscrutandum, si aliquid ibi ageretur sive insurgeret contra Adoniam, ut illud velociter nuntiaret, sicut et fecit : cujus relatione audita, territi sunt qui interfuerunt convivio, ne indignationem David ac novi regis incurrerent. *Adonias autem timens Salomonem, surrexit, et abiit in tabernaculum Domini, tenuitque cornu altaris,* ut ibi tutius exsisteret. Nam ad altare holocaustorum, quod erat exterius, poterant et vulgares accedere; ad altare vero thymiamatis, sacerdotes dumtaxat. In Scholastica autem fertur historia, quod tenuit cornu altaris thymiamatis : quod non creditur verum.

Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes : Ecce Adonias timens regem Salomonem, A *tenet cornu altaris, dicens : Juret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat servum suum gladio. Dixitque Salomon : Si fuerit vir bonus,* id est, si de cetero ab isto et similibus criminibus custodierit se immunem, *non cadet nec unus quidem capillus ejus in terram,* id est, nil mali faciam ei; *sin autem malum inventum fuerit in eo,* id est aliquid criminale, præsertim crimen læsæ majestatis, adspiratio ad regnandum, seminatio seditionis in populo, aut partialitas contra regem, et communitatis B turbatio, *morietur,* id est, statim faciam eum occidi. *Misit ergo rex Salomon* ministros solennes, *et eduxit eum ab altari,* non violenter, quum esset ibi locus refugii, sed persuasit ei per nuntios ut confidenter egrederetur, dummodo de cetero vellet se bene habere; *et ingressus* palatium, *adoravit* adoratione duliæ *regem Salomonem,* recognoscendo se nihil juris habere ad regnandum, sed Salomonem esse legitime institutum in regem. *Dixitque ei rex Salomon : Vade in domum tuam.* Filii etenim C regis David adultæ et virilis ætatis, habebant specialia habitacula quædam, quamvis ad placitum fuerint in palatio. Unde et dictum est libro secundo, quod Thamar *II Reg.* XIII, 20. mansit contabescens in domo Absalon fratris sui.

ARTICULUS II

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI PRIMI SENSU.

E*T rex David senuerat.* Per David præfiguratus est Christus, qui in juventute sua est crucifixus, idcirco non senuit senio corporali, sed spirituali, de quo scri-
Sap. IV, 8, 9. ptum est : Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Hæc ergo senectus est morum maturitas, probitas D vitæ, sapientia salutaris, quæ in Christo summe fuerunt. *Quumque operiretur vestibus, non calefiebat.* Per vestes quandoque intelliguntur homines aliquem circumdantes, juxta illud Isaiæ : His omnibus quasi *Is.* XLIX, 18.
vestimento ornaberis. Sed Judæi qui Christum in carne inter eos ambulantem corporaliter sequebantur, et instar vestium circumdabant eum, non calefecerunt, id

Digitized by Google

est, ignem caritatis non continuerunt, nec consolationem pepererunt eidem, sed magis tristitiam, in tantum, quod dixit : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? (*Matth.* XVII, 16 ; *Marc.* IX, 18.)

Dixerunt ei servi sui : Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem. Sic Apostoli videntes incredulitatem obstinationemque Judæorum, et regem Christum toto corde desiderare animarum salutem, inter se concordaverunt ire ad gentes, et ex eis congregare Ecclesiam : quam congregatam, regeneratam et speciosissime decoratam, Christo præsentaverunt calidissimam in amore, et obdormientem in Christi contemplatione. Potest quoque per Abisag intelligi primitiva illa Ecclesia ex Judaismo conversa, omnium virtutum splendore conspicua, quæ in pace in idipsum dormivit, et requievit in suo dilecto, et dixit : Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. (*Ps.* IV, 9. *Cant.* II, 6.) Rursus, Abisag virgo pudicissima atque pulcherrima, David regi desponsata, sed manens inviolata, fuit beatissimæ Christiferæ virginis Mariæ figura, quæ est singularis et unica Christi sponsa, sed virgo mundissima. Præterea, per David designatur quicumque fidelis prælatus, aut princeps seu rector, qui senectute confectus, aut spirituali senio decoratus, in carnalibus non inflammatur, neque in exterioribus delectatur : idcirco quærenda est ei adolescentula virgo pulcherrima, id est sapientia vere flammigera et divina, quæ donum est Spiritus Sancti, (*Is.* XI, 2.) et vere accendit vim affectivam in caritate, quum sit scientia sapida et formata. De qua ait sincerus et pudicus amator : Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi eam sponsam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius. (*Sap.* VIII, 2. *Ibid.* 16.) Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus illius, sed gaudium et lætitiam. Rursus, per puellam illam potest intelligi sacræ Scripturæ intelligentia : quæ etiam scientia affectiva vocatur, et utilis est ad docendum, ad exhortandum, ad increpandum, ad consolandum, ad inflammandum se ipsum ac proximos, (*II Tim.* III, 16.) quæ corruptionem (id est falsitatis admixtionem) non suscipit, sed inviolata est veritas. Hæc in senibus esse debet, juxta illud in Job : In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. (*Job* XII, 12.)

Adonias autem elevabatur, dicens : Ego regnabo. Quemadmodum David est Christi figura, sic ea quæ in domo David fiebant, præfiguraverunt ea quæ in Christi fiunt Ecclesia. Sicque per Adoniam pulchrum, et ejus fautores Joab atque Abiathar, signantur superbi et ambitiosi, donis naturæ seu bonis fortunæ ornati, qui ad ecclesiasticas dignitates, ad principatum, ad regnum ingerunt semetipsos, et per potentes sæculi hujus, per prælatos Ecclesiæ quærunt juvari, atque per munera ac lauta convivia, per promissiones ac promotiones alliciunt sibi quos possunt. Sed viri timorati, sapientes, integri et constantes, qui per Sadoc, Nathan, Banaiam ac per robur exercitus designantur, talibus non adsistunt nec favent, imo renituntur; et eos promovere conantur, qui ætate, scientia et moribus sunt prælatione aut principatu condigni : qui unguntur per Sadoc et Nathan quando legitime consecrantur ac instituuntur, post quos canitur buccina, quando eorum institutio solenniter divulgatur. Denique, infelix et insensata ambitio aliquos sic excæcat, ut adhuc viventibus his qui præsunt, prælationem arripere non formident : qui dum a suo impediuntur proposito, solent serviliter eos vereri qui ipsis præficiuntur, et quærunt sibi ignosci. Salomon autem, id est justus ac sapiens pastor, judex seu princeps, qui sine acceptione judicat personarum, et magis dolet de Dei offensa quam de sua injuria, dat dignum responsum, utpote quod juxta eorum merita fiet eis.

Digitized by Google

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : APPROPINQUAVERUNT AUTEM DIES DAVID UT MORERETUR.

QUALITER David rex extremum clau- A
serit diem, et qualiter filius ei succe-
dens in regno, cœpit regnare atque justi-
tiam exercere, in isto capitulo narratur.
*Appropinquaverunt autem dies David ut
moreretur, præcepitque Salomoni filio suo,
dicens : Ecce ego ingredior viam universæ
terræ,* id est, statim subibo mortem, cun-
ctis mortalibus in terra commorantibus
generalem, per quam exeunt de hoc mun-
Gen. III, 19. do, et rediguntur in pulverem seu præja-
centem materiam. Mors autem hominibus
quantum ad principale suum, videlicet B
animam immortalem, est specialiter via,
quia per eam tendunt ad aliud sæculum
ac vitam futuram. *Confortare et esto vir
fortis,* id est, assume fiduciam, et in vir-
tutibus profice, ac animo sis virilis, quam-
vis ætate et corpore puer sis, ita ut ætatem
moribus virtutibusque excedas.

*Et observa ut custodias mandata Domi-
ni Dei tui,* id est, divina imple præcepta
quæ Deus præcepit servari; vel, Observa
custodias Domini, id est, custoditionibus
cordis tui et vigilantiis animi, quæ com- C
placent Deo, sis semper intentus, juxta
Prov. IV, 23. illud : Omni custodia custodi cor tuum.
Deut. IV, 9. Unde et in Deuteronomio jubetur : Custodi
temetipsum et animam tuam sollicite. Opor-
tet enim regem et omnem qui præest, tan-
to esse custoditiorem et sollicitiorem in
omnibus, quanto pluribus præsidet, tan-
quam districtius judicandum a Deo. *Ut
ambules in viis ejus,* id est consiliis et
doctrinis ipsius, atque in actibus bonis,
per quæ ad ipsum Deum itur ac perveni-
Prov. III, 17. tur : de quibus in Proverbiis legitur, Viæ D
ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus
pacificæ; *et custodias,* memoriter recolen-
do et opere adimplendo seu vitia evitan-
do, *cærimonias ejus,* id est præcepta cæ-
rimonialia quæ præfigunt modum colendi
Deum in sacrificiis, observantiisque simi-
libus, *et præcepta ejus* moralia, *et judicia,*
id est præcepta judicialia, *et testimonia,*
sicut scriptum est in lege Moysis, id est, ea Deut. XVII, 19.
quæ credenda sunt et speranda, credas ac
speres; *ut intelligas omnia quæ facis,* id
est, discernas an bona vel mala sunt ope-
ra tua, sicque juxta divinæ legis præcepta,
testimonia et doctrinas, in cunctis te diri-
gas, *et quocumque te verteris,* id est, agno-
scas in quibus retrocedis, deficiendo a
processu virtutum, vel in quibus redis ad
commoda tua, vel certe ad considerandum
et discutiendum te ipsum aut subditos.
Rex namque et omnis qui præsidet, debet
esse circumspectus in omnibus, et maxime
oculatus, ac jugiter considerare se ipsum
atque subjectos, sicque (juxta Aggæum
prophetam) ponere cor suum super vias Agg. I, 7.
suas.

*Ut confirmet Dominus sermones suos
quos locutus est de me,* id est, promissa
sua mihi facta adimpleat, *dicens : Si cu-
stodierint filii tui,* præsertim succedentes
in regno, *vias suas,* id est, in actibus suis
se habuerint custodite, *et ambulaverint,*
id est vixerint, *coram me in veritate* do-
ctrinæ et vitæ atque justitiæ, conversando
sinceriter sine simulatione, duplicitate ac
dolo, *in omni corde suo,* id est toto intel-
lectu ac voluntate, *et in omni anima sua,*
id est etiam secundum vires inferiores
et animales, appetitum sensitivum concu-
piscibilem et irascibilem cum suis pas-
sionibus refrenando, et rationi subdendo,
imaginationesque vanas abjiciendo; *non
auferetur tibi vir de solio Israel,* id est,
successor in regno non deficiet ex semine

Digitized by Google

tuo : quod si fieret, esset ad minorationem famæ et eminentiæ tuæ. Sicque patescit, quod promissiones factæ ipsi David de posterorum suorum successione in regno, erant sub conditione intelligendæ, utpote nisi peccando obicem ponerent impletioni promissionis divinæ. Verumtamen non sunt hæc ita intelligenda, quasi successio illa temporalis in regno terreno, fuerit principalis causa aut ratio implendi divina præcepta : quoniam temporalia bona, terrena et exteriora, nequaquam sunt præmium dignum, plenum atque sufficiens actuum virtuosorum, per quos fit homo aptus regno cœlesti et saluti æternæ.

Multa hic omittuntur de factis et verbis ac ordinationibus sancti David, quæ primo Paralipomenon per octo capitula describuntur, a capitulo vicesimo primo usque ad finem libri illius. Unde Magister in historiis refert : Volens David ostendere populo, regem se fecisse Salomonem, convocavit in Jerusalem principes universos et sacerdotes ac Levitas, et inuncto iterum Salomone, ac confirmato ab omnibus regno ipsius, præcepit coram omnibus Salomoni de legis custodia, justitia, pietate ac templi ædificatione. Tunc quoque distinxit Levitas et sacerdotes, et cetera fecit, quæ in præfatis Paralipomenon capitulis sunt conscripta.

Tu quoque nosti quæ fecerit mihi, id est ad meam contristationem, *Joab filius Sarviæ.* Dicunt aliqui, quod Joab monstravit aliis epistolam sibi a David secrete missam de morte Uriæ, per quod regem scandalizavit, et hoc ipsum David notasse in verbis istis. Sed an Joab hoc fecit, incertum est : textus quoque videtur loqui de gestis sequentibus. *Quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner,* id est, quem Saul constituit principem militiæ totius exercitus Israelitici, *et Amasæ filio Jether,* quem Absalon posuit principem militiæ super totum exercitum suum pro Joab. Tamen sicut Absalon non fuit verus rex Israel, nec legitime institutus, sed ambitiose intrusus, et usurpator, ita nec Amasa fuit legitimus princeps militiæ Absalonis. Unde quod nunc vocatur princeps militiæ Israel, potest intelligi pro eo, quod David promisit, vel (ut aliqui dicunt) dedit ei principatum illum pro Joab, ut fuit expositum in libro secundo. *Quos occidit* proditorie, ferociter et inique, quos non audebat manifeste invadere; *et effudit sanguinem belli in pace :* id est, sanguinem principum illorum, quos non debuit occidere nisi in prælio justo, vel justo congressu, fudit tempore pacis, quando videlicet ipse David cum Abner inierat fœdus pacis, et quando indulserat Amasæ suum delictum ; vel, In pace, id est sub apparatu et signo pacis. Nam Amasam interfecit, osculando eumdem et salutando verbis pacificis, dicendo : Salve, mi frater. Similiter ipsum Abner duxit seorsum, quasi allocuturus eum ex parte regis pacifice. *Et posuit cruorem prælii in balteo suo qui erat circa lumbos ejus, et in calceamento suo quod erat in pedibus,* id est, sine bellico labore illos occidit, ita quod propter tale quid perpetrandum non indiguit se armare, sed suffecit ei, balteo esse præcinctum et corio calceatum. Quidam exponunt sic : Posuit cruorem belli in balteo, id est, balteum suum ac vestes et calceos fecit sanguine illorum perfundi, non arma sua, quia cum eis non dimicavit; vel ideo dictum est istud, quia percussit illos in inguine, brachium suum contra ipsos non levando, sed ab infra pungendo, sicque sanguis illorum super balteum ejus ac calceamentum poterat prosilire, non super vestium suarum partes superiores. Aliqui exponunt, dicentes, [quod] pugnatores solebant in armis suis insignia opera sua ad ostentationem describere; sed quum Joab facinorosa homicidia illa non auderet in suis describere armis et publice ostentare, saltem in balteo et calceamento suo ea notavit.

Facies ergo ei juxta sapientiam tuam, ipsum debite puniendo, *et non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos,* id est, eum jam canum, facias violenta morte oc-

I Reg. xiv, 50.

II Reg. xvii, 25.

II Reg. xix, 13.

Ibid. iii, 27; xx, 9, 10.

Digitized by Google

cidi, ut descendat quo meruit. Circa hoc quidam scribit : Hebræi dicunt, Ad fossam, quoniam David non intendit, quod Joab descenderet ad infernum, sed potius, ut per pœnam temporalem evaderet pœnam infernalem. Ad quod dicendum, quod infernus quatuor modis accipitur, puta pro loco et supplicio damnatorum, pro purgatorio, pro limbo patrum, et pro limbo puerorum. Sed cur David personaliter non punivit ipsum Joab hoc modo? Respondetur, quod non poterat convenienter hoc facere sine grandi communitatis perturbatione, in qua Joab præpotens fuit; vel propter multa ipsius Joab obsequia, quæ regi impendit, pepercit ei ad tempus; vel ex occulto Dei instinctu, ad præfigurandum magnum mysterium in ultima mundi ætate et tempore Incarnationis. Nam David in hac re gerit personam Dei Patris; Salomon, Christi Filii Patris æterni. Pater autem omne judicium dedit Filio : in cujus rei figura David rex in extremis commisit filio suo Salomoni judicium, tam circa reos quam circa beneficos, de quibus subjungitur: *Joann.* v, 22.

Sed et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, id est favorem et vicem pro benefactis eorum, *eruntque comedentes in mensa tua :* id est, volo et hortor ut sint commensales tui, seu regiis cibis reficiantur. *Occurrebant* * *enim mihi quando fugiebam a facie Absalon fratris tui.* De illo occursu ante nihil scriptum est, sed quod Berzellai præbuit regi David necessaria abundanter. Verum ex isto loco colligitur, quod Berzellai misit filios suos in regis occursum. (* *occurrerunt*) (II *Reg.* XVII, 27-29.)

Præterea, ut aliqui opinantur, ideo quoque jussit David Salomoni occidere Joab, ne ipse Joab post mortem David moliretur aliquid mali contra Salomonem, laborando pro Adoniæ intrusione cui favebat, prout David ipse jam novit, qui scivit versutias Joab, et practicas ejus atque potentiam.

Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima quando ibam ad Castra, id est ad fortia loca refugii propter persecutionem Absalonis. Hæc autem historia in libro secundo exposita est, et cur David ei pepercit ad tempus. *Sed quia descendit mihi in occursum quum transirem Jordanem, et juravi ei per Dominum, dicens : Non te interficiam gladio; tu noli pati eum esse innoxium,* id est impunitum in vita hac, ut in futuro salvetur aut levius habeat. *Vir autem sapiens es.* Quando David hæc jussit, Salomon adhuc puer erat, et junior ac minimus inter fratres suos. Unde in Scholastica historia recitatur, quod David filios suos rogavit, ne graviter ferrent minimum inter eos sublimatum, quoniam Deus ita mandavit, sicut et ipse minimus inter fratres suos fuerat unctus. Denique primo Paralipomenon David ait ad populum : Filium meum Salomonem elegit Deus adhuc puerum et tenellum. Qualiter autem David jam dixit ad Salomonem, Vir sapiens es? Imo secundum Josephum, aliosque Hebræos, et ut videtur sentire Hieronymus, non erat ultra duodecim annos aut circiter. Verum ad hæc erit infra inquisitio major, solutioque diffusior. Qui ergo vult tenere quod adhuc erat tam juvenis, dicere potest quod tunc vocatus est vir, non propter ætatem, sed propter prudentiam suam, quæ excessit ætatem. *Et scies* * *quæ facias ei.* Nam Salomon multum prudenter et pie egit cum Semei, eum non statim occidendo : imo nisi transgressus fuisset Salomonis præceptum, non fuisset ab eo occisus. *Deducesque canos ejus cum sanguine,* id est morte illata ac violenta, *ad inferos,* quum non observaverit quæ per tuam prudentiam ei injunges. (II *Reg.* XVI, 5-13.) (*Ibid.* XIX, 16-23.) (I *Par.* XXIX, 1.) (* *Ut scias*)

Dormivit ergo David cum patribus suis, id est, somno mortis quievit a tumultibus vitæ præsentis, et a vita corporea animali, sicut et patres ejus ante eum, *et sepultus est in civitate David,* id est in ea parte Jerusalem, in qua erat arx Sion. Unde legitur secundo Regum : Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David. Ibi quip- II *Reg.* V, 7.

Digitized by Google

pe construxit palatium, et in eodem monte templum Salomonis constructum est. Circa hæc Magister in historiis refert : Circa tumulum ejus, videlicet David regis, fecit Salomon octo loculos thesaurorum : quorum unum post mille et trecentos annos aperuit Joannes Hyrcanus pontifex; alium, Herodes; alii vero nondum manifestati sunt. In diebus David Carthago condita fertur. *Dies autem quibus regnavit David super Israel, quadraginta anni sunt. In Hebron regnavit septem annis; in Jerusalem, triginta tribus. Salomon autem sedit super thronum,* id est regale judicialeque solium, *David patris sui :* ita quod patre suo defuncto, habuit plenam regiæ potestatis jurisdictionem et exsecutionem. Nam patre ejus vivente, fuit sub eo, et detulit ei, et non nisi secundum ipsius voluntatem utebatur regia potestate. Siquidem ipse David Salomonem sic statuit regem et sui successorem, ut exsecutione fungeretur plenaria, suo patre defuncto. *Et firmatum est regnum ejus nimis :* ita quod omnes de populo subdiderunt se ei promptissime, quia audierunt a David et Nathan, quod Deus elegisset eum in regem.

Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit : Pacificusne est ingressus tuus? Formidavit enim quod aliquid mali intenderet, sicut et fuit. *Qui respondit : Pacificus.* Quod ita non erat. *Addiditque : Sermo mihi est ad te. Cui ait : Loquere. Et ille : Tu (inquit) nosti, quia meum erat regnum,* id est, de jure communi pertinuit ad me, tanquam ad filium seniorem et primogenitum inter superstites, *et me proposuerat* * *omnis Israel,* id est quidam de omnibus, *sibi in regem; sed translatum est regnum, et factum est fratris mei. A Domino enim constitutum est ei. Nunc ergo petitionem unam deprecor a te; ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum : Loquere. Et ille ait : Precor ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest)* id est, non decet ut aliquid rationabiliter petitum deneget tibi, tum ratione maternitatis, tum quia promovisti eum tua petitione ad regnum, *ut det mihi Abisag Sunamitem uxorem. Et ait Bethsabee : Bene, ego loquar pro te regi.*

* præposuerat

III Reg. ii. 17 et seq.

Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia. Et surrexit rex in occursum ejus, matrem suam tam fidelem honorans, *adoravitque eam,* adoratione duliæ, quæ debetur parentibus, quibus a prole non potest reddi æquivalens : et quamvis Salomon in quantum rex, fuit matre sua superior, tamen in quantum filius ejus, fuit ea inferior: *et sedit super thronum ejus,* quia ad modicum tempus fecit eam super thronum suum sedere, quousque poneretur ei sedes juxta solium suum; *positusque est* a ministris *thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus :* quia sic eam voluit honorare. *Dixitque ei : Petitionem unam parvulam deprecor a te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex : Pete, mater mea. Neque enim fas est ut avertam faciem tuam,* id est, ut tuam præsentiam faciam a me recedere non exauditam, aut vultum tuum a sua petitione repellam, dummodo rationabilis sit tua petitio : quia hoc vera amicitia exigit, ut unus propter alium nil agat illicitum. *Quæ ait : Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.*

Responditque rex Salomon, et dixit matri suæ : Quare postulas Abisag Sunamitem Adoniæ? quasi dicat, Irrationabiliter petis, quamvis tu ipsa non advertas hoc. Salomon quippe acuti sensus et prudens, et pristinæ ambitionis Adoniæ memor, statim advertit quo tenderet ejus petitio, utpote ad regnum adipiscendum. Ideo subditur : *Postula ei et regnum.* Quod quasi ironice ait, loquendo de justa ironia, quia femineam suæ matris simplicitatem pie notavit atque admonuit, ut de cetero cautior esset. *Ipse est enim frater meus major,* id est senior *me, et habet Abiathar sacerdotem,* id est pontificem, *et Joab filium Sarviæ principem militiæ.* Quasi dicat : Ratione primogenituræ et favore ac ope pontificis, principisque militiæ habet oc-

Digitized by Google

casionem adspirandi ad regnum. Si autem A
III Reg. I, 4. haberet Abisag uxorem, quæ fuit patri meo desponsata, propter quod quasi regina est, magis conaretur ad regnum ascendere, tanquam maritus relictæ regis, et adjutorio tribus ac consanguineorum ipsius Abisag, quæ nobilis est puella. Dicunt demum nonnulli, quod ex instigatione Joab Adonias fecit illam petitionem.

Juravitque rex Salomon per Dominum, dicens : Hæc faciat mihi Deus et hæc addat, quia contra animam suam, id est contra suam salutem et contra vitæ suæ con- B servationem, *locutus est Adonias verbum hoc,* id est, instigavit te ad istud petendum. Consideravit enim Salomon petitionem suæ matris ex informatione Adoniæ venisse. *Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, et collocavit super solium David patris mei, et qui fecit mihi domum sicut locutus est,* id est, familiam dedit mihi ut condecet
II Reg. VII, 12 et seq. regem habere, sicut per Nathan prædixit, *quia hodie occidetur Adonias,* tanquam machinator turbationis totius communitatis, et reus in regem atque in Deum et le- C
Lev. XVIII, 8. gem, quoniam contra legis præceptum petiit conjugem sui patris habere uxorem : quod etiam cessit in patris sui opprobrium, qui in illius puellæ sinu dormivit. *Misitque rex Salomon per manum Banaiæ filii Joiadæ,* id est ipsum Banaiam cum viris robustis, *qui interfecit eum, et mortuus est :* quia propter bonum commune conservandum in pace, oportet rigorem justitiæ exercere, etiam in quantumlibet proximos et propinquos.

Circa hæc scribit Rabbi Paulus more so- D lito contra Lyram : Licet prohibitum sit in lege matrimonium contrahere cum patris uxore, tamen illam petere in uxorem, non est prohibitum. Quod non est idonee dictum, et videtur procedere ex errore dicentium, quod lex vetus prohibuit opus, non affectum ; et quod cohibuit manum, sed non animum : quod est falsum, et contra doctores catholicos. Imo inter præ-
Exod. XX, 14, 17. cepta Decalogi non solum fuit prohibita mœchatio, sed et concupiscentia rei alie-

næ. Atque per Isaiam Dominus dixit : Auferte malum cogitationum vestrarum ab Is. I, 16.
oculis meis. Per Michæam quoque : Væ Mich. II, 1.
qui cogitatis inutile.

Abiathar quoque sacerdoti dixit rex : Vade in Anathoth ad agrum tuum, id est, de hac civitate regali recede et habita in parvo oppido seu viculo sacerdotum, nomine Anathoth (de quo fuit Jeremias), et Jer. I, 1.
ibi egredere ad agrum quem habes in suburbanis loci illius ad spatiandum atque ad intuendum pecora tua. Quamvis etenim sacerdotes non habuerint hereditaria bona, sed solum loca ad commorandum, et sacrificia Domini ac decimas sive primitias pro hereditate ; habuerunt tamen loca pascualia seu suburbana ad alendum sua jumenta, et pascualia illa poterant sibi invicem vendere, quemadmodum in Jeremia habetur : Dixit Jeremias, Factum est ver- Ibid. XXXII, 6, 7, 9.
bum Domini ad me, dicens : Ecce Hanameel patruelis tuus veniet ad te, dicens, Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth ; et emi agrum. *Et quidem vir mortis es,* id est, meruisti occidi, adhærendo Adoniæ contra ordinationem divinam, et contra me conspirando cum Joab, aut etiam Adoniam pariter inducendo ut peteret Abisag in uxorem, ut sic facilius posset mihi rebellare, et ad regnum ascendere ; *sed hodie te non interficiam,* id est, pro malo præterito tibi ignosco : si tamen de cetero tale quid attentaveris, faciam te occidi ; *quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinuisti laborem in omnibus in quibus laboravit pater meus.*

Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, id est, pontificali officio amplius non fungeretur, imo nec sacerdotali ad tempus. Verumtamen postea fecit ei clementiam, admittendo ipsum ad sacerdotale officium. Nam infra habetur : Sadoc et Abiathar sacerdotes. Primo quo- III Reg. IV, 4.
que Paralipomenon legitur David ordinasse ut Sadoc et Abiathar omnibus præessent in I Par. XV, 11, 12.
templo ; sed hoc fuit ante ipsius Abiathar Cf. XXIV, 6.
ejectionem, intelligendumque erat, dummodo Salomoni fideliter adhæreret. *Ut im-*

Digitized by Google

pleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli, id est de posteris Heli pontificis, qui habitavit *in Silo*, quod sci- I Reg. II, 27 et seq. licet sacerdotio privarentur, prout in primo libro fuit expositum. Itaque abjecto Abiathar, qui fuit de familia Ithamar filii Aaron, translatum est pontificium ad Sadoc, qui fuit de semine Eleazari filii Aaron. Et sicut Magister in historiis ex Josepho narrat, post Phinees filium Eleazari fuerunt quinque privati sacerdotio, id est pontificali officio, scilicet Joseph, Joathan, Mareoth, Asophi et Achitob, qui genuit Sadoc. Verumtamen privatio illa non est facta I Par. VI, 50, 51. statim post Phinees, quoniam ipsi Phinees successit in sacerdotio Abiezer *, cui successit Busi *, post quem pontifex fuit Ozi : quo sublato, translatum est sacerdotium de domo Eleazari ad Heli, qui fuit de Itha- I Reg. I, II; IV, 18. mar, fuitque judex et pontifex, ut in primo libro dictum est.

* Abizue

* Bocci

Venit autem nuntius ad Salomonem, dicens *quod Joab declinasset post Adoniam*. Jam Salomon noverat, quod ante suam promotionem ad regnum, ipse Joab adhæserit Adoniæ ; sed nuntius, de quo nunc sermo, creditur Salomoni insinuasse, quod etiam post suam promotionem et unctionem in regem, Joab adhæserit Adoniæ, suggerendo ei, qualiter posset ad regnum pertingere, atque ut peteret sibi Abisag dari in conjugem. *Et post Salomonem non declinasset*, ei adhærendo ex corde, quamvis uncto in regem. *Fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu* III Reg. I, 50. *altaris :* prout dictum est de Adonia. Percepit etenim Joab (ut fertur) quod Salomon ista perceperat, et item quod David jusserat Salomoni, ut interficeret ipsum Joab ; scivit quoque Adoniam jam interfectum, Abiatharque expulsum : ideo formidavit.

Nuntiatumque est regi Salomoni, quod fugisset Joab in tabernaculum Domini, et esset juxta altare. Misitque Salomon Banaiam filium Joiadæ, dicens : Vade, interfice eum. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, et dixit ei : Hæc dicit rex,

A *Egredere*, quia in tabernaculo Domini te interficere non præsumo. *Qui ait : Non egrediar, sed hic moriar.* Hoc dixit, quia vidit se non posse evadere. Si autem dixisset hoc ex vera contritione, tanquam paratus sustinere supplicium mortis pro suis sceleribus, magnum fuisset. *Renuntiavit Banaias regi sermonem, dicens : Hæc locutus est Joab, et hæc respondit mihi. Dixitque ei rex : Fac sicut locutus est, et interfice eum* in tabernaculo Domini, *et sepeli*, id est, fac eum honeste sepeliri, pro- B pter dignitatem sui officii, et quia servivit, fidelisque fuit patri meo in multis ; *et amovebis sanguinem innocentem qui effusus est a Joab, a me et a domo patris mei*, id est, pœnam pro illis homicidiis infligendam, removebis a me et posteritate patris mei : quam pœnam juste incurrerem, nisi facinora illa in ipso Joab ulciscerer.

Et reddat * *Dominus sanguinem ejus super caput ejus*, hoc est, causam suæ interfectionis imputet ei, et pœnam quam meruit, ipse personaliter luat. Hoc Salomon C dixit zelo justitiæ, tanquam judex. *Quia interfecit duos viros justos melioresque se, et occidit eos gladio, patre meo David ignorante, Abner filium Ner principem militiæ Israel, et Amasam filium Jether principem exercitus Juda :* quia in tribu Juda fuit princeps et dux, secundum quod quælibet tribus habuit principem specialem sub Joab. Videtur autem ex testimonio isto, quod Abner et Amasa sint salvati, utpote justi : quia si aliquando peccaverunt, pœnituisse creduntur. Unde et sanguis eorum D dicitur innocens, non quod sine peccatis vixerunt, sed quoniam mortem quam Joab intulit eis, inflixit eis injuste, nec eam promeruerunt, nisi in quantum ex divina providentia omnia complectente ac ordinante, eam pro suis sustinuerunt peccatis : sed ob hanc causam Joab non occiderat eos. *Et revertetur sanguis illorum in caput Joab, et in caput seminis ejus in sempiternum :* hoc est, pœna pro crimine interfectionis Abner et Amasæ infligenda, infligetur ipsi Joab et posteris ejus quamdiu

* reddat

II Reg. III, 27 ; XX, 10.

Digitized by Google

exstiterint, præsertim si iniquitatem ipsius Joab sequantur. Istud autem intelligendum est juxta expositionem libri secundi, ubi imprecatio malorum quæ David imprecatus est ipsi Joab pro interfectione Abner, exposita est. (II *Reg.* III, 29.)

David autem et semini ejus et domui, hoc est familiæ ejus fideli, *et throno illius*, videlicet mihi successori ipsius sedenti in ejus throno, *sit pax usque in æternum a Domino*. Ista verba Salomonis fuerunt oratio, non prophetia. Nam et Nathan propheta prædixit David regi, quod gladius non recederet de domo ejus in sempiternum, propter peccata ejus in Uriam commissa, ut patuit supra libro secundo. (*Ibid.* XII, 10.) Infra quoque habetur, quanta turbatio orta sit partim Salomoni propter scelera sua, deinde posteris suis propter eorum excessus. (III *Reg.* XI, 11, etc.)

Itaque Banaias interfecit eum juxta cornu altaris, ut in Scholastica continetur historia. Vel persuasit ei ab altari recedere; sive (ut aliqui dicunt) vi fuit ab altari retractus, quoniam in Exodo Dominus jussit : Si quis per industriam occiderit proximum suum, vel per insidias, ab altari meo avelles eum ut moriatur. (*Exod.* XXI, 14.) Ex quibus etiam verbis ostenditur, quod Salomon non peccavit, occidendo eum in loco sacro. Nam Joab artifex homicida, per industriam nefariam proditoriasque insidias ac tempore pacis, interfecit duos principes illos. (II *Reg.* III, 27; XX, 10.) Denique ex hoc quod in tabernaculo illo typico erat reis refugii locus, monstratur quam rationabiliter Constantinus imperator inter cetera privilegia dedit ecclesiis, ut confugientes in eas sint liberi : et tamen qui violant pacem, capiuntur in eis. *Ascendit itaque Banaias filius Joiadæ, et aggressus eum interfecit; sepultusque est in domo sua in deserto*. Quocirca recitat Lyra : Dicit Rabbi Salomon quod Joab fecit ibi hospitale ad recipiendum peregrinos ac pauperes transeuntes. Unde dicunt Hebræi eum esse salvatum, et quod mors temporalis sibi inflicta fuit in expiationem peccatorum suorum. Sed an hoc sit verum, videlicet eum esse salvatum, securius divino videtur committendum judicio, quam temere asserendum. Nec ex hoc sequitur, quod sit salvatus, quia fecit hujusmodi hospitale; sed potius si mortem illam et manifestum aggressum æquanimiter tulit, et de sua conspiratione ac ceteris vitiis vere pœnituit.

Et constituit rex Banaiam filium Joiadæ pro eo, scilicet Joab, *super exercitum*, hoc est, principem militiæ fecit Banaiam qui erat condignus, utpote vir strenuus, fortis, prudens et integer; *et Sadoc sacerdotem posuit* pontificem *pro Abiathar* : sicque pontificium fuit reductum ad posteritatem Eleazari primogeniti Aaron sacerdotis. (*Exod.* VI, 23; XXVIII, 1.)

Misit quoque rex, et vocavit Semei, de tribu Benjamin, habitantem extra Jerusalem. *Dixitque ei : Ædifica tibi domum in Jerusalem, et habita ibi; et non egrediaris inde huc atque illuc. Quacumque enim die egressus fueris, et transieris torrentem Cedron* : qui torrens est inter Jerusalem montemque Oliveti, et vocatur torrens Cedron quoniam juxta eum oriuntur et stant cedri; *scito te interficiendum* : non quod eodem die quo exiit, occideretur, quia nec sic factum est, sed quod die illo sic exeundo mereretur occidi. *Sanguis tuus erit super caput tuum*, id est, effusio sanguinis tui imputabitur tuis demeritis. *Dixitque Semei regi : Bonus sermo*, pia ordinatio. *Sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus*. Nam timuit statim occidi. Istud injunxit Salomon Semei huic, ne hinc inde vagando faceret seditionem in populo, quia erat seditiosus et inquietus. Unde et Salomon satis conjecit, quod tandem transgrederetur istud præceptum. *Habitavit itaque Semei in Jerusalem diebus multis*.

Factum est autem post tres annos, ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha, regem Geth. Nuntiatumque est Semei, quod servi ejus essent * *in Geth. Et surrexit Semei, et stravit asinum suum, ivitque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos, et adduxit eos de Geth. Nuntiatum est autem regi Salomoni, quod*

* issent

Digitized by Google

isset Semei in Geth de Jerusalem, et re- A *diisset. Et mittens vocavit eum, dixitque illi : Nonne testificatus sum tibi per Dominum, et prædixi tibi, Quacumque die egressus fueris huc et illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi : Bonus sermo quem audivi. Quare ergo non custodisti jusjurandum Domini, et præceptum quod præceperam tibi? Dixitque rex ad* II Reg. xvi, 5-8. *Semei : Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum, quod fecisti David patri meo. Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum :* hoc est, justo judi- B cio permisit te cadere in transgressionem præcepti mei, propter iniquitates tuas in David commissas, propter quas nunc debitam tibi pœnam infliget per me. *Et rex Salomon benedictus* sit a Deo, id est donis gratiæ perornatus, *et thronus David,* hoc est regia ejus successio et præsidentia judicialis, *erit stabilis coram Domino usque in sempiternum.* Hoc fuit verbum bonæ fiduciæ, quia speravit ita futurum, atque implicita quædam oratio, quia optavit sic evenire ; sed propter Salomonis scelera regnum fuit divisum, et propter posterorum III Reg. xi, 35, 36; xii, 19. suorum facinora, fuit tempore Babylonicæ captivitatis ablatum, quamvis postea ali- IV Reg. xxv. qualiter recuperatum. Sicque verbum hoc I Esdr. i; vi, 14, 15. Salomonis fuit sub conditione intelligendum, videlicet nisi sua et suorum peccata aliud mererentur. *Jussit itaque rex Banaiæ filio Joiadæ ; qui aggressus, percussit eum, et mortuus est.*

ARTICULUS IV

DE SPIRITUALI HUJUS SECUNDI CAPITULI SENSU.

PER hoc quod David recessurus de vita C præsenti, sollicitus fuit de idoneo successore, et eum loco sui instituit, quem novit a Domino prælectum ad præsidendum, atque eumdem diligenter admonuit et instruxit de observatione legis divinæ, et de exsecutione justitiæ, ac justa remuneratione, moraliter edocemur, quod reges et principes sæculares satagere debent, ac diligentissime providere, ut virtuosos post se relinquant suorum successores dominiorum, et eos quos æstimant successores in principatu, vigilantius exhortentur ad Dei D timorem, ad æquitatis tenorem, ad præsidentiam justam. Prælati quoque cum summo conatu debent prospicere, ut eis succedant vere idonei et condigni, qui vocentur Hebr. v, 4. a Deo ut Aaron, seu legitime eligantur ac instituantur, nec ingerant semetipsos, nec intrudantur.

Denique, sicut David moriturus, filio suo regi ac judici commisit exsecutionem rigoris juris in eos, quos ipse ex rationabili causa distulit aut convenienter nequivit punire, sic potest rex seu princeps moriturus suo committere successori. Rursus, sicut David moriturus, Salomonem constituit regem, sic Christus proximus passioni, beatissimum Petrum designavit sibi in Matth. xvi, 18, 19. potestatis plenitudine successurum : quem et cito post passionem constituit totius Ecclesiæ præsulem ac rectorem, atque ecclesiasticæ potestatis plenitudinem contulit ei, dicendo, Pasce oves meas, ut solveret Joan. xxi, 17. et ligaret. Et quia in veteri Testamento rex altior fuit ac dignior præsule, quia sacerdotium illud erat typicum et carnale, ideo Salomon potuit jurisdictionem ac disciplinam in Abiathar exercere. In novo autem Testamento, sacerdotium pontificatusque dignitas ineffabiliter præeminent omni regali ac sæculari potestati, auctoritati et dignitati : idcirco nec Imperatori, nec regibus, nec principibus licet aut convenit

Digitized by Google

jurisdictionem aut correctionem exercere A in clero, nisi forsan eis a summo Pontifice concedatur. *Salomon autem sedit super thronum patris sui, et firmatum est regnum ejus nimis.* Sic Christo crucifixo atque in cœlum elevato, Petrus in plenitudine potestatis, et auctoritate pontificii summi resedit; in ejus regimine Ecclesia militans vehementer profecit et crevit, ita quod innumerabilia millia undique convertebantur ad Christianismum; et per gloriosi Petri miracula, exempla et documenta, roborabatur valde Ecclesiæ po- B pulus.

Act. II, 41; IV, 4.

Et ingressus est Adonias ad Bethsabee. Per Adoniam fratrem Salomonis, designantur quidam ex Judaismo ad Christum conversi, sed hæretica pravitate infecti: qui Abisag, hoc est Synagogam, in Christum vere et plene credentem, sicque ipsius sponsam et conjugem, petierunt sibi dari uxorem, quoniam eos qui vere erant catholici, nitebantur ad errores suos pertrahere, ut crederent legalia simul cum Evangelio necessario observanda, quemad- C modum in Actis Apostolorum de Pharisæis credentibus hæreticis recitatur: ad quod procurandum miserunt Bethsabee ad Christum, hoc est, Scripturam veteris Testamenti, quæ fuit quasi spiritualis mater ipsorum, assumpserunt et allegaverunt, ex ea persuadere conantes, sic esse credendum. Christus vero ipsam sacram honoravit Scripturam, sed abutentes ea hæreticos condemnavit.

Ibid. XV, 5.

Insuper, per hoc quod Salomon matrem suam Bethsabee tam reverenter et maxime D honoravit, atque in suo solio fecit residere, ac deinde ad suam dexteram collocavit, eique dixit, *Pete, mater mea; neque enim fas est ut avertam faciem tuam,* præfiguratus est honor præcipuus, quem Dominus et Salvator suæ dignissimæ exhibuit Genitrici, quam secum in throno gloriæ super universos angelicorum spirituum ordines exaltavit ac posuit, copiosissimeque exaudit. Attamen sicut Bethsabee pro Adonia non fuit exaudita, sic nulli præscito ac reprobo præstantissima Christi Mater obtinere valet salutem.

Rursus, per Adoniam signantur ambitiosi et conspiratores, qui per interpositas personas, subornationes, calliditates, blandimenta et practicas, nituntur ad primatum caute ascendere, aut meliores extrudere, ita ut opinentur suas ambitiones et machinas non esse deprehendendas aut considerandas: quæ tamen a vere sapientibus et expertis cito ac faciliter perpenduntur et aperiuntur, ita quod tales confunduntur, ac suis frustrantur intentis; complices quoque et fautores eorum, qui per ipsos exaltari sperabant, vehementius dejiciuntur, et eis quæ habebant, privantur officiis, quemadmodum ipsi Joab atque Abiathar contigisse agnoscitur. Præterea, sicut Joab ad tabernaculum confugiendo nequivit evadere mortem, sic et nunc in populo christiano quidam tam enormiter criminosi consistunt, quod nec in ecclesiis consecratis possunt habere effugium.

Misit quoque rex, et vocavit Semei. Per Semei intelliguntur rebelles, seditiosi, inquieti, morte digni: quibus tamen Christus misericorditer jubet, ut vere pœniteant, et in Jerusalem commorentur, hoc est, in unitate Ecclesiæ perseverent, et ad mentis quietem se præparent, nec per pristina vitia evagentur, nec mundi lucra avare sectentur, vel in sacra religione Deo sine apostasia jugiter obsequantur, alioqui peribunt; sed quidam cum Semei mente redeunt ad mundana, propter quod condemnari merentur. Religiosus ergo in cœnobio et solitudine persistat non corpore tantum, sed et mentis recollectione et cordis affectu; nec mundum (cui renuntiavit) teneat in se clausum, per sæcularia atque inania discurrendo, ac frivola et iniqua imaginando; sed in cœlis sit conversatio ejus, æternalia et divina contemplando, Deum laudando, salubria meditando, devote orando, et semper occupando se fructuose, quia ad hæc agenda reliquit sæculum, et ingressus est cœnobium. Quod si ita non egerit, duplex sibi instat confusio.

Philipp. III, 20.

Digitized by Google

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : CONFIRMATUM EST IGITUR REGNUM IN MANU SALOMONIS.

RECITATUR in isto capitulo, qualiter A sapientiam suam Salomon accepit a Domino, et qualiter cœpit eam monstrare hominibus. *Confirmatum est igitur regnum in manu,* hoc est in potestate et actu, *Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti. Accepit namque filiam ejus* uxorem, *et adduxit eam in civitatem David,* id est in arcem, et in palatio David regis fecit eam morari, *donec compleret ædificans domum suam,* id est palatium in quo habitare decrevit : de cujus constructione infra dicetur ; *et domum Domini,* id est templum, *et murum Jerusalem per circuitum.* Tempore David fuit Jerusalem per gyrum murata, sed Salomon voluit fortius eam munire, et triplici muro circumdare. Proposuit autem specialiter tria ædificare, videlicet templum, atque palatium novum, et urbem metropolim regni sui triplici muro ambire, quatenus intra primum ambitum seu clausuram essent templum Dei, palatium regis cum habitaculis domesticorum suorum, et ædes ac mansiones sacerdotum hebdomadariorum, C qui per singulas septimanas serviebant in templo, prout primo Paralipomenon libro David legitur ordinasse ; et infra secundum ambitum habitarent viri potentes ac nobiles, ac prophetæ, secundum quod infra quarto libro narratur Holda prophetissa mansisse in Jerusalem in secunda, id est infra secundam clausuram ; et infra tertium ambitum mechanici artifices.

I *Par.* XXIV, 3 *et seq.* — IV *Reg.* XXII, 14.

Quæritur, qualiter licuit Salomoni accipere filiam Pharaonis alienigenam et paganam atque idololatram, quum Dominus D jusserit, Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua ; et iterum, Non sociabis cum eis conjugia. Respondetur, quod

Num. XXXVI, 7. *Deut.* VII, 3.

non erat filiis Israel absolute prohibitum cum alienigenis contrahere, quia in Deuteronomio datur speciale præceptum, qualiter poterant ducere feminas inter captivos gentiles inventas. Salmon quoque accepit Rahab in conjugem, et Samson Philistæam : quæ res dicitur facta a Domino. Sic et libro secundo præhabitum est, quod David accepit filiam regis Gessur in contoralem. Sic et Booz accepit Ruth. Itaque advertendum, quod filiis Israel specialiter erat inhibitum sociare connubia cum mulieribus B et puellis Chananæorum, ut in lege sæpe exprimitur ; et tamen in certo casu poterat aliter fieri, propter fidem illarum in Deum Israel, et propter probitatem beneficentiamque earum ad Israeliticum populum : sicque Salmon accepit Rahab. Cum aliarum vero gentium filiabus poterant contrahere ex rationabili causa ; sed quoniam dispar cultus est matrimonii impedimentum, oportebat illas ad fidem et cultum veri Dei converti. Porro Salomon creditur duxisse filiam Pharaonis propter commune bonum totius suæ plebis et communitatis, quoniam Pharao rex Ægypti fuit tunc præpotens rex, et terræ promissionis ex una parte satis propinquus.

Deut. XXI, 11-13. — *Matth.* I, 5. — *Judic.* XIV, 2 *et seq.* — II *Reg.* III, 3. — *Ruth* IV, 13.

Attamen populus Israel *immolabat* per manus sacerdotum sacrificia Deo *in excelsis,* id est locis sublimibus. *Non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum.* Sicque locus divini cultus nondum fuit determinatus, nec designata fuit civitas, in qua sola liceret sacrificari : ideo permittebantur filii Israel alibi immolare, prout in Deuteronomio sæpius dictum est.

Deut. XII.

Dilexit autem Salomon Dominum dilectione spirituali infusa et meritoria, *am-*

Digitized by Google

bulans in præceptis David patris sui, id est in observationibus præceptorum Dei, III *Reg.* II, *et seq.* quæ David commemoravit ac monuit ei esse servanda, atque in ceteris quæ David specialiter ei injunxit, et circa divinum cultum observanda instituit, prout primo I *Par.* XXII *et seq.* Paralipomenon per diversa capitula scribitur ; *excepto quod in excelsis immolabat :* quod David ei non jussit ; *et accendebat thymiama* in præfatis locis excelsis, videlicet alibi quam in loco quo erat arca, aut alibi quam super altare quod specialiter *Exod.* XXX, 1 *et seq. Ibid.* 34-36. altare thymiamatis vocabatur, de quo in Exodo legitur. Porro de confectione thymiamatis ex diversis speciebus aromaticis, habetur ibidem. Præterea quæritur, si immolatio et accensio thymiamatis licite in excelsis fiebant, cur hoc ponitur hic quasi in minorationem divini amoris, atque pro signo imperfectionis. Respondetur, quod commendabilius erat et melius, facere illa solum in loco et tabernaculo arcæ. Gentiles namque in excelsis sacrificabant, sicque poterat speciem mali habere, et esse erroris occasio. Unde et David non legitur II *Reg.* VI, 17; XXIV, 25; I *Par.* XXI, 26. immolasse, nisi in loco arcæ, nisi quod Deo jubente immolavit in area Ornan Jebusæi : sicque in hoc videtur Salomon defecisse a patris perfectione.

Abiit itaque Salomon in Gabaon, ut immolaret ibi. Josephus aperte scribit, quod ivit in Hebron ad immolandum ; et alii dicunt, quod Gabaon non sit proprium nomen urbis. Sed quid circa hoc sit sentiendum, et de intellectu verbi istius, et quid circa hæc dicat Glossa, dictum est in ex- II *Par.* I, 3. positione secundi Paralipomenon libri. *Illud quippe erat excelsum maximum,* celeberrimum propter præsentiam tabernaculi Moysis, altarisque holocausti exsistentium I *Par.* XXI, 29. ibi, ut primo Paralipomenon habetur; fuitque illud excelsum valde sublime et magnum. *Mille hostias in holocaustum obtulit Salomon* per manus sacerdotum *super altare illud in Gabaon.* Et sacrificia illa ad divinæ majestatis honorem totaliter comburebantur, in signum, quod homo debet se totum in Deum refundere, ac divinis mancipare obsequiis, quemadmodum totum quod est, potest et habet, a Deo accepit. Et quod dictum est, Mille hostias, accipi potest, ut Mille designet numerum determinatum vel indeterminatum, sicut in Psalmo : Verbi quod mandavit in mille *Ps.* CIV, 8. generationes. Dicitur quoque secundo Paralipomenon, quod Salomon ivit ad illud II *Par.* I, 2, 3, 5. excelsum cum universis principibus, ducibus, tribunis, et centurionibus, atque quod ibi tunc erat tabernaculum fœderis Domini, utpote tabernaculum Moysis, et altare æneum quod fecit Beseleel, id est altare holocausti. Nam altare thymiamatis *Exod.* XXX, 1; XXXVII, 25. factum fuit de lignis setim, ut in Exodo scriptum est.

His præmissis narratur, qualiter Salomoni sapientia sit infusa. *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte,* id est per visionem seu revelationem factam in somno tempore noctis ; fuitque apparitio illa interior, ministerio angeli sancti exhibita, ita quod angelus in Dei persona loquebatur, quam et repræsentavit, quemadmodum juxta divini Dionysii documenta, propheticæ revelationes factæ sunt ministerio angelorum. Et convenienter facta fuit in nocte atque in somno, quia tunc anima ad percipiendum divina est aptior, cessantibus exterioribus, strepitu et tumultu, occupatione et distractione, inquietudine quoque apprehensionum variarum sensuum exteriorum : qua cessante, sensus interiores et vis imaginativa, magis quieta sunt. Hinc in somno fieri consueverunt revelationes propheticæ et divinæ, sicut in Evangelio legitur angelus apparuisse in somnis Joseph, atque dixisse : Accipe puerum, etc. Hinc scriptum est in *Matth.* II, 13, 20. Job : Per somnium in visione nocturna, *Job* XXXIII, 15, 16. quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit Deus aures virorum, et erudiens eos, instruit disciplina.

Dicens : Postula, quid vis ut dem tibi, hoc est, unum quod magis optas habere, pete a me, quatenus postulando fias capacior, et merearis libere appetendo. Sicque

Digitized by Google

per verba hæc designantur libertas arbitrii, expeditusque usus rationis ac voluntatis Salomonis in somno, in quo usus rationis communiter est ligatus, sed per gratiam potest tunc esse liber et expeditus. Verumtamen per hæc verba non est intelligendum, quod Deus dedit Salomoni licentiam postulandi aliquid quod non licet, vel quod in talium petitione eum exaudisset ; sed præstitit libertatem petendi quidquid rationabiliter vellet, aut sine peccato appeti posset. Denique, per hoc quod Deus post immolationem immediate præscriptam, et factam in excelso, apparuit Salomoni tam gratiose, et optionem liberalissimam dedit ei, elicitur quod oblatio hujusmodi placuit Deo, imo et meritoria fuit, templo nondum ædificato ; attamen ceteris paribus, magis virtuosum et plus meritorium fuit, offerre in tabernaculo coram arca, quam alibi : quemadmodum meritorium est, propria bona pauperibus quotidie eleemosynaliter dare ; melius vero est, omnia propter Deum simul relinquere : sicut et laudabilius est, Deo servire in castitate virginali, quam viduali ; et in viduali, quam conjugali.

Et ait Salomon in somno locutione mentali : quia ex prætacta apparitione statim fuit elevatus ad Deum, et Deo inspirante cognovit, quod apparitio illa esset bona ac divina, non fallax, prout sæpe in somno contingit. *Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam,* hoc est, gratiosissimos pietatis tuæ effectus ei exhibuisti : ut patet ex præinductis. Unde non immerito dixit in Psalmo : Deus meus, misericordia mea ; et, Misericordia ejus præveniet me ; et, Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. *Sicut ambulavit,* hoc est conversatus est, *in conspectu tuo in veritate* vitæ et doctrinæ, *et justitia,* id est observantiis præceptorum, *et recto corde tecum,* id est in interiori æquitate et sinceritate, qua tibi et tuæ æquitati increatæ est conformatus, in tantum, quod de eo dixisti, Inveni David virum secundum cor meum : et hoc to-

Ps. LVIII, 18. *Ibid.* 11. *Ps.* XXII, 6. *Ps.* LXXXVIII, 21; *Act.* XIII, 22.

A tum, quod taliter coram te ambulavit, et ita se habuit, talisque fuit, ex dono et gratia tuæ pietatis processit. *Custodisti ei misericordiam tuam grandem,* id est, gratiam tuam finalem largitus es ei, et in magna pietate tua custodisti eum, præservando eum a multis peccatis, atque post lapsum resuscitando eum ad pœnitentiam et cautelam majorem ; *et dedisti ei filium sedentem super thronum ejus sicut est hodie.* II *Reg.* VII, 13 ; XXIV. 10.

Et nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum, pro David patre meo. B *Ego autem sum puer parvulus.* Ex hoc aliqui trahunt et probant, quod Salomon erat adhuc in pueritia constitutus, ita quod duodecimo circiter vitæ suæ anno cœpit regnare : de qua re postea inquiretur. Qui autem aliter opinantur, dicunt quod vocavit se puerum parvulum, non ratione ætatis aut corporeæ parvitatis, sed respectu magnitudinis officii sui regalis onerisque injuncti. *Et ignorans egressum et introitum meum,* hoc est, non satis intelligens, qualiter debeam me habere in tanto C regimine, nec proprios actus valeo clare dijudicare, an placeant tibi, sine gratia speciali. Itaque, ignoro egressum, id est actus exteriores, in quibus aliis exemplaris exsistere, et eos in via virtutum præcedere teneor ; et introitum, hoc est, actus interiores, in quibus teneor tibi puram conscientiam exhibere. *Et servus tuus in medio est populi tui quem elegisti,* id est, inter eos sum constitutus, *populi infiniti, qui numerari et supputari non potest præ multitudine,* hoc est, difficulter poterit nume-D rari, nec est simpliciter infinitus : ideo istud est hyperbolice dictum, utpote per excessum, ad insinuandum valde copiosam multitudinem plebis illius. Ceterum Deus in numero, pondere, et mensura condidit et posuit universa. *Sap.* XI. 21.

Dabis ergo, id est, precor ut des mihi, *servo tuo,* propter commune bonum populi tui, *cor docile,* hoc est mentem vere prudentem, et donis Spiritus Sancti repletam, per quæ sim in omnibus docilis, informabilis, et dirigibilis a te : siquidem

Digitized by Google

prima pars prudentiæ est docilitas; et sic- A
ut homo per virtutes morales efficitur dirigibilis a ratione, ita per septem dona Spiritus Sancti fit dirigibilis ab ipso Spiritu adorando. *Ut possit judicare populum tuum :* quia judicare, est actus elicitus prudentiæ, quamvis sit actus justitiæ, tanquam inclinantis et idoneizantis ad judicandum, ac perficientis ipsum judicium, ut sit rectum; *et discernere inter bonum et malum. Quis enim potest judicare populum istum, populum tuum hunc multum?*
quasi dicat, Nemo sine adjutorio tuo, et si- B
ne vera prudentia, quæ est virtus cui aliæ virtutes sunt annexæ, nec vitiosis inest hominibus : quam utique Salomon postulavit sibi dari in tanto excellentiæ gradu, ut per eam esset ad totius populi sui gubernationem judiciumque idoneus. Nam et ante jam habuit eam in aliquo gradu, quoniam erat in caritate et gratia, quibus prudentia est conjuncta, quum et virtutes concatenatæ dicantur.

Placuit ergo sermo coram Domino, quod
Salomon postulasset hujuscemodi rem; et C
dixit Dominus Salomoni : Quia postulasti verbum hoc, et rem hanc significatam per verba, puta prudentiam, *et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum,* id est, vitam hostium tuorum subjici tuæ potestati ad occidendum, vel dominandum, *sed postulasti tibi sapientiam, ad discernendum judicium; ecce feci tibi secundum sermones tuos. Et dedi tibi,* id est, dare decrevi, et nunc do, *cor sapiens* ad cognoscendum divina, *et*
intelligens ad sciendum ac discernendum D
humana, aliaque naturalia et creata, *in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit,* id est, nullus regum aut judicum Israel fuerit tibi æqualis in omni hujuscemodi sapientia atque scientia, hoc est in utroque simul, prout scientia prudentiam quoque includit, quæ prudentia proprie versatur circa agibilia, id est actus humanos. Postulavit autem Salomon prudentiam ethicam, qua regit homo se ipsum; et œconomicam, qua regit domum sive familiam; atque politicam, qua regit communitatem. *Nec post te surrecturus sit* aliquis tibi æqualis in sapientia, prudentia et scientia simul acceptis.

Quocirca dubitationes occurrunt, an scilicet in his excesserit Moysen, qui quotidie loquebatur cum Deo facie ad faciem, *Exod.*
qui videtur fuisse magis illuminatus quam XXXIII, 11; *Num.* XII, 8.
Salomon. Et de Adam apparet, quod fuit creatus in majori sapientia, scientia ac prudentia, qui et naturalium rerum proprietates, naturas et species cognovit tam limpide, quod visis singulis, mox congru- *Gen.* II, 20.
entia nomina eis imposuit. Denique constat, quod Christus in omnibus illis Salomonem vehementer excessit, prout in Evangelio protestatur : Ecce (inquiens) *Matth.* XII,
plus quam Salomon hic. Gloriosi quoque 42; *Luc.* XI, 31.
Apostoli fuerunt copiosius illuminati a Deo, quam patres veteris Testamenti.

Itaque advertendum, quod multiplex est sapientia : Una, quæ est primum donum *Is.* XI, 2.
inter septem dona Spiritus Sancti, quæ in unoquoque tanto est major, quanto caritas ejus est perfectior. Ideo quanto David, Abraham, Moyses, et similes eis, fuerunt viri magis heroici et perfecti, quam Salomon, tanto major sapientia fuit in eis, quam in ipso, loquendo de ista sapientia. Alia est sapientia, quæ est donum gratiæ gratis datæ, quæ est cognitio divinorum, et Scripturarum, mysteriorumque Christi, quæ potest sine caritate haberi, per quam scit homo defendere, persuadere, et declarare ea quæ fidei sunt, de qua ait Apostolus :
Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, I *Cor.* XII,
alii sermo scientiæ. Et hæc fuit valde magna 8.
in Salomone, ut patet ex Canticis canticorum; major tamen fuit in Paulo apostolo, aliisque Apostolis. Tertia est sapientia, quæ per naturalem rationem potest ex rerum naturis et ordine universi inveniri atque haberi, sicut ait Apostolus, Invisibilia Dei *Rom.* I, 20.
per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas : quæ in philosophis fuit, et potuit major esse, quam in Salomone ex subitanea infusione. Sic etiam in Salomone creditur

Digitized by Google

fuisse major cognitio naturalium : qui (ut [III *Reg.* IV, 33.] infra habetur) disputavit de singulis a summo usque ad infimum. Similiter de prudentia naturali sentiendum, in quantum est regitiva aliorum, et dispositiva de singulis. In his namque non fuerunt sancti Apostoli et Prophetæ magis illuminati, quam Salomon, imo nec magis quam philosophi, quum de Aristotele dicat Hieronymus in Regula sua, quod fuit grande miraculum in tota natura, videlicet propter eminentiam scientiæ ac prudentiæ suæ in naturalibus.

Porro scientia quæ est donum, tanto major fuit in multis sanctis, quam in Salomone, quanto fuerunt eo magis divini : similiter intellectus. De primo demum parente credendum est, quod in his quoque major fuit Salomone : et de Christo nulla est dubitatio. Sed quia tam pauci in his excesserunt Salomonem, et quod modicum est, non computatur, idcirco Scriptura tam extense facit hanc comparationem : quam tamen aliqui referunt ad reges Israel, qui ante et post eum fuerunt. Unde et ipse in [*Eccle.* I, 16.] Ecclesiaste testatur : Præcessi sapientia omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem. At vero excellentia sapientiæ atque scientiæ Salomonis patet ex hoc, quod auctor libri Sapientiæ in ejus persona testatur : [*Sap.* VII, 17-21.] Deus dedit mihi horum quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium, consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et divisiones temporum, anni cursus, et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici. Omnium enim artifex me docuit Sapientia.

Sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi et plenius dabo, *divitias scilicet et gloriam,* hoc est famam ac inclytum apparatum, et vitæ jucunditatem, imo et dies multos, ac hostium subjectionem, *ut nemo fuerit similis,* id est æqualis, *tibi* [* tui] *in re-* **A** *gibus* Israel : quemadmodum in Ecclesiaste ait, [*Eccle.* II] Supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem ; *cunctis retro diebus.* Retro, quandoque designat præteritum, ut quum ait Apostolus : [*Philipp.* III, 13.] Quæ retro sunt, obliviscens, in anteriora extendo me ipsum ; quandoque futurum : et utroque modo potest hic accipi. Unde secundo Paralipomenon apertius dicitur : [II *Par.* I, 12.] Divitias et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui. Quod si intelligatur tantum **B** de regibus Israel, clarum est ; si autem de regibus omnibus mundi hujus, habet objectionem, quoniam Crœsus, Darius, Cyrus, Octavianus, Alexander Magnus, multique alii Salomone ditiores fuisse leguntur ; qui etiam excesserunt eum in potestate, dominatione, et gloria seu famæ præclaritate saltem eo tempore quo fuerunt, quoniam multi eorum fuerunt monarchæ. Denique, Daniel sanctus ille propheta ait Nabuchodonosor regi : [*Dan.* II, 37-38.] Tu rex regum es ; et Deus cœli, regnum et fortitudinem et imperium **C** et gloriam dedit tibi ; et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestiæ agri ; et volucres cœli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit. Talis autem aut tanta magnificentia et opulentia, non est Salomoni collata. Similiter alio loco Daniel dicit regi illi : [*Ibid.* IV, 17-19.] Arbor quam vidisti, tu es, rex, qui magnificatus es et invaluisti, et magnitudo tua crevit et pervenit usque ad cœlum, et potestas tua in terminos universæ terræ. Quibus verbis additur a Daniele postea : [*Ibid.* V, 19.] Universi populi, **D** tribus et linguæ, tremebant et metuebant eum. Tantæ autem famæ et reputationis non fuit Salomon in toto orbe terrarum. Verumtamen quidam exponunt prædicta de regibus universis, dicentes, quod quamvis quidam eorum fuerint majores Salomone in potestate et gloria, non tamen fuerunt ei æquales in omnibus jam præfatis simul acceptis, hoc est in sapientia, scientia et prudentia, opulentia et gloria.

Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea et mandata mea,

Digitized by Google

sicut ambulavit pater tuus, id est perseveranter, et quum cecideris, pœnitentiam egeris, *longos faciam dies tuos.* Unde et Moyses in Deuteronomio ac alibi sæpe hortatur : Custodi præcepta Domini Dei tui, ut longo vivas tempore. (Deut. IV, 40 ; V, 16 ; XVII, 20.) Sed circa hæc oritur quæstio, quia in verbis his videtur Dominus insinuasse, quod si Salomon non ambularet in viis suis, ut David, non faceret dies ipsius longos : quid est ergo, quod Salomon legitur infra peccasse gravissime, (III Reg. XI, 4-8.) et nihilo minus senuisse ? imo secundum Josephum, ut infra tangetur, octoginta annis regnavit. Ad quod poterit responderi, quod Dominus per promissionem illam voluit Salomonem provocare ad perseverandum in bonis, non tamen negavit se ei daturum dies longos, si caderet. Rursus, per verba illa significavit, quod peccando mereretur vitæ abbreviationem : quod etiam in eo forsan impletum est. Quid vero de verbis Josephi sentiendum putetur, infra pandetur. Aliqui etiam dicunt, quod plurimis annis vixit juste, et paucis injuste, ac tandem pœnituit, prout dicetur inferius.

Igitur evigilavit Salomon. Ex quo constat, quia tota apparitio, allocutio et responsio jam præfatæ, sunt factæ in somno ad aures et oculos cordis, ac ore mentis, quo verba proferuntur interiora, quorum signa sunt verba exteriora. Nam in somno illo, ut dictum est, viguit ratio Salomonis, ac libertas arbitrii ejus. *Et intellexit quod esset somnium.* Si *quod* sumatur pronominaliter, sensus est, quod cognovit quid revelatio illa significavit. Intelligentia quippe est opus ac principale in visione, ut in Daniele fertur. (Dan. X, 1.) Si autem aliter accipiatur, sensus est, quod intellexit quod somnium seu visio illa facta in somno, esset vere revelatio facta a Deo : quod etiam experiebatur in semetipso, ex plenitudine illuminationis ac sapientiæ sibi infusæ. Proprie autem loquendo, ab invicem distinguuntur somnium, visio, oraculum : quoniam visio dicitur revelatio seu cognitio occultorum, magis clara et intellectualis, qua

A res ostenduntur prout sunt aut fiunt, sive in vigilia, sive in raptu et ecstasi, aut in somno. Somnium vero dicitur revelatio facta in somno per imaginarias similitudines, magis obscure : ideo secundum Hieronymum super Danielem, somnia sunt, quibus per symbola et ænigmata, aut per phantasmata, aliqua demonstrantur. Hinc Rabbi Moyses loquitur, quod somnium est casus a prophetia et visione, quoniam prophetia est visio in lumine intelligentiæ, somnium autem est manifestatio futurorum

B aut secretorum in imagine, hoc est phantastica specie, ubi cadit et quasi occumbit intelligentiæ lumen. Porro, secundum Albertum, oraculum est expressa rerum prædictio, id est prænuntiatio manifesta, et in somno percepta : frequenter tamen pro revelatione responsiva ad inquisita accipitur.

Quumque venisset Salomon *Jerusalem, stetit coram arca fœderis Domini :* statim namque ex devotionis fervore, intravit tabernaculum, in quo David posuerat arcam, (II Reg. VI, 17 ; III Reg. VIII, 9.)

C in qua erant tabulæ testamenti seu pacti, quod Deus percussit cum filiis Israel ; *et obtulit holocausta* per manus sacerdotum, gratias agens Deo pro beneficiis tantis, *et fecit,* hoc est immolavit, *victimas,* id est hostias, *pacificas,* regratiando pro pace jam data, ac deprecando pro eadem conservanda. Fecit *et grande convivium universis famulis suis* domesticis ac familiaribus, quos voluit suæ lætitiæ esse participes.

Consequenter refertur in littera, qualiter Salomon sapientiam cœpit opportune

D monstrare : quam non jactavit inaniter, neque ex animi levitate statim patefecit dona gratiæ sibi collata ; sed tempus congruum exspectavit, ut decet virum constantem ac sapientem, qui nil agit præcipitanter. *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem :* forsan in signum quod a meretricibus fuit postea decipiendus, ut tangit Glossa ; *steteruntque coram eo. Quarum una ait : Obsecro, mi domine,* patienter me audi ; *ego et mulier hæc habitabamus in domo una, et peperi apud eam in cubi-*

Digitized by Google

culo. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit et hæc. Et eramus simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte. Dormiens quippe hæc mulier *oppressit eum,* filium suum. *Et consurgens intempestæ noctis silentio,* id est in ipsa quiete noctis intempestæ, id est ineptæ ad operandum. Intempestum namque adjective sumptum, vocatur incongruum seu inutile ad operandum, quasi sine actu et tempore : sicque nox dicitur intempesta, tanquam incongrua rebus gerendis. Intempestum quoque substantive sumptum, vocatur pars noctis, quæ dicitur intempesta, id est sine tempore, quum sit deputata quieti. Tempus autem motu et operatione percipitur, secundum Philosophum. Nihilo minus nox, sicut et dies, est pars ac differentia temporis. *Tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo; suum autem filium qui erat mortuus, posuit in sinu meo. Quumque surrexissem mane, ut darem lac filio meo, apparuit mortuus. Quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram. Responditque altera mulier : Non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. Econtrario illa dicebat : Mentiris; filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege.*

Tunc rex ait : Hæc dicit, Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est. Et ista respondit : Non; sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. Dixit ergo rex : Afferte mihi gladium. Quumque attulissent gladium coram rege : Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri. Quum enim Salomon jussisset sibi ensem afferri, infantemque dividi, senes et assessores ipsius factum hoc tanquam puerile quid deridebant, ignorantes regis intentionem : qui non intendebat infantem dividere, sed per verba et gesta illa explorare quæ esset mater infantis, certus quod

A natura matris non mentiretur, sed puero condoleret, quemadmodum subditur. *Dixit autem mulier cujus filius erat vivus, ad regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo) :* id est, intime condoluit infantulo dividendo ex se nato, in tantum quod dolor compassionis redundavit in corpus suum, et omnia ejus interiora alteravit : *Obsecro, domine, date illi infantem vivum, et nolite,* tu et minister tuus, *interficere eum,* tu jubendo, ille exsequendo. Quasi dicat : Sufficit mihi ut vivat, B quamvis in manu alterius. *Econtrario illa dicebat : Nec mihi nec tibi [sit], sed dividatur.* Josephus narrat, quod rex præcepit utrumque infantulum dividi, ut utraque mulier medietatem acciperet utriusque infantis ; sed textus solum refert de divisione vivi infantis, quia per illum veritas fuit comperta.

Respondit rex, qui optime consideravit ex quo fundo et fonte cordis utraque mulier loquebatur, *et ait : Date huic infantem vivum, et non occidatur; hæc est enim* C *mater ejus,* prout patefecit materna compassio. Unde et Isaias fatetur : Numquid oblivisci potest mulier infantis sui, ut non misereatur filio uteri sui ? Qua audita sententia, senes et assessores admirati sunt sapientiam Salomonis, quem primo quasi parvipendebant, quando gladium jussit afferri : tamen et ipsi hæsitabant, audita meretricum contentione, quid in tantæ rei discrimine esset agendum. Porro, ex vivi infantis divisione nulli mulierum illarum commodum provenisset, sed una earum D fuisset grande damnum perpessa, videlicet mater interitum suæ prolis. Idcirco videbatur hoc irridendum. Nam et per aliam viam potuisset veritas investigari : quia vicini forsitan noverant ipsos infantulos, et quis ad quam spectaret; nisi dicatur, quod nemo eorum viderit pueros.

Audivit itaque omnis Israel judicium quod judicasset, id est, judicando protulisset ac justum dictasset *rex, et timuerunt regem,* ne eum offenderent, et ne dijudicarentur ab eo. Itaque boni timuerunt

Is. XLIX. 15.

Digitized by Google

eum filiali timore, perversi servili. Unde ad Romanos ait Apostolus : Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa; si autem male feceris, time : Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. *Videntes sapientiam Dei,* id est datam a Domino, *esse in eo* excellenter *ad faciendum judicium.* Tantam autem sapientiam atque scientiam contulit Deus Salomoni principaliter ex sua pietate immensa, et propter commune A bonum populi sui, et quoniam David in extremis ferventer Dominum exoravit pro Salomone, ipseque Salomon erat devotus et Deum amans.

Rom. XIII, 3, 4.

Quæritur circa præhabita, quæ feminarum illarum fuerit vera mater vivi infantis, an illa scilicet quæ primo querelam proposuit regi. Et apparet quod non, quoniam illa quæ filium suum oppresserat, videtur ex invidia mota ad accusandum eam quæ adhuc viventem habuit filium, a qua forte timuit accusari de oppressione proprii nati.

ARTICULUS VI

DE SPIRITUALI HUJUS CAPITULI TERTII INTELLECTU.

PRÆTEREA juxta mysticum sensum, per hoc quod Salomon filiam Pharaonis duxit uxorem a gentilitatis errore conversam, præfiguratum est, quod Christus verus et summus pacificus, gentilitatem ad veræ fidei lumen conversam, sumpsit in sponsam : quam *adduxit in civitatem David,* id est, primitivæ Ecclesiæ ex Judæis collectæ conjunxit, *donec compleret ædificans domum Domini,* id est, Ecclesiam toto orbe terrarum diffunderet. *Abiit Salomon in* excelsum *Gabaon, ut immolaret ibi.* Sic promoti ad prælationem aut principatum, debent ad Deum confugere, et ei sacrificium laudis, cor contritum et humiliatum, thymiama devotæ orationis et obedientiam sanctam offerre.

Quemadmodum autem Dominus dixit ad Salomonem, Postula a me quod vis; sic unicuique præsidenti, propriam insufficientiam humiliter recognoscenti, atque divinum postulanti subsidium, Dominus præbet se paratum ad succurrendum ac dandum quod rationabiliter ac perseveranter petierit. *Ego sum puer parvulus, ignorans egressum et introitum meum.* Sic omnis qui præest, debet se jugiter coram Deo hu- B miliare, ignorantiamque fateri, atque perpendere quod ad sui ipsius directionem ac regimen impotens sit et ineptus, nisi desuper adjuvetur : quanto magis ad suam ac aliorum gubernationem? Ideo debet a Domino sapientiam postulare, per quam in omnibus ordinate se habeat, et ad eos qui foris sunt, et ad sibi commissos exemplariter conversetur, ac sine personarum acceptione justum in cunctis judicium proferat. Nempe, ut ait Glossa : Si Salomon corporum rector, sapientiam flagitavit, quanto magis animarum rectores debent hanc postulare, exemplo ejus et instar illius qui testatur : Adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis : Deus patrum meorum, da mihi sedium tuarum adsistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret, et sciam quid acceptum sit apud te?

Coloss. IV, 5. Lev. XIX, 15. Sap. VIII, 21; IX, 1, 4, 10.

Placuit sermo coram Domino, quod sapientiam *postulasset. Et dixit : Quia postulasti verbum hoc,* etc. *Et hæc quæ non postulasti, dedi tibi.* Hoc est quod Salvator in Evangelio hortatur ac spondet : Primum, inquiens, quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. His

Matth. VI, 33.

Digitized by Google

quippe qui spiritualia charismata et Dei honorem fideliter et ferventer exquirunt, temporalia necessaria adjiciuntur. Postquam vero Dominus absolute promisit Salomoni sapientiam, divitias et gloriam in hac vita promisit ei sub conditione, *Si ambulaveris in viis meis, longos faciam dies tuos.* Multis quippe malis et etiam reprobis largitur in sæculo isto, famam, divitias, scientiamque informem et sapientiam verbi; sed solis electis et justis, in viis virtutum perseverantibus, tribuit æternitatis felicitatem. Dies equidem vitæ præsentis sunt parvi et mali, et vita nostra est quasi vapor ad modicum parens, et tanquam umbra super terram ; sed salus vitæ futuræ innumerabiles dies complectitur et includit : propter quod justo Dominus repromisit, Longitudine dierum adimplebo eum.

Gen. XLVII, 9; *Jacob.* IV, 15; I *Par.* XXIX, 15.

Ps. XC, 16.

Fecit Salomon *grande convivium universis famulis suis.* Sic prælatus et omnis qui præest, subditos suos ac servos debet verbo Dei reficere, aqua sapientiæ salutaris potare, virtuosa exemplaritate nutrire, cordis affectu, oratione, prædicationeque pascere. Etenim servus fidelis et prudens talentum sibi concessum ac creditum fructuose nititur dispensare : quod qui negligit facere, servus nequam vocatur, et donis sibi collatis privatur, ac tanquam inutilis in tenebras infernales projicitur.

Eccli. XV, 3.

Matth. XXV, 14-30.

Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem. Per hoc figuratum est, quod moderante Altissimo frequenter contingit, ut bonis hominibus post spiritualium do- A norum acceptionem et gustum, post illuminationem internam, objecta carnalium deliciarum fallaciter blandiantur, tentamentaque carnis eveniant. Et specialiter per duas has meretrices, duplex genus peccatorum monstratur. Omnis namque anima mortali subjacens culpæ, adultera est, meretrixque diaboli : quia relicto Sponso cœlesti, consentit maligno spiritui, et commiscetur eidem ad producendum opus iniquum. Verumtamen quædam sunt animæ, quæ etsi peccatrices exsistant, aliqua ta- B men agunt opera ex suo genere bona; nec justos persequuntur, diffamant aut lædunt, sed amant ac diligunt; flexibiles quoque sunt et pronæ ad compunctionem : propter quod tandem misericorditer præveniri solent a Domino, et fructu virtutum ditari. Aliæ vero adeo malitiosæ et invidæ sunt, ut melioribus obloquantur, invideant, atque infestæ sint : quod totum gladius verbi Dei, discretio veri judicii probat. Postremo, per invidam et totam malitiosam ac obstinatam meretriculam illam, perfida C Synagoga, plebs omnis incredula, hæreticorum quoque collectio apte signantur : quæ meretricem aliam meliorem, id est Ecclesiam catholicam, et maxime primitivam, atque ex gentilitate conversam, et a pristinis fornicationibus expurgatam, invidiose sunt persecutæ, et fructum ipsius exstinguere sunt molitæ, sed gladio sacræ Scripturæ ab invicem discernuntur; et improba illa meretricula confutatur atque damnatur a Christo.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO CAPITULI QUARTI : ERAT AUTEM REX SALOMON REGNANS.

EXCELLENTIA quam habuit Salomon in officiatis clarissimis, in præfectis atque domesticis, in multitudine copiosissima subditorum, in abundantia alimento- D rum, in equis et curribus, in sapientia et rumore seu fama, hic describuntur. *Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israel,* id est super duodecim tribus; *et hi*

Digitized by Google

principes, id est principales officiati domestici, *quos habebat : Azarias filius Sadoc* pontificis, *sacerdos* erat specialis, et quasi capellanus ipsius regis ad orandum et sacrificandum pro eo; *Elihoreph et Ahia filii Sisa* erant *scribæ*, id est doctores et periti ac sapientes in lege, vel ut quidam exponunt, scriptores regis ad scribendum epistolas ejus, gestaque temporum; *Josaphat filius Ahilud a commentariis*, id est cancellarius; *Banaias filius Joiadæ super exercitum. Sadoc autem et Abiathar sacerdotes* summi, ita quod Sadoc fuit pontifex, et Abiathar mox post eum in ordine. Istud autem in expositione secundi capituli declaratum est plenius : ubi ostensum est, qualiter istud non contrarietur ei quod
III *Reg.* II, 27. scriptum est ibi, ipsum Abiathar a Salomone de sacerdotio esse ejectum. *Azarias filius Nathan* prophetæ, erat *super eos qui adsistebant regi*, id est super custodes ipsius, seu super eos qui familiarius et magis assidue regi adstabant, secundum quod regibus solent quidam hoc modo adsistere; *Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis*, id est regi præcipue carus, et ad conservandum ei amicitiam veram in cunctis specialiter deputatus : qui et sacerdos regis vocatur, non ratione sacerdotalis officii, sed primatus cujusdam, quia nec Nathan legitur de sacerdotali stirpe fuisse;
II *Reg.* VIII, 18. et supra libro secundo leguntur filii David sacerdotes fuisse hoc modo, id est præcipue honorati post regem. Sic itaque Salomon honoravit filios Nathan, qui ad ejus
III *Reg.* I, 11 *et seq.* promotionem maxime fuit cooperatus, et a quo ipsemet Salomon fuit nutritus ac informatus, et quoniam digni erant, et patrem suum in virtutibus imitantes. *Et Ahisar præpositus domus*, id est procurator, dispositorque palatii; *et Adoniram filius Abda* erat *super tributa*, id est, ordinavit de receptione tributorum, de quibus ratio sibi dabatur.

Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel : non quod quilibet eorum toti Israeliticæ præfuerit plebi, sed unusquisque certæ parti Israelitici

A regni, prout in textu describitur; *qui præbebant annonam regi et domui ejus*, id est necessaria victui Salomoni et ejus domesticis; *per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant*, videlicet quilibet in mense sibi præfixo, de reditibus regis ; et inter duodecim illos duo fuerunt, quorum uxores erant filiæ regis. *Et nomina eorum : Benhur in monte Ephraim. Bendecar in Macces et in Salebim, in Bethsames et in Elon et Bethhanan. Benhesed in Aruboth. Ipsius enim*
B *erat Socho, et omnis terra Epher. Benabinadab, cujus omnis Nephath Dor, Tapheth filiam Salomonis habebat uxorem. Bana filius Ahilud regebat Thanac et Mageddo, et universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana, subter Jezrael, a Bethsan usque Abelmehula e regione Jecmaan. Bengaber in Ramoth Galaad, habebat Havothjair, filii Manasse in Galaad. Ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas. Ahinadab*
C *filius Addo præerat in Manaim. Achimaas in Nephthali : sed ipse habebat Basemath filiam Salomonis in conjugio. Baana filius Husi, in Aser et in Baloth. Josaphat filius Pharue, in Issachar. Semei filius Ela, in Benjamin. Gaber filius Uri, in terra Galaad, et in terra Sehon regis Amorrhæi, et Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra.*

Juda, id est populus tribus Juda, qui ob causam sæpe præhabitam specialiter numeratur, *et Israel*, id est populus tribuum
D ceterarum, erant *innumerabiles*, id est difficulter numerabiles, *sicut arena maris in multitudine*, per hyperbolen, *comedentes et bibentes atque lætantes*, id est temporali prosperitate abundantes, sicut in lege fuit *Exod.* XXIII, 25 *et seq.*; *Deut.* VII, 12 *et seq.*
promissum cultoribus Dei, ac etiam Domino servientes cum rege suo. *Salomon autem erat in ditione sua*, id est in suo imperio, *habens omnia regna secum a flumine terræ Philistiim, usque ad terminum Ægypti, offerentium munera sibi et servientium ei cunctis diebus vitæ ejus*. Hoc dici-

Digitized by Google

tur ad insinuandum, quod Salomon habuit sibi subjecta omnia regna ac territoria filiis Israel repromissa.

Erat autem cibus Salomonis per singulos dies triginta cori similæ. (Ezech. XLV, 11.) Corus continebat triginta modios. Modii tamen illi erant tam parvi, ut in libro Ruth scriptum sit, (Ruth III, 15.) quod Booz mensus est ipsi Ruth sex modios hordei in pallio ejus, quos posuit super eam. Porro simila est delicatissima tritici farina. *Et sexaginta cori farinæ,* id est, panes tot cororum, erant panes regis et ejus familiæ omni die. Unde elicitur, quod magnam prorsus familiam habuit : quod etiam patet ex carnibus pecorum et avium et venaticiorum animalium, quæ quotidie edebantur in domo sua, sicut subditur : *decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum atque bubalorum, et avium altilium. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, quasi a Thaphsa usque ad Gazam, et cunctos reges illarum regionum; et habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium,* id est ordinatorum pro quadrigis trahendis, *et duodecim millia* præsepia equorum *equestrium,* qui erant pro usu militum equitantium. *Nutriebantque eos supradicti regis præfecti; sed et necessaria mensæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore suo. Hordeum quoque, et paleas equorum, et jumentorum deferebant in locum ubi erat rex, juxta constitutum sibi.* His objici potest, quod in libro secundo Paralipomenon dicitur : (II Par. IX, 25.) Habuit Salomon quadraginta millia equorum in stabulis. Ad quod dicitur, quod præsepe et quadriga frequenter in Scripturis sumuntur pro ipsis equis et jumentis, quæ erant in ipsis præsepiis ac quadrigis.

Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, ad contemplandum divina, *et prudentiam multam nimis* in rebus humanis ac practicis. Quotidie namque bene vivendo profecit in illis habitibus, et Dominus auxit dona sua in rege devoto. *Et latitudinem cordis,* id est circumspectionem seu caritatis amplificationem, per quam ad omnes se extendebat, *quasi arenam, quæ est in littore maris. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum,* ita quod erat major philosophus, quam quisquam illorum, et eos in scientiis naturalibus superavit. *Et erat sapientior cunctis hominibus* sibi contemporaneis, sub nomine sapientiæ comprehendendo sapientiam quamcumque, tam naturalem quam infusam, et scientiam atque prudentiam : in quibus simul sumptis, non habuit majorem nec æqualem, juxta sensum præcedenti articulo introductum; (III Reg. III, 12.) *sapientior Ethan Ezrahita,* id est de loco Ezrahi sic vocato, qui erat cantor atque Levita, *et Heman et Chalcol et Dorda filiis Mahol,* id est viris his in sapientia tunc famosissimis.

Locutus quoque est Salomon tria millia parabolas. Non dicitur, quod scripserit eas, sed expressit eas ore ad suos ministros : et ita ex ore ejus fuerunt collectæ, et in scriptis redactæ, ut fertur; et major pars videtur fuisse omissa. *Et fuerunt carmina ejus quinque millia.* Verumtamen Magister in historiis scribit, quod Salomon scripsit librum de modulationibus et canticis, tria quoque millia scripsit parabolarum. Dicitque Glossa : Neque carmina, neque disputationes Salomonis habentur. Et aliqui opinantur, quod libri in quibus continebantur, fuerunt per Chaldæos combusti, nec per Esdram sunt reparati. *Et disputavit super lignis,* id est naturis, viribus et proprietatibus arborum et herbarum ac pretiosorum lignorum; *a cedro quæ est in Libano,* id est inclusive a lignis cedrinis, quæ in monte Libano oriuntur, et sunt præcipuæ altitudinis, magnitudinisque eximiæ, *usque ad hyssopum* inclusive, *quæ egreditur de pariete,* quæ est humilis herba. Quasi dicatur : De singulis disputavit a

Digitized by Google

maximo usque ad minimum, atque de intermediis, declarando eorum naturas, proprietates ac vires, præsertim quæ hominibus possunt prodesse. *Et disseruit de jumentis et volucribus et reptilibus et piscibus,* notificando eorum proprietates, commoditates et vires, atque per unumquodque genus parabolam dicens : quæ omnia non habentur, vel descripta non erant, aut scripta perierunt; tamen inter carmina Salomonis, computant aliqui Cantica canticorum. *Et veniebant* aliqui *de cunctis populis,* in circuitu aut non multum remote commorantibus, *ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ qui audiebant sapientiam ejus,* quidam venerunt ad ipsum.

Sensus spiritualis.

Spiritualiter, *rex Salomon regnans super omnem Israel,* est Dominus et Salvator, universorum rex, judex ac præses fidelium. Per diversos autem et præclariores officiatos Salomonis, designantur discipuli Christi, in diversis officiis, gradibus ac statibus constituti, quemadmodum ad Corinthios scribit Apostolus : (I Cor. XII, 5.) Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. (Ibid. 28.) Et : Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Porro, sacerdos Christi, Petrus princeps Apostolorum, qui in apice sacerdotii Christo successit; scribæ Christi, sancti Evangelistæ, seu Paulus et Nathanael legisperiti; amicus Christi, sacratissimus Joannes Baptista, (Joann. III, 29.) amicus Sponsi; duodecim præfecti, sunt duodecim benedicti et præelecti Apostoli, quos Deus (Ps. XLIV, 17.) constituit principes super omnem terram, quibus ad prædicandum divisit orbem terrarum : qui Christo pabula cum cura præbuerunt ingenti, incorporando eidem eos quos converterunt ad fidem. *Juda et Israel innumerabiles.* Quasi incomparabiliter innumerabilior factus est populus christianus, confitens Domino, ac divina contemplans, (Joann. VI, 33, 51.) *comedentes et bibentes,* panem qui descendit de cœlo et sanguinem ejus in

A Sacramento, et gloriantes in Domino. *Salomon erat in ditione sua habens omnia regna,* etc. Hoc vere in Christo completum est, de quo fuit prædictum : (Ps. XXI, 28.) Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ. (Matth. II, 11.) Obtuleruntque munera ei se ipsos et omnia sua, sacrificia laudis, (Ps. XXVI, 6.) hostiam vociferationis, incensum orationis.

Erat autem cibus Salomonis, etc. Per tam multa, magna et varia cibariorum genera Salomonis, præfigurata sunt spiritualia Christi uberrima, pinguissima atque B dulcissima alimenta, utpote ecclesiastica sacramenta, panis lacrimarum et contritionis, infusio gratiæ ac virtutis, prælibatio felicitatis futuræ, contemplatio divinorum, abundantia spiritualium gaudiorum, libri sacræ Scripturæ, et multiplex sensus ejusdem, confortatio cordis per opera bona, salutaris doctrina. Currus et equi Christi, sunt prædicatores devoti, qui ad audientium corda Christum deferunt et inducunt; virtuosi quoque prælati et viri perfecti, qui instar aurigæ dirigunt proximos per viam C præsentis exsilii ad patriam claritatis æternæ, et tanquam quadriga portant proximos adhuc pusillos, et curam gerunt eorum, atque eorum supportant defectus, juxta quem modum beatissimi viri Elias et Eliseus vocati sunt currus Israel et auriga ejus. (IV Reg. II, 12; XIII, 14.) Unde fertur in Psalmo : (Ps. LXVII, 18.) Currus Dei decem millibus multiplex. Per Isaiam quoque loquitur Dominus : (Is. LXVI, 19, 20.) Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in Africam, in Italiam et Græciam; et adducent omnes fratres vestros donum Domino in equis et qua- D drigis.

Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium ; et erat sapientior cunctis hominibus. Hoc Christo plenissime competit, qui stultam monstravit sapientiam hujus mundi, (I Cor. I, 20.) cujus comparatione sapientes, insipientes censentur, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque (Coloss. II, 3.) scientiæ reconditi. *Locutusque est Salomon tria millia parabolas.* Per omnia illa Salomonis proverbia, documenta ac carmina, designantur sapientia et scientia ac

doctrina Christi in Evangelio nobis descripta, qui et multa prædicavit et docuit, ac plurima egit miracula, quæ non sunt descripta. *Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis.* Sic ad Christi Ecclesiam confluxerunt innumerabiles homines ad audiendum sapientiam Salvatoris in Evangelio promulgatam. Ad Christi quoque personam in terris A conversantem, evangelizantem, miraculisque fulgentem, multa millia concurrerunt, quemadmodum scriptum est : Jesus cum discipulis suis secessit ad mare, et multa turba a Judæa et Galilæa secuta est eum; et ab Jerosolymis, et ab Idumæa, et trans Jordanem, et qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. Marc. III, 7, 8.

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : MISIT QUOQUE HIRAM REX TYRI SERVOS SUOS AD SALOMONEM.

NARRATUR hic, qualiter ad ædificandum templum præparavit se Salomon. *Misit quoque Hiram rex Tyri :* quæ fuit metropolis regni, cujus urbis opulentia ac magnificentia in Ezechiele describuntur; *Ezech.* XXVII. *servos suos ad Salomonem,* ad congratulandum ejus promotioni. *Audierat enim quod ipsum unxissent regem super Israel pro patre ejus, quia amicus fuerat Hiram* II *Reg.* V, 11. *regis David omni tempore,* quo pariter regnaverunt, seu ab eo die quo amicitiam invicem contraxerunt.

Misit autem Salomon ad Hiram, dicens. Quia enim præventus fuit in bonitate et dilectione ab Hiram rege, et benevolentiam illius expertus in se, fiducialius misit ad eum. *Tu scis voluntatem patris mei David :* etenim adhuc vivens, insinuavit Hiram regi tanquam amico propositum suum de templi ædificatione; *et quia non potuit ædificare domum,* id est templum, *nomini Domini Dei sui propter bella imminentia* ei *per circuitum* a Philistæis, aliisque gentilibus, *donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus,* id est, quousque perfecte subjiceret illos patri meo : quo facto, proposuit David rex templum *Ibid.* VII, 2 *et seq.* ædificare; sed Deus per Nathan prohibuit eum, quia multum valde effuderat sanguinem, prout secundo libro continetur. B Non autem fuit David impeditus a templi ædificatione propter magnitudinem expensarum, nec ex defectu operariorum, ut quidam hic scribit, quoniam satis opulentus et potens fuit : imo ipse absolute proposuit ædificare, et nisi per Nathan fuisset vetatus, protinus incepisset; et erat tam prudens, quod non incepisset ædificare, nisi potuisset et consummare. *Nunc autem requiem dedit mihi Dominus Deus meus per circuitum, et non est satan,* id est adversarius visibilis, *neque occursus malus,* id C est adversitas seu diffortunium mihi contingens. Verumtamen invisibilis ille Satan non quievit a suis insidiis. *Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est David patri meo, dicens : Filius tuus quem dabo pro* II *Reg.* VII, 12, 13. *te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. Præcipe igitur servis* et operariis *tuis* Tyriis atque Sidoniis, *ut præcidant mihi cedros de Libano,* in quo crescunt, scilicet monte illo seu loco silvestri, *et servi mei sint cum servis tuis. Mer-* D *cedem autem servorum tuorum dabo tibi, quamcumque petieris. Scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere,* id est arbores tam artificiose abscidere ac ligna aptare, *sicut Sidonii.*

Digitized by Google

Quum ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde : quia ex dilectione sua ad Salomonem gaudebat de ejus prosperitate ac devotione, et etiam propter propria commoda; *et ait : Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum, super populum hunc plurimum. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens : Audivi quæcumque mandasti mihi. Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis,* id est in cedris et abietibus. Est autem abies arbor boni odoris, recta, sublimis, et nocens bestiis venenosis, ut refert Isidorus. Porro
II Par. II, 8. secundo Paralipomenon habetur, quod Salomon dixit, Sed et ligna cedrina et thyina* (* arceuthina)
et pinea mitte mihi de Libano : quod ibi expositum est. *Servi mei deponent ea de Libano ad mare, et ego componam ea in ratibus in mari,* id est, disponam ut per naves mittantur tibi, *usque ad locum quem significaveris mihi, et applicabo ea tibi*, et tu tolles ea; præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ,* videlicet triticum et oleum, quæ magis abundant in terra tua, quam mea. (* ibi)

Itaque Hiram dabat, id est exhibebat, non utique gratis, sed per recompensationem victualium, *Salomoni ligna cedrina et ligna abiegna,* thyina quoque et pinea, *juxta omnem voluntatem ejus. Salomon autem præbebat Hiram* regi *viginti millia coros tritici.* Corus autem mensura est con-
III Reg. IV, 22; Ezech. XLV, 11. tinens triginta modios, ut patuit præcedenti articulo. *In cibum domui ejus, et viginti † millia coros purissimi olei,* scilicet olei olivarum; *hæc tribuebat Salomon Hiram* regi *per singulos annos,* quamdiu recepit ab Hiram ligna, obsequiaque præfata. Secundo Paralipomenon habetur, quod etiam tribuit ipsi Hiram singulis annis totidem, id est viginti millia coros hordei, tot quoque batos vini quot olei. Scriptum
II Par. II, 15. est enim præfato libro : Triticum ergo et hordeum et vinum et oleum, quæ pollicitus es, domine mi, mitte servis tuis. *Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei. Et erat pax inter*

A *Hiram et Salomonem, et percusserunt ambo fœdus.*

Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel, id est proselytos conversos ad fidem et ritum Israelis : siquidem de Israelitica natione nullum fecit servire, ut infra habetur. *Et erat indictio,* id est summa operariorum illorum, *triginta millia virorum,* qui ibant ad operandum in Libano cum famulis Hiram. Unde subjungitur : *Mittebatque eos in Libanum, decem millia* simul *per singulos menses vicissim,*
B videlicet uno mense unum ternarium illorum triginta millium, et alio mense secundum ternarium, menseque tertio ternarium tertium, et sic quarto mense rursus mittebatur ternarius primus, ac ita deinceps; *ita ut duobus mensibus* continuis *essent in domibus suis* ad quiescendum cum suis uxoribus atque domesticis, et ad vacandum propriis rebus : et in hoc patuit sapientia, imo et pietas ac discretio Salomonis. Nam et si proselytos illos immoderate gravasset, forte recessissent a lege Dei
C quam acceperunt. *Et Adoniram erat super hujuscemodi indictionem.* Ex quo patet, quod Salomon per se ipsum non elegit triginta millia illa, nec eos sic misit vicissim, sed commisit hoc totum ita agendum huic Adoniram, qui alio loco appellatur Aduram. An vero fuerit idem Adoniram, qui præcedente capitulo fertur præfuisse III Reg. IV, 6.
tributis, qui et ipse interdum Aduram vocatur, potest in dubium verti. *Fuerunt itaque Salomoni,* præter et ultra præfata triginta millia, *septuaginta millia eo-*
D *rum qui onera portabant,* videlicet ligna et saxa, *et octoginta millia latomorum in monte.* Latomi dicuntur cæsores saxorum, et extractores eorum de lapidicina. Per montem autem intelliguntur pluraliter loca saxosa ac montuosa, de quibus lapides illi præcidebantur. *Absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum, præcipientium populo* laboranti quid quisque ageret, *et,* pro id est, *his qui faciebant opus.* Hi autem præpositi operum, erant natione Israelitæ.

Digitized by Google

Circa hæc oritur quæstio triplex. Si enim præfata triginta millia erant proselyti, id est gentiles ad Judaismum conversi, et consimiliter septuaginta millia portantium onera, octoginta etiam millia latomorum, ergo proselyti illi erant simul centum octoginta millia : cui obviare videtur illud secundi Paralipomenon, Numeravit Salomon omnes viros proselytos, et inventi sunt centum quinquaginta et tria millia et sexcenti. Denique hic habetur, quod præcipientes populo, erant tria millia trecenti; præfato autem Paralipomenon libro insinuantur fuisse tria millia et sexcenti. Tertia quæstio est, quia ex præallegatis secundi Paralipomenon verbis elicitur, quod tria millia illa trecenti, sive sexcenti viri, præcipientes operariis, erant proselyti : cujus contrarium dictum est. Et respondendum ad primum, quod numerus millium hic positus, non exprimitur cum exclusione majoris. Est quoque consuetudo Scripturæ, in talibus non computare minutias : per quod solvitur quæstio secunda. Aliqui tamen dicunt, quod trecenti in Paralipomenon positi, qui excrescunt, non præerant operariis immediate; sed eis, tanquam altioribus, dabatur ratio ab his qui immediate præsidebant operariis illis : quod non videtur textui secundi Paralipomenon consonare, in quo clarissime dicitur, quod numeravit tria millia et sexcentos præpositos operum populi. Potest tamen dictum illud salvari, dicendo quod et trecenti isti erant præpositi operum mediate. Ad tertium dici potest, quod ratione connexionis officii, præpositi illi connumerantur proselytis. Multi tamen expositores et auctor Scholasticæ historiæ dicunt, quod præpositi erant de Israelitis. Si vero quis contendat, præallegatam libri Paralipomenon scripturam sentire oppositum, potest se cum textu juvare : nec dubium quin potius standum sit manifestæ auctoritati Scripturæ canonicæ, quam expositorum, si forsitan aliquo modo a veritate deviarent Scripturæ.

II Par. II, 17.

Ibid. 18.

Præcepitque rex Salomon, *ut tollerent,* id est, apportarent sive acciperent, *lapides* A *grandes, lapides pretiosos,* puta marmoreos, vel (ut dicere feruntur Hebræi) ponderosos, *in fundamentum templi,* id est ad hoc, ut in fundamento collocarentur, *et quadrarent eos* ipsi latomi. Nempe ut Josephus refert, lapides illi erant tam magni, quod multi eorum continebant viginti cubitos in longitudine, decem in latitudine, et quinque in altitudine : ideo jussum est, ut latomi eos scopularent atque quadrarent, scopulos amovendo. *Quos* ita quadratos, *dolaverunt cæmentarii Salomonis* B *et cæmentarii Hiram. Porro Byblii *,* id est artifices de civitate Phœnices nomine Byblos seu Biblis, quæ fertur fuisse de regno Hiram, *præparaverunt ligna et lapides ad domum ædificandam.* Poliebant etenim et sculpebant ligna ac saxa, ex quibus templum construeretur. Sicque tria genera operariorum circa lapides occupabantur, videlicet latomi, cæmentarii, et Byblii, de quibus in Ezechiele legitur : Senes Byblii et prudentes. Unde apparet, quod erant famose artificiosi. Quemadmodum autem C Magister in historiis recitat, fabulantur Hebræi, ad eruderandos seu scopulandos et complanandos celerius lapides, habuisse Salomonem sanguinem vermiculi, qui Tamir vocatur, quo adspersi lapides illi, faciliter secabantur. Quem sanguinem invenit hoc modo : erat Salomoni struthio habens pullum, et inclusus est pullus sub vitreo vase; quem quum videret struthio, et habere non posset, attulit de deserto vermiculum, cujus sanguine linivit vitrum, et statim confractum est.

* alias Giblii

Ezech. XXVII, 9.

D Postremo juxta spiritualitatem, certum est, per Salomonem intelligi Christum; per domum Dei, Ecclesiam; per Hiram, gentilitatem conversam; per patrem Salomonis, Prophetas et Patriarchas, qui gentilitatem convertere, atque ex ea Deo Ecclesiam ædificare conati sunt, sed nequiverunt. Porro Christus post suam passionem, resurrectionem et ascensionem sortitus plenam quietem, volens per sanctos Apostolos gentilitatem convertere, et ex ea Deo Patri Ecclesiam ædificare, Apostolos suos ad

Sensus spiritualis.

Digitized by Google

gentiles direxit instruendos ac convertendos; deinde ad ipsos jam conversos, misit discipulos alios, imo et ipsos Apostolos, qui conversos a se gentiles, interdum visitaverunt ac roboraverunt in fide, prout in Actibus Paulus et Barnabas fecisse leguntur. (Act. xiii, 2 et seq.) Sicque Christus ex ipsis conversis gentilibus, assumpsit multos in adjutorium discipulorum ex Judaismo conversorum : ita quod ipsi gentiles conversi simul cum gloriosis Apostolis, aliisque discipulis, prædicare cœperunt evangelicam legem, et præcidere ligna atque extrahere saxa ubique terrarum (vel specialiter in Libano et montibus, hoc est in florente sæculo et tumente mundo, gloriante ac superbiente in sua temporali prosperitate ac potestate), id est, homines varios diversorum morum, excelsos et pusillos, doctos et rudes, duros et mediocres, informare, convertere, spiritualiterque circumcidere, et principi tenebrarum auferre, et eos quadrare, id est ad æqualitatem

A justitiæ trahere, deinde dolare, polire et sculpere, id est virtutibus ac sacramentis multipliciter decorare. Sicque simul fuerunt, et sibi invicem cooperati sunt servi Christi et servi Hiram, id est conversi ex Judaismo, et conversi ex gentilitate, quorum quidam fuerunt in naturali sapientia clari, et facti sunt prædicatores egregii, ut illustrissimi atque sanctissimi viri, Dionysius, Ignatius, Polycarpus, Clemens, Hierotheus, et alii pene innumerabiles, qui per triginta millia operariorum,

B septuagintaque millia portantium onera, et per octoginta millia latomorum significantur. Pro istis obsequiis et laboribus dedit Christus ipsis conversis gentilibus et eorum fidelibus principibus omnem mercedem quam postulaverunt, et omnia spirituali vitæ necessaria alimenta, abundantiam panis cœlestis et olei, hordei ac vini, videlicet consolationis internæ, et pietatis ac æquitatis et pœnitentiæ salutaris.

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : FACTUM EST ERGO QUADRINGENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO.

HIC consequenter describitur, qualiter ad ædificationem templi processerit Salomon : et primo, quo tempore. *Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto* regni Salomonis, qui tribus præcedentibus annis se præparavit ad templi constructionem, faciendo ea quæ præcedenti capitulo sunt narrata, *mense Ziph* *, id est Maio apud nos, qui tamen partim cum Aprili potest concurrere, *(ipse est mensis secundus), regni Salomonis super Israel,* id est secundus mensis quarti anni præsidentiæ ejus regalis, *ædificare cœpit domum Domino,* hoc est templum ad Dei honorem.

* Ziv seu Zio

C Longum est computare per singula annos prætactos a tempore exitus Israel de Ægypto, usque ad tempus quo cœpta est ædificatio templi : et mirum videri potest, quod ab exitu illo usque ad ædificationis exordium, non fuerint nisi quadringenti octoginta anni, quum in libro Judicum Jephthe legatur mandasse regi Ammon, Habitavit Israel in Hesebon, et in civitatibus trans Jordanem per trecentos annos; (Judic. xi, 26.) et antequam cœperunt habitare in terra illa, jam quadraginta anni effluxerunt ab egressu de Ægypto : sicque a Jephthe usque ad

D inchoationem ædificii templi, non remanerent a numero illo quadringentorum octoginta annorum, nisi centum quadraginta

Digitized by Google

anni : quum tamen post Jephthe legantur [*Judic.* XIII, 1.] filii Israel per annos quadraginta dati in manus Philistinorum ; deinceps præfuit [I *Reg.* IV, 18.] Israeli ipse Heli annis quadraginta, ut pa- [*Ibid.* VII, 15.] tuit primo libro ; cui successit Samuel, [*Act.* XIII, 21.] post quem rex Saul fuit etiam annis quadraginta, quemadmodum in Actis loquitur [III *Reg.* II, 11.] Paulus; post quem regnavit David totidem [*Judic.* XII, 7.] annis; Jephthe quoque præfuit sex annis, ut in libro Judicum legitur. Et sic multo plures anni fuisse videntur ab exitu de Ægypto, usque ad templi inceptionem, quam dicatur in textu. Denique Josephus ait, Anno quingentesimo secundo egressionis de Ægypto. Qui etiam asserit, ab Abraham usque ad ædificationis exordium fuisse annos mille viginti ; a diluvio, mille quadringentos ; ab Adam, tria millia centum et duos.

Itaque advertendum, quod anni prætacti computantur per tempora, quibus rectores filiorum Israel præfuerunt a Moyse inclusive usque ad Salomonem. Scriptura demum non exprimit, quot annos Josue et Samuel præfuerunt. Idcirco tempus præsidentiæ eorum comprehenditur in eorum annis, qui eis successerunt in regimine et [*Judic.* III, 9-11.] judicio plebis. Othoniel autem successit ipsi Josue, qui Othoniel judicavit Israel annis quadraginta ; et Saul, qui quadra- [I *Reg.* XI, 15.] ginta annis præfuisse narratur, Samueli successit : sicque tempus illorum quatuor rectorum, videlicet Josue, Othonielis, Samuelis, et Saulis, non continet nisi annos octoginta. Itaque, sicut ex libris Exodi et [*Exod.* XVI, 35.] Deuteronomii innotescit, Moyses præfuit [*Judic.* III, 11.] annis quadraginta, et totidem Josue atque Othoniel, qui Moysi successerunt. Post Othoniel præfuit Aod, sub quo computan- [*Ibid.* 30.] tur anni octoginta, quibus terra dicitur quievisse, ut in libro Judicum habetur, et ibi expositum est. Post Aod præfuerunt Barac [*Ibid.* V, 32.] et Debora, sub quibus computantur anni quadraginta, quibus tunc terra quievit. [*Ibid.* VIII, 28; IX, 22.] Post quos præfuit Gedeon annis quadraginta ; post quem Abimelech tribus annis ; [*Ibid.* X, 2, 3.] cui successit Thola præsidens annis viginti tribus. Post quem præfuit Jair viginti duo-

A

bus annis ; cui successit Jephthe præsidens [*Judic.* XII, 7, 9, 11, 14.] annis sex. Post quem Abesan septem præfuit annis ; post quem præfuit Aialon decem annis ; et post eum præfuit Abdon octo annis. Quæ omnia in libro Judicum scripta sunt. Post Abdon præfuit Samson annis viginti ; cui successit Heli, qui annis [*Ibid.* XVI, 31 ; I *Reg.* IV, 18 ; *Act.* XIII, 21.] præfuit quadraginta ; post quem Samuel et Saul totidem præerant annis. Post quos David tot præsidens annis ; cui successit [III *Reg.* II, 11.] Salomon, cujus quarto anno cœptum est templum ædificari. Præmemoratis quoque

B

annis adduntur decem et octo anni, quibus [*Judic.* X, 8.] filii Israel sine judice fuisse creduntur, sicut ex libro Judicum trahitur.

Porro in ista annorum computatione, non oportet multum stricte tempora numerare : quoniam consuetudo est Scripturæ, in descriptione numerorum ac temporum minutias non curare. Qualiter etiam intelligendi sint numeri annorum ipsorum Judicum Israel, quibus vel ipsi præfuisse, vel terra dicitur quievisse, super Judicum clare expositum est. Potest quoque et Jo-

C

sephi computatio secundum aliquam considerationem salvari.

Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, utpote templum, *habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine.* Porro cubitus continere dicitur pedem cum medio. Tamen alii dicunt, quod duorum contineat latitudinem pedum ; sed primum verius reor. *Et triginta cubitos in altitudine.* Cui verbo contrariari videtur illud secundi Paralipomenon : Altitudo centum viginti cubito- [II *Par.* III, 4.]

D

rum erat. Respondetur, quod totius illius templi altitudo ab imo usque ad summum, centum viginti exstitit cubitorum ; sed altitudo ejus a terra usque ad primum tabulatum sive solarium, fuit cubitorum triginta. *Et porticus erat ante templum* a parte orientali, *viginti cubitorum longitudinis,* id est, habens in longo cubitos viginti, *juxta mensuram latitudinis templi,* cujus latitudo erat cubitorum viginti : sicque tanta fuit longitudo porticus hujus, quanta templi latitudo. *Et habebat decem cubi-*

Digitized by Google

tos latitudinis porticus hæc sita *ante faciem*, id est introitum, *templi*, in quod intrabatur a parte orientali, a qua intrabatur in templum : quæ porticus in altitudine sua surrexit usque ad altitudinem templi, ut Josephus scribit. In secundo 1 *Esdr.* I, 2; VI, 14, 15. quoque templo per Zorobabel facto porticus erat ante ingressum templi, unde Act. III, 11. legitur in Actis : Cucurrit omnis populus ad Petrum et Joannem ad porticum quæ appellatur Salomonis. *Fecitque in templo fenestras obliquas*, id est exterius strictas, quæ paulatim interius tendebant ad dilatationem majorem : quas Salomon excogitavit, quatenus lumen deforis intrans, magis et clarius diffunderetur interius. Et ita nunc fiunt in multis ecclesiis vitreæ fenestræ in parietibus, et in muris. Hæ autem fenestræ, erant quædam aperturæ in muris templi angustiores foris, latioresque intus.

Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum. Tabulatum dici solet paries factus ex tabulis. Hic vero accipitur pro structura quadam, ex coaptatis tabulis facta. Itaque Salomon jussit trabes poni in domo, seu in templo per transversum in tribus locis, in summitatibus trium mansionum seu interstitiorum, id est partium templi, quod infra fuit divisum in duas partes, terræ cohærentes : quarum exterior, dicebatur Sanctum seu Sancta; et interior, Sancta sanctorum, sicut in *Exod.* XXVI, 33. tabernaculo Moysis, ad cujus similitudinem templum istud factum fuit pro maxima parte, secundum omnes expositores catholicos et Hebræos. Porro, super hanc partem templi inferiorem, erant in ascendendo duo solaria; tectum quoque templi fuit planum instar solarii, juxta consuetudinem Palæstinorum, quorum tecta sunt plana, ita quod resident super ea ad circumspiciendum hinc inde. Sicque trabes illæ fuerunt situatæ per tria loca, videlicet sub primo et secundo solariis, et sub tecto; et erant tam longæ, quod extremitates earum seu capita prominebant ex utraque parte, murum pertranseundo; ac super

A extrema illa trabium sic prominentia, fecit ædificare tria tabulata, id est, partibus illis trabium pertranseuntibus murum, fecit superponi tabulas seu asseres fortes, super quas poterant homines ambulare : ideo deambulatoria vocabantur, et in Evangelio pinnacula templi dicuntur. Circa quod *Matth.* IV, 5. Magister in historiis scribit : Satis patet, qualiter facta erant tabulata illa in utroque latere, puta in parte australi et aquilonari. Qualiter autem facta fuerint in fronte orientali et occidentali, ubi scilicet B trabes ita non extendebantur, non recolo me legisse. Nec super hoc mihi somniare libet aut licet. Verumtamen creduntur ibi fuisse, secundum quod Josephus velle videtur, agens de templi eversione.

Itaque, Ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, id est, super trabes sic prominentes, juxta et extra parietes templi, collocavit atque extendit tabulas, sicut jam dictum est, per gyrum, hoc est ex omni parte templi, vel saltem ex latere australi et aquilonari. Unde subjungitur : C *In parietibus domus*, hoc est juxta parietes quibus trabes innitebantur ac sustentabantur, *per circuitum templi et oraculi*. Nam ipsum templum frequenter vocatur oraculum, id est locus orationis; et sanctuarium, quia in ipso continebantur sacra, exercebanturque sancta Deitatis obsequia ; itemque tabernaculum et domus Dei, qui ibidem specialiter habitavit per effectum et gratiam. Interdum vero oraculum dicitur interior pars templi, videlicet Sanctum sanctorum, in quo dabantur di- D vina responsa; et pars templi exterior, vocatur templum, et Sanctum vel Sancta, prout super Exodum de tabernaculo *Exod.* XXVI. Moysis proportionabiliter dictum recordor. *Et fecit latera in circuitu*. Quidam per latera ista, intelligunt tabulata præfata. Sed alii aptius dicunt, quod latera erant loriculæ, seu apodiamenta vel clausuræ, surgentes in extremitate tabulatorum in altum, ne ambulantes supra tabulata, corruerent, et ut super ea apodiarent : quæ in Paralipomenon appellantur cancelli, ut Cf. II *Par.* III.

quidam exponunt. Unde infra quarto libro A
IV *Reg.* I, 2. fertur de Ochozia, quod cecidit per cancellos domus suæ. Hinc in Deuteronomio
Deut. XXII, 8. fuit præceptum : Quum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus, labente alio et in præceps ruente.

Consequenter agitur de inæqualitate trium prædictorum tabulatorum, in latitudine eorumdem. *Tabulatum quod subter erat,* hoc est inferius seu infimum tabulatum, *quinque cubitos habebat latitudinis;* B
et medium tabulatum, sex cubitorum latitudinis erat, hoc est, sex cubitos habebat in lato; *et tertium tabulatum,* quod erat juxta tectum templi, erat *habens septem cubitos latitudinis.* Istud secundum aliquos ad litteram factum est, quatenus exsistentes in superioribus tabulatis, non impedirentur respicere inferius per inferioris tabulati obstaculum. Verumtamen, ut in Scholastica fertur historia, Hebræi dicunt tria tabulata latitudinem habuisse æqualem, ita ut si a summo usque ad infimum C
plumbata cæmentarii demitteretur, perpenderetur eorum æqualitas. Nihilo minus inferius tabulatum dicitur quinque cubitorum in lato, medium sex cubitorum : quia superior murus arctior factus, quasi per cubitum erat retractus. Ultimum vero, hoc est supremum tabulatum, dicitur septem cubitorum fuisse, propter retractionem muri superius similiter factam. Quidam vero dixerunt infimum tabulatum septem fuisse cubitorum, medium sex, supremum quinque, ita ut ascendendo arctarentur tabula- D
ta, sicut et murus ; et quasi litteram corrigentes, pro Subter, legunt Super, aut certe legunt Subter, dicentes, Tabulatum quod subter erat, non loco, sed numero. Quemadmodum enim altum quandoque vocatur profundum, quandoque supremum : sic et subter vocant loco, quod infra est positum ; subter autem numero, ad quod ascenditur numerando.

Trabes autem in domo posuit per circuitum forinsecus : quia trabes ex transverso positæ in domo, prominebant foras per gyrum, ut dictum est ; *ut non hærerent muris templi,* hoc est, ita quod tabulata non tangebant immediate muros templi : quoniam modicum spatium relinquebatur inter ea et muros, quod tamen erat tam parvum, quod per ipsum non poterat pes intrare, aut ambulans cadere. Et forsan relinquebatur ibi ad intuendum per illud quid ageretur inferius vel esset. Vel aliquid sculptile aut cælatum, interpositum fuit ad ornatum et perfectionem. Aliqui autem referunt istud ad tabulatorum illorum cancellos, qui distabant a pariete muroque templi, quantum congrua tabulatorum latitudo exegit. Sed istud videtur a textu extraneum, quum de cancellis non sit immediate præhabita mentio : ideo potius videretur referendum ad trabes, quæ licet extenderentur per murum, tamen dici possunt muro non hæsisse, quia non finiebantur ad murum, sed pertransibant.

Verum, ut refert Lyra, Hebræi et etiam Josephus dicunt, quod tabulata prædicta non erant deambulatoria, sed tres ordines appendiciorum seu domuncularum pro habitatione ministrorum templi. Unde frequenter laterales vocantur, propter quod non erant in orientali templi parte, quoniam ibi porticus fuit. Et erat quælibet altitudinis quinque cubitorum, ita quod inferiores erant immediate super terram. Itaque, secundum Hebræos, juxta muros templi in parte exteriori, unus fuit ordo appendiciorum, quorum altitudo erat quinque cubitorum ; et quum murus templi elevaretur per cubitos quinque a terra, restrictus erat a parte exteriori per cubitum unum ; atque in spatio illius cubiti prominentis, erant capita trabium, ubi terminabatur primus ordo appendiciorum ; post quem, ut tactum est, erant duo alii ordines appendiciorum. Et secundum istos, tabulata non erant in orientali parte templi.

Domus autem quum ædificaretur, videlicet templum, *de dolatis lapidibus atque perfectis ædificata est.* Saxa enim erant quadrata, et convenienter parata ac polita

Digitized by Google

extra Jerusalem prope lapidicinam, antequam deferebantur ad ædificii locum. *Et malleus et securis,* id est martellus latomi, quo saxa sculpuntur aut præciduntur, *et omne ferramentum,* necessarium pro lapidum situatione et connexione, *non sunt audita in domo quum ædificaretur :* id est, notabilis sonus instrumentorum illorum et consimilium ibi non fuit. Istud, secundum quosdam, ad lapides tantum est referendum : quia ut dicunt, oportebat tabulata clavis consolidari. Nam et secundo Paralipomenon scriptum est, Sed et clavos fecit aureos ; et ibidem asserit Glossa, quod laminæ aureæ cum clavis illis affigebantur parietibus templi : quod sine perceptibili sono fieri non valebat. Aliqui demum affirmant, quod lapides incidebantur sanguine vermis cujusdam, habente virtutem hujusmodi, secundum quod sanguine hirci scinditur lapis adamantinus.

II *Par.* III, 9.

Ostium lateris medii in pariete erat domus dexteræ, id est, janua sita et facta in medio lateris seu parietis templi, fuit in pariete templi meridiano. Unde in Historiis fertur : Juxta terram erat ostium lateris medii in pariete domus dexteræ, id est meridianæ, hoc est in parte et muro australi ipsius domus. Hinc alii dicunt : Ostium, per quod erat ascensus in superiora solaria, erat in medio parietis meridiani juxta terram. Nihilo minus a parte orientali intrabatur in templum : nam et de præfato ostio Josephus videtur sentire, quod fuit in angulo muri in parte orientali. *Et per cochleam,* id est ascensum anfractuosum, tortuosum, et quasi circularem, seu per gradus ita dispositos, *ascendebant* de infima parte et mansione templi, *in medium cœnaculum,* id est ad primum solarium, quod instar cœnaculi factum, exstitit medium inter infimum templi locum, et inter secundum ac supremum ejus solarium, *et a medio in tertium,* id est supremum templi solarium.

Et ædificavit domum, et consummavit eam. Texit quoque domum laquearibus cedrinis, id est, trabibus templi affixit laquearia facta de cedro. Porro laquearia, secundum Isidorum, cameram ornant et subtegunt : sicque laquearia nominantur quæ tignis affigebantur, ita quod in ipsis quasi illaqueabantur ac subjungebantur, pro majori decore. *Et ædificavit tabulatum super omnem domum,* id est in gyro totius templi in alto : quod fuit tertium tabulatum, de quo satis jam dictum est ; *quinque cubitis altitudinis :* quia clausura tabulati illius, quæ erat quasi murus elevatus in extremitate tabulati, ne de illo quis caderet, fuit in altum ascendens per spatium quinque cubitorum, demptis locis, in quibus fuerunt cancelli : super quos exsistentes ibidem se poterant apodiare, et infra adspicere. Hinc dicit Petrus Comestor : De altitudine illorum laterum ignoramus, nisi de supremo, quod habuerit in altitudine cubitos quinque. *Et operuit domum lignis cedrinis.* Murus namque seu paries inferioris loci seu mansionis templi, undique fuit tabulis cedrinis opertus : siquidem parietes erant lapidei, sed operiebantur cedrinis asseribus.

Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens, id est, Dominus per angelum in visione dixit ad eum : *Domus hæc quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis* perseveranter, *et judicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea ; firmabo sermonem meum tibi quem locutus sum ad David patrem tuum,* id est, promissionem quam ei feci de successione sobolis suæ in regno, opere adimplebo. *Et habitabo in medio filiorum Israel,* id est in templo isto, exaudiendo ibi preces orantium, et acceptando eorum oblationes atque obsequia : sicque in cordibus eorum per gratiam commorabor ; *et non derelinquam populum meum Israel.* In his verbis videtur Deus salutem, conservationem et gratiam populi constituisse in manu Salomonis regis ipsorum : quia ut ait Scriptura, secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Ac si Dominus diceret : Si tu vixeris virtuose, populus tibi

II *Reg.* VII, 12.

Eccli. X, 2.

Digitized by Google

commissus erit vitæ laudabilis; si vero cecideris, cadent et ipsi pro magna parte. Verumtamen ista non sunt ita intelligenda, quod solo rege cadente, Deus populum reliquisset, aut templum dirimi permisisset; sed præscius futurorum, ita locutus est Dominus, prævidens casum populi ex regum secuturum ruina. Præterea aliqui dicunt, Deum ista esse locutum ad Salomonem, quando templi ædificatio fuit completa; sed textum sequendo, magis apparet, quod bis ista locutus sit ei: primo, durante illa constructione, ad confortandum eum in bono incepto; secundo, ædificio consummato, ad avisandum eumdem, et pro habenda cautela in posterum. Quid autem contra hoc objici posset, tangetur inferius et solvetur.

Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam. Et ædificavit, id est operuit, *parietes* lapideos *domus intrinsecus, tabulatis cedrinis,* hoc est tabulis de cedro copulatis; *a pavimento domus usque ad summitatem parietum,* id est usque ad primum solarium, *et usque ad laquearia* trabibus affixa, *operuit lignis,* utpote tabulis, *cedrinis intrinsecus; et texit pavimentum domus,* quod ex pulcherrimis marmoreis lapidibus fuit factum, *tabulis abiegnis,* hoc est asseribus de abietibus cæsis. *Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina.* Per tabulata ista cedrina, quæ in altitudine erant viginti cubitorum, doctores catholici intelligunt parietem situatum inter partem templi interiorem et exteriorem, dicentes, quod utraque pars templi, videlicet Sanctum, et Sanctum sanctorum, exstitit æque alta, scilicet cubitorum triginta, et quod decem cubitorum altitudo mansit aperta, ut per illam aperturam fumus ascendens de altari incensi, quod fuit in parte templi exteriori, intraret in partem templi interiorem, quæ vocatur Sanctum sanctorum; sive (ut alii dicunt) ut dulcis ille vapor aromatum, de altari thymiamatis procedens, intraret oraculum. Ædificavit itaque hæc tabulata cedrina, *a pavimento usque ad superiora,* utpote ascendendo ad mensuram cubitorum viginti, non tamen usque solarium pertingendo. Verumtamen Hebræi per tabulata ista cedrina, intelligunt partem templi interiorem, quam dicunt in altitudine fuisse breviorem parte templi exteriori, in cubitis decem: quæ pars exterior fuit triginta cubitorum in alto, ut patuit, et ista viginti, ut dicunt. *Et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum,* hoc est, exteriorem partem templi divisit ab interiori, per interpositum parietem jam præfatum, ita ut pars illa interior, esset et vocaretur Sanctum sanctorum, in quo continebantur arca, et tabulæ testamenti, propitiatorium quoque et Cherubim. *Hebr.* IX, 4, 5.

Porro quadraginta cubitorum in longitudine *erat ipsum templum pro foribus oraculi,* id est, pars templi exterior, quæ vocatur hic templum, habuit in longo cubitos quadraginta ante fores sive introitum Sancti sanctorum: quia exterior pars sita erat immediate ante et juxta januam partis interioris; sicque pars illa exterior, fuit in duplo longior parte interiori: propter quod, tanquam in duplo major, illa vocatur hic templum. Et sicut tabernaculum Moysis fuit divisum in duas partes per interpositum velum, ut patet in Exodo; sic divisum fuit templum Salomonis per intermedium cedrinum parietem, imo etiam per velum quatuor colorum, quod ante parietem illum pendebat, juxta illud secundi Paralipomenon, Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco et bysso: quod, secundum Glossam, gratia decoris est factum, ut inter parietes deauratos holosericum refulgeret. *Exod.* XXVI, 33. *II Par.* III, 14.

Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, hoc est, totum templum in parietibus et in tecto atque sub trabibus, operiebatur cedrinis asseribus, *habens tornaturas et juncturas suas fabrefactas, et cælaturas eminentes:* hoc est, in ipsis tabulis templi cedrinis, erant cum torno formatæ operationes quædam artificiosæ in ipsis tabularum juncturis, ne locus juncturæ deprehendi valeret. Erant quoque in

Digitized by Google

tabulis factæ eminentes picturæ, puta imagines Cherubim, ac palmarum diversarumque rerum, ut infra exprimitur; sed et picturæ atque sculpturæ illæ, erant aureis laminis subtilibus congruenter opertæ, ita quod evidenter apparuerunt. *Omnia,* scilicet muri lapidei et trabes, *cedrinis tabulis vestiebantur,* a parte interiori, *nec omnino lapis apparere poterat in pariete,* id est, in nullo parietum templi illius quadrangularis, potuit aliquis lapis videri ab interiori (ut dictum est) parte, quia asseribus erant operti.

Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini. Oraculum quandoque dicitur ipsum templum; frequentius tamen pars ejus interior, scilicet Sanctum sanctorum, vocatur oraculum. Nunc autem pars intra illud exsistens, in qua collocata est arca, videtur oraculum appellari : ideo dicitur, factum in medio domus, id est infra templum in parte ejus interiori, id est magis distanti a parte orientali, per quam intrabatur ad templum. *Porro oraculum,* id est pars templi interior, quæ vocatur Sanctum sanctorum, *habebat viginti cubitos longitudinis:* nam totum templum habuit sexaginta longitudinis cubitos, et pars ejus exterior quadraginta, ut dictum est; *et viginti cubitos latitudinis,* sicut et pars templi exterior : sicque pars illa interior fuit quadrum æquilaterum; *et viginti cubitos altitudinis.* Ex hoc videtur Hebræorum fulciri opinio, quia (ut tactum est) dicunt, quod non habuit in altitudine, nisi viginti cubitos. Sed expositores fideles altitudinem istam viginti cubitorum, referunt ad parietem situm inter partes templi præfatas, sicut expositum est. *Et operuit*
purissimo *illud atque vestivit auro mundissimo*,* id est aureis laminis ex purissimo auro factis, quod secundo Paralipomenon vocatur
II Par. III, 8. aurum obrizum : ubi et additur pondus auri illius, quum dicitur, Talentis sexcentis. *Sed et altare vestivit cedro :* quod exponitur de altari thymiamatis, seu incensi, super quod incendebatur thymiama ad bonum odorem in templo habendum, ne odor sacrificiorum quæ in atrio offerebantur et incendebantur, gravaret exsistentes in templo : in cujus primam partem ingrediebantur sacerdotes, atque in secundam partem ipsius pontifex solus, ut docet Apostolus ad Hebræos. Hebr. IX, 6, 7. Hoc altare fuit intus solidum atque lapideum, sed cedrinis tabulis coopertum, imo et desuper aureis laminis tectum, ut paulo post subditur.

Domum quoque ante oraculum, id est exteriorem partem templi sitam contigue ante Sancta sanctorum, *operuit auro purissimo,* sicut jam dictum est, ab intus; *et affixit laminas clavis aureis.* Aureas laminas, quas ante vocavit aurum purissimum, affixit tabulatis laterum, laqueariis trabium, pavimento, ac parietibus inferioris mansionis templi cum aureis clavis, quorum quilibet erat quinquaginta siclorum, juxta illud secundi Paralipomenon : Clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi II Par. III, 9. siclos quinquagenos appenderent. *Nihilque erat in templo* de partibus ejus integralibus, exsistentibus in parte seu mansione ejus inferiori, *quod non auro,* hoc est aureis laminis, *tegeretur,* in tantum ut vultus intrantium faceret auri lumine resplendere, ut in Scholastica fertur historia. De quantitate autem seu spissitudine laminarum illarum aurearum, non legitur aliquid certum. *Sed et totum altare oraculi,* videlicet altare thymiamatis seu incensi præfatum, quod erat in exteriori parte templi, *texit auro.* Et illud altare vocatur altare oraculi, non quod fuerit situm intra Sanctum sanctorum, seu in parte interiori ipsius templi, sed quia stetit ante oraculum extra et prope illud, et quoniam vapor, odor seu fumus inde ascendens, intravit oraculum, id est Sanctum sanctorum, per modum præhabitum. At vero secundo Paralipomenon habetur : Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, Ibid. IV, 1. et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis : quod stetit in atrio sacerdotum, sicut ibidem expositum est; et super illud holocausta combureban-

Digitized by Google

tur, alia quoque sacrificia offerebantur in A eo. Incensum vero et holocaustum, aliquando pro eodem accipiuntur, quoniam holocaustum incendebatur totaliter; sed nunc altare incensi, pro altari thymiamatis sumptum est, quia et thymiama cremabatur
Exod. xxx, 1-9. super altare illud, prout super Exodum plenius dictum est.

Et fecit, id est posuit, *in oraculo*, utpote in parte templi interiori, *duos Cherubim*: qui secundum Hebræos erant formati instar pulchrorum splendidorumque juvenum. Sed Josephus ait, quod erant formati ad simi- B litudinem avium hominibus nunquam ostensarum, sed Moysi in visione imaginaria, qua vidit Deum quasi in sublimi solio residentem. *De lignis olivarum*: idcirco non erant aurei, ut Cherubim quos Moyses fecit, de quibus in Exodo Dominus jubet,
Ibid. xxv, 18. Duos Cherubim aureos et productiles facies; *decem cubitorum altitudinis*, sic quod unusquisque Cherub habuit altitudinem decem cubitorum; et stabant super pavimentum in lateribus arcæ. *Quinque cubitorum ala Cherub una, et quinque cubito-* C *rum ala Cherub altera*, id est, quilibet Cherub habuit alas duas, et quælibet ala fuit quinque cubitorum in longitudine sua, ita quod simul habebant longitudinem decem cubitorum, et tanto spatio distabant summitates seu extremitates alarum illarum expansarum ab invicem. Et hoc est quod in littera subditur: *id est, decem cubitos habentes a summitate alæ unius, usque ad alterius alæ summitatem. Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus in mensura pari*, D quia eodem modo fuit dispositus et formatus in longitudine sua et alis, ut primus. Unde subjungitur: *Opus unum*, id est similis formatio, *erat in duobus Cherubim, id est, altitudinem habebat unus Cherub decem cubitorum, et similiter Cherub secundus.*

Posuitque Cherubim in medio templi interioris, id est in medio interioris partis totius templi, cujus interior pars vocatur hic templum interius: sicque arca stetit inter duos hos Cherubim. *Extendebant autem alas suas Cherubim, et tangebat ala una parietem* unum, id est, ala una unius Cherub extensa fuit usque ad murum templi meridionalem; *et ala Cherub secundi tangebat parietem alterum*, id est murum oraculi seu Sancti sanctorum aquilonarem. *Alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant*, id est, alia ala unius Cherub tangebat alteram alam alterius Cherub, ita quod alæ illæ non erant directe extensæ in altum, sed transversaliter versus arcam quam et operuerunt: sicque quatuor alæ illæ fuerunt extensæ per totam latitudinem Sancti sanctorum, cujus latitudo (ut patuit) fuit cubitorum viginti. Hinc secundo Paralipomenon scribitur, quod extendebantur per cubitos viginti. *II Par.* III, 13. Alia quoque aliqua scripta sunt ibi de Cherubim istis, quæ hic non sunt descripta, sicut econtra: quæ diligens lector simul consideret. *Texit quoque Cherubim* istos *auro*, id est laminis aureis. Alæ vero istorum Cherubim, ut aliqui dicunt, aureæ erant.

Insuper patet ex dictis in isto capitulo, et ex his quæ in Exodo scribuntur, quod Cherubim isti in templo Salomonis, et Cherubim qui erant in tabernaculo Moysis, conveniebant in forma et situ: quia eodem modo erant dispositi et alati, et ex utroque latere arcæ locati; sed differebant in materia et quantitate. Nam Cherubim quos Moyses fieri jussit, erant parvi et aurei, isti *Exod.* xxv, 18-20. vero magni et lignei ac deaurati, atque sub alis suis continebant arcam ac Cherubim factos sub Moyse.

Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis et torno, id est cum instrumento sic dicto. Dictum est namque, quod in tabulis illis cedrinis, quibus muri inferioris partis templi erant operti, sculptæ, formatæ sive cælatæ erant prominentes imagines. *Et fecit in eis Cherubim, et palmas, et picturas varias, quasi prominentes de pariete et egredientes.* Unde et in Paralipomenon scribitur: Sculpsit *II Par.* III, 5-7. in ea palmas, et quasi catenulas se invicem complectentes; et cælavit Cherubim in pa-

Digitized by Google

rietibus. *Sed et pavimentum domus :* de A
r. III. quo in Paralipomenon legitur, Stravit pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo ; *texit auro intrinsecus et extrinsecus,* id est, tam in parte templi interiori, quam exteriori, operuit pavimentum illud lapideum aureis laminis.

Et in ingressu oraculi, id est in pariete, per quem transibatur ab exteriori parte templi in Sanctum sanctorum, *fecit duo ostiola :* quæ dicuntur ostiola, quoniam parva erant respectu januarum, per quas fuit ingressus ab orientali plaga in exteriorem B templi partem ; *de lignis olivarum ; postesque angulorum quinque,* id est, ipsos postes ita formavit, quod quilibet postis secundum longitudinem suam habuit angulos quinque. Et ut in Scholastica fertur historia, in quinto angulo medio, hoc est in medio anguli quinti, cardines stabant affixi, circa quos ostiola movebantur. Verumtamen quidam exponunt ita supplendo, Et postes angulorum erant quinque, supple, cubitorum. *Et duo ostia de lignis olivarum. Et sculpsit in eis picturam Cherubim,* C sicut expositum est, *et palmarum species, et anaglypha valde prominentia,* id est eminentes picturas seu prominentes cælaturas ; *et texit ea auro,* id est laminis aureis ; *et operuit tam Cherubim quam palmas et cetera auro.*

Fecitque in introitu templi, id est in pariete orientali, per quem intrabatur in primam et exteriorem templi partem, *postes de lignis olivarum quadrangulatos,* id est quatuor angulorum : et sic postes oraculi, qui erant quinque angulorum, erant D ornatius facti quam isti, sicut oraculum sanctius fuit ; *et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus.* Nam inter ostia illa situs exstitit postis firmus et grandis, ad quem claudebantur ; sicque una janua fuit ex una parte postis illius, et alia ex altera postis parte : idcirco dicuntur fuisse altrinsecus. *Et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur.* Quod duobus modis exponitur. Primo, quia unum pendebat in exteriori parietis superficie, et aliud in superficie ejusdem parietis interiori prope ostium jam præfatum. Secundo, quod utrumque ostium fuerit de duabus partibus fortiter sibi connexis, ita quod una pars januæ poterat claudi, alia aperta manente, sicut in ostiis quæ fracta vocantur, videmus. Et juxta hunc duplicem sensum, etiam quod dictum est de ostiolis oraculi, dupliciter explanatur : quia secundum quosdam, ambo ostiola erant in eadem parietis parte, unum in exteriori superficie muri, aliud in interiori, sic quod dum ambo clausa fuerunt, videbatur paries ille ex utraque parte continuus ; secundum alios autem erant sic posita, quod unum stetit juxta latus meridionale oraculi, aliud juxta latus aquilonare in muro oraculi, qui dividebat inter Sanctum et Sanctum sanctorum. *Et sculpsit Cherubim et palmas et cælaturas valde eminentes ; operuitque omnia laminis aureis opere quadro,* prout forma eorum quæ operiebantur, exegit, *ad regulam,* hoc est ad lineam ; vel aureæ illæ laminæ factæ fuerunt quadrangulari figura cum lineali directione.

De præfatis ostiis scribit Magister in historiis : Fores istæ tantæ fuerant venustatis, ut etiam David prophetans de templi destructione, eas nominatim expresserit, dicens : Exciderunt januas ejus. Atque, ut Ps. LXXIII, 6.
Josephus ait, non erat in eis lignum majus palmo : quod forte notatur in libro Regum, quum dicitur, Opere quadro ad regulam. Et erat altitudo earum triginta cubitorum, secundum altitudinem inferioris cœnaculi seu partis templi. Sed quod dicit latitudinem earum fuisse viginti cubitorum, videtur stare non posse, quoniam tanta exstitit templi latitudo : sicque ab oriente non fuisset murus. Sed ex libro Regum patet determinatio, ubi sic legitur : Ostium duplex erat, et se invicem tenens, aperiebatur. Erat equidem latitudo muri decem cubitorum, et apertura, in qua januæ erant, similiter decem : et ita in muro orientali altrinsecus supererant quinque cubiti. In apertura vero erant quatuor fores, duæ extrinsecus, et duæ intrinsecus, quarum una-

Digitized by Google

quæque habuit latitudinem quinque cubitorum, et erant tam artificialiter positæ, ut clausæ, quasi continuum parietem facerent intus et extra ; apertæ autem, sibi in medio muri obviabant, et totam latitudinem ejus tegebant ; tamque artificiose mutuo adhærebant, quod quando claudebantur exteriores, claudebantur simul et interiores. Nullus enim nocte in templo remansit, qui clauderet eas interius. Quumque aperiebantur exteriores, aperiebantur simul et interiores. Propterea dictum est : Ostium duplex erat, et se invicem tenens, aperiebatur.

Et ædificavit atrium interius, hoc est, juxta templum muravit atrium : quod atrium fuit muro clausum. Unde subjungitur : *tribus ordinibus lapidum politorum,* ita quod in spissitudine, vel (ut aptius dicunt) in altitudine muri erant tres ordines lapidum politorum, hoc est, lapides politi, diversorum colorum triplici ordine collocati, *et uno ordine lignorum cedri,* hoc est, lignis tabulisve cedrinis sub uno ordine sitis interius. Ad intelligentiam hujus valet, quod in Scholastica fertur historia : Plura (inquit) fuerunt atria circa templum, sicut in
Ps. cxxxiii, 1. Psalmo legitur : Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. De interiori autem atrio fit hic tantum mentio. De eodem et de secundo tractat Josephus : præter quæ duo, fuerunt et alia atria duo. Itaque atrium istud interius erat platea grandis, ex omni parte circa templum diffusa per quadrum, hoc est quadrata in gyro templi, sicut et templum erat in quadro formatum : eratque platea illa altera parte longior, sicut et templum ; et ante fores templi ad orientem plurimum extendebatur, quoniam ibi stabat altare holocaustorum æreum et mare, in quo lavabant se sacerdotes, et luteres, in quibus hostiæ lavabantur, atque ibidem sacerdotes ac Levitæ coram Domino (adstante populo) ministrabant ; et circa utrumque latus templi non erat tam magna. Ab occidente vero strictior erat. Pavimentum autem vario marmore stratum erat, et diversis imaginibus venustatum. Et brevis murus cingebat ipsum : qui murus fuit in altitudine trium cubitorum ; eratque cubitus unus de lapidibus unius coloris, cubitus secundus de lapidibus alterius coloris, et tertius tertii. Interius quoque murus iste vestiebatur cedro ; et positus fuit murus per gyrum in extremitate hujus, ut ceteros a ministris divideret, et ab ingressu atrii hujus prohiberet. Ad hunc murum se apodiabant psallentes ; et conversi ad populum, alloquebantur eumdem.

Anno quarto regni Salomonis *fundata est domus Domini,* hoc est, incepta fieri, ut patuit in exordio hujus capitis, *mense Ziph * ; et in anno undecimo* regni ejus, * Zir seu Zio
mense Bul, vel, ut alii dicunt, Zebul *(ipse est mensis octavus)* undecimi anni præfati, cui mensi correspondet secundum nos September, ut dicit Beda, seu partim October, ut aliqui dicunt, *perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus suis ; ædificavitque eam annis septem.*

ARTICULUS X

DE SPIRITUALI ET MYSTICA EXPOSITIONE HUJUS CAPITULI SEXTI.

PER hoc quod Salomon rex opulentus ac sapientissimus, ædificavit Deo speciosissimum ac pretiosissimum templum, præfiguratum fuit, quod Christus, in cujus manu sunt regnum, potestas et imperium, Dan. vii, 14. ædificaret Deo Patri seu superbeatissimæ Trinitati pulcherrimum incomparabilis pretiositatis dignitatisque templum, univer-

Digitized by Google

salem Ecclesiam, quam toto terrarum orbe A
per Apostolos per fidem, caritatem, et gra-
tiam congregavit : pro cujus salute pretio-
Apoc. I, 5. sissimum proprii sanguinis effudit ac dedit
thesaurum. De quo a Zacharia prædictum
Zach. VI, 12. est : Ecce vir, Oriens nomen ejus, et ædi-
ficabit templum Domino. Quemadmodum
autem Salomon fecit templum in monte
Moria, sic Christus in sublimitate gratiæ
ac virtutum, in apice contemplationis, in
caritatis perfectione statuit, construxit et
consummavit Ecclesiam suam. Denique per
hoc, quod in area Ornan Jebusæi templum B
Salomonis constructum est, præsignatum
videtur, quod in terra gentilitatis Ecclesia
est diffusa.

At vero per hoc, quod templum Salomo-
nis quadrangularis fuit figuræ, præmon-
strabatur, quod Ecclesia Christi æqualitate
justitiæ ornaretur, et quatuor virtutibus
cardinalibus ad præclaram pertingeret qua-
draturam. Per longitudinem templi, lon-
ganimitas Ecclesiæ in exspectatione futuræ
beatitudinis denotatur; per latitudinem, ca-
ritas, quæ ad omnes extenditur, et inimicos C
complectitur ; per altitudinem, perfectio
insinuatur internorum profectuum, subli-
mitas contemplationum, vertex divinorum
charismatum. Per porticum templi, status
incipientium; per primam templi partem,
status proficientium; per partem templi
interiorem, status perfectorum exprimitur.
Per fenestras templi obliquas, intelligun-
tur libri sacræ Scripturæ, illuminantes Ec-
clesiam; vel ipsi prædicatores, qui lumen
veritatis pandunt hominibus, et Solem ju-
stitiæ adducunt credentibus. Sed quia in D
Scripturis est quædam obscuritas, atque
in prædicatoribus ac prælatis cognitio im-
I Cor. XIII, 12. perfecta, quia per speculum in ænigmate
vident, culparum quoque admixtio ac de-
fectus justitiæ invenitur in eis, recte fene-
stræ istæ dicuntur obliquæ. Unde et Isaias:
Is. LXIV, 6. Universæ, inquit, justitiæ nostræ quasi
pannus menstruatæ.

Insuper, per tres templi mansiones seu
partes ab infimo usque ad supremum, si-
gnificantur tres status fidelium, utpote con-
jugatorum, religiosorum, ac prælatorum :
inter quos, conjugati sunt infimi, religiosi
medii, prælati supremi. Per parietes tem-
pli, signantur diversæ gentes, ex quibus
constat Ecclesia; per pavimentum, sancta
humilitas multipliciter decorata; per deam-
bulatoria, divina præcepta et evangelica
Christi consilia, in quibus et per quæ salu-
briter ambulatur ac tenditur ad salutem;
per latera et apodiamenta a casu præser-
vantia, intelliguntur discretio, timor Dei, cu-
stodia cordis, oratio ardens, et confidentia
jugis in Domino; per atrium templi, occu-
patio fidelium in exterioribus rebus : per
quam ab arcta via salutis frequenter rece- Matth. VII, 14.
ditur; tamen ne nimium recedatur, per mu-
rum atrii, regimen pastorale muniens ac
circumdans gregem fidelium recte accipi-
tur, per quod a damnabili præservantur ac
cohibentur recessu. Tabulæ cedrinæ, quibus
parietes sunt operti, designant exteriorum
exemplaritatem, et virtuosæ famæ odorem,
per quæ efficimur bonus Christi odor in II Cor. II, 15.
omni loco, proximisque suaves; atque nos
ipsos ac proximos, a vitiorum putredine
præservamus, dæmones quoque persequi-
mur et fugamus. Deo etenim conscientiæ
puritatem, proximis exemplaritatem ac bo-
nam tenemur famam. Nempe, ut asserit
Glossa, cedrus est imputribilis arbor, boni
odoris, jucundi adspectus : quæ accensa,
suo odore fugat perimitque serpentes. Tra-
bes, sunt grandia illa divinæ pietatis au-
xilia, angelicarum potestatum subsidia,
præsidentium sustentamenta, quibus in
electis conservantur, deportantur ac robo-
rantur virtutes, gradus et status fidelium.

*Domus autem quum ædificaretur, de do-
latis lapidibus atque perfectis ædificata
est.* Non enim aliquis Christo atque Eccle-
siæ potest salubriter incorporari, nisi in
Baptismo aut Pœnitentiæ sacramento ab
inculta, rudi et cruda conversatione sua
pristina, originalive culpa mundatus, et fi-
de, spe ac caritate ornatus. *Et malleus et
securis et omne ferramentum, non sunt
audita in domo quum ædificaretur :* quia
fideles capiti suo Christo ac matri suæ Ec-

Digitized by Google

clesiæ incorporantur quieta et interiori ac insensibili operatione Spiritus Sancti, per vitiorum expulsionem et infusionem virtutum. Spiritualis namque et interna est ædificatio ista, sicut ait Apostolus : In Christo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. (Ephes. II, 21, 22.) Per ostium templi intelligitur fides, quam primo ac firmiter oportet habere; vel Baptismus, qui est janua sacramentorum; vel Christus, qui protestatur, Ego sum ostium ovium. (Joann. X, 7.) *Et per cochleam ascendebant.* Per cochleam designatur difficilis ad virtutum profectum ac perfectionem ascensus. Ars quippe et virtus sunt circa difficilia; et in ascensu nostro ad veram felicitatem non itur semper directe, sed frequenter hinc inde gyratur, tarde proceditur, tortuositates occurrunt, quibus oportet resistere; nec coronatur nisi qui prævalet. (II Tim. II, 5.)

Texit quoque domum laquearibus cedrinis. Laquearia ista, sunt ornata ac dulcia dona Spiritus Sancti, quibus et ipsæ virtutes perficiuntur et expediuntur, ac ipsi fideles, dirigibiles ac dociles a Spiritu Sancto redduntur, sicut in Evangelio ait Salvator : Erunt omnes docibiles Dei. (Joann. VI, 45.) Et Psalmista : Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. (Ps. CXLII, 10.) *Et ædificavit tabulatum super omnem domum.* Tabulatum istud altissimum toti Ecclesiæ eminens, est conversatio Christi in sæculo isto, quam nullus valet plenarie imitari. Rursus, tabulatum seu deambulatorium vel domicilium istud, est caritatis perfectio, mystica theologia, angelica et cœlestis conversatio ducta in carne, ut Paulus fatetur : Nostra, inquiens, conversatio est in cœlis. (Philipp. III, 20.) Denique tria deambulatoria illa, designant tres vias perveniendi ad totius fontem salutis. Prima et infima est via mandatorum. Secunda est professio et conversatio religiosorum cœnobitarum in societate viventium. Tertia, anachoretarum, quorum vita est super hominem, quum homo sit naturaliter animal sociale, civile. *Et operuit domum lignis cedrinis.* Ligna cedrina sunt homines sublimis dignitatis, exemplaris ac dulcis conversationis, sinceri ac integri cordis : quibus Ecclesia operitur, dum tales ceteris præficiuntur. *Et texit pavimentum domus tabulis abiegnis.* Quemadmodum per pavimentum humilitas, quæ in basso et imo se collocat, designatur; sic per abietem arborem altam, magnanimitas insinuatur, quæ divinæ omnipotentiæ innitendo auxiliis, in summo se figit. Deus autem mira moderatione disponit, ut in electis suis humilitas magnanimitatem non excludat, et magnanimitas humilitatem perficiat ac venustet.

Insuper, per hoc, quod exterior pars templi fuit interiori parte ipsius in duplo major ac longior, figuratur, quod in Ecclesia multo plures sunt sæculares et conjugati, quam spirituales ac religiosi. Per arcam significatur Christi humanitas, seu Eucharistiæ sacramentum, vel mens viri heroici : quæ arca in oraculo ponitur, quia in secretioribus ecclesiarum locis, atque in devotissimis Dei servis Christus homo ac Sacramentum custodiuntur. *Altare vestivit cedro.* Altare, est fides, in qua quidquid boni agimus, Deo offerimus; vel caritas, sine qua nil meritorium et Deo acceptum est; (I Cor. XIII, 1-3.) seu Christus, in cujus merito Deo omnia nostra sacrificia immolamus. Hujus altaris operimentum et vestitus ac decoratio, est devotionis suavitas, fervor orationis, conversatio sacrificiis correspondens. *Domum operuit auro purissimo,* id est, Christifideles fide et opere Christianos tegit ac perficit Dominus sincero ac spirituali amore, de quo fertur in Apocalypsi : Suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum. (Apoc. III, 18.)

Et fecit duos Cherubim : per quos intelliguntur excellentes illuminationes atque scientiæ utriusque Testamenti, ac dignitates angelicæ, et supernorum obsequium civium, aut etiam sacerdotum qui in Scripturis angeli nuncupantur : (Malach. II, 7.) qui ad Christi obsequia sunt parati, et in ipsum respiciunt, dum omne quod operantur, ad ejus honorem et gloriam recta intentione ordi-

Digitized by Google

nant ac reducunt. Alæ Cherubim, sunt agilitates eorum ad exsequendum celerrime quidquid jusserit conditor Deus; subsidia obsequiaque ipsorum, quibus et Creatori jugiter obsequuntur, et militanti Ecclesiæ suffragantur, ac sibi commissos custodiunt, obumbrant ac tegunt : ideo alæ Cherubim tangebant parietes; sed et ala unius alam alterius, quia concorditer faciunt hæc, et sibi invicem cooperantur, caritate quoque nectuntur, et totam militantem perambulant ac circumdant Ecclesiam. Qui tecti sunt auro, id est ardentissima caritate. *Et sculpsit variis cælaturis.* Per omnem illam templi picturam et cælaturam, recte accipiuntur multi ac magni ornatus Ecclesiæ in fructibus et beatitudinibus, in desideriis sanctis, in operibus supererogationis, exercitationibusque internis et adspirationibus ac occupationibus mentis in Deo assiduis. Unde in Canticis loquitur Sponsa:
Cant. II, 5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quæ et per anaglypha exprimuntur : nempe, ut ait Isidorus, anaglypha sunt vasa escaria sursum sculpta, ἀπὸ τοῦ ἀνά, quod est sursum, et γλύφω, sculpere. Et ut asserit Beda, ἀνάγλυφα Græce, Latine dicuntur cælaturæ : quibus infigi Cherubim facit, qui puritatem angelicam edocet esse sectandam, præsertim religiosis et clericis ac prælatis, quatenus qui gradu ac ordine præminent aliis, præpolleant et virtutum operibus.

Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur. Sic nemo est in Ecclesia, tanquam vivum ipsius membrum, et fide ac merito, nisi qui caritate resplendet, et salutari sapientia decoratur : siquidem ne-
Sap. VII, 28. minem diligit Deus, nisi qui cum sapientia
Ibid. XIII, 1. inhabitat; et vani sunt omnes quibus non subest scientia Dei, qui per Osee testatur :
Osee IV, 6. Quia tu scientiam repulisti, repellam et ego te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Sed et pavimentum domus texit auro.* Vera namque humilitas semper caritate ornatur. Et
Prov. XI, 2. rursus veraciter ait Scriptura : Ubi humilitas, ibi et sapientia.

In ingressu oraculi fecit duo ostiola : A per quæ designantur vita prælatica et contemplativa monastica, per quas ad interiora pertingitur. Rursus, ostiola ista sunt humiliatio profunda sui ipsius, et timor divinæ majestatis, per quæ ad secreta Altissimi contemplanda intratur. Ostiola quoque sunt lumen naturæ et lux gratiæ, per quæ ad lumen gloriæ itur ac pervenitur. Postes demum et columnæ, sunt majores et perfectiores, qui portare possunt minorum imbecillitates : qui postes esse debent de lignis olivarum, id est personæ gratia B pietatis et lumine sapientiæ decoratæ, ut noverint quibus et qualiter debeant condolere, ita ut bonitate, disciplina, discretioneque vigeant, et vinum rigoris, oleumque dulcoris proportionate contemperent. *Et duo ostia de lignis abiegnis.* Duo ostia intelligi possunt, observatio præceptorum atque impletio consiliorum, juxta illud :
Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. XIX, 17.
Itemque : Qui vult venire post me, abneget Luc. IX, 23.
semetipsum. Iterum, ostia sunt pastores ac prædicatores, præsertim Apostoli et Pro- C phetæ, vel patientia in adversis et constantia in prosperis. *Et utrumque ostium duplex erat,* id est per fidem et operationem distinctum, caritate Dei ac proximi copulatum, intus et extra illuminatum; *et se invicem tenens aperiebatur,* quoniam unum istorum fulcitur ac adjuvatur ex altero, sicque ad profectum procedunt.

Operuitque omnia laminis aureis, id est caritativis affectibus, sine quibus nil me- I Cor. XIII, 1-3.
riti sortirentur; affixæque erant aureis clavis, id est incitamentis ac motibus filialis D timoris ac sancti amoris, quibus nil fortius ligat, nectit aut penetrat. Unde et scriptum
est : Confige timore tuo carnes meas. Vel Ps. CXVIII, 120.
clavi aurei sunt verba divinæ Scripturæ ac salubria documenta, per quæ homo adhæret virtutibus, compungitur et unitur.
Hinc in Ecclesiaste scriptum est : Verba Eccle. XII, 11.
sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi.

Ædificavitque eam annis septem. Septenario universitas designatur, juxta illud
in Tobia, quod Raphael dixit : Ego sum Tob. XII, 15.

angelus, unus ex septem qui stamus an- A
Apoc. I, 4. te Dominum. Atque in Apocalypsi : Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. Christus autem Ecclesiam suam ædificat per totum tempus sæculi hujus, quemadmodum contestatur : Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. XXVIII, 20. Quam et septem donis Spiritus Sancti construit, perficit et sustentat.

ARTICULUS XI

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : DOMUM AUTEM SUAM ÆDIFICAVIT SALOMON.

HUJUS capituli exordium describit ædificia illa regalia, quæ Salomon fecit pro se et conjuge sua et pro commodis suis. Deinde reditur in isto capitulo ad describenda instrumenta cultus divini, et utensilia templi, ac rerum quarumdam contentarum in eo. *Domum autem suam,* id est regale palatium cum attinentiis suis, *ædificavit Salomon tredecim annis, et ad perfectum usque perduxit :* non quod domus sua fuerit pretiosior aut pulchrior templo et attinentiis suis, imo econtrario fuit; sed quia adhuc erat multum devotus, ardentior fuit circa ea quæ Dei sunt, quam circa propria; multoque plures operarios habuit simul occupatos ad templi, quam ad palatii sui, constructionem. Populus quoque fertur fuisse ferventior circa structuram templi, quam domorum regalium : sed et necessaria pro templo ædificando, erant Salomoni præparata a David; I Par. XXVIII, XXIX. non autem pro aliis domibus construendis, facta fuit ei talis provisio.

Sequitur de secunda domo regali, non quod in ea commoratus sit rex, sed in ea reposuit aliqua pretiosa, quæ infra tangentur. *Ædificavit quoque domum Saltus Libani :* quæ domus interdum vocatur, domus Saltus, interdum domus Libani, aliquando domus Saltus Libani, quia constructa fuit de lignis Libani montis seu silvæ circumjacentis : saltus namque pro silva accipitur. De quantitate autem et dimensionibus domus Saltus, subjungitur : B *centum cubitorum longitudinis :* sicque longior fuit templo, quod habuit sexaginta cubitos longitudinis, ut in principio præcedentis capituli recitatur; III Reg. VI, 2. *et quinquaginta cubitorum latitudinis :* latitudo autem templi fuit cubitorum viginti; *et triginta cubitorum altitudinis :* templum vero fuit altitudinis centum viginti cubitorum, ut secundo Paralipomenon habetur. II Par. III, 4. Verumtamen, quod domus Saltus dicitur in altitudine cubitorum fuisse triginta, quidam exponunt, quod tanta exstiterit altitudo ip- C sius usque ad ejus solarium, quod vocatur mansio secunda : quia in duas mansiones fuit ascendendo divisa, habens tantum unum solarium. Tectum quoque ipsius fuit planum, juxta consuetudinem Palæstinæ, cujus pars fuit Judæa. *Et quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas.* In utraque etenim mansione domus istius, erant tres cedrinarum ordines columnarum secundum longitudinem mansionum : sicque tam inferius quam superius inter ipsas columnas erant deambulatoria duo, et in- D ter columnam ex una parte extremam, et parietem sibi proximum, fuit deambulatorium unum; similiter inter columnam in alia parte extremam et parietem sibi vicinum. Unde subjungitur : *ligna quippe cedrina exciderat in columnas,* id est, de ipsis cedris fecit columnas in domo ista.

Et tabulatis cedrinis, id est asseribus de cedro præcisis, *vestivit totam cameram* domus istius, videlicet superiorem concame-

Digitized by Google

rationem, *quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur.* In quolibet namque trium ordinum columnarum, erant quindecim columnæ, quæ simul sunt quadraginta quinque. Hinc subditur : *Unus autem ordo habebat columnas quindecim contra se invicem* lateraliter *positas, et e regione se respicientes* ex latere, *æquali spatio inter columnas* exsistente, ita quod æqualiter distabat una ab alia, et similiter unus ordo columnarum ab alio ; *et super columnas* posita erant *quadrangulata ligna in cunctis æqualia* in quantitate, et similia in qualitate figuræ quadrangularis : quæ erant ibi pro trabibus sita, ad sustentandum solarium et etiam tectum planum.

Denique ante palatium erant tres porticus. Prima, palatioque vicinior, fuit major, de qua sequitur : *Et porticum columnarum,* id est columnis subnixam, *fecit quinquaginta cubitorum longitudinis :* totque cubitorum fuit latitudo palatii; *et triginta cubitorum latitudinis :* de cujus altitudine hic tacetur. Sequitur de porticu secunda. *Et alteram porticum* fecit *in facie porticus majoris,* id est directe ante eam. In secunda hac porticu fiebant et proferebantur communia quæque judicia. *Et columnas et epistylia,* quæ ponebantur in capitibus columnarum, et erant capitella ac ornamenta earum, *super columnas fecit. Porticum quoque solii,* in qua rex Salomon sedebat ad judicandum : unde subditur, *in qua tribunal est, fecit ; et texit,* id est, intus operuit, *lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem,* id est tectum; *et domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu,* id est in medio porticus hujus, seu infra eam, *simili opere.* Quidam per domunculam istam, intelligunt ipsum thronum judicialem Salomonis situm in porticu ista. Alii verisimilius dicunt, quod in porticu ista erat facta quædam domuncula, in qua collocatus fuit thronus regis præfatus : de
III *Reg.* x, 18-20. cujus formatione, dispositione et pretiositate infra habetur. Porro, ut Rabanus ait, solium proprie dicitur regum, thronus ju-

A dicum, cathedra doctorum. Frequenter tamen unum istorum pro alio sumitur.

Præterea, pro clariori horum intelligentia advertendum, quod Magister in historiis scribit : Domus, inquit, Saltus duplex erat, id est in superiorem et inferiorem partem divisa, unum habens solarium ; et ex duplici erat materia. Pars inferior erat lapidea, et dicebatur NECHOTA, id est pigmentaria, in qua reponebantur aromata et pigmenta ad usus templi ac regiæ domus, ut ex beneficio (id est proprietate et vir-
B tute) terræ ac muri lapidei, diutius vigerent quasi recentia. Unde et super Isaiam *Is.* XXXIX, 2.
scribit Hieronymus, Pro domo NECHOTA quidam transtulerunt, Domus thymiamatis; quidam, Domus storacis. Porro superior pars domus istius lignea erat, de lignis Libani facta : propter quod vocata est domus Saltus Libani. Aliqui tamen putant eam ideo sic vocatam, quoniam circumquaque consita erat arboribus et viridariis miræ recreationis, juxta densitatem seu diversitatem et amœnitatem saltus Libani.
C Scriptum est enim secundo Paralipomenon : Posuit ea, videlicet scuta, rex in armamentario, quod consitum erat nemore. II *Par.* IX, 16.
In hac etenim parte reponebantur arma, ut beneficio ligni, rubiginem non sentirent, id est non contraherent. Nec solum ponebantur ibi arma ad pugnandum, sed etiam ad decorem et ostentationem regii fastus. Fecit enim rex Salomon ducenta aurea scuta, in quorum unoquoque erant sexcenti III *Reg.* x, 16.
sicli auri : imo et totidem lanceas aureas, ut secundo Paralipomenon habetur. Fecit II *Par.* IX, 15.
D quoque trecentas aureas peltas, quarum III *Reg.* x, 17.
quædam erant rotundæ, aliæ instar semicirculi factæ. Peltæ namque dicuntur hic media scuta, figurata instar lunæ semiplenæ. His utebantur custodes regis, ante ostium domus excubantes. Et quando rex egrediebatur, præcedebant eum equitantes et ferentes hujusmodi arma juvenes flavi, quorum capilli descendebant usque ad dorsa equorum, adjicientes comis suis tincturam auri, sive ut aliqui legunt, cincturam auri, id est aurea quædam serta,

Digitized by Google

ut eorum capita radiis solis perfusa, fulgerent ac radiarent. Hos rex sequebatur in curru. Solebat enim exire Jerusalem usque ad quemdam locum, distantem ab urbe duobus funiculis, id est duobus appensis: et dicebatur locus ille, hortus Eden, id est deliciarum. Sequitur de domo reginæ.

Domum quoque fecit filiæ Pharaonis conjugis suæ supremæ, *quam duxerat Salomon uxorem,* quam et præ ceteris valde dilexit, *tali opere, quali et hanc porticum,* de qua immediate jam dictum est. Non tamen per omnia similis fuit domus reginæ huic porticui, quia non claudebatur columnis ut porticus; sed in materia similis fuit, quia de pretiosis lapidibus habuit fundamentum et muros sive parietes. Unde subjungitur: *Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam,* id est regulam, *atque mensuram* congruæ quantitatis, *tam intrinsecus quam extrinsecus,* id est in utraque superficie, *serrati erant,* id est secti et complanati; *a fundamento usque ad summitatem parietum,* videlicet usque ad solarium, *et intrinsecus,* scilicet in domo positi erant hujusmodi lapides, puta in pavimento, *usque ad atrium majus,* quod fuit in circuitu hujus domus (vel usque ad atrium domus regis) quod fuit rotundum; atrium autem templi erat quadratum, sicut præhabitum est. *Fundamenta autem* domus reginæ, erant *de lapidibus pretiosis,* forsan marmoreis, *lapidibus magnis decem sive octo cubitorum,* in longitudine aut latitudine. *Et desuper,* videlicet super lapides illos in fundo locatos, *lapides pretiosi,* forsan alterius speciei, *æqualis mensuræ secti, erant* dispositi; *similiterque de cedro,* id est, ligna cedrina erant ibi disposita. *Et atrium majus rotundum* jam præfatum, *trium ordinum de lapidibus sectis* fuit, qui tripartito ordine erant situati, *et unius ordinis de dolata cedro,* id est, tabulis cedrinis dolatis vestiebantur. *Necnon et in atrio domus Domini interiori,* fuit dispositio talis, hoc est in atrio sacerdotum. Unde in fine præcedentis capituli scriptum est: Ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri; sicque ex illorum expositione verborum ibi inducta, patet sensus istius passus. *Et in porticu domus,* videlicet templi, taliter fuit dispositum. Hæc est porticus sita in facie templi, de qua præcedenti capitulo scriptum est, Et porticus erat ante templum. III Reg. vi, 36. III Reg. vi, 3.

Misit quoque rex Salomon ad Hiram regem Tyri, *et tulit,* id est, inde fecit sibi sponte adduci, *Hiram* operarium artificem, regis ministrum, *de Tyro, filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre* ejus *Tyrio* exsistente, id est de Tyro, et sic ex parte patris fuit gentilis, ut littera sonare videtur: et si pater ille fuit ad cultum unius veri Dei, seu ad Judaismum conversus, excusabilior fuit illa Hebræa quod contraxit cum illo. Tamen de hoc, an scilicet pater ejus fuit natione gentilis, plenius super Paralipomenon dictum est. Sed his obviare videtur, quod secundo Paralipomenon sic legitur: Misit Salomon ad Hiram regem Tyri, dicens: Mitte mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro et argento, etc.; et postea legitur ibi Hiram rex Salomoni inter cetera scripsisse, Misi tibi virum prudentem et scientissimum, etc. Sed horum concordantia facilis est, ut dicatur, quod Salomon per litteras et per nuntios rogavit et procuravit sibi mitti hujusmodi virum, sicque rex Tyri ad instantiam Salomonis misit hunc ipsum. Quod vero hic scribitur, Salomon misisse et tulisse hunc virum de Tyro, per recapitulationem est accipiendum. Nam fecit hoc, antequam constructionem templi incepit. *Artificem ærarium, et plenum sapientia et intelligentia et doctrina ad faciendum omne opus ex ære,* id est scientem operari in ære, imo et in auro, argento, ferro, marmore, lignis, purpura, hyacintho, bysso et coccino; et scivit cælare omnem sculpturam, et invenire prudenter quidquid in opere necessarium fuit, ut præallegato Paralipomenon continetur libro. Unde ob tantam viri illius peritiam, Hiram rex vocavit eum patrem suum. Præterea quæri potest, II Par. ii, 3, 7. Ibid. 13. Ibid. 14.

Digitized by Google

qualiter artifex ille dicatur hic filius mulieris viduæ de Nephthali tribu, quum in II Par. II, 14. Paralipomenon asseratur filius mulieris de filiabus Dan. Ad quod super præallegata Paralipomenon verba responsio est conscripta. *Qui quum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus,* id est ædificia quæ Salomon fieri jussit, et utensilia eorumdem : non quod Hiram ille propria manu fecerit omnia illa, sed tanquam architectus direxit cooperatores suos, et aliqua per se fecit.

Et finxit, id est formavit, *duas columnas æreas :* quæ fusiles erant, et fusæ ex ære, non ductiles; et erant cavæ, non soli- Jer. LII, 21. dæ, juxta illud Jeremiæ, Grossitudo columnæ quatuor digitorum, et intrinsecus cava erat; *decem et octo cubitorum altitudinis* fecit *columnam unam ;* tantæ quoque altitudinis fuit et alia. Verum his obviare II Par. III, 15. videtur illud secundi Paralipomenon, Triginta et quinque cubitos altitudinis habebant. Respondetur, quod stipes utriusque columnæ habuit decem et octo cubitos in altitudine, ut hic fertur; et præter stipitem, quælibet habuit basim et caput ac capitellum; longitudoque capitis fuit quatuor cubitorum, ut aliqui dicunt. Tamen Ibidem. in Paralipomenon legitur : Porro capita earum, quinque cubitorum. Longitudo quoque capitellorum quinque cubitos continebat, ut in textu hic scribitur. Ex quibus relinquitur, quod longitudo basis, de qua Scriptura non loquitur, fuit septem seu octo cubitorum. *Et linea duodecim cubitorum ambiebat,* id est circuibat, *columnam utramque.* Hoc aliqui sic exponunt, quod quælibet columna continebat in circuitu seu rotunditate sex cubitos. Sed verius perhibetur, quod quælibet in gyro rotunditatis suæ, continebat duodecim cubitos, Jer. LII, 21. quum in Jeremia scriptum sit : Decem et octo cubiti altitudinis erant in columna una, et funiculus duodecim cubitorum circuibat eam. Quidam vero istos duodecim cubitos lineæ seu funiculi, addunt cubitis columnarum, dicentes, quod erant triginta cubitorum. Sed inepte hoc dicunt, quia A in Paralipomenon scriptum est manifeste, quod erant triginta quinque cubitorum in II Par. III, 15. altitudine. In isto quoque capitulo et in Jeremia fertur, quod duodecim cubiti erant Jer. LII, 21. in circuitu columnarum, quando videlicet aliquis voluit cingere eas. Attamen per lineam duodecim cubitorum, ambientem ipsam columnam, quidam intelligunt lineam opere fusili circumductam columnæ in medio ejus. Quod aliis non videtur, quia ab Jeremia linea illa vocatur funiculus : quo Ibidem. nomine designatur mensura.

B *Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære :* id est, unicuique columnæ fecit unum capitellum ære fusum; imo totum columnarum capitellorumque opus, formatum fuit per fusionem, non per malleorum percussionem. *Quinque cubitorum altitudinis* fuit *capitellum unum;* similiter aliud. Nam subditur, *et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum; et* facta erant *quasi in modum retis et catenarum sibi invicem miro opere contextarum.* Circa C quod ait Petrus Comestor : Latera capitelli ex omni parte in modum retis et catenarum erant contexta, tam artificiose ut retia et catenæ magis viderentur apposita, quam insculpta; vel quia solida non erant, sed concava, perforata undique fusa sunt, ut connexiones formam retis præferrent. Hinc secundo Paralipomenon fertur, Et quasi catenulas in oraculo, et super- II Par. III, 16. posuit eas capitibus columnarum : quod ibidem diffuse expositum est. *Utrumque capitellum columnarum fusile erat; sep-* D *tena versuum retiacula in capitello uno* erant, *et septena retiacula in capitello altero,* id est, septem ordines habentes eamdem cælaturam, occupantes in gyro totum capitelli circuitum; vel septem ordines isti erant dispositi, ascendendo a parte capitelli inferiori, ita quod omnes illæ protractiones erant eodem modo cælatæ, considerarique poterant ex omni parte per transversum sive per longum : sicque *versus* vocantur hic, lineæ protractæ in latitudine ad modum versuum, in eadem linea

Digitized by Google

ac latere conscriptorum. Hinc alii dicunt, A quod versus sumitur hic pro ordine, sicut et in Exodo, ubi scribitur, In primo versu erit sardius : ut sit sensus, Septem versuum retiacula, id est, septem retiacula erant in quolibet duorum ordinum præfatorum. Erant etenim ibi duo ordines retiaculorum, unus super malogranata inferiora, et alter super superiora ; atque in quolibet ordine illo fuerant septem partes perforatæ, quæ retiacula hic vocantur. Retiacula vero proprie nominantur retia parva.

Exod. XXVIII, 17.

Et perfecit columnas duas prædictas : in B quibus epistylium fuit supra, stylus autem seu stipes in medio, et basis inferius ; *et duos ordines singulorum retiaculorum per circuitum :* quod de duobus retiaculorum ordinibus præinductis exponitur ; *ut tegerent capitella quæ erant super summitatem malogranatorum,* quæ dependebant pro parte sub capitellis, ut infra patebit. *Eodem modo fecit et capitello secundo.*

Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant, id est, in suprema sua parte fuerant C liliata, hoc est lilii figuram habentia; erant situata *in porticu* templi, ut patuit ; *quatuor cubitorum.* Jam dictum est, quod capitellum quodlibet fuit quinque cubitorum : qualiter ergo nunc dicitur, Quatuor cubitorum ? Ad istud quidam respondent, hoc quod dicitur hic Quatuor cubitorum, esse referendum ad capita columnarum, quæ dicunt fuisse quatuor cubitorum in alto. Sed hoc videtur alienum a textu, quia præmittitur, Capitella autem, etc. ; et rursus, quia ut allegatum est, secundo Para- D lipomenon legitur : Capita earum, quinque cubitorum. Ideo respondendum ex verbis Bedæ dicentis, Quum opus lilii in capitellis quatuor cubitorum esse memoratur, nec additur longitudinis vel latitudinis, relinquitur lectoris judicio, utrum in longitudine vel latitudine intelligi debeat. Quum ergo superius dictum sit, altitudinem capitellorum fuisse quinque cubitorum, restat, mensuram hanc quatuor cubitorum, ad latitudinem posse referri.

II Par. III, 15.

Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula. Circa hoc scribit quidam : Loquitur de prædictis capitellis quæ erant super capita columnarum. Sed hoc videtur textui repugnare, dicenti, Et rursus alia capitella. Melius ergo istud referendum censetur ad capitella aliarum columnarum templi, de quibus hucusque specialem mentionem non fecit. Hinc in Scholastica fertur historia : De reliquis columnis vestibuli, id est porticus, modicum agit Scriptura, dicens, Et rursus alia capitella in summitate columnarum. Fecit ergo alia capitella in summitate, id est capitibus, seu super epistylia columnarum illarum juxta mensuram columnæ, id est secundum exigentiam proportionis quantitatis uniuscujusque columnarum illarum minorum : quæ quanto minores fuerunt in stipite quam columnæ illæ duæ majores, eo et earum capitella fuerunt minora ; contra retiacula, id est e regione seu ex opposito lateraliter aut directe ipsorum retiaculorum, quæ erant in columnis majoribus.

Malogranatorum autem, id est pomorum sic dictorum, *ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.* Locus iste est multum difficilis, non propter profunditatem materiæ, sed ex imaginationis defectu de re non visa, et obscure descripta. Unde secundum Magistrum in historiis, ambiguum est an istud dicatur de capitellis prioribus. Multi quoque expositores pertranseunt locum istum, sicut et alia quædam capituli hujus obscura.

Porro Lyra circa hæc scribit : Prope inferiorem partem capitelli, erant centum malogranata superposita, et totidem dependentia eis correspondentia ; sicque unum malogranatum superpositum, et unum dependens ei correspondens, faciebant unum ordinem : ideo erant ibi centum ordines malogranatorum, et ducenta malogranata. Et eodem modo in malogranatis superioribus tales et tot ordines erant : sicque erant ibi ducenti ordines malogranatorum in universo in uno capitello. Ideo subditur, In

Digitized by Google

circuitu capitelli secundi : quod vocatur secundum, respectu capitis columnæ, cui superpositum erat : quod quidem caput, vocatur hic quodammodo capitellum, respectu stipitis columnæ. — Iterum ante hæc scribit : Capita columnarum istarum, in parte superiori dilatabantur ad modum floris lilii, et capitella ponebantur super stipitem quasi in medio dilatationis illius, et inferior pars capitelli aptabatur stipiti illi, et post aliquam elevationem erat quædam dilatatio in circuitu capitelli per modum cujusdam circuli eminentis, et super circulum illum erant centum malogranata, et sub eodem erant totidem dependentia. Et super circulum istum et super ejus malogranata, erat quædam elevatio strictior, usque quasi prope medium altitudinis capitelli, et dividebatur in septem portiones seu partes per intermedias lineas seu circulos graciles, et quælibet pars erat perforata in circuitu subtiliter secundum varias figuras, sicut fieri solet in ostiis laternarum ærearum ; et quoniam capitella et columnæ erant interius concavæ, ideo lumen transiens per illa foramina circumquaque ostendebat pulchritudinem operis illius. Et super istas septem portiones, quæ in littera vocantur retiacula et catenæ, eo quod in retibus et catenis talia foramina et intricationes apparent, erat prope medium capitelli alia dilatatio circularis, prædictæ dilatationi omnino consimilis : et ibi erant centum malogranata superposita, et centum supposita, et desuper septem portiones distinctæ ac perforatæ, sicut præfatæ ; sed erant strictiores, quoniam capitellum in ascendendo restringebatur, et in summitate capitelli erat opus simile lilio, quia videlicet figura lilii fuit ibi impressa seu sculpta.

Hæc Lyra. Contra cujus verba objici potest, quia ex eis habetur, quod in quolibet capitellorum illorum fuerunt malogranata quadringenta : cujus contrarium apparet ex eo, quod secundo Paralipomenon dici-
II *Par.* III, 16. tur, Malogranata centum fecit, quæ catenulis interposuit. Unde videntur in quoli-
A bet capitello fuisse ducenta malogranata dumtaxat : et sic per ducentos ordines malogranatorum, intelligenda videntur ducenta malogranata linealiter sita, ordinateque posita per capitelli circuitum in locis duobus. Denique in Jeremia scriptum est :
Fuerunt malogranata nonaginta et sex de- *Jer.* LII, 23.
pendentia ; nec aliquid dicitur ibi de malogranatis superpositis et erectis super illa
pendentia. Iterum scriptum est secundo Pa- II *Par.* IV,
ralipomenon : Malogranata quoque quadra- 13. Cf. Lyranum super
ginta et retiacula duo, ita ut bini ordines III *Reg.*
B malogranatorum singulis retiaculis jungerentur. Circa quod quidam dicunt expositores : Duo erant ibi ordines malogranatorum, et in quolibet ordine centum malogranata, et ita ducenta in duobus ordinibus. Denique in isto capitulo infra malogranatorum numerus quasi summarie videtur expressus,
quum dicitur : Et malogranata quadringen- vers. 42.
ta in duobus retiaculis ; nec alicubi ponit Scriptura, quod fuerint in columnis illis malogranata octingenta. Præterea extraneum esse videtur, ut per capitellum se-
C cundum, intelligatur caput utriusque columnæ, per respectum ad caput columnæ cui superpositum erat : quia in toto isto capitulo et in Paralipomenon, loquitur Scriptura de capitibus et capitellis columnarum istarum distincte, tanquam de rebus diversis. Amplius, paulo ante hæc verba
habetur in littera, Eodem modo fecit capi- vers. 18.
tello secundo : et ibi capitellum secundum, pro capitello sumitur speciali. Ista inquisitive sint tacta.

Præterea quæritur, qualiter in Jeremia
D dicantur fuisse malogranata nonaginta et *Jer.* LII, 23.
sex, quum in Paralipomenon asserantur II *Par.* III,
centum fuisse. Ad hoc aliqui dicunt, quod 16.
quædam malogranata tempore Jeremiæ forsan jam deciderunt. Alii dicunt, quod quatuor malogranata, quæ Jeremias omittit, ingredientibus porticum non apparuerunt : quoniam columnæ steterunt juxta muros porticus hinc inde, sicque capitella parietibus jungebantur : propter quod videri non poterant quædam malogranata, unde nec exprimuntur ab Jeremia. Hanc ultimam

Digitized by Google

responsionem ponit et sequitur quidam ex verbis Rabbi Salomonis : quæ tamen responsio apparentiam modicam habet, præsertim quum ex ipsius verbis jam dictum sit, quod portiones columnarum erant undique perforatæ, ita quod lumen transiens per illa foramina, satis ostendere potuit omnia malogranata cujuslibet capitelli, quum et porticus fuerit luminosa. Iterum
II *Par.* IV, 13. Cf. Lyranum super III *Reg.* quæritur, quomodo in Paralipomenon dicantur fuisse quadraginta malogranata, quum in eodem legantur fuisse centum, et in Jeremia nonaginta sex, atque in isto capitulo quadringenta. Ad quod satis probabiliter respondetur, quod vitio scriptorum ex similitudine dictionum, textus ille Paralipomenon sit corruptus, habendo Quadraginta pro Quadringenta, præsertim quum in Hebræo habeatur, Quadringenta.

Itaque, quum in textu isto dicuntur fuisse ducenti ordines malogranatorum in circuitu capitelli secundi, potest per capitellum secundum, intelligi capitellum secundæ columnæ; et quod de ejus capitello asseritur, de primæ quoque columnæ capitello datur intelligi.

Et statuit duas columnas in porticu templi, hoc est, præfatas duas collocavit ibidem, ut dictum est, juxta muros seu parietes porticus, inter quos fuit ipsius porticus latitudo. *Quumque statuisset columnam dexteram,* id est eam quæ fuit in dextera porticus parte, *vocavit eam nomine Jachin,* quod interpretatur firmitas, quoniam valde excellentis fuit firmitatis. *Similiter erexit columnam secundam,* in sinistra porticus parte, non sine multorum adjutorio et labore, *et vocavit nomen ejus Booz,* vel (ut aliqui dicunt) Booth aut Bez, quod significat robur. Sicque per duas illas columnas designabatur regni Davidici fortitudo, quæ populum sustentavit atque portavit, secundum Hebræos. *Et super capita columnarum, opus in modum lilii posuit; perfectumque est opus columnarum.* Porro istæ duæ columnæ præ ceteris describuntur, ac propriis nominibus designantur, tanquam aliis in quantitate majores, in qualitate

A ornatiores, eminentiores in multis, et propter earum mysticam significationem : de qua in sequenti articulo sermo. Siquidem columnæ illæ non fuerunt factæ aut situatæ in porticu, ad sustentandum aliquod pondus, sed ad decorem et præfigurationem. Nam et infra muros porticus stabant, et liliatæ erant in vertice. Lilialis autem figura, non est ad portandum aliquod onus apta.

Præterea quæstio oritur circa præhabita, quoniam dictum est, quamlibet illarum B columnarum habuisse in altitudine cubitos triginta quinque : quod non videtur possibile, quum in principio præcedentis dicatur capituli, quod altitudo templi fuit III *Reg.* VI, 2. triginta cubitorum, videlicet usque ad primum solarium. Si ergo columna utraque fuit triginta quinque cubitorum, extendisset se quinque cubitis ultra primum tabulatum solarii. Ad istud tamen aliqui tam Catholici quam Hebræi dixerunt, argumentum istud concludere : ideo posuerunt, quod columna quælibet seorsum una cum C suo capitello et epistylio, non fuit nisi decem et octo cubitorum, sicut in textu insinuari videtur, quum dicitur, Decem et octo vers. 15. cubitorum columnam unam. Atque ad id quod secundo Paralipomenon legitur, Ante II *Par.* III, 15. fores templi fecit duas columnas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis, respondent, hoc esse intelligendum conjunctim, ut sit sensus, quod ambæ simul erant altitudinis tantæ.

Sed contra hoc arguunt alii, quia quum una habuerit ad minus decem et octo in D altitudine cubitos, ambæ simul habuissent in altitudine cubitos triginta sex. Præterea, expressa altitudine columnarum, textus specialiter addit hic de altitudine capitellorum, et in Paralipomenon, de altitudine capitum. Unde apparet, quod eorum altitudo, in altitudine columnæ non fuit inclusa. Amplius, altitudine capitellorum subtracta, non remanent nisi tredecim cubiti pro altitudine columnæ : sicque fuisset tam grossa quam longa, dempto cubito uno, quum in textu dicitur, quod linea duodecim vers. 15.

cubitorum ambiebat columnam unam. Verum istæ objectiones faciliter solvi possunt. Qui enim vult istam positionem tenere, dicere potest, quod Scriptura in tali computatione non solet minutias numeri curare, nec in Paralipomenon scriptum est, quod ambæ erant tantum triginta quinque cubitorum : ideo sicut numerus major includit minorem, sic minor non excludit majorem. Ad aliud diceretur, quod Scriptura primo summatim ponit totam altitudinem columnarum ; deinde in speciali altitudinem capitellorum et capitum, tanquam principalium partium, et amplius ornatarum. Ad tertium poterit dici, quod si columna fuisset sine capitello relicta, indecens fuisset forma hujusmodi; sed quia cum capitello suo erecta stetit, non apparuit indecentia aliqua.

Porro, qui vult primam positionem tenere, ad præinductam potest instantiam respondere, quod columnæ istæ non steterunt infra tabulata aut solaria templi, sed in porticu, de cujus altitudine Scriptura non loquitur. Verumtamen Josephus dicit, quod altitudo porticus ad altitudinem templi surrexit, seu extendebatur : quod si de tota templi altitudine intelligatur, objectio illa est nulla ; si autem de altitudine templi usque ad primum solarium, respondent nonnulli, quod porticus fuit constructa in parte montis declivi, ita quod per gradus ascendebatur in templum ; et columnæ istæ stabant in inferiori porticus parte, ita quod terra fuit bassior ibi quinque cubitis ipso templi pavimento. Sed huic solutioni obviare videtur, quod secundo Paralipomenon leguntur istæ columnæ ante fores templi stetisse : sicque valde modicum a pavimento templi distabant. Nec verisimile est, quod spatio quinque cubitorum pavimenti extremitas, juxta fores exstiterit altior loco porticus sibi quasi contiguo, in quo stabant columnæ : præsertim quoniam Josephus et Magister in historiis contestantur, quod Salomon videns cacumen montis Moria angustum, dejecit illud, atque in aream spatiis amplioribus diffudit.

II *Par.* III, 15.

A Postremo, ut fertur, quidam Hebræi aliter quam dictum est, imaginantur de capitellorum figura, dicentes quod erant formata instar grossi pomelli superius liliati : in quorum latiori parte, dicunt fuisse duos malogranatorum circuitus, unum super, alium subter, ita quod in uno capitello non erant nisi ducenta malogranata. Quod, quantum ad numerum malogranatorum, arbitror verum ; sed de forma seu figura capitellorum, verius reor quod supra inductum est, quoniam talis forma est pulchrior.

B Sequitur de æneo mari, quod ita vocatur, quoniam erat aqua in vase de ære facto contenta. Nam juxta Hebræi idiomatis proprietatem, quæcumque congregatio aquarum notabilis, mare nuncupatur. Interdum tamen vas illud vocatur æneum mare, eratque lavatorium in atrio sacerdotum locatum, in quo fuit et altare holocaustorum : in quo lavacro sacerdotes, ministraturi in templo et sacrificaturi, abluebant manus et pedes. *Fecit quoque mare fusile :* quia vas illud in quo erat aqua, fuit fusum ex C ære, quod Josephus nominat cantharum grandem in figura hemisphærii factum, hoc est scypho consimilem ; *decem cubitorum a labio usque ad labium* : tanta fuit latitudo ipsius ab extremitate superficiei superioris, usque ad extremitatem sibi directe oppositam per diametrum. Illa quippe extremitas in circumferentia, labium appellatur. *Rotundum in circuitu :* quia ut tactum est, dicitur fuisse hemisphærialis figuræ. *Quinque cubitorum* fuit *altitudo ejus* a labio præfato usque ad fundum. D Verumtamen elevatum fuit a terra plus quam per cubitos quinque ; sed altitudo boum, super quos stetit, non computatur in altitudine ista quinque cubitorum ; *et resticula,* hoc est funiculus, *triginta cubitorum cingebat illud per circuitum :* sicque ambitus ille fuit in triplo major, quam latitudo. Nam et geometræ probant, quod circumferentia ter continet diametrum et septimam ejus partem. Quum ergo linea diametraliter ducta a labio in labium, fuerit decem cubitorum : constat, quod cir-

Digitized by Google

cumferentia fuit triginta cubitorum, imo et ultra plus quam cubiti; sed illud modicum Scriptura non exprimit, quia in numeris, mensuris atque temporibus non computat ipsas minutias.

Et sculptura subter labium, circuibat illud decem cubitis ambiens mare. Nam mare illud paulatim fiebat strictius infra, ita quod circa fundum habuit cubitos decem in gyro : et ibi, secundum quorumdam expositionem, sculptura ambivit mare; vel si sculptura fuit juxta labium, circuivit mare non totaliter, sed per cubitos decem. B

* alias *striatarum* *Duo ordines sculpturarum historiatarum**, hoc est historias quasdam continentium, *erant fusiles,* id est fusæ : quia litteræ illæ æneæ, in duobus ordinibus circuibant mare in parte ejus præfata ac fusa. Porro quidam Hebræi aliam habent imaginationem de forma ænei maris, ut recitat Lyra, sed non videtur curandum. *Et stabant super duodecim boves,* qui erant ænei, imo et
II *Par.* IV, 3. fusiles, ut secundo Paralipomenon habetur. *E quibus tres respiciebant ad aquilonem, et tres ad occidentem, et tres ad meridiem, et tres ad orientem.* Unde elicitur, quod versus quamlibet mundi plagam situati pariter erant boves tres, capita sua ad eamdem mundi plagam vertentes. *Et mare super eos erat : quorum posteriora universa intrinsecus latitabant,* id est sub mari, ita quod non prominebant, nec apparebant. Unde in Paralipomenon scriptum
Ibid. 4. est: Posteriora boum erant intrinsecus sub mari.

Grossitudo autem luteris, hoc est ænei maris : quod dicitur luter, quasi latus uter, quoniam multam in se continuit aquam. Vel luter a luendo, prout luere uno modo designat abluere : quia in aqua illa abluebantur manus pedesque sacerdotum, non quod aquam introierunt, sed quod aqua trahebatur ex mari, quemadmodum in lavatoriis quorumdam claustralium. Sicque intelligendum est illud secundi Paralipo-
Ibid. 6. menon, Sacerdotes lavabantur in mari. Itaque grossitudo, id est spissitudo, luteris, *trium unciarum erat,* hoc est palmi, seu A quatuor digitorum. Nam (ut fertur) in Hebræo habetur, Quatuor digitorum erat spissitudo. Atque in Paralipomenon, Vastitas II *Par.* IV, 5.
ejus habebat mensuram palmi. *Labiumque ejus,* videlicet ænei maris seu luteris, erat *quasi labium calicis, et folium repandi lilii.* Labium illud comparatur labio calicis, in quantum rotundum; et folio repandi lilii, quoniam instar lilii fuit repandum sive recurvum extrinsecus : repandum enim et recurvum, idem significant. *Duo millia batos capiebat,* id est tria millia metretarum. Unde in quibusdam libris adjectum est, *tria millia metretas :* quod tamen non est de textu, nec in Hebræo habetur, sed ab aliquo expositore fuit primo per modum glossæ appositum. Batus autem continet metretam cum media : estque batus mensura trium modiorum, ut aliqui dicunt; sed proprie est mensura liquidorum, et est æqualis capacitatis cum ephi, quæ proprie est mensura aridorum. Porro secundum Isidorum, batus continet quinquaginta sextarios. Tamen de quantitate mensurarum nil certum scire valemus, quoniam C nomina et continentiæ mensurarum apud diversos multipliciter variantur et distinguuntur.

Sequitur de basibus luterum decem, et de ipsis decem luteribus, qui erant facti ad alium usum quam mare præfatum. *Et fecit decem bases æneas,* id est ære fusas, juxta numerum decem luterum, de quibus vers. 38.
infra habetur, quorum quilibet habuit propriam basim, super quam stetit; *quatuor cubitorum longitudinis bases singulas,* hoc D est, quælibet basis facta fuit instar corporis quadrati, habens in longitudine cubitos quatuor, *et quatuor cubitorum latitudinis,* et tres in altitudine, sicut subjungitur, *et trium cubitorum altitudinis. Et ipsum opus basium, interrasile erat,* id est interpolatum, seu in una sua parte planum, atque in alia sculptum, et hoc hinc inde per loca diversa. Sicque basis quælibet fuit interrasilis, quasi rasa inter sculpturas in suis lateribus, quoniam inter plures sculpturas manserunt aliquæ partes planæ.

Digitized by Google

Et sculpturæ formatæ erant *inter juncturas,* hoc est in lateribus basis istius quadratæ, cujus juncturæ erant in angulis suis. Nam facta fuit ex quatuor tabulis, quæ in angulis connectebantur. *Et inter coronulas et plectas,* id est inter circulos et semicirculos, seu certe* in lateribus sculptos, sculpti erant *leones et boves,* ita quod imagines leonum et boum continebantur infra coronulas illas et plectas. Proprie autem dicitur plecta, corona aut sertum contextum de juncis et floribus. *Et Cherubim* sculpta erant ibidem. Unde quod Dominus toties in lege, præsertim in Deuteronomio, prohibuit imagines fieri et locari in tabernaculo, et in templo, intelligendum erat, ut non fierent ad colendum. Nam et in tabernaculo Moysis jussa fuerunt Cherubim formari ac statui. *Et in juncturis similiter desuper,* hoc est, in lateribus tabulæ superioris ipsius basis, erant sculpturæ tales quales in lateribus basis, ut dictum est. *Et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia,* id est, subter colla leonum ac boum sculpta erant ærea lora, quæ dependebant sub collis, quibus loris videbantur ligati. Lorum autem vocatur habena seu ligamen, et etiam ferreus circulus quo lorica contexitur.

* ceu serta

Exod. xx, 4. 5; *Deut.* iv, 16-19; v, 8, 9.

Exod. xxv, 18.

Et quatuor rotæ per bases singulas : hoc est, sub qualibet basi stabant quatuor rotæ fusiles æneæ, ita quod sub quolibet angulo basis, stetit inferius una rota in exteriori anguli parte; *et axes ærei,* hoc est ænei stili, qui pertingebant de rota ad rotam. *Et per quatuor partes, quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se invicem respectantes :* hoc est, in quatuor partibus superioris tabulæ basis, factæ erant et fusæ quatuor breves columnæ ad luterem sustentandum, quæ usque ad medium luteris pertingebant, et se invicem ex latere respiciebant : quæ humeruli appellantur, quoniam in humeris onera deferuntur, et gravia sustentantur. De hoc ait Petrus Comestor : In summitate quatuor columnarum angularium, hoc est quatuor angulorum, erant humeri expansi

A in similitudinem manus humanæ, pedisque aquilæ, super quos tabula, ferens luterem, ita exstitit coaptata, ut naturaliter videretur inserta.

Os quoque luteris, intrinsecus erat, hoc est recurvatum interius, quemadmodum os ænei maris recurvatum fuit, et replicatum exterius, *in capitis summitate :* id est, orificium hoc luteris situm fuit in suprema ipsius parte; *et quod forinsecus apparebat,* utpote apertura oris luteris, quæ foris apparuit, *unius cubiti erat :* ita quod B linea tracta directe per orificium illud, unius fuit cubiti; *et totum rotundum* fuit orificium illud; *pariterque habebat unum cubitum et dimidium,* hoc est, luter in fundo suo erat unius cubiti ac medii in protractione sui diametri. *In angulis autem columnarum,* id est in angulis seu juncturis superioris tabulæ basis præfatæ: qui anguli finiebantur ad quatuor illas columnas in quatuor angulis basis sitas, in quibus angulis et latera jungebantur; *variæ cælaturæ,* hoc est sculpturæ seu pi- C cturæ, *erant; et media intercolumnia* erant *quadrata, non rotunda.* Intercolumnium nuncupatur, quod situatur inter columnas, vel medium dividens eas. Unde per media intercolumnia, quidam intelligunt latera basis, quæ inter prædictas erant columnas. Alii dicunt media intercolumnia, ipsas tabulas basis, quæ inter columnas fuerunt. Porro, secundum Glossam, media intercolumnia vocat tabulam basis superiorem, quæ instar aliarum erat quadrata, ac consimiliter sculpta, habens in summitate D sua rotunditatem seu concavitatem, hoc est foramen rotundum unius et dimidii cubiti, in qua luter ponebatur ac residebat.

Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, sicut expositum est, *cohærebant sibi subter basim :* id est, duæ rotæ quæ erant ab una basis parte, conjungebantur sibi per axem præfatum pertingentem sub basi a rota ad rotam. Simili quoque modo duæ rotæ quæ erant ab alia parte basis, mutuo jungebantur et cohærebant. *Una rota habebat altitudinis cu-*

Digitized by Google

bitum unum et semis, hoc est unum cum A medio : imo quælibet rota habuit altitudinem unius cubiti atque dimidii. Cubitus autem, secundum veriorem positionem, continet longitudinem unius pedis cum medio. *Tales autem rotæ erant quales solent in curru fieri,* id est, in figura seu forma artificiali, non in materia, similes erant rotis quadrigarum : idcirco habebant et alia, quæ solent in curribus fieri. Nam subditur, *et axes earum :* de quibus axibus dictum est; *et radii, et canthi, et modioli.* Radii hic vocantur, recta atque B subtilia illa ligna, aut eis similia, quæ de medio rotæ ad ejus circumferentiam extenduntur, et utrisque infiguntur. Canthi vero, extrema rotæ, quæ per terram circumvolvuntur, seu partes circumferentiæ, quæ inter radios collocantur. Modiolus autem est illud rotundum, quod est in medio rotæ. *Omnia fusilia,* hoc est fusa ex ære. Unde videtur verum non esse quod quidam affirmat, secundum doctores catholicos potuisse bases illas cum luteribus trahi de loco ad locum per rotas illas. Ma- C gister enim in historiis insinuare videtur oppositum. *Nam et humeruli illi quatuor,* id est quatuor prædictæ breves columnæ, *per singulos angulos basis unius* dispositi, *ex ipsa basi fusiles et conjuncti erant :* hoc est, simul cum basi formati et fusi erant, non postea additi, et erant duo conjuncti in una basis parte, alii duo in alia, sicut expositum est.

In summitate autem basis, videlicet in tabula ejus superiori, *erat quædam rotunditas,* id est perforatio circularis, *unius* D *et dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa.* Istud jam dictum est atque expositum. *Sculpsit quoque in tabulatis illis* æreis, non ligneis, quia subjungitur, *quæ erant ex ære, et in angulis* eorumdem, videlicet prope juncturas tabularum, *Cherubim et leones et palmas,* hoc est arbores sic vocatas, *quasi in similitudinem hominis stantis,* id est erectas; vel quod ait, In similitudinem hominis, refertur ad Cherubim, quæ (ut aliqui dicunt) humanam habebant effigiem. Josephus tamen et Magister in historiis per Cherubim intelligere videntur similitudinem avium non visarum. *Ut non cælata,* hoc est tam artificiose, ut non sculpta, *sed apposita per circuitum viderentur.*

In hunc modum fecit decem bases fusura una, et mensura sculpturaque consimili, id est simili in specie. Nam reliquæ novem bases, consimiles erant in forma atque materia primæ basi.

Fecit quoque decem luteres æreos,* qui positi sunt super præfatas decem bases, ut patuit. *Quadraginta batos capiebat luter unus.* De mensura bati, jam dictum est. *Eratque quatuor cubitorum :* sicque luteres isti fuerunt multo minores æneo mari: omnes quoque luteres, ejusdem dispositionis ac materiæ erant. *Singulos quoque luteres per singulas, id est decem bases, posuit; et constituit,* hoc est, collocavit, *decem bases* præmemoratas cum superpositis sibi luteribus in atrio sacerdotum, *quinque ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram. Mare autem* æneum *posuit ad dexteram partem templi contra orientem,* hoc est in orientali parte atrii sacerdotum, non tamen directe ad orientem, quia subjungitur, *ad meridiem,* id est magis divertendo ad plagam australem.

Denique, præinducta expositio de formatione luterum ac basium, procedit secundum expositores catholicos, Bedam, Rabanum, Petrum Comestorem et alios. Quocirca conscribit Lyra : Quoniam luteres facti erant ut lavarentur in eis hostiæ cremandæ super altare; vas autem, quod in superiori parte multo est strictius quam in medio et in parte inferiori, non est aptum ut aliquid in eo lavetur, sed in superiori parte potius debet esse latum et apertum: ideo prædicta luteris figura, non videtur rationabilis. Item, vas cujus labium est recurvatum interius, non est aptum ad hoc, quod immersa in eo, libere extrahantur : quia recurvatio illa detinet ibi im-

* æneos

Digitized by Google

mersa, maxime quando orificium est restrictum, ut ponit præfata opinio. Ideo pono hic imaginationem Hebræorum, dicentium quod luter ascendendo dilatabatur, et in superiori sua parte latior erat, puta in orificio. Hæc Lyra. Sed quia expositio Catholicorum præhabita, consonat textui, videtur tenenda; et objecta in oppositum sunt solvenda. Haberent quippe apparentiam aliquam, si hostiæ in sua integritate fuissent in luteribus abluendæ; sed concisæ per partes, lavabantur in illis, juxta illud

II Par. IV, 6. secundi Paralipomenon, Fecit conchas decem, hoc est luteres, quæ dicuntur conchæ a concavitate, qua erant magnæ capacitatis, ut lavarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi erant. Quocirca dicunt expositores, quod Nathinæi primo lavabant membra hostiarum in piscina probatica, et lota tradebant sacerdotibus : qui ea rursus immergebant luteribus, ne interim aliquid maculæ forsitan contraxissent; sicque eviscerata, superposuerunt altari. Præcipue autem lavabantur ibi pedes et intestina hostiarum. Ad imponendum autem et extrahendum hujusmodi, sufficiebat in orificio unius cubiti latitudo. Nec vim habet quod de recurvatione objicitur : quoniam recurvatio illa statim reflectebatur ad interiorem* superficiem luteris, idcirco non poterat detinere immersa, ne extraherentur expedite ac libere.

* exteriorem

Sequitur de quibusdam vasis altaris, et utensilibus templi. *Fecit quoque Hiram* artifex *lebetes,* hoc est ollas atque caldarias, in quibus vel cineres et prunæ altaris recipiebantur, atque ad locum congruum

I Reg. II, 14. portabantur, vel carnes quorumdam sacrificiorum coquebantur, de quibus dictum est plenius supra primo libro. Unde et

Zach. XIV, 20. Zacharias ait : Erunt lebetes in domo Domini. *Et scutras,* hoc est vasa æqualis amplitudinis in ore ac fundo, facta ad calefaciendum in eis aquam, vel (ut alii dicunt) ad ponendum in eis carbones de altari holocaustorum acceptos, ut portarentur intra primam partem templi ad incendendum thymiama super altare incensi; *et*

A *hamulas,* hoc est fuscinulas ad extrahendum disponendumve carnes. Aliqui legunt, Amulas, id est vasa ad vina fundenda super hostias seu altare. Porro, secundum Ugutionem, hamula* est phiala facta instar urceoli.

* amula

Et perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. Columnas duas præcipuas, de quibus præhabitum est, imo et alias plures, ut patuit; *et funiculos capitellorum super capitella columnarum duos,* videlicet unicuique capitello unum fu-

B niculum, hoc est circulum instar funiculi, capitellum illud cingentem; *et retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum.* Consequenter resumuntur, quæ jam in isto capitulo descripta sunt esse facta, et patet sensus ex præinductis. *Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis; duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum; et bases decem, et luteres decem super bases, et mare

C unum, et boves duodecim subter mare, et lebetes, et scutras, et hamulas.*

Omnia vasa quæ fecit Hiram Tyrius *regi Salomoni in domo Domini:* non quod in templo sint facta, sed alibi, ut verterentur in usum templi, et essent ibidem in obsequium cultus divini; *de aurichalco erant.* Aurichalcum est materia habens auri duritiam ac splendorem, non veritatem neque valorem. Circa hoc in Scholastica fertur historia : Omnia utensilia templi ærea. Nec te moveat, quod aliquan-

D do de ære, aliquando de aurichalco dicuntur facta, quoniam idem est, cujus splendor et pulchritudo similes erant auro, ut Josephus ait. Et *in campestri regione Jordanis fudit ea rex,* id est, fundi ac formari fecit ea rex per Hiram et cooperatores ipsius, *in argillosa terra,* quæ aptior est aliis terris, tanquam tenacior ad producendum ex ea formas, in quibus fundantur metalla, *inter Sochoth et Sarthan,* id est loca seu oppida sic vocata; *et posuit Salomon omnia vasa in domo Domini. Propter multi-*

Digitized by Google

tudinem autem nimiam vasorum, *non erat* A *pondus æris,* hoc est, ignota fuit quantitas æris ex quo formata sunt. Hoc tamen per hyperbolen dicitur, ad insinuandum maximam æris illius molem.

Fecitque altare aureum : non quod totum fuerit factum ex auro, sed aureis laminis fuit opertum; sicque vocatur aureum, hoc est deauratum. De quo in præ-
III *Reg.* VI, 20. cedenti capitulo dictum est, Altare vestivit cedro; et intelligitur de altari thymiamatis, quod erat in prima et exteriori parte templi. *Et mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream :* super
Lev. XXIV, 5-9. quam diebus sabbati mane ponebantur duodecim panes recentes et calidi, mundique valde, facti de simila, et manserunt ibi usque ad mane sequentis sabbati; tuncque tollebantur, et a solis sacerdotibus manducabantur, et alii totidem panes similes prioribus ponebantur ibidem ; et dicebantur panes propositionis, quoniam coram Deo sic ponebantur. De quibus in
Exod. XXV, 30. Exodo præcepit Dominus : Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Hinc et mensa super quam ponebantur, mensa propositionis vocata est. Ponebantur quoque in memoriam duodecim tribuum Israel. De his super Exodum atque Leviticum plenius scripsi. Præterea, hoc in loco quum dicitur, Et mensam, ponitur singulare pro plurali, quum scriptum
II *Par.* IV, 8. sit secundo Paralipomenon : Et mensas decem, posuitque eas in templo, quinque a dextris et quinque a sinistris.

Et candelabra aurea fecit *decem : quinque ad dextram, et quinque ad sinistram* templi constituens *contra oraculum,* hoc est in exteriori templi parte coram Sancto sanctorum, seu ex opposito arcæ et oraculi ejus, quæ infra Sancta sanctorum steterunt. *Et quasi lilii flores,* id est, liliorum similitudinem in candelabris statuit, seu ex eis dependere ac procedere fecit, quoniam facta erant juxta formam et ornatum candelabri Moysis : de quo in Exodo legitur, Facies et candelabrum ductile de auro *Exod.* xx 31. mundissimo, hastile ejus et calamos, scyphos et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. Unde secundo Paralipomenon habetur : Et florentia quædam. *Et lucernas* II *Par* 21. *desuper,* hoc est super candelabra, *aureas:* quemadmodum super candelabrum Moysis erant septem lucernæ, quæ erant septem *Exod.* xx 37. aureæ lampades, secundum expositores, quarum una stabat in summitate candela-
B bri, et tres ex uno latere ejus, tresque ex latere alio, ut dictum est super Exodum. *Et forcipes aureos,* ad abscindendum quod combustum fuit de lychno, et flammæ claritatem fuscavit, *et hydrias,* in quibus positum fuit oleum lucernarum, *et fuscinulas,* hoc est instrumenta ad extrahendum immunditiam lucernarum formata, *et phialas,* id est vasa in quibus conservabátur oleum pro unctione regum atque pontificum, *et mortariola,* in quibus species, ex quibus fiebant unguenta, comminueban-
C tur seu terebantur, *et thuribula, de auro mundissimo. Et cardines ostiorum domus interioris, et,* pro id est, *Sancti sanctorum, et ostiorum domus templi,* quod hic pro exteriori parte templi accipitur, *ex auro erant.* Cardines autem sunt, in quibus ostia suspenduntur atque volvuntur.

Et intulit Salomon in templum *quæ sanctificaverat,* hoc est, ad divini cultus honorem deputaverat, *David pater suus, argentum et aurum et vasa ; reposuitque ea in thesauris,* hoc est inter divitias, *do-*
D *mus Domini.*

Demum in expositione secundi Paralipomenon dicta sunt aliqua, ad horum intellectum habendum valentia. Atque ut Josephus refert, Salomon tempore procedente fecit et alia utensilia, valde copiosa ac pretiosa, quæ in Scholastica historia satis compendiose tanguntur.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI INTELLECTU.

FINXIT *duas columnas æreas.* Ipsa Ecclesia vocatur columna, dicente ad Timotheum Apostolo : Scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. (I Tim. III, 15.) Insuper, summa ac robustissima Ecclesiæ columna, cui tota innititur plebs fidelis, est Dominus et Salvator, qui ait : Sine me nihil potestis facere. (Joann. XV, 5.) De beatissimis quoque apostolis, Petro, Jacobo et Joanne, Vas electionis testatur, quod videbantur columnæ esse. (Galat. II, 9.) Nihilo minus possunt per duas istas præcipuas templi columnas, Petrus et Paulus intelligi, qui suis prædicationibus, miraculis, virtutibus et doctrinis sustentant Ecclesiam. Rursus, duæ columnæ præclaræ sunt Scriptura veteris Testamenti et evangelicæ legis doctrina, quibus innititur sancta Ecclesia. Et iterum, auctoritas ecclesiastica, et civilis, seu duplex vis, sunt duæ columnæ, quæ decem et octo cubitos habent in altitudine, quia per observantiam Decalogi, ad octo beatitudines perducuntur : (Matth. V, 3-10.) imo per decem præcepta et octo beatitudines vitæ præsentis, ad regni cœlestis sublimitatem pertingunt. *Et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.* Linea ista, est vita rectissima seu prædicatio prorsus verissima, et preces ac merita duodecim Apostolorum, quibus circumdantur et adjuvantur fideles; ipseque chorus duodecim Apostolorum, cingit, munit ac tuetur Ecclesiam. Linea quoque duodecim cubitorum, est connexio duodecim fructuum Spiritus, quos ad Galatas enumerat Paulus, (Galat. V, 22, 23.) quibus gloriosi Apostoli, et ceteri viri perfecti, fuerunt repleti.

Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum. Capita (A) columnarum, sunt intellectus et voluntas earum, seu sapientia et caritas. Capitella vero, ecclesiasticæ dignitates et auctoritates eis superimpositæ et concessæ : quæ in omnibus debent juste procedere, quod per capitellorum quadraturam est præfiguratum; atque ad omnes sine personarum acceptione æqualiter se habere, secundum quod illorum merita videntur exigere. Quæ etiam debent virtutum contemperationibus decorari, hoc est, virtuosis actibus discrete exhibitis perfici : quoniam dona gratiæ (B) gratis datæ, sine donis gratiæ gratum facientis, nullum efficiunt Deo acceptum : quod per capitellorum reticulationem et catenationem præfiguratum censetur. *Utrumque capitellum fusile erat :* quia præfatæ ecclesiasticæ auctoritates, atque prælaticæ potestates, sunt supernaturalia dona a Deo infusa, dicente Apostolo : Non est potestas nisi a Deo. (Rom. XIII, 1.) Unde judicibus et eis qui præsunt, dicitur a Sapiente : Data est vobis potestas a Domino, et virtus ab Altissimo. (Sap. VI, 4.) *Septena versuum retiacula in capitello* (C) *uno.* Retiacula ista, sunt canones et decreta sanctorum Patrum, quibus capiuntur et deprehenduntur qui rei sunt, et per quæ dirigi debet, exerceri ac informari prælatorum, principum, judicum potestas : alioqui in tyrannidem aut negligentiam verterentur. Quid enim est præsidens sine æquitate et legibus, quam idolum aut tyrannus ?

Erant demum capitella hæc liliata in vertice : quoniam decore exemplaritatis, ac bonæ famæ odore debent esse ornati, (D) qui regunt et præsident. Pulchritudo etenim ista et talis suavitas, recte per lilium exprimuntur. Capitella hæc erant *in porticu* ante templi ingressum : quoniam hi qui

præsunt, debent se omnibus exhibere conspicuos ac paratos. Erantque *quatuor cubitorum,* quia quatuor virtutibus cardinalibus debent præcipue præfulgere : justitia, qua inclinentur ad proferendum recta judicia; prudentia, qua dirigantur in judicando ac discernendo malum ac falsum a bono et vero; fortitudine, qua magnanimiter exsequantur ea quæ ad eorum spectant officia : propter quod scriptum est in Ec- Eccli. VII, 6. clesiastico, Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere impietates ; temperantia, ne per oblectamenta gustus et tactus, obruatur in eis lux rationis, ac vi- Osee IV, 11; Eccli. XIX, 2. gor sinceritatis : vinum namque et ebrietas auferunt cor ; et mulieres apostatare faciunt etiam prudentes.

Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli. Per malogranata, quæ sunt pulchra ac dulcia poma, significantur sacræ Scripturæ eloquia illibata, refectiva atque suavia, de quibus Ps. CXVIII, 103. psallit Propheta : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! His undique debent esse ornati et abundare qui præsunt, ut valeant informare, consolari, et gubernare subjectos. Porro ducenti ordines malogranatorum, sunt ordinati processus, et copiosæ connexiones salutarium doctrinarum, quibus unusquisque secundum suam capacitatem decenter instruitur, ut paulatim ad perfectiora levetur : quia ut ait Apostolus, I Cor. XV, 46. Non prius quod spirituale, sed quod animale.

Columnam dexteram vocavit Jachin, quod interpretatur firmitas; et sinistram, *Booz,* quod interpretatur robur vel fortitudo : per quod figuratur, quod in aliorum rectoribus debet esse firmitas rationis, et robur insuperabile caritatis, ut nullo impetu passionum, nullo motu vitiorum a recta ratione ac vera caritate recedant. Per istud quoque est significatum, quod in prosperis et adversis debent inviolabiliter esse constantes, ut nec prosperis inaniter exaltentur, nec adversis pusillanimiter de- Prov. X, 25. jiciantur. Justus etenim quasi fundamen- Ibid. XII, 21. tum æternum; et non contristabit justum et vere sapientem, quidquid acciderit ei. Ideo ait Scriptura : Non te ventiles in omnem ventum ; esto firmus in via Dei, et in veritate sensus tui. Eccli. V, 11, 12. Hinc Corinthiis scripsit Apostolus : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper. I Cor. XV, 58. Qui ista impleverit, audit et obtinet quod in Apocalypsi Christus promittit : Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Apoc. III, 12. Præterea, per duas istas columnas fortissimas et præclaras, significatum est robur regni Christi in Ecclesia militanti. Nam regni ejus non erit finis. Luc. I, 33. De quo in Daniele fertur : Dedit ei Antiquus dierum, videlicet Pater æternus, potestatem, honorem et regnum. Dan. VII, 14. Per dexteram quoque columnam, firmitas spiritualis auctoritatis, cujus plenitudo et vertex in summo Pontifice residet, insinuatur; per sinistram, robur brachii sæcularis.

Fecit quoque mare æneum *fusile decem cubitorum.* Per hoc æneum mare, sacramentum Baptismi fortissimum denotatur, seu gratia lacrimarum, et compunctionis contritio, seu divinorum exuberantia gratiosa charismatum : quæ omnia, sunt bona desuper fusa, et usque Decalogi adimpletionem pertingunt. In hoc mari lavantur, qui se ipsos Deo sacrificant, et qui Christi sacramenta digne conficiunt, et omnes qui Omnipotenti in mentis puritate cupiunt deservire. Nempe in confessione omnia lavantur; atque in Threnis Jeremias testatur : Magna velut mare contritio tua. Thren. II, 13. *Quinque cubitorum altitudo ejus :* quia hoc mare extendit se ad abluendum quidquid per quinque sensus inique committitur. *Et resticula triginta cubitorum cingebat illud :* hoc est, fides superbeatissimæ Trinitatis, seu trium theologicarum virtutum custodia, cum adimpletionibus præceptorum, gratiam præfati maris conservat ac protegit.

Et sculptura circuibat illud. Per sculpturam hanc opera supererogationis, quæ pulchre perornant agentem, accipiuntur. Quum enim in multis offenderimus Deum Jacob III, 2. innumerabiliter plus quam scimus, de-

Digitized by Google

bemus semper esse ferventes, et nullum A tempus infructuose expendere, sed ultra ea ad quæ tenemur, assidue aliquid boni peragere. *Duo ordines sculpturarum historiatarum erant fusiles.* Duo ordines isti, sunt descriptiones exemplarium operum Sanctorum novi ac veteris Testamenti : quorum exemplis instrui et accendi debemus ad certandum legitime, ad laborandum idonee, ad permanendum in via justitiæ usque in finem. *Et stabant super duodecim boves :* hoc est, duodecim Apostolorum prædicatione præfatum mare seu B Baptisma innotuit, et ipsi ad gentes illud deportaverunt. Et sicut *tres* boves *respiciebant ad aquilonem, tres ad occidentem, tres ad meridiem, et tres ad orientem ;* ita Apostoli vultus suos ad omnes mundi partes ac terminos direxerunt, quibus fuit præceptum : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes omnes gentes, etc. (*Marc.* xvi, 15; *Matth.* xxviii, 19.) *Quorum posteriora intrinsecus latitabant* sub mari : quia virtute et gratia baptismali, carnalia quæque opera occultantur ac remo- C ventur. Vel posteriora, sunt præmia vitæ sequentis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens comprehendere valet; (*Is.* lxiv, 4; I *Cor.* ii, 9.) unde ait Apostolus : Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. (*Coloss.* iii, 3.)

Grossitudo luteris, trium unciarum erat: quoniam sancti viri qui aliorum columnæ dici merentur, et pusillorum imbecillitatem pie supportant, pondere discretionis, maturitatis, et fraternæ dilectionis ornantur; nec leves, sed graves sunt animo, et dicunt Altissimo : In populo gravi laudabo te. (*Ps.* xxxiv, 18.) D *Labiumque ejus, quasi labium calicis, et folium repandi lilii.* Labium enim prælatorum, columnariumque personarum, non est clausum ex indiscretione, sed apertum ex ratione : ita quod sicut calix potu in se contento reficit, exhilarat et confortat potantes, et sicut lilium suo adspectu atque odore oblectat; sic ipsi sapientia in ipsis contenta, instruunt, alunt et roborant audientes, suorumque amœnitate sermonum delectant eosdem, ita ut dicant : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! (*Ps.* cxviii, 103.) Idcirco per Jeremiam promiserat Dominus : Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos sapientia et doctrina. (*Jer.* iii, 15.) *Duo millia batos capiebat.* Sancti etenim viri ac præsidentes, quanto plus in gratiæ donis proficiunt, tanto majoris incrementi capaces redduntur ; et quo plures ad Deum converterint, tanto plures optant convertere. Gloriosi etenim Apostoli multa millia ex Judaismo et multa millia ex paganismo converterunt ad fidem, ac Christo incorporaverunt. (*Act.* ii, 41; iv, 4.)

Et fecit decem bases æneas. Per bases, quæ erant luterum fundamenta et sustentationes, signantur sanctæ humilitates, in quibus fundaverunt se et totam vitam suam septuaginta et alii discipuli Christi : qui denario exprimuntur, quia Decalogi præcepta cum eminentia impleverunt. Vel decem bases, sunt decem præcepta, seu decem epistolæ Pauli scriptæ et missæ decem Ecclesiis, ut ait Hieronymus. *Et ipsum opus interrasile erat :* id est, viri perfecti et aliorum rectores, conversationem habent in multis ornatam virtutibus ; in aliquibus tamen planam ac simplicem, et quotidianis humanæ fragilitatis defectibus mixtam : ita quod partim ornati sunt, partim non decorati. Propter quod unus eorum : Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. (I *Joann.* i, 8.) Et alius : In multis autem offendimus omnes. (*Jacob.* iii, 2.) *Et sculpturæ inter juncturas.* Per varia et decora illa ornamenta sculpturarum atque imaginum animalium, hominum et arborum, præfigurati noscuntur magni et multi ornatus Ecclesiæ, in omni suo statu et gradu, in donis gratiæ gratum facientis et gratiæ gratis datæ, in ordine incipientium, proficientium et perfectorum, in variis religionibus et sacris Ordinibus, in virtutibus, donis, beatitudinibus et fructibus, in contemplationibus et affectionibus sanctis, exercitiisque internis.

Et quatuor rotæ per bases singulas, id est doctrina, legis instructio, Prophetarum documenta, Evangelii et Apostolorum tra-

ditio in suis epistolis : per quæ quatuor A feruntur fideles ad omne bonum, et de peregrinatione exsilii ad lucem gloriæ æternalis. *Et axes ærei,* id est profectus spirituales de virtute una in aliam, juxta illud,
Ps. LXXXIII, 8. Ibunt de virtute in virtutem. *Et per quatuor partes, quasi humeruli subter luterem fusiles.* Quatuor humeruli, sunt quatuor ordines mendicantium regulariter conversantium, qui respectu majorum prælatorum pie portantium in humeris paternæ dilectionis ac pastoralis sollicitudinis oves Christi sibi commissas, sunt quasi hume- B ruli, utpote coadjutores et cooperatores pastorum, præsidentiumque majorum. *Os luteris intrinsecus erat.* Os enim cujuslibet sapientis ac timorati, ad rationis imperium et caritatis instinctum est introversum, ut non aliter nec aliud proferat, quam ratio dictat, caritasque instigat. Ideo ait Scri-
Eccli. XXI, 29. ptura : Os sapientium in corde ipsorum, et cor stultorum in ore ipsorum. *In capitis summitate,* id est apice intellectus qui dirigit os ad loquendum salubria, juxta illud
I Petr. IV, 11. sacratissimi principis Apostolorum : Si quis C loquitur, quasi sermones Dei. Unde et Vas
Ephes. IV, 29. electionis hortatur : Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. *In summitate autem basis erat quædam rotunditas.* Per rotunditatem hanc, designatur cohabitudo comproportioque virtutum, qua una alteri copulatur et concatenatur. *Quadraginta batos capiebat luter unus.* Per quadragenarium, tempus pœnitentiæ et opera ejus signantur. Hos autem qui ad actus pœnitentiæ se extendunt, spi- D ritualis pater et prædicator libenter acceptat.

Et constituit bases, quinque ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram. Aliquos enim constituit Christus in vita contemplativa et in actibus spiritualis lætitiæ, quæ per dexteram intelliguntur: quosdam in vita activa et afflictionibus pœnitentiæ, quæ per sinistram accipiuntur. *Mare autem posuit ad dexteram partem templi :* quoniam gratia Baptismi offert se omnibus gaudiose, prout necessarium est converti volentibus, quum sit janua sacramentorum.

Fecit quoque lebetes et scutras et hamulas. Per vasa hujusmodi, figurata sunt fidelium corda, variis modis disposita ad suscipiendum gratiarum charismata. *Omnia vasa de aurichalco erant:* quoniam corda humana fragilia sunt, et homines quos Deus facit esse vasa misericordiæ suæ, ex fragili constant materia, quæ foris videtur fulgere, sed intus est sordida. Et *in campestri regione fudit ea :* quia in loco isto plorationis, calamitatisque valle producit ac statuit eos. *Altare aureum, et mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream.* Altare aureum, est caritas fervens seu fides formata, vel recta intentio : in qua caritate, fide et intentione agenda sunt omnia bona. Porro aurea mensa est divina Scriptura, super quam panes propositionis ponuntur, id est, variæ et salubres expositiones ac spiritualia alimenta fundantur. *Et candelabra aurea decem.* Per candelabra decem, sumuntur personæ sapientes ac virtuosæ in Decalogi observatione perfectæ, præsertim prælati, qui verbo, fama, exemplo ac opere aliis fulgent. *Et lilii flores :* per quos accipi possunt virgines mente et corpore, quarum coram Deo castitas fragrat. *Et lucernas desuper aureas :* per quas septem dona Spiritus Sancti designantur, quæ a caritate non separantur. Lucernæ quoque vocantur viri illuminati ac fervidi, quemadmodum de felicissimo Joanne Baptista loquitur Veritas increata :
Ille erat lucerna lucens et ardens. Sed et Joann. V, 35.
septem sacramenta gratiæ contentiva, per septem illas intelliguntur lucernas.

Et forcipes aureos, id est moderatas correptiones, quibus auferuntur sordes peccantium. *Et hydrias,* id est mentes aquam salutaris sapientiæ continentes. *Et fuscinulas,* id est peritas examinationes, quibus quæ intus latent, extrahuntur ac innotescunt, et ipsis fidelibus refectio salutaris exhibetur. *Et phialas, et mortariola, et thuribula.* Hæc sunt duodecim evangelica

Digitized by Google

Christi consilia, salutarem doctrinam præstantia : quibus conteruntur, et ad nihilum rediguntur desideria et peccata carnalia, vanitatesque mundi, et quidquid caritati contrariatur ; ac ipsæ virtutes contemperantur, virtuosæ quoque actiones teruntur, et quasi ad minutissima rediguntur, dum per humilitatem parvipenduntur propter mala annexa, atque pro nihilo reputantur respectu infinitæ honorabilitatis incircumscriptibilis et supervenerandissimi Dei, qui reverentia in infinitum majori est dignus, quam ei ab universitate creaturarum queat impendi. In eisdem quoque consiliis Deo thus sanctæ mortificationis offertur, odor suavitatis orationum, psalmodiarum

A et omnium monasticorum exercitiorum jugiter immolatur. *Et cardines ostiorum,* id est auctoritates et rationes, quibus fides, spes, caritas, obedientia, virtutesque ceteræ, quibus in regnum cœleste intratur, innituntur, et ad opera bona volvuntur ; *ex auro erant,* quia ex divina Scriptura sumuntur.

Intulit ergo Salomon *quæ sanctificaverat David pater suus.* Sic Christus non nisi prædestinatos a Patre inducit in triumphantem Ecclesiam, imo nec finaliter in Ecclesiam
B militantem. *Aurum,* id est perfectos, *argentum,* id est proficientes, *et vasa,* id est incipientes. Ideo dixit : Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. *Joann.* XVIII, 9.

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : TUNC CONGREGATI SUNT OMNES MAJORES NATU ISRAEL.

RECITATA templi ædificatione, nunc dedicatio ejus describitur. *Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum* : quia in qualibet tribu fuit unus princeps specialis tribui præsidens, tamen sub rege ac principe militiæ; *et duces familiarum filiorum Israel.* In una etiam tribu erant plures familiæ, atque in una familia multæ domus. Nam omnes nati ex uno quovis filiorum Jacob, dicebantur una tribus, nisi quod tribus Joseph fuit in duas divisa ; nati autem ex uno quovis filio filiorum Jacob, erant
Num. XXVI, 5 *et seq.* una familia, ut patet in libro Numerorum. *Ad regem Salomonem,* qui ut secundo Pa-
II *Par.* V, 2. ralipomenon habetur, vocavit et congregavit illos ad se, *in Jerusalem* urbem regni metropolim, *ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id est de Sion.* Nam illa pars civitatis Jerusalem, vocabatur specialiter civitas David, quia ibidem construxit sibi palatium, et mansionem elegit

C in Sion, id est in monte sic dicto, in cujus una parte Salomon fecit templum. Porro, ut dictum est secundo libro, David rex transtulit arcam de domo Obededom in tabernaculum, quod ei tetenderat et paravit juxta palatium suum. II *Reg.* VI, 12, 17.

Convenitque ad regem Salomonem universus Israel, id est præfati majores ac nobiliores, in quibus subditi virtualiter continebantur. Aliqui quoque subditorum de singulis tribubus, cum majoribus suis venerunt. *In mense Ethanim in solenni*
D *die,* utpote decimo die mensis illius, quo festum Expiationis celebrabatur, *ipse est mensis septimus* apud Hebræos, et apud nos vocatur September, juxta illud Alexandri : Mensem Septembrem Betanim signare memento. Circa quod loquitur Petrus Comestor, Mense septimo, id est septima lunatione quæ intravit Octobrem : quia (ut fertur) fuit tunc embolismus. Erat quoque mensis ille quasi totus solennis apud He- *Lev.* XXIII, 24-36.

Digitized by Google

[*Num.* xxix, 1 *et seq.*; *Deut.* xvi, 9, 10, 13.] bræos, ut patet in Levitico, et libro Numerorum, et item in Deuteronomio. Sed objici potest, quod in fine sexti capituli hujus libri jam dictum est : [III *Reg.* vi, 37, 38.] Anno quarto fundata est domus Domini, et in anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus), perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus. Non autem est dedicata, nisi prius perfecta. Non ergo in mense septimo, sed octavo facta sunt ista. Ad hoc in historiis respondet Magister : Potest dici templum in Septembri dedicatum, rege accelerante, et eumdem post templi dedicationem fecisse utensilia aliqua quæ deerant mense septimo : sicque utrumque est verum, quod scilicet octavo mense perfecta est domus in omni opere et utensilibus, et tamen septimo mense sit dedicata.

Veneruntque cuncti senes de Israel, et tulerunt sacerdotes arcam. In Numerorum [*Num.* vii, 9.] libro continetur, quod Dominus jussit arcam portari humeris Levitarum, prout plenius dictum est supra in expositione libri [II *Reg.* vi.] secundi. Unde et secundo Paralipomenon [II *Par.* v, 4.] conscriptum est : Portaverunt Levitæ arcam. Quomodo ergo nunc fertur, quod sacerdotes eam portaverint? Ad quod dici potest, quod sacerdotes direxerunt Levitas in arcæ portatione, adstiteruntque eis; seu propter reverentiam ampliorem, exhibuerunt circa deportationem obsequium. Quandoque etiam sacerdotes arcam portabant, sicut in transitu per Jordanem, et in circuitu Jericho, prout in libro Josue habetur. [*Josue* iii, 3; vi, 6.] *Et portaverunt arcam Domini et tabernaculum fœderis,* id est tabernaculum Moysis, quod erat cum arca in præfato tabernaculo a David constructo. Tabernaculum quippe poterat dissolvi; et dissolutum, portabatur per partes a filiis Gerson, ut in Numerorum libro legitur. [*Num.* iii, 26; iv, 25, 26.] *Et omnia vasa sanctuarii,* id est sacra vasa sub Moyse facta, et quæ David addiderat, *quæ erant in tabernaculo* Moysis seu David regis usque ad tempus istud; *et ferebant ea sacerdotes et Levitæ :* quia ad filios Caath pertinuit ea portare, ut præallegato Numerorum libro [*Ibid.* iii, 31; iv, 15.] scribitur, sicut sacerdotes præceperunt Levitis.

Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel quæ convenerat ad eum, gradiebantur cum illo ante arcam, ad Dei et arcæ honorem : siquidem non solum propter venerabiliorem templi dedicationem, sed item ob honorabiliorem arcæ deportationem, populus fuit convocatus. *Et immolabant oves et boves,* per manus sacerdotum. Quamvis autem capra et hircus erant animalia immolaticia juxta legem, ut in Levitico [*Lev.* i, 10; iii, 12; iv, 23, etc.] patet, boves et oves erant sacrificia puriora, et ex eis immolationes principaliores fiebant, utpote holocaustum, et juge sacrificium, et agnus paschalis. [*Ibid.* i, 3; iii, 1, 6, 7; *Exod.* xxix, 38; xii, 3.] *Absque æstimatione et numero :* quod hyperbolice dictum est, ad insinuandum magnam valde copiam animalium oblatorum.

Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, videlicet *in oraculum templi,* id est in secundam interiorem et sanctiorem templi partem. Unde subjungitur : *in Sanctum sanctorum :* quia sic vocabatur pars illa, quoniam erant in ea sacratissima quædam, utpote arca, tabulæ testamenti, virga Aaron, urna aurea [*Hebr.* ix, 4, 5.] continens manna, Cherubim gloriæ, propitiatorium, de quo procedebant divina responsa, eratque sedes Dei, qui in illa templi parte specialiter morabatur. *Subter alas Cherubim. Siquidem Cherubim expandebant alas suas super locum arcæ, et protegebant arcam, et vectes desuper :* nam alæ illæ arcam operiebant, sicut in litterali præcedentis capituli expositione innotuit. Verum his objici potest illud Apostoli ad Hebræos : In priori tabernaculo semper [*Ibid.* 6, 7.] introibant sacerdotes; in secundo autem semel in anno solus pontifex. Si ergo solus pontifex intravit Sancta sanctorum, quomodo sacerdotes illuc arcam licite intulerunt? Dici potest, quod solus pontifex intravit Sancta sanctorum ad offerendum, et hoc regulariter tempore præstituto; sacerdotes vero ad involvendum ea, et ad efferendum, atque ad dandum involuta Levitis, qui ea propriis humeris portaverunt; [*Num.* iv, 15.]

Digitized by Google

deinde quum Levitæ ea portassent usque A ad exteriorem templi partem, reportaverunt ea sacerdotes ad pristinum locum. Ista videtur expositorum intentio libri Numerorum.

Quumque eminerent, id est, prominerent seu extenderentur, *vectes,* in quibus Levitæ arcam portabant, *et apparerent summitates,* id est extremitates seu (ut in Paralipomenon legitur) capita, *eorum foris sanctuarium,* id est extra Sancta sanctorum, *ante oraculum,* id est in exteriori parte templi ante oraculum situata, et exsi- B stentibus ibi prope oraculum seu Sanctum sanctorum, *non apparebant ultra extrinsecus,* id est eis qui longius stabant ab ingressu et velo Sancti sanctorum. De his duobus vectibus scriptum est in Exodo : Facies et vectes de lignis setim, inducesque eos per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis, id est, arca portetur per vectes : quorum quilibet transivit per circulos duos circa latera arcæ per longitudinem ejus.

II *Par.* v, 9. — *Exod.* xxv, 13, 14.

Verumtamen circa hunc passum scribit C Lyra : Dicit Rabbi Salomon, quod vectes transibant per latitudinem arcæ, et sic capita vectium erant contra cortinam pendentem in ingressu sanctuarii, et eam aliquantulum impellebant : sicque apparebant ibi [sicut] duæ mamillæ sub veste, id est duo tumores, videlicet partes illius cortinæ sic prominentes ex illa impulsione ; sed quia cortina fuit intermedia, non apparebant corpora vectium nuda, sed tamen figura, sicut videtur manus per chirothecam. His verbis Lyra subjungit : Doctores D nostri aliter exponunt, dicentes, quod licet vectes possent videri ab his qui erant prope ostium, non tamen ab his qui longius erant. Circa quod dico, quod expositio ista Catholicorum est verior, utpote magis consona Scripturæ canonicæ : quoniam secundo Paralipomenon asseritur, Vectium quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum ; si vero fuisset quis paululum extrinsecus, eos videre non poterat. Circa

II *Par.* v, 9.

quod ait Glossa : Apparebant summitates vectium foris ante oraculum, non semper, sed quum ostia oraculi aperirentur ; neque hoc omnibus, sed illis qui propius accedentes, ea quæ intus erant, attentius intuebantur. Ipsa autem arca qualis et qualiter esset posita, illis solum qui intrabant oraculum, videre licebat. Et rursus loquitur Glossa : Quamvis capita vectium accedentibus propius et diligenter intuentibus patebant ante oraculum, quum eminerent : tamen necesse erat, ut clauso oraculo, et appenso ante ostia velo, ipsi quoque vectes producendis ad claudendum ostiis locum darent.

Qui et vectes *fuerunt ibi usque in præsentem diem.* Non enim separabantur ab arca, juxta id Exodi : Vectes semper erunt in circulis arcæ, nec unquam extrahentur ab eis. Idcirco pro eo quod dicitur, Hi qui fuerunt ibi, etc., secundo Paralipomenon scriptum est : Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem.

Exod. xxv, 15. — II *Par.* v, 9.

In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, id est in monte Sinai, vel prope, cujus montis pes vocatur Horeb. Hæ sunt tabulæ in quibus digito Dei scriptus fuit Decalogus, prout in Exodo inducitur. Unde et Dominus dixit ad Moysen : Pones in ea testificationem quam dabo tibi, id est tabulas testamenti. *Quando pepigit fœdus Dominus cum filiis Israel,* id est, pactum iniit cum eis, quod ipse esset de cetero Deus ipsorum, et ipsi populus ejus : in cujus signum contulit eis legem et tabulas testamenti ; *quum egrederentur de terra Ægypti,* id est, egressi essent de ea ; vel, quia desertum in quo mons Sinai situs est, erat desertum Ægypti, nondum erant in toto de terra illa egressi. Verumtamen quando fœdus hoc pepigit Deus, quiescebant ibi ; sed tempore illo, videlicet ante et paulo post, exierunt. Præterea ei quod dictum est, non fuisse in arca nisi tabulas testamenti, videtur contrariari quod ad Hebræos affirmat Apostolus : In qua, utpote arca, erat urna aurea habens manna, et

Cf. *Exod.* xxxi, 18 ; xxxiv, 28. — *Ibid.* xxv, 16. — *Ibid.* xix, 5. — *Ibid.* xx ; xxxiv, 27, 28. — *Hebr.* ix, 4.

Digitized by Google

virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testamenti. Respondetur, quod Scriptura hæc loquitur de eo quod fuit principaliter collocatum in arca, puta de tabulis, ad quarum repositionem arca fuit principaliter facta.

Factum est autem quum exissent sacerdotes de sanctuario, in quo reposuerant arcam : quo facto, introierunt exteriorem templi partem ; *nebula implevit domum Domini.* In Paralipomenon, pro nebula, [*II Par.* v, 13.] ponitur nubes : sicque creditur nubes nebulosa fuisse. *Et non poterant sacerdotes stare* in templo, *et ministrare* Deo in eo, durante nebula illa, *propter nebulam.* In [*Ibid.* 14.] Paralipomenon dicitur, Propter caliginem. *Impleverat enim gloria Domini,* id est magnificus Dei effectus, videlicet nubes præfata, sive (ut aliqui dicunt) claritas ingens, *domum Domini,* utramque scilicet ejus partem. Nebulam illam quidam dicunt fuisse tam tenebrosam, quod sacerdotes in templo stare et ministrare nequibant : et hoc videtur ex eo quod in Paralipomenon (sicut jam allegatum est) dicitur, Propter caliginem. Et rursus, pro eo quod subditur, Dominus dixit ut habitaret in nebula, secundo Paralipomenon [*Ibid.* vi, 1.] habetur, Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine. In Hebræo quoque hoc loco habetur, In caligine ; et apud Nahum con- [*Nahum* i, 3.] scriptum est : Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. Alii dicunt, quod nebula ista fuit clara ac lucida, sicut Christum in sua trans- [*Matth.* xvii, 5. Cf. *Marc.* ix, 6 ; *Luc.* ix, 34.] figuratione obumbravit lucida nubes, ut dicunt Evangelistæ : sicque propter claritatis excessum, non potuisse sacerdotes ibi subsistere, nec tantum sustinere splendorem. Unde in Scholastica fertur historia : Nebula implevit domum Domini, non metuenda, sed temperata et fulgens, et obumbravit facies sacerdotum, ita ut se invicem videre non possent, nec ministrare. Ceteri opinantur, quod nebula ista fuit in parte lucida, atque in parte aliqua caliginosa, quemadmodum in Exodo fertur de [*Exod.* xiv, 20.] nube filios Israel præcedente, quod erat tenebrosa et illuminans noctem : quia in

A parte sua ad Ægyptios versa ac respiciente, fuit caliginosa ; sed in parte ad filios Israel versa, fuit luminosa. Ad quod persuadendum apparet valere, quod in secundo libro Paralipomenon narratur : Majestas Domini implevit domum, et omnes [*II Par.* vii, 1, 3.] filii Israel videbant descendentem ignem et gloriam Domini super domum.

Tunc ait Salomon : Dominus dixit ut habitaret in nebula. Quasi dicat : Ista apparitio est vere divina, non deceptiva, quia concordat verbis Dei, qui protestatus est B se habitare in nebula, ad designandum suæ majestatis incomprehensibilitatem, suæque lucis æternæ plenitudinem superexcellentem. Quocirca in historiis ait Magister : Nunquam Dominus legitur hoc dixisse ; sed quia in monte Sinai apparuit in nebula, et [*Exod.* xix, 16 ; xiii, 21 ; xxxiv, 5, ...] filios Israel præcessit in nube, et ante Moysen positum in caverna transivit nebula, ideo Salomon posuit dictum pro opere, et est sensus : Dominus dixit, id est, opere demonstravit. Verumtamen dici potest, Dominum istud ante hæc verba Salomonis C dixisse, quia jam Spiritus Sanctus per David in Psalmo erat locutus : Posuit tene- [*Ps.* xvii, 12.] bras latibulum suum, et caligo sub pedi- [*Ibid.* 10.] bus ejus. In libro Job quoque jam fuerat dictum : Nubes latibulum ejus. Et iterum [*Job* xxii, 14.] Dominus dixit ad Moysen : In nube appa- [*Lev.* xvi, 2.] rebo super oraculum.

Ædificans ædificavi domum, videlicet templum, *in habitaculum tuum firmissimum,* id est ad hoc, quod tu, Domine Deus, in eo gratiose jugiter commoreris et in ipso resideas : quia oraculum fuit sedes D Dei. Unde subditur : *solium tuum in sempiternum,* id est ad hoc, quod sit locus residentiæ tuæ per omne Testamenti veteris tempus, vel quamdiu domus illa durare valebit. Cognovit utique Salomon cultum legis Mosaicæ post adventum Messiæ cessaturum, et nihilo minus ipse, quantum in se fuit, optavit ut templum a se ædificatum, usque Messiæ adventum duraret, ejusque cultui manciparetur.

Convertitque rex faciem suam ad plebem stantem in atriis, hoc est in atrio mun-

Digitized by Google

dorum et atrio immundorum, atque in atrio mulierum. Habuit quippe, ut Josephus et Magister in historiis referunt, templum atria quatuor : Primum et templo propinquius, fuit atrium sacerdotum, de quo jam dicta sunt multa; et tamen inter illud et templum, fuit porticus sita. Secundum atrium et eo inferius, fuit mundorum secundum legem : quod fuit in declivi montis latere positum, et a Josepho vocatur basilica grandis vel aula; eratque multo majus atrio sacerdotum, et continebat seu includebat illud in se, et pavimentatum fuit vario marmore, habens murum altitudinis viginti quinque cubitorum interius, exterius vero altitudinis quinquaginta cubitorum secundum collis declivitatem. Et quamvis fuit tam altum, non tamen pertingebat usque ad fabricam templi : propter quod nec ipsius impedivit adspectum. In hoc atrio orabant mundi sub dio, id est sub aere, tempore serenitatis; sub porticibus vero circumjacentibus, tempore tempestatis. Deinde sub hoc atrio, id est infra illud, fuit atrium tertium in declivi montis latere situm, ejusdem schematis, id est facturæ, cum secundo, non tamen ita venustum et pretiosum : in quo orabant mulieres mundæ tantum. Insuper infra istud fuit et atrium quartum, in quo orabant viri et mulieres immundi, atque gentiles. Salomon autem stetit in atrio sacerdotum coram altari holocausti super æneam basim quam fecit, juxta illud secundi Paralipomenon : Stetit coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israel; siquidem fecerat basim æneam, et posuerat eam in medio basilicæ, stetitque super eam. Aliqui tamen, sicut et Josephus, per basilicam grandem intelligunt atrium mundorum, et in eo Salomonem dicunt stetisse.

II *Par.* VI, 12, 13.

Et benedixit omni ecclesiæ Israel, id est, bona imprecatus est toti Israelitico populo, pro eis orando. Porro Ecclesia proprie sumi solet pro congregatione Christianorum, et Synagoga pro collectione Judæorum ; sed hic sumitur generaliter pro adunatione fidelium. *Omnis enim ecclesia*

A *Israel stabat. Et ait Salomon,* gratias agens Deo, qui per sensibile signum nubis ostendit sibi gratum esse ædificium Salomonis : *Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo,* id est per os Nathan prophetæ, qui fuit quasi os Dei, loquendo *ad David patrem meum* verba sequentia ex divina commissione. Rursus, os Dei, est sapientia sua, qua loquitur et revelat sua secreta. Iterum, os Dei, est intellectus suus, quo æternaliter intra se profert Verbum internum et æternum, quod est unigenitus B Filius ejus, juxta illud : Eructavit cor meum verbum bonum. Et item : In principio erat Verbum. *Et in manibus ejus perfecit,* id est, per ipsum David implevit quæ ei promisit, quod scilicet victorias ei, sobolemque regni successorem conferret, *dicens : A die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israel, ut ædificaretur domus,* id est templum, *et esset nomen meum ibi,* id est, ego ipse ibi habitarem, sicut in templo, et invocatio mei fieret ibi. Hæc autem et C verba sequentia legitur Deus dixisse ad David supra libro secundo. *Sed elegi David, ut esset super populum meum Israel.*

II *Reg.* VII, 4 *et seq.* — *Ps.* XLIV, 2. — *Joann.* I, 1. — II *Reg.* VII, 6 *et seq.*

Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel; et ait Dominus ad David patrem meum : Quod cogitasti ædificare domum nomini meo, bene fecisti hoc ipsum mente tractans, id est, virtuosa et mihi accepta fuit illa cogitatio tua : sicque Facere, sumitur hic pro actione interiori, quum tamen communiter accipi soleat pro operatione ad extra, id D est transeunte in exteriorem materiam.

Quocirca quæri potest : quia David id virtuose cogitavit, et Deo cogitatio illa complacuit, cur Deus prohibuit ipsum David ab exsecutione sui propositi ? Respondetur, quod David ex caritate et zelo divini honoris proposuit templum Deo construere, et inde laudatur ; sed aliunde fuit justum obstaculum propter quod fuit prohibitus exsequi illud. Sic bona fuit voluntas Christi, qua petiit calicem sibi auferri ; sed melior fuit voluntas, id est volitio ipsa qua

Matth. XXVI, 39 ; *Luc.* XXII, 42.

Digitized by Google

dixit, Fiat voluntas tua. Multa etenim possumus meritorie velle, quæ Deus non vult: A sicut volo et cupio aliquem virum seu patrem meum non mori, quem Deus vult mori; seu reprobum et præscitum converti atque salvari, quem Deus absoluta voluntate vult condemnari. Unde secundum doctores, non tenemur voluntatem nostram semper conformare voluntati divinæ in re volita, præsertim quando ignoramus quid velit Deus. Nunquam tamen possumus meritorie velle, nisi quod Deus vult nos velle; neque contrarium ejus, quod nos velle B vult Deus: prout de hac re plenius loquitur in Enchiridio Augustinus, et Magister Sententiarum primo libro, et ibidem doctores scholastici. Etenim voluntas humana et voluntas divina frequenter ad diversa respiciunt, et ex diversis motivis moventur.

Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. Confirmavit Dominus sermonem suum quem locutus est, stetique pro David C *patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus. Et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel, et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Ægypti,*
Exod. xxxiv, 27. id est tabulæ testamenti ac fœderis, quod Deus cum filiis Israel iniit et percussit.

Stetit autem Salomon ante altare Domini holocausti in atrio, non in prima parte templi, in qua stetit altare thymia-
Hebr. ix, 6. matis seu incensi, ad quem locum soli sa- D cerdotes intrabant, *in conspectu ecclesiæ Israel, et expandit manus suas in cœlum, et ait : Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo desuper, et super terram deorsum,* id est, parem seu æqualem non habes, qui substantialiter distinguatur a te. Itaque per hæc non excluditur pluralitas Personarum in supersimplicissimo Deo. *Qui custodis pactum,* id est, fœdus seu promissum adimples, *et misericordiam*
Mich. vi, 8. *servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo,* id est, juxta beneplacitum tuum cum omni cordis sui diligentia conversantur et in conspectu tuo jugiter timorate se habent, indesinenter pensantes tuam adorandam ac metuendam præsentiam omnia intuentem ac judicantem: itaque cum Propheta dicere queunt, Servavi mandata tua Ps. cxviii, 168.
et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Talis fuit sanctus Job, dicens : Nonne Deus considerat vias meas, et Job xxxi, 4.
cunctos gressus meos dinumerat? *Qui custodisti servo tuo David patri meo, quæ locutus es ei : ore locutus es,* promittendo regi David, quod filius suus construeret II Reg. vii, 13.
tibi templum, *et manibus perfecisti,* id est, operibus adimplesti hoc ipsum per me, *ut hæc dies probat,* id est, prout hoc die monstratur per effectum ædificii consummati ac dedicati.

Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo quæ locutus es ei, id est, da mihi ac posteris meis ex semine David natis aut nascituris, gratiam bene vivendi, ne peccando ponamus obstaculum adimpletioni tuæ promissionis : quæ sub conditione est intelligenda ; *dicens : Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel : ita tamen, si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu meo. Et nunc, Domine Deus Israel, firmentur verba tua, quæ locutus es servo tuo David patri meo,* id est, hujusmodi tua promissa opere impleantur, ne per nostra peccata salubris ac pius eorum impediatur effectus.

Ergone putandum est, quod vere habitet Deus super terram? tanquam dicat : Non ideo dico hæc, aut domum istam construxi, quasi putem aut æstimandum docuerim, quod Deus immaterialis, incircumscriptibilis, simplicissimus et immensus, habitet in aliquo loco aut spatio corporali terreno circumscriptive atque localiter. Cujus subjungitur ratio : *Si enim,* id est quia, *cœlum* empyreum et supremum, quod est continentia visibilium et invisibilium entium creatorum, *et cœli cœlorum,* id est

Digitized by Google

A cœlum crystallinum seu aqueum et firmamentum, sub quibus continentur orbes et septem cœli planetarum, cœlum quoque æthereum, olympium, aereum; vel, Cœli cœlorum, id est orbes cœlestes, sub quibus comprehenduntur et situantur cœli elementares; *te capere,* id est circumscribere et includere, *non possunt,* quia nec circumscriptive nec definitive in loco es; *quanto magis domus hæc quam ædificavi?* id est, templum istud materiale ita nequit te capere, quum sit quasi incomparabiliter angustius minusque cœlo, quum et minima B stella visibilis, quæ est quasi punctum respectu cœli, sit major non solum hoc templo, sed et tota habitabili terra.

Sed respice ad orationem servi tui et ad preces ejus, Domine Deus meus: id est, ad hoc domum istam ædificavi, ut in ea tanquam in loco tuis obsequiis deputato, specialiter exorabilis sis, et cum speciali dignitate* adimpleas, quod jam oravi pro me, et ea quæ consequenter orabo pro aliis; consimiliter et orationes aliorum, qui in loco isto te invocabunt. Quemadmodum C enim cœlum empyreum dicitur locus et mansio angelicorum spirituum, non quod immateriales illi spiritus sint circumscriptive in loco, aut corporeum habitaculum eis sit necessarium, sed per adaptationem et congruentiam quamdam factus est eis orbis ille supremus, quoniam decet nobilissimas creaturas in nobilissimo esse loco; sic templum seu materialis ecclesia est locus orationis et cultus divini, non quod alibi exorari non possit Deus et coli, sed quoniam decet ad nobilissimos actus ho- D norificentiæ Dei, specialem locum fieri, esse et consecrari. Hinc secundo Paralipomenon legitur Salomon protulisse: Ad hoc tantum (id est principaliter) facta est domus hæc, ut respicias orationem servi tui, et exaudias in loco habitaculi tui, puta in cœlo, præsertim empyreo: quod specialiter appellatur locus et habitaculum Dei, quoniam ibi excellentius et gloriosius operatur, et se ipsum clarius feliciusque ostendit. Nempe quum Deus incomprehensibilis et perfectus, sit (quantum in ipso est) penitus indeterminatus, intemporalis et illocalis, non proprie dicitur esse in loco, nisi per transcendentiam qua omnia implet, nec continetur alicubi, sed infinite universa excedit; nihilo minus ibi dicitur esse seu habitare, ubi operatur, vel se ipsum ostendit aut clare per speciem, aut per effectum. Quumque in omnibus operetur, quia omnia conservat in esse, dicitur esse in omnibus per essentiam, præsentiam atque potentiam. Porro in justis est per gratiam, in Beatis per gloriam, in Christo homine per hypostaticam unionem, in reprobis et damnatis per justitiæ operationem, impietatumque ultionem. Attamen ipse supermundissimus et supersimplicissimus Deus, in quo nec est materia limitans, nec differentia contrahens, nec potentialitas coarctans, est intra omnia non inclusus, et extra omnia non exclusus. Hinc apud Isaiam contestatur: Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit.

Audi hymnum, id est, laudem qua te laudo, pie accepta; vel hymnum vocat deprecationem, laudibus Dei mixtam. Unde ait Propheta: Laudans invocabo Dominum. *Et orationem quam servus tuus orat coram te, ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die, super domum de qua dixisti, Erit nomen meum ibi; ut exaudias orationem quam orat in loco isto ad te servus tuus; ut exaudias deprecationem servi tui, et populi tui Israel, quodcumque oraverit in loco isto; et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, et quum exaudieris, propitius eris:* id est, intellectus et sapientia tua, qua universa ac singula distinctissime ac perfectissime intueris ac noscis, clementer ostendant se adspicere eos, qui orant in domo hac, implendo quæ orant. Denique ista locutus est Salomon ad excludendum eorum errorem, qui putabant Deum in deitatis natura esse corporeum, et lineamentis corporali-

* dignatione

II *Par.* VI, 19, 21.

Is. LXVI, 1, 2.

Ps. XVII, 4.

Digitized by Google

bus circumscribi. Ut enim in Scholastica fertur historia, dum nebula descendit in templum, intravit multos phantastica quædam opinio, Dominum localiter descendisse in templum : quem errorem rudissimum et iniquum Salomon per prædicta destruxit.

Hoc quoque pensandum, quod tota Salomonis oratio in isto descripta capitulo continet septem particulas seu petitiones particulares, quemadmodum Oratio dominica *Matth.* VI, 9-13. quam Salvator edocuit. Prima petitio fuit pro se ipso et sobole sua, ut bene vivendo, succederent jugiter regi David in regno, ut patuit.

Secunda fuit, ut Deus justitiam suam declararet in vere aut mendose jurantibus. Unde subjungitur : *Si peccaverit homo in proximum suum* per rapinam, furtum, aut depositi negationem, *et habuerit aliquod juramentum quo teneatur adstrictus,* id est, secundum legem obligatus sit vel suum fateri peccatum, vel per jurationem se expurgare, dum veritas aliter investigari et sciri non valet, *et venerit propter juramentum* exhibendum, id est ob hoc, ut juret se immunem, *coram altari tuo,* id est ad atrium sacerdotum coram altari holocaustorum, *in domum tuam,* intelligendo per domum, templum cum attinentiis et appendiciis suis, utpote atriis atque porticibus, juxta quem modum in isto capitulo infra quandoque accipitur. Constat namque, quod in templum ingredi non licuit vulgo. *Tu exaudies in cœlo,* id est, precor ut tu in cœlo exsistens, exaudire digneris orationes petentium, ut justitiam tuam declares in eo qui jurat, vindicando ejus impietatem si false juraverit. Unde subjungitur : *et facies* sicut oraverint, *et judicabis servos tuos,* reddendo singulis quod merentur, et declarando per effectum quis injustam habeat causam, *condemnans,* id est juste puniens, *impium, et reddens viam suam super caput suum,* id est, ei infligens quod sua commissione vel omissione iniqua promeruit, *justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam,* de-

A clarando per effectum innocentiam ejus. Quemadmodum autem in novo Testamento excommunicati tempore primitivæ Ecclesiæ consueverunt a diabolo corporaliter vexari, etiam sæpe usque ad mortem, ut ad Corinthios tangit Apostolus, In promptu, inquiens, habentes ulcisci omnem *II Cor.* X, 6. inobedientiam ; ita in veteri Testamento perjurantes solebant interdum statim puniri, quemadmodum etiam mulieres adulteræ in sacrificio zelotypiæ, ut patet in *Num.* V, 27. libro Numerorum. Demum de exhibitione

B juramenti in perditione depositi, in Exodo *Exod.* XXII, 8, 11. habetur.

Sequitur petitio tertia. *Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos, quia peccaturus est etiam tibi :* ideo in pœnam suæ transgressionis destituetur tuo auxilio, et timore afficietur ac fugiet, prout in Deuteronomio Deus prædixit, et in libro Judicum legitur sæpe impletum ; *et agentes* *Deut.* XXVIII, 25; *Judic.* I, 14, 15; II, 12; VI, 1, etc. *pœnitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint et adoraverint, et deprecati te fuerint in domo hac,* vel corporaliter exsi-

C stendo in ea, vel mentem suam dirigendo ad ipsam ; *exaudi in cœlo, et dimitte peccatum populi tui Israel.* Quod autem non solum de corporali exsistentia in templo, sed etiam de spirituali directione cordis ad ipsum, loquatur, apparet ex eo quod subditur : *et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum.* Nam illa reductio fuit effectus prætactæ orationis, nec ante reductionem ad terram suam post fugam, poterant corporaliter esse et orare in templo.

D Sequitur petitio quarta. *Si clausum fuerit cœlum, et non pluerit,* id est, si de cœlo aereo non descenderit pluvia, et corpora cœlestia solitam influentiam non emiserint ad pluviarum productionem, *propter peccata eorum, et orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam,* vexatione eis intellectum præstante : *Is.* XXVIII, 19. sicut in libro Judicum frequenter leguntur clamasse ad Dominum præ afflictione, *Judic.* II, 18; III, 9, 15; IV, 3, etc. quam ab adversariis tolerabant ; *exaudi eos*

Digitized by Google

in cœlo, et dimitte peccata servorum tuorum et populi tui Israel. Verumtamen a peccato cessare et pœnitere solum aut principaliter propter mala pœnalia, seu adversa inflicta aut infligenda, non esset pœnitentia salubris et vera, sed ex servili timore aut privato amore procederet, non ex caritate aut zelo justitiæ, ideo non sufficeret ad salutem. Si autem adversitas sit occasio et incitamentum ac admonitio ad pœnitendum, et superveniat præparatio sufficiens ad gratiæ infusionem, et conversio mentis ad Deum, fit vera contritio, et ita hic loquitur Salomon. *Et ostende eis viam bonam, per quam ambulent,* id est, corda eorum illumina ad considerandum efficaciter tua præcepta, et qualiter oporteat ea servari. Non enim sufficit humana notitia sive instructio, sed illuminatio Dei gratiosa requiritur. Propter quod oravit Psalmista : Viam justificationum tuarum instrue me. Et : Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. *Et da pluviam super terram, quam dedisti populo tuo in possessionem.* Ps. CXVIII, 27, 34.

Sequitur petitio quinta. *Fames si oborta fuerit,* ex caristia, victualiumque penuria, *in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer* pestem inducens, *aut ærugo,* quæ est vitium corrodens ferrum, aliave metalla et segetes. Unde scriptum est : Aurum et argentum vestrum æruginavit. Hic autem nunc sumitur pro læsione seu vitio segetum, quod in terris quibusdam solet accidere circa festum sancti Joannis Baptistæ ex quadam minutissima pluvia. *Aut locusta,* quæ est bestiola brevis, terræ nascentium corrosiva, *vel rubigo,* quæ est alia corruptio segetum, dum teneræ fruges læsivo rore aut vento percutiuntur, ita quod culmi seu stipulæ desiccantur, et in ruborem quemdam vertuntur, et segetes pauca vel nulla proferunt grana, *et afflixerit eum inimicus, ejus portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, cuncta devotatio,* id est quæcumque maledictio, *et imprecatio,* id est mali optatio quam quis orat alicui provenire, *quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel : si quis cognoverit* Jacob. V, 3.

plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo, in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias, id est actiones affectionesque *suas,* sicque pœnitenti et te invocanti indulgeas, *sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum), ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.*

Sequitur petitio sexta. *Insuper et alienigena qui non est de populo tuo Israel,* id est gentilis natione, sive sit proselytus, sive in paganismo Deum verum colens, secundum legem naturalem, cum fide Christi futuri saltem implicita, *quum venerit de terra longinqua propter nomen tuum,* id est ad invocandum te in domo hac. *Audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum ubique :* quoniam Deus tantam prosperitatem, tantos triumphos, tanta mirabilia exhibuit filiis Israel sub David et Salomone, quod majestas ejus inde undique multis innotuit. *Quum venerit ergo et oraverit in loco hoc :* quemadmodum in Actis, Æthiops eunuchus Candacis reginæ Æthiopum, legitur venisse adorare in templo Jerusalem. Act. VIII, 27.
Joannes quoque refert : Erant gentiles quidam ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. *Tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena : ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel.* Joann. XII, 20.
Unde secundo libro Machabæorum narratur, secundum templum Jerusalem fuisse famosissimum toto orbe terrarum. Et rursus secundo libro Machabæorum dicitur : II Mach. II, 23.
Quum sancta civitas habitaretur in omni pace, fiebat ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent, ita ut Seleucus Asiæ rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. *Et probent quia nomen tuum invocatum est* Ibid. III, 1-3.

super domum hanc quam ædificavi, id est, per suæ exauditionis effectum experiantur, protestentur et approbent, quod tu ipse exoratus et invocatus es a me, ut sis gratiose exaudiens eos qui in templo isto te invocant. Itaque invocatio illa Dei super templum, et consecratio templi in locum divini cultus atque orationis, confert ad exaudibilitatem orantium in eodem, et idoneitatem quamdam largitur templo, ut sic cooperetur ad exauditionem orantium in se. Denique, quidam per debitam suam punitionem probaverunt nomen Dei esse invocatum super templum Salomonis, ut infra habetur de rege Ozia, qui percussus est lepra ibidem; et etiam super templum secundum, in quo Heliodorus ob suum excessum fuit plagatus, ut secundo Machabæorum describitur.

IV *Reg.* xv, 5; II *Par.* xxvi, 16-19.

II *Mach.* iii, 26.

Sequitur petitio septima. *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis quam elegisti,* id est vultu verso ad urbem Jerusalem et ad templum, *et ad domum quam ædificavi nomini tuo, et exaudies in cœlo orationes eorum et preces eorum, et facies judicium eorum. Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet), et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum, longe vel prope, et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi, deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes : Peccavimus, inique egimus, impie gessimus; et reversi fuerint ad te, in universo corde suo et tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint* in pœnam suæ prævaricationis, *et oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod ædificavi nomini tuo,* convertendo in terra captivitatis suæ faciem suam ad locum templi; *exaudies in cœlo, in firmamento solii tui orationes eorum, et preces eorum, et facies judicium eorum,* id est, eos clementer erues de captivitate; *et propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te; et dabis misericordiam coram eis, qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis.* Juxta præfatum modum Daniel protestatur se ter in die orasse contra Jerusalem, quum esset in regno Darii regis Persarum.

Dan. vi, 10

Populus enim tuus est, et hereditas tua, quos, id est quorum patres, *eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ,* id est de tribulatione et servitute gravissima, quam in Ægypto sustinuerunt, ubi et lateres Pharaoni coxerunt. *Ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, et populi tui Israel, et exaudies eos in universis, pro quibus invocaverint te. Tu enim separasti eos,* scilicet filios Israel, *tibi in hereditatem,* id est in populum hereditarium et peculiarem, *de universis populis terræ.* Etenim multis et magnis beneficiis, gratiis, miraculis honorificavit et exaltavit Deus populum illum, præsertim quia ex eo voluit incarnari. *Sicut locutus es per Moysen servum tuum,* qui ait : Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram; *quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine Deus.*

Exod. i, 14

Deut. vii, 6.

Factum est autem quum complesset Salomon orans Dominum, omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini. Utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat in cœlum rex Salomon, ut humilius Dominum exoraret. Quam reprehensibiles ergo sunt, qui tempore elevationis genua sua non flectunt, dum opportunum ad hoc habent locum! Quæritur, qualiter hic dicatur Salomon genua sua fixisse in terram, quum in Paralipomenon scriptum sit, quod super æneam basim stetit, ac genua fixit. Et respondendum, quod nomine terræ, quæcumque terrena et mixta, sæpe intelliguntur.

II *Par.* vi, 13.

Stetit ergo et benedixit omni ecclesiæ Israel, voce magna, dicens : Benedictus Dominus Deus, qui dedit requiem populo

Digitized by Google

suo Israel, juxta omnia quæ locutus est. Non cecidit ne unus quidem sermo, ex omnibus bonis, quæ locutus est per Moysen servum suum : hoc est, quidquid boni Deus promisit filiis Israel in terra promissionis olim per Moysen, jam opere adimplevit. *Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens ; sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus, et cærimonias ejus, et judicia quæcumque mandavit patribus nostris,* id est, gratiose præveniat nos, et actualiter excitet ac moveat mentes nostras ad meritorie cogitandum, loquendum, et operandum. Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed Deus est qui operatur in nobis velle et perficere. De quo loquitur Isaias : Omnia opera nostra operatus es nobis. Ideo oravit Propheta : Inclina cor meum in testimonia tua. Nihilo minus alibi ait : Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum. Et rursus alibi ait Scriptura : Hominis est animum præparare. Itemque : Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Non enim Deus inclinat hominum corda, ut propriis actibus privet ea, sed prævenit, tangit, et movet, ut et ipsi inclinent corda sua, et se convertant ad ipsum. Non autem possunt meritorie aliquid agere, nisi Deo intus movente; imo in omni meritoria actione indigemus actuali Sancti Spiritus motione. Unde oravit Jeremias propheta : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. Qui rursus deprecatur : Converte me, Domine, et convertar, quia tu es Dominus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam. Et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Hinc denuo dixit : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos. Hoc advertens Psalmista, cecinit Deo : Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me. Qui ista advertit, de suis meritis non superbit, nec gloriatur, nisi in Domino, dicens sibi ipsi in animo : Quid habes quod non accepisti?

II Cor. III, 5. — Philipp. II, 13. — Is. XXVI, 12. — Ps. CXVIII, 36. — Ibid. 112. — Prov. XVI, 1. — Jacob. IV, 8. — Thren. V, 21. — Jer. XXXI, 18, 19. — Ibid. X, 23. — Ps. LXXII, 24. — Jer. IX, 23, 24. — I Cor. IV, 7.

Et sint sermones isti mei, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro, non loco, sed acceptatione, ita ut exaudiantur ab ipso : juxta quem sensum oratio justi penetrat cœlos, et oratio humiliantis se penetrat nubes ; *die ac nocte, ut faciat judicium servo suo, et populo suo Israel per singulos dies,* hoc est, pie et cum discretionis moderamine reddat ei quod promeretur, exaudiendo eum clementer. De quo judicio Jeremias oravit, dicens : Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Est autem et aliud judicium rigoris divinæ justitiæ, de quo oravit vir sanctus : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. *Ut sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, et custodiamus mandata ejus, sicut et hodie,* hoc est, in præceptis Dei judicialibus et cærimonialibus ambulemus, quæ ipse recta et bona esse instituit, et juxta quæ vivendum esse decrevit.

Eccli. XXXV, 21. — Jer. X, 24. — Ps. CXLII, 2.

Igitur rex et omnis Israel cum eo immolabant victimas coram Domino. Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, id est, per manus Levitarum et sacerdotum fiebant mactatio atque oblatio illa; *et ovium centum viginti millia. Et dedicaverunt templum Domini, rex et filii Israel. In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe holocaustum ibi, et sacrificium, et adipem pacificorum,* hoc est, per manus pontificis consecravit medium seu pavimentum atrii interioris, videlicet atrii sacerdotum, ut super illud medium, hostiæ offerrentur seu holocausta cremarentur, quæ super altare in atrio positum offerri non poterant, nec cremari; *quoniam altare æneum**, *quod erat coram Domino, minus erat, et*

* æreum

capere non poterat holocaustum, hoc est holocausta, *et sacrificium et adipem pacificorum,* id est adipem, quæ pro pace et gratia offerebantur. Specialiter autem adeps immolari jussus fuit in Levitico, quo habetur : Omnis adeps, Domini erit jure perpetuo. *Lev.* III, 16, 17.

Fecit ergo Salomon festivitatem celebrem, utpote valde solennem, sicut et apud nos est festum Dedicationis, *et omnis Israel cum eo multitudo magna,* hoc est quidam, imo et multi de singulis tribubus, præsertim majores natu et principaliores, qui venerunt ad regem, *ab introitu Emath,* id est a termino terræ promissionis aquilonari, *usque ad rivum Ægypti,* qui rivus Rhinocolura appellatur, estque in plaga terræ promissionis australi : per quos terminos intelliguntur et alii duo termini terræ ejusdem, quia a quatuor finibus regni venerunt ad regem : de quibus terminis habetur in libro Numerorum. *Num.* XXXIV, 3-12. *Coram Domino Deo nostro septem diebus et septem diebus, id est quatuordecim diebus.* Cur Scriptura non ait compendio, Quatuordecim diebus, sed conjunctive præmittit, Septem diebus et septem diebus? Respondetur, quod ideo, quia tota solennitas illa non fuit de eodem. Nam primis septem diebus fuit solennitas dedicationis, et aliis septem, festum Scenopegiæ, hoc est Tabernaculorum, in memoriam quod filii Israel de Ægypto egressi, manserunt in tabernaculis in deserto, ut habetur in Levitico. *Lev.* XXIII, 42, 43.

Porro Magister in historiis ait : Sic intelligendus est locus iste. Quinque diebus continue celebrata est dedicatio ; in sexto die, qui fuit quintadecima dies mensis, occurrit Scenopegia, quæ interposita est septem diebus ; qua terminata, iterum celebrata est dedicatio diebus duobus, qui fuerant intermissi. *Et in die octavo,* id est post duas illas hebdomadas, *dimisit* rex *populum.* Vel, dedicatio septem continuis diebus est facta, et postea Scenopegia totidem diebus, atque in octava Scenopegiæ post collectam dimisit populum, dando licentiam ut vel die illo facta collecta, vel

A die sequenti, ad propria remearent. Unde secundo Paralipomenon scriptum est : Fecit in die octavo collectam : de qua in Levitico legitur ; et in expositione præfati libri Paralipomenon est inductum, quid per collectam intelligatur. *II Par.* VII, 9. *Lev.* XXIII, 36.

Qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua. Paulo ante in isto capitulo habetur, quod Salomon benedixit populo ; hic autem, quod populus benedixit Salomoni : quia sibi invicem imprecati sunt bona. Rex quippe tanquam princeps B et dux, oravit pro populo sibi commisso ; et populus tanquam grex fidelis et gratus, oravit pro rege suo. Qualiter autem ad pontificem et sacerdotes pertinuit benedicere populo, habetur in Numerorum libro. *Num.* VI, 23-27. De benedictione vero consecrationis accipitur, quod ad Hebræos Apostolus loquitur : Sine ulla contradictione, quod minus est, a meliori benedicitur. *Hebr.* VII, 7. *Lætantes, et alacri corde* exsistentes, ac gratias referentes, *super omnibus bonis quæ fecerat Deus David servo suo.* In Paralipomenon additur, *II Par.* VII, 10. C Et Salomoni. Quod enim ipsi David de templi constructione et regni successore promisit, in Salomone complevit ; et *II Reg.* VII, 12, 13. David regem, etiam post mortem suam, honoravit in filio suo : sicque benefecit ambobus. *Et Israel populo suo,* cui sub Salomone præcipuam dedit prosperitatem, imo et spiritualium charismatum largitatem.

Circa hoc recitat Lyra : Dicunt Hebræi, quod dum sacerdotes vellent inducere arcam, portæ templi clauserunt se. Quumque sacerdotes pro januarum illarum apertione D cantarent psalmum, qui incipit, Memento, Domine, David : *Ps.* CXXXI, 1. in quo psalmo habetur, Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ ; *Ibid.* 8. et venissent ad versum illum, Propter David servum tuum, *Ibid.* 10. id est ob merita ejus, non avertas faciem christi tui, utpote Salomonis in regem uncti, denegando ingressum arcæ in locum quem ei paravit ; tunc portæ aperuerunt se, ad insinuandum quod meritis David Deus locum acceptavit : quod cernens populus, Deum laudavit de beneficiis quæ

Digitized by Google

exhibuit ipsi David. Et istud videtur con- A
sonare ei quod secundo Paralipomenon
II *Par.* VI, 42. habetur, quo Salomon in fine orationis
suæ fertur dixisse : Nunc ergo consurge,
Domine, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ. Domine Deus, ne avertas faciem christi tui ; memento misericordiarum David servi tui.

ARTICULUS XIV

SPIRITUALIS EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI OCTAVI.

SICUT per templum Salomonis designantur materiales ecclesiæ Christi, sic per templi illius consecrationem et dedicationem a pontifice factam, præfigurata est dedicatio materialium Christi ecclesiarum, quæ ab episcopis solum fit, ad quam populus cum suis superioribus confluit ; in qua dedicatione fundatores ecclesiarum et consecratores, solent Dominum speciali devotione rogare, ut ipsos ac alios de quacumque tribulatione et transgressione ad ipsum clamantes, exaudire dignetur. In ecclesiis istis constituitur arca, id est sacratissimum dominici corporis Sacramentum, imo et totus Christus in Sacramento : in quo Christo sunt tabulæ testamenti, id est utriusque legis perfectio. Nam et ipse non venit legem solvere, sed implere ; et legis Decalogum confirmavit, exposuit et perfecit. In ipso quoque fuit urna aurea habens manna, id est omnis plenitudo divinitatis corporaliter, seu spiritualis consolationis suavitas ; et virga Aaron, id est judiciaria auctoritas, omnisque potestas in cœlo et in terra. Per vectes autem arcæ eminentes, intelliguntur Apostoli, qui sua prædicatione Christum ad corda tulerunt gentilium : quorum Apostolorum extrema nobis patescunt, quia eorum martyria, exterioraque gesta cognoscimus. Quid autem per arcæ dedicationem* et processionem illam solennem ac jubilationem designetur, patet ex dictis circa deportationem arcæ sub David rege.

Matth. v, 17. — *Hebr.* IX, 4. — *Coloss.* II, 9. — *Matth.* XXVIII, 18. — * delationem — II *Reg.* VI.

Factum est autem quum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula implevit domum Domini. Sic Christi Apostolis, de quibus Isaias locutus est, Vos sacerdotes Domini vocabimini, de Synagoga egressis ad prædicandum ubique gentilibus, nebula, id est infidelitatis obscuritas, Synagogam implevit. Potest quoque per nebulam ænigmatica Dei notitia accipi, de qua ait Apostolus, Videmus nunc per speculum in ænigmate : qua cognitione replebatur tunc domus militantis Ecclesiæ et universa gentilitas, prout per Isaiam fuit prædictum : Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. Rursus, per splendidam nebulam illam intelligitur gratia Dei, illuminatioque divina : qua dum mens copiose perfunditur, videt se nihil condigni obsequii vel honoris posse impendere Deo incircumscriptibilis majestatis, omnesque nostras justitias esse ut pannum menstruatæ, respectu puritatis æternæ, summæ ac infinitæ, imo et comparatione honorificentiæ qua Deus in se ipso superdignissimus est. *Dominus dixit ut habitaret in nebula :* quia ipse per gratiam et illuminationem prætactam inhabitat animam, qui et in Proverbiis fatetur : Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus.

Is. LXI, 6. — I *Cor.* XIII, 12. — *Is.* XI, 9. — *Ibid.* LXIV, 6. — *Prov.* VIII, 12.

Si clausum fuerit cœlum, et non pluerit. Propter peccata clausum est cœlum, dum Deus dona misericordiæ suæ non diffundit hominibus, nec prædicatores mittit ad homines, qui stillicidia sapientiæ, id est verba salutis, dispergant. Unde per Isaiam

Digitized by Google

terram Chabul usque in diem hanc. Chabul interpretatur displicentia, quia displicuerunt sibi.

Præterea quæritur, qualiter licuit Salomoni terram promissionis in tanta parte alienare a filiis Israel. Ad quod videtur posse aliqualiter responderi ex verbis Scholasticæ historiæ, asserentis quod dedit eas regi Hiram, non quod gentiles habitarent in eis, sed quia in ditione regis gentilis posuit eas. Sed tunc rursus est quæstio, qualiter licuit sibi populum Dei subjicere ditioni regis pagani, præsertim quum ex hoc periculum et occasio idololatrandi videretur imminere populo Dei. Istas quæstiones non legi motas, nec vidi solutas; attamen, ni fallor, poterit dici, quod Hiram fuit conversus ad cultum veri Dei, cujus utique notitiam habuit magnam, ut patuit ex præinductis : et forsan Salomon dedit urbes has regi Hiram ad vitam ipsius, non perpetua alienatione a terra promissionis, ita quod Hiram habuit annuas pensiones oppidorum illorum. Denique, ex tunc terra
Is. IX, 1; *Matth.* IV, 15. illa vocata est Galilæa gentium, quæ sic appellatur in Isaia et Matthæo.

Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri : pro quibus Salomon reddidit Hiram justum valorem. *Hæc est summa expensarum quam obtulit,* id est dedit, *Salomon rex ad ædificandum domum Domini, et domum suam,* id est palatium, *et murum Jerusalem,* quem triplicavit, *et Mello.* Quid designetur per Mello, et de ædificatione ejus, dictum est
II *Reg.* V, 9. super illud secundi Regum : Ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus. *Et Heser et Mageddo et Gazer,* id est castra seu oppida sic vocata.

Pharao rex Ægypti ascendit et cepit Gazer, id est urbem sic dictam, extra terram promissionis sitam, *succenditque eam igni; et Chananæum qui habitabat in civitate, interfecit, et dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis. Ædificavit ergo Salomon Gazer,* quam Pharao incenderat, *et Bethoron inferiorem, et Baalath, et Palmyram in terra solitudinis; et omnes vicos qui ad se pertinebant, et erant absque muro, munivit, et civitates curruum,* in quibus quadrigæ bellicæ servabantur, *et civitates equitum,* id est militum pugnatorum. Hæ urbes vocantur civitates tabernaculorum in Scholastica historia, et sitæ erant in terminis terræ promissionis pro ejus munitione. Atque ut Josephus protestatur, Salomon occupavit oppida multa ultra fines terræ promissionis, adjuvante eum suo socero Pharaone præfato. *Et quodcumque ei placuit, ut ædificaret in Jerusalem, et in Libano, et in omni terra potestatis suæ.*

Universum populum qui remanserat de Amorrhæis, et de Hethæis, et de Pherezæis, et Hevæis, et Jebusæis, qui non sunt de filiis Israel; horum filios qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filii Israel exterminare, fecit Salomon tributarios, usque in diem hanc. Estque credendum, quod induxit eos ad Judaismum, imo jam ante pro maxima parte facti erant proselyti. *De filiis autem Israel non constituit rex Salomon servire quemquam,* ad solvendum tributa, vel ad operandum coacte, vel ad exercendum vilia opera; dabant tamen tributa, stipendia, seu vectigalia regi, puta expensas, quando vehebatur de una urbe ad aliam; *sed erant viri bellatores,* id est deputati ad præliandum, si esset necesse, quod raro fuit, *et ministri ejus,* in operibus dignioribus, *et principes et duces et præfecti curruum et equorum. Erant autem principes super omnia opera,* id est negotia et operarios, *Salomonis, præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subjectum populum,* unus plures, alius pauciores, secundum quod eorum officium erat majus aut minus, *et statutis operibus imperabant,* hoc est, fieri præceperunt ea quæ ipsis erant commissa. Isti fuerunt officiati et principes alii ab eis, de quibus habetur, quod erant numero tria millia et III *Reg.* V, 16.
trecenti præcipientes populo operanti ad ædificia facienda, quibus isti principaliores fuerunt. De supremis autem principibus ac officialibus Salomonis, dictum est *Ibid.* IV, 19.

superius. Sed quæri potest, qualiter dicantur hic principes quingenti quinquaginta, quum secundo Paralipomenon legatur : II Par. VIII, 10. Omnes principes exercitus regis Salomonis, fuerunt ducenti quinquaginta. Verum ad hoc in expositione illius libri est introducta responsio.

Filia autem Pharaonis, uxor regis, *ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon,* qui solenniter transtulit eam de civitate David ad domum ei paratam. Cur autem sic trans- Ibid. 11. tulit eam, expositum est in præallegato Paralipomenon libro. *Tunc ædificavit Mello. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus,* hoc est in tribus præcipuis solennitatibus legalibus, *per annos singulos holocausta et pacificas victimas super altare quod ædificaverat Domino,* id est super altare holocausti situm in atrio sacerdotum, *et adolebat,* hoc est incendebat, *thymiama coram Domino* super altare thymiamatis positum in prima templi parte. Obtulit autem et incendit per manus sacerdotum, quibus hæc ex officio competebant. Istud vero intelligendum est de sacrificiis principalibus regis, præter quæ et alia frequentius obtulit. Porro tres solennitates præfatæ, fuerunt festum Azymorum, hoc est Pascha, solennitas Hebdomadarum, id est Pente- Ibid. 13. costes, et celebritas Tabernaculorum, ut secundo Paralipomenon describitur. De sacrificiis quoque tunc offerendis habetur Num. XXVIII; Exod. XII, 14-20; Deut. XVI, 1-17. in libro Numerorum, et item in Exodo ac Deuteronomio. Insuper, præter hæc præcipua sacrificia regis, fiebant super altare holocausti sacrificia multa : quædam quotidie, ut sacrificium juge, quædam in sabbatis, quædam in calendis, hoc est mensium exordiis, prout in præmemorato Paralipomenon libro scriptum est, quo ha- II Par. VIII, 12, 13. betur : Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare quod exstruxerat ante porticum, id est in atrio sacerdotum, ut per singulos dies offerretur in eo, juxta præceptum Moysis in sabbatis et calendis. De sacrificiis quoque offerendis in sabbatis et calendis, in libro Numerorum habe- Num. XXVIII, 9-15. tur. *Perfectumque est templum.*

Classem quoque, id est grande et forte navigium, *fecit Salomon in Asiongaber,* hoc est ad hoc, ut in ea servi sui navigarent in locum illum, vel in loco illo facta est classis, *qui est juxta Ailath,* id est locum seu oppidum sic vocatum, *in littore maris Rubri in terra Idumææ,* id est juxta eam. Asiongaber autem est insula quædam Ægyptiaca Rubri maris. *Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos,* hoc est peritos circa naves regendas, *et gnaros maris,* id est scientes prævidere et vitare pericula in mari occurrentia, *cum servis Salomonis,* qui non erant tam periti in his, ut Tyrii illi habitantes in corde maris. *Qui quum venissent in Ophir,* hoc est provinciam Indiæ sic vocatam, *sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem,* post triennium, ut infra habetur. Cir- III Reg. X, 22. ca hæc aliqui narrant, quod in India sunt montes aurum continentes, qui a leonibus ac aliis atrocissimis feris custodiuntur et habitantur : ideo nautæ verentur accedere; sed explorantes ferarum absentiam, absentibus feris accedunt, navibus stantibus pro refugio apud littus, sicque terram unguibus ferarum effossam arripiunt, et in naves projiciunt, ac recedunt. Deinde terram illam jactant in ignem, et quod terrestrum atque impurum est, igne consumitur; quod vero remanet, aurum est purum.

Postremo, ut recitat Josephus, Menander historiographus scribit, quod Salomon et Hiram mutuo sibi scripserunt ac miserunt problemata sive ænigmata, ac figuras seu figurativas et typicas locutiones, quæ qui non solveret, daret alteri pensionem præfixam. Quumque Hiram angustiaretur in talium solutione difficultatum, consuluit Abdunum * Abdemonis filium juve- * Abdemium nem Tyrium, qui omnia illa faciliter enodavit.

Digitized by Google

ARTICULUS XVI

DECLARATIO CAPITULI DECIMI : SED ET REGINA SABA, ETC.

HIC ponitur argumentum, quo declarata est omnibus manifestata est sapientia Salomonis. *Sed et regina Saba.* Saba quandoque est nomen regionis, juxta illud : *Ps.* LXXI, 10. Reges Arabum et Saba dona adducent. Hic autem, ut fertur, est nomen regiæ urbis Æthiopum. Josephus opinatur reginam hanc dictam fuisse Mycaulam *, et fuisse reginam Æthiopiæ ac Ægypti. *Audita fama Salomonis,* præsertim rumore sapientiæ ejus, quæ magis fecit eum famosum, quam opulentia aut potentia, seu cetera ejus gesta, *in nomine Domini,* hoc est secundum Dei voluntatem et dispositionem, seu ad Dei honorem. Unde eliciunt quidam, quod coluit verum Deum. *Venit tentare eum in ænigmatibus,* id est propositionibus et quæstionibus difficilibus ac obscuris, ad sciendum an esset tantæ sapientiæ, ut ipsa audivit. Non enim credebat narrantibus, ut infra fatetur. Voluit ergo regem tentare non malitiose, nec ex sola curiositate, sed desiderio veritatis et informationis, ut a sua dubitatione eriperetur et instrueretur, ac nova et inaudita cernendo proficeret. Quamvis enim non credidit Salomonem esse sapientiæ tantæ, ut fama jactabat, non tamen dubitavit quin esset valde sapiens vir, cujus fama ubique terrarum sic diffundebatur. Hinc Christus in Evangelio loquitur, quod venit audire sapientiam Salomonis ; vocat quoque eam reginam Austri, et dicit, quod venit a finibus terræ, quia venit a terra valde remota, videlicet Æthiopia, quæ respectu terræ promissionis, sita est in plaga australi. Denique ænigma vocatur obscura sententia, propter similitudines rerum occultas.

* Nicaulim

Matth. XII, 42; *Luc.* XI, 31.

Et ingressa Jerusalem cum comitatu multo et divitiis, camelis portantibus aromata et aurum infinitum nimis : quod hyperbolice dicitur, ad innuendum eminentiam opum, et abundantiam auri quod attulit. Unde secundo Paralipomenon habetur, Et auri plurimum. *Et gemmas pretiosas ; venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo,* hoc est, quæ ei proponere intendebat. *Et docuit eam Salomon omnia verba,* id est sensum et solutionem omnium verborum, *quæ proposuerat. Non fuit sermo qui posset regem latere, et non responderet ei.* II *Par.* IX, 1.

Videns autem oculo interiori, id est considerans, *regina Saba omnem sapientiam Salomonis,* quam ex tam plana et facili regis responsione perpendit, *et domum quam ædificaverat :* quod quidam exponunt de templo, quod fuit principalissimum a rege constructum, alii vero de domo Saltus Libani, quam (ut ferunt) tam ipsa, quam Pharao pater uxoris Salomonis, præ ceteris mirabantur. Quidam per domum intelligunt omnia illa Salomonis ædificia tam præclara, videlicet templum, palatium, domum Saltus, et domum filiæ Pharaonis. *Et cibos mensæ ejus,* de quibus supra dictum est, *et habitacula servorum* pretiosa, distincta et fortia, *et ordines ministrantium :* in quibus multitudo confusionem non peperit, sed ordinatissima distinctio fuit ; *vestesque eorum :* nam eidem officio deputati, vestes habebant consimiles, ut in tanta ministrantium multitudine nullus ambigeret, quis cui esset officio deputatus ; *et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini,* id est in atrio, manibus sacerdotum. Quotidie etenim obtulit oblationes spontaneas ultra debitum, ut tanti regis magnificentiam decuit : quod et Josephus tangit. Unde in Paralipomenon legitur : Et II *Par.* IX, 4.

III *Reg.* IV, 22, 23.

victimas quas immolabat. Tamen ter in anno fecit solenniores oblationes. *Non habebat ultra spiritum,* id est, præ admiratione defecit, alienata a mente atque in ecstasi constituta. Idcirco in Paralipomenon fertur : Non erat præ stupore ultra in ea spiritus. Quum enim sapientis sit ordinare, et multa decenter ac ordinate disponere, non potuit satis mirari sapientiam regis in tam præclara ordinatione ministrorum ac operum ejus. Atque ut in historiis ait Magister, præcipue mirabatur domum Saltus, ut tactum est ; ordinem quoque et frequentiam ministrantium in templo sacerdotum ac Levitarum, quam rem etiam Pharao potissimum mirabatur ; deinde distinctionem et ordinem servientium regi in mensa.

II Par. ix, 4.

Dixitque ad regem, quum post aliquantulam horam redisset ad se : *Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, et super sapientia tua ; et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit. Major est sapientia et opera tua, quam rumor quem audivi :* quia et hoc fuit vulgatum de Salomone, quod erat devotus valde et liberalis, atque pacificus populi rector. Hæc autem et alia multa ac magna præconia, quibus in textu regem extollit, non dixit adulando, sed veritatis amore, rem ipsam ut erat pandendo, et præ admirationis vehementia se continere nequibat. *Beati viri tui, et beati servi tui, qui hic stant coram te semper,* id est omni tempore vitæ suæ, *et audiunt sapientiam tuam,* vivendo secundum eam : quia nec indisciplinatos coram se tolerasset. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit te Dominus Deus Israel,* id est Israeliticæ plebis, *in sempiternum, et constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam.* Hoc regina dixit ex pia confidentia, quia speravit regem tam sapientem, in sapientia permansurum usque in finem. Porro, si salvatus est Salomon, dilexit eum

A Dominus in sempiternum secundum prædestinationem æternam. In Paralipomenon legitur, reginam dixisse : Quia diligit Deus Israel, id est Israeliticum populum, et vult servare eum in æternum, videlicet in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam ; idcirco posuit te regem super eum. Unde constat quod præcipuum beneficium, ac divinæ dilectionis evidens signum sit, habere virtuosum prælatum aut principem.

II Par. ix, 8.

Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas
B *pretiosas :* quibus Æthiopia satis abundat, quia et Gehon unus de quatuor fluviis paradisi, circuit omnem Æthiopiæ terram, ut in Genesi habetur. Fluvii autem paradisi efferunt et effundunt hujusmodi gemmas. *Non sunt allata ultra* in Jerusalem *aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni.*

Gen. ii, 13.

Sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, quæ fuit communis Salomoni et Hiram regi, in qua utriusque servi pariter versabantur, *attulit ex Ophir,* videlicet
C prætacto Indiæ territorio, *ligna thyina multa nimis,* quæ, ut legitur in Scholastica historia, sunt similia lignis setim et odorifera. In libro quoque de Proprietatibus rerum, fertur, quod sunt valde alba et quasi polita, in tantum ut in eis similitudines rerum resplendeant ac resultent. Juxta Papiam vero et Glossam, sunt imputribilia et spinosa, in similitudinem albæ spinæ candida ac rotunda. *Et gemmas pretiosas. Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini et domus*
D *regiæ.* Fulcra, a fulciendo dicuntur. Secundum quosdam sunt apodiamenta, quibus homines innituntur eundo ne cadant. Secundum alios, fulcrum vocatur pars lecti, et ponitur quandoque pro lecto seu quolibet ejus ornatu. De eisdem etiam lignis (secundum Magistrum in historiis) fecit sedilia templi atque palatii. Porro in Paralipomenon legitur : De lignis thyinis fecit gradus in domo Domini et in domo regis. Hinc aliqui dicunt, quod fecit ex eis gradus ad ascendendum de palatio in tem-

II Par. ix, 11.

Digitized by Google

plum, vel quod in lateribus illius ascensus sita erant hæc ligna pro apodiamentis. *Et citharas, lyrasque cantoribus,* id est diversa musica instrumenta, quibus utebantur Levitæ cantores in Dei obsequio. *Non sunt allata hujusmodi ligna thyina, neque visa usque in præsentem diem,* dempta hac vice et lignis præfatis exceptis.

Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ ipsa *voluit et petivit ab eo,* utpote aliqua quæ in terra promissionis abundabant, et in regno Æthiopiæ non habentur, ut sunt fructus, herbæ ac semina, quæ regina potuit honeste postulare a rege : sicut et ipsa regina, præter ea quæ in textu leguntur, attulit et donavit Salomoni radicem balsami, de qua propagatæ sunt vineæ balsamitæ in Engaddi, ut Josephus scribit ; *exceptis his quæ* Salomon ipse *ultro,* id est sponte, *obtulerat ei munere regio :* quæ scilicet tanta ac talia erant, quod regalem munificentiam, magnificentiamque decebant ; et, sicut in Paralipomenon
II *Par.* IX, 12. additur, erant multo plura quam quæ ipsa attulerat regi. *Quæ reversa est, et abiit in terram suam cum servis suis.* Eratque prudentissima ac studiosissima mulier : idcirco ex hoc, quod ipsa in tantum mirata est sapientiam Salomonis, innotescit excellentia sapientiæ ejus. Magnæ enim, expertæ et sapientes personæ non solent parva mirari, quæ homines imperiti ac pusilli mirantur de facili.

Præterea, in Scholastica fertur historia : Tradunt quidam, reginam hanc rescripsisse Salomoni, quod ei præsentialiter dicere timuit, videlicet se vidisse quoddam lignum in domo Saltus, in quo suspendendus erat quidam, propter cujus mortem regnum Judæorum periret ; et certis indiciis regi lignum hoc indicavit. Quod timens Salomon, in profundissimis terræ visceribus illud occultavit. Sed quomodo circa tempora Christi in Probatica piscina superenatavit, incertum est : et creditur hoc lignum dominicæ crucis fuisse. Hæc ibi. Adduntque aliqui, quod angelo in pi-
Joann. V, 4. scinam descendente et aquam movente, ut habetur in Joanne, lignum hoc forsan superenatavit. De ista re multa leguntur, nec de incertis audeo aliquid affirmare. Tamen quantum conjicere queo, non videtur credibile, quod Salomon lignum illud sic occultasset. Habuit enim spiritum prophetiæ, et multa de Christi mysteriis novit, ut patet in Canticis ; et noverat, per Christi adventum ac passionem redimendum esse genus humanum, prout pater suus David in multis prophetaverat psalmis. Ideo non apparet, quod Christi passionem optaverit impedire ; nec verba reginæ videtur intelligere debuisse, nisi de Christi in ligno suspensione.

Erat autem pondus auri, quod offerebatur Salomoni per singulos annos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri, quod adduxerunt ad eum redituarii seu receptores proventuum ejus ; *excepto eo quod offerebant viri qui super vectigalia erant, et negotiatores, universique scuta vendentes, et omnes reges Arabiæ, ducesque terræ :* sicque istud est aliud pondus a pondere auri quod adducebatur ei ex Ophir, quod (ut in fine præcedentis capituli legitur) quadringentorum viginti talentorum fuit. III *Reg.* IX, 28.
Quantum autem talentum contineat juxta nostra numismata aut mensuras, ignoramus.

Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo. Scuta ista, dicuntur intus fuisse alterius materiæ, utpote æris aut ferri, et deaurata forinsecus laminis aureis magnis, quorum subjungitur quantitas : *sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius,* id est, tot sicli auri expendebantur in laminas scuti unius. Verumtamen in Paralipomenon legitur : Trecenta quoque scuta aurea trecentorum II *Par.* IX, 16.
aureorum, quibus tegebantur scuta singula. Sed numerus minor non excludit majorem, et major includit minorem ; vel forsan ducenta erant eminentiæ alicujus in forma. Additur item secundo Paralipomenon : Fecit *Ibid.* 15.
rex Salomon et ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur. *Et trecentas*

Digitized by Google

peltas fecit *ex auro probato* forinsecus, sed intus erant de materia alia. Unde subjungitur: *Trecentæ mnæ auri unam peltam vestiebant,* id est, laminæ aureæ trecentarum mnarum, quamlibet peltam operiebant. Peltæ autem dicuntur brevia scuta, quæ a pellendo nomen sumpserunt, quoniam ictus repellunt : quorum (ut in Scholastica narratur historia) quædam erant rotunda, alia instar semicirculi facta : quibus utebantur custodes regis et juvenes speciosi regem egredientem extra Jerusalem
III *Reg.* VII. præcedentes, ut ante jam dictum est plenius. *Posuitque eas rex in domo Saltus Libani.*

Fecit etiam rex Salomon, id est, per manus Hiram artificis fieri fecit, *thronum de ebore grandem,* id est magnam sedem regalem eburneam : atque, ut Josephus sentit, † fuit de marmore porphyrio, id est purpureo, secundum Priscianum, vel a loco sic appellato ; *et vestivit eum auro fulvo nimis,* id est rubeo valde : et dicitur fulvum a Fulgeo, quoniam maxime splen-
II *Par.* IX, 18. det. *Qui habebat sex gradus,* quibus ascendebatur ad solium, ut in Paralipomenon additur, hoc est ad locum sessionis ; *et summitas throni, rotunda erat in parte posteriori :* quemadmodum in cathedris ligneis fieri solet. Magister in historiis ait, quod reclinatio throni posterior erat rotunda (id est auriculare cui caput incumbebat sedentis), sedens super vitulum respicientem, id est retro adspicientem. *Et duæ manus hinc atque inde,* videlicet in parte anteriori et posteriori, *tenentes sedile,* videlicet ipsum thronum. In Paralipo-
Ibidem. menon scribitur, Et brachiola duo altrinsecus : sicque similitudo manus, ratione sustentationis, vocatur brachiolum, et quia aliquid de similitudine brachii ei adhæsit. *Et duo leones* aurei *stabant juxta manus singulas,* pro ornatu : sicque manibus illis exsistentibus quatuor, erant octo sculpti leones ; vel si manus erant duæ, leones quatuor erant : sed primum magis apparet. *Et duodecim leunculi* aurei sculpti, *stantes super sex gradus* præfatos, *hinc atque inde,* id est ex utraque parte gradus cujuslibet, ita quod duo leunculi pertinebant ad unum gradum, uno leunculo stante ex uno latere gradus, et altero ex alio latere. Additur quoque in Paralipomenon, quod thronus habuit aureum scabellum. II *Par.* IX, 18.
Non est factum tale opus in universis regnis, id est, in nullo alio regno factus est thronus tam speciosus ac pretiosus.

Sed et omnia vasa de quibus potabat rex Salomon, id est scyphi et amphoræ ex quibus ipse et sui commensales bibebant, *erant aurea.* Hinc in Paralipomenon scriptum est : Omnia vasa convivii regis *Ibid.* 20.
aurea erant. *Et universa supellex,* id est massaraticum *, *domus Saltus Libani,* de * massaricum
qua dictum est supra, *de auro purissimo* III *Reg.* VII, 2-8.
erat facta. In Paralipomenon fertur : Vasa domus Saltus Libani ex auro purissimo. II *Par.* IX, 20.
Non erat argentum, supple, magnæ æstimationis : ideo subditur, *nec alicujus pretii,* id est modici valoris, *putabatur,* præsertim in Jerusalem, *in diebus Salomonis.* Unde in Scholastica historia recitatur : Sedilia ante fores domorum plurima in Jerusalem argentea erant. *Quia classis regis per mare* Rubrum, ut in præcedenti insinuatur III *Reg.* IX, 26.
capitulo, *cum classe Hiram* regis : unde elicitur, quod saltem interdum miserunt classes distinctas et plures, seu uterque eorum suam ; *semel per tres annos ibat in Tharsis.* Tharsis, videtur hic sumi pro prætacto Indiæ loco, quamvis interdum sumatur pro urbe quadam Ciliciæ; et juxta Hebræos, Tharsis generaliter mare designat; atque, ut legitur in Genesi, unus filiorum Javan filii Japhet, vocatus est *Gen.* X, 4.
Tharsis. *Deferens inde aurum et argentum* in copia, *et dentes elephantorum,* qui speciales habent virtutes. Quidam tamen per dentes elephantorum, intelligunt pectines inde factos. *Et simias,* quæ sunt bestiæ ridiculosæ, ad solatium provocantes ; *et pavos,* id est pavones, quorum pulchræ et diversicolores sunt pennæ, et quasi imputribilis caro. Unde in libro de Civitate Dei loquitur Augustinus : Quis dedit carni pavonis imputribilitatem ?

Digitized by Google

Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, qui suo tempore erant, *divitiis et sapientia,* ita quod in illis duobus simul sumptis, nullus rex tunc eum excessit, quamvis forsan tunc aliqui reges Indiæ fuerint ditiores. Istud tamen supra in expositione superiorum plenius fuit expositum. (III *Reg.* III, 13.) *Et universa terra desiderabat vultum Salomonis,* id est, quidam de habitatoribus omnium territoriorum, præsertim reges et principes ad quos fama ejus pervenit, cupiebant eum videre, *ut audirent sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes et arma bellica, aromata quoque et equos et mulos, per annos singulos. Congregavitque Salomon currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum. Et disposuit eos per civitates munitas, et cum rege in Jerusalem. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta et lapidum:* quod per hyperbolen dicitur, ad innuendum magnam valde abundantiam argenti ibidem; *et cedrorum præbuit multitudinem quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus,* quum tamen cedri sint ligna pretiosa, sycomori vilia. Sycomori etenim dicuntur quasi fatuæ ficus, quia in foliis moro sunt similes, in aliis ficui.

Verum prædictis de numero curruum et equitum Salomonis, videtur illud secundi Paralipomenon non concordare (II *Par.* IX, 25.): Habuit Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum equitumque duodecim millia. Ad quod (juxta præhabita) respondere quis poterit, quod currus quandoque sumantur pro equis trahentibus currum; quatuor quoque equos, pertinuisse ad currum unum; vel notabiliores currus exprimuntur in Regum. Quocirca iterum quæritur, an Salomon peccavit, congregando tot opes. Videtur quod non, quia Scriptura videtur hæc recitare in præconium Salomonis. Nullus autem in Scripturis commendatur de vitio. Quod autem in isto peccaverit, apparet, quia egisse videtur contra illud Deuteronomii (*Deut.* XVII, 16, 17.): Quum constitutus fuerit rex, non multiplicabit sibi equos, neque argenti et auri immensa pondera. Ad istud arbitror respondendum, quod nisi Salomon dicatur tot et tantas opes, quadrigas et equos congregasse ex divino instinctu, ad declarandum quam plene suo tempore Deus implevit ea, quæ per Moysen de prosperitate filiis Israel bene viventibus repromisit, videtur excessisse in illis.

Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, et de Coa, loco sic dicto, ubi meliores equi inveniebantur: ideo ibi empti, perducebantur ad regem. Unde subjungitur: *Negotiatores enim regis emebant* equos *de Coa, et statuto pretio,* quod eis pro eorum labore dabatur, vel quod ipsi exposuerunt pro equis, *perducebant* equos ad Salomonem. Circa hæc refert Lyra, quod Coa secundum Rabbi Salomonem, sit hic nomen appellativum, significans societatem: ut sit sensus, quod negotiatores Salomonis emerunt omnes equos Ægypti, ita quod alii reges non poterant habere nisi per mercatores Salomonis, qui equos quos emerant, aliis carius vendiderunt: ex quo regi magnum lucrum provenit. Sed istud fictum videtur, quia fuisset quæstus (ut apparet) inhonestus ac turpis, in eodem loco sic emere levius et vendere carius; nec decuit regem tam sapientem ac opulentum, quærere lucra hujusmodi; fuisset quoque aliorum provocativum. *Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum et Syriæ equos venundabant.* Per quadrigam hoc loco intelliguntur equi curruales seu currum trahentes; et quod quatuor equi, patet ex hoc, quod dicitur, unus equus centum quinquaginta siclis exisse Ægyptum: sicque duo equi pro trecentis, et quatuor equi pro sexcentis siclis egrediebantur. Est itaque sensus, quod quadriga, id est quatuor equi, egrediebatur, id est, empta educebatur de Ægypto pro siclis sexcentis argenteis.

Digitized by Google

ARTICULUS XVII

SPIRITUALIS EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI DECIMI.

PER reginam Saba Æthiopissam, præfigurabatur Ecclesia ex gentibus congregata, olim vitiis denigrata : quæ audito rumore prædicationis et sapientiæ, virtutum, miraculorumque Christi, concupivit ejus audientiam et adspectum. Nam et Christo corporaliter adhuc inter Judæos *Marc.* III, 8; *Matth.* IV, 25. conversante ac prædicante, multi gentilium ex Tyro, Sidone, Syria, Idumæa atque Decapoli, confluxerunt ad eum, sicut ex Evangelio comprobatur. Unde et in die *Joann.* XII, 21. Palmarum quidam eorum dixerunt Philippo apostolo : Domine, volumus Jesum videre. Deinde Christo in cœlum assumpto, prædicantibus undique gloriosis Apostolis, multi gentiles mirabilia Christi audientes, festinaverunt ad ipsum, et per fidem atque Baptismum facti sunt ejus filii atque discipuli.

Sicque Ecclesia *ingressa* est *Jerusalem*, id est, primitivæ Ecclesiæ ex Judaismo conversæ unita, et unum cum illa mysticum corpus effecta, *cum comitatu multo*, quia conversi gentiles quamplures, facti sunt evangelicæ legis prædicatores eximii, quemadmodum beatissimi viri Clemens, Dionysius, Ignatius, Polycarpus, aliique innumerabiles, qui et innumerabilia millia converterunt, et secum duxerunt ad vere sapientissimum Salomonem, Dominum Salvatorem. Venit quoque Ecclesia ista cum multis *divitiis* corporalibus, quas tamen propter Christum reliquit; cum spiritualibus quoque divitiis, id est naturalibus donis, intellectu, voluntate, synderesi, scientiis ac virtutibus acquisitis. Nam quidam eorum fuerunt magni philosophi, et in lege naturæ laudabiliter conversati. Et cum *camelis*, id est idiotis carnalibusque hominibus : imo omnes ratione idololatriæ ac carnalium vitiorum, poterant dici cameli onere iniquitatum multipliciter prægravati ; qui tamen properando ad Christum, portaverunt secum *aromata*, id est bonarum affectionum fragrantiam, bonæ indolis suavitatem, *et aurum*, id est sapientiam naturalem, atque argentum, id est eloquentiæ venustatem ; *et gemmas pretiosas*, quoniam multi eorum valde erant studio virtutum intenti. Pretiosæ etiam gemmæ, sunt opera bona ex genere, aut certe meritoria, quæ quidam habebant ante Baptismum in lege naturæ, cum fide saltem implicita Christi venturi. Talis fuit Cornelius centurio, qui timuit Deum cum omni domo seu familia sua : cujus orationes et eleemosynæ erant Deo acceptæ, antequam a principe Apostolorum sacratissimo Petro verbum Dei audivit. *Act.* X, 2, 4.

Hæc Ecclesia (de qua fertur in Psalmo, Adstitit regina a dextris tuis; et in Apocalypsi, Mulier amicta sole, et in capite ejus corona stellarum duodecim) locuta est Christo quæcumque erant *in corde suo*, vel in sacramentali confessione, sacerdotibus Christi vicariis confitendo, vel in devotionali allocutione, juxta illud in Threnis : Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. *Docuit eam Salomon* : quoniam Christus per illuminationem internam, et Apostolorum aliorumque Sanctorum prædicationem, de omnibus necessariis ad salutem instruxit Ecclesiam. *Ps.* XLIV, 10. *Apoc.* XII, 1. *Thren.* II, 19.

Quæ perpendens *omnem* Christi *sapientiam, et domum quam ædificaverat*, id est primitivam Ecclesiam ex Judæis, *et cibos mensæ*, id est multiplicem expositionem Scripturæ ac sanctorum Patrum doctrinas, ecclesiastica quoque sacramenta, præsertim corpus et sanguinem Salvatoris, *et ha-*

Digitized by Google

bitacula servorum ejus, videlicet claustra A
et collegia ac congregationes devotas, *et*
ordines ministrantium in Ecclesia, in qua
quidam sunt subdiaconi, quidam diaconi,
quidam sacerdotes, quidam abbates, qui-
dam episcopi, sicque deinceps; *vestesque*
eorum, id est virtutes et dona ac opera
bona, quibus decorantur interius, et pro-
teguntur contra calorem concupiscentiæ,
flammam iræ, et contra frigus acediæ,
et contra intemperiem passionum : vestes
quoque materiales et sacræ ecclesiastico-
rum, sunt valde decentes et speciosæ, in B
quibus serviunt in divinis; *et pincer-*
nas, id est prædicatores ac sacerdotes, qui
poculum vitæ, aquam sapientiæ, vinum
justitiæ et sanguinem Christi propinant
fidelibus; *et holocausta quæ offerebat in*
domo Domini, id est religiosas personas,
quæ se ipsas Deo totaliter mancipant, sic-
que Christus eas offert Patri in holocau-
stum; *non habebat ultra spiritum,* sed
confessa est Christo humiliter excellen-
tiam suam, potissimum quia jam didicit
eum non solum esse hominem purum, C
omni sapientia adimpletum, imo etiam ip-
sam Sapientiam increatam et verum Deum.
Ideo ait : *Beati viri tui, et beati servi, qui*
stant coram te semper. Hoc de ipsis Apo-
stolis vere accipi potest, quibus dixit Sal-
Luc. x, 23. vator : Beati oculi qui vident quæ vos
Ps. LXXXIII, 5. videtis. Insuper, beati qui habitant jam
cum Christo in regno gloriæ æternalis, et
faciem deitatis ejus clare conspiciunt. Be-
ati item sunt viri contemplativi et vere
monastici, quibus datur gustare, quam
Ps. XXX, 20, 21. magna sit multitudo dulcedinis Dei; quos D
Deus abscondit in abscondito faciei suæ a
conturbatione hominum, et protegit eos
in tabernaculo suo a contradictione lin-
guarum. *Sit Dominus Deus tuus benedi-*
ctus, cui complacuisti, id est Deus Pater,
qui est Deus tuus quantum ad naturam
Joann. XX, 17. assumptam, de quo dixisti, Ascendo ad
Deum meum; et qui dixit tibi in baptismo
Matth. III, 17; XVII, 5; et transfiguratione, Ecce Filius meus dile-
Marc. I, 11; Luc. III, 22; IX, 35. ctus, in quo mihi bene complacui.

Dedit ergo regi centum viginti talenta
auri, et aromata multa, et gemmas pre-
tiosas, et quidquid boni habuit in natura-
libus et acquisitis, in habitibus et operibus,
Christo adscripsit humiliter; et deinceps
odorem bonæ famæ, meritoria opera, sa-
pientiamque infusam obtulit ei. *Non sunt*
allata ultra aromata tam multa : quia Ec-
clesia in donis gratiæ ac virtutum, cunctis-
que charismatibus Spiritus Sancti, abun-
davit præ ceteris populis universis. *Classis*
Hiram, id est rete prædicationis eorum
qui ex paganismo conversi sunt, *attulit*
Christo *ex Ophir ligna thyina :* quia us-
que in Indiam processerunt, et inde præ-
clarissimos viros adduxerunt per fidem et
caritatem ad Dominum, qui vitiorum pu-
tredinem deinceps vitarunt, nec verborum
foliis defluxerunt. Ex quibus Christus *fecit*
fulcra : quia fecit eos aliorum columnas
ac sustentamenta; *et citharas, lyrasque*
cantoribus : quoniam tanta gratia sunt re-
pleti, tot meritis decorati, quod laudatores
Dei ex eis accipiunt copiosam divinæ lau-
dis materiam, laudantes Deum in Sanctis Ps. CL, 1.
suis. *Salomon dedit reginæ Saba omnia*
quæ voluit. Sic Christus exaudit copiosis-
sime preces Ecclesiæ, ac multo meliora
dona dat ei, quam ab ipsa accipiat. *Fecit*
quoque ducenta scuta aurea. Hæc sunt fidei
formatæ munimenta. Unde ait Apostolus :
Sumentes scutum fidei, in quo possitis om- Ephes. VI, 16.
nia tela nequissimi ignea exstinguere. *Et*
peltas : quæ sunt armaturæ spei, quæ facit
hominem ad Deum confugere, et ipso tu-
tari. Quis enim speravit in Domino, et de- Eccli. II, 11. 12.
relictus est?

Fecit etiam rex Salomon thronum de
ebore grandem. Per thronum istum signi-
ficatur Christifera ac præstantissima virgo
Maria, cujus caro instar eboris fuit puris-
sima, nullo unquam inordinato motu pul-
sata : quæ fuit *auro* rubicundissimo, id est
ardentissima caritate, vestita; habens *sex*
gradus virtutum, quia per humilitatis pro-
funditatem, mansuetudinis tranquillitatem,
patientiæ immobilitatem, fortitudinis con-
stantiam, paupertatis amorem, castimoniæ
sinceritatem pervenit ad summam perfe-

ctionem, et per gradus præfatos ad ipsam ascendimus; cujus *summitas* fuit *rotunda*, quia perfectio ejus sicut a Deo effluxit, sic eam ipsa ad Deum plene reduxit. *Et duæ manus tenentes sedile :* quia in Virgine gloriosissima fuit utriusque vitæ, scilicet contemplativæ et activæ, operatio, quæ eam in cunctis roboravit in Deo. *Et duo leones stabant juxta manus singulas.* Duo isti leones sunt, magnanimitas cordis, et robur stabilis voluntatis, seu firmitas mentis in prosperis ac adversis. *Et duodecim leunculi stantes super sex gradus.* Duodecim isti leunculi, possunt intelligi duodecim evangelica consilia Christi, quibus audacter pugnamus contra omnem aciem vitiorum et invisibilium inimicorum; vel duodecim gradus humilitatis, seu duodecim prærogativæ Virginis excellentissimæ, quas in sermone assignat S. Bernardus ; vel certe duodecim fructus Spiritus, quos ad Galatas ponit Apostolus. (Galat. v, 22, 23.) *Aureum* vero *scabellum,* est fidei formatæ fundamentum. *Non est factum tale opus in universis regnis :* quia nullus Sanctorum sanctarumve feminarum, præstantissimæ Virgini est æqualis, quam is qui ex ea nasci dignatus est, incomparabiliter et prorsus ineffabiliter decoravit, dignificavit et sublimavit.

Rursus, per thronum istum potest Ecclesia designari, in qua Christus residet, regnat et judicat. Et quoniam scriptum est, Anima justi sedes est sapientiæ, (Sap. vii, 27.) potest per thronum quæcumque virtuosa persona seu anima accipi. Thronus quoque est sancta religio. Et ex præinductis faciliter potest perpendi, qualiter istis spiritualiter queant aptari ea quæ dicta sunt de Virgine matre, aut consimilia.

Omnia vasa de quibus potabat rex, aurea erant. Vasa ista sunt corda devota, quæ membris Christi potum sapientiæ et doctrinæ effundunt, atque cœlestium influxionem donorum suscipiunt, ac caritatis fulgore aurea fiunt. Iterum, vasa ista sunt sacræ Scripturæ volumina supernaturalis sapientiæ contentiva, quibus recreantur,

A reficiuntur ac refrigerantur Christifideles, et ipse Salvator in membris suis. Argentum in diebus illis pro nihilo reputabatur : quia in Christi Ecclesia modicum reputatur facundia seu acquisita vel naturalis scientia, quam non informat, ornat ac perficit laudabilis vita, caritasque infusa et obedientia vera : imo scienti et non facienti, peccatum est illi. (Jacob. iv, 17.) *Quia classis regis cum classe Hiram ibat in Tharsis, deferens inde aurum et argentum et dentes elephantorum et simias et pavos.*

B Classis Salomonis est Ecclesia Christi primitiva ex Judæis collecta, quæ obstinatis Judæis tandem relictis, ad informationem est profecta gentium : quæ gentes nomine Tharsis, id est maris, signantur, quoniam instar fluctuum marinorum erant vitiis inquietæ, amaræ, et numero copiosæ. Porro per classem Hiram accipitur Ecclesia ex gentilitate conversa, quæ sanctis Apostolis et aliis Christi discipulis cooperata est in gentilium conversione, mittens et ipsa hinc inde filios suos ad gentes erudiendas.

C Sicque istæ Ecclesiæ attulerunt Christo viros ferventes et sapientes, qui auri nomine exprimuntur ; et argentum, id est fama claros et eloquentia resonantes, in præceptorum observantia diligentes, quamvis nondum perfectos ; et dentes elephantorum, id est disputatores egregios, qui dente disputationis fidem persuaserunt ac defenderunt ; ac simias, id est etiam imperfectos, leves, pusillos, qui instar simiarum in quibusdam assimilantur virtuosis hominibus, atque in multis deficiunt D ab eisdem, sicut et simiæ ab hominibus, quia adhuc leves et ludicres sunt ; ac pavones, per quos divites, nobiles et potentes hujus sæculi exprimuntur, quorum aliqui tam ex Judæis quam ex gentibus crediderunt, qui instar pennarum pavonicarum suis nobilitatibus, opulentiis, potestatibus, familiis, vestibus ornabantur. Denique pavo dicitur habere caput instar serpentis ; vocem terroris, quia horribilem fundit sonum ; gressum latronis, quia latenter progreditur ; pennam decoris mul-

Digitized by Google

tipliciter coloratam ac speciosam; carnem imputribilem, turpesque pedes. Et sic per pavonem intelliguntur viri religiosi ac spirituales, qui sunt prudentes sicut serpentes, et vocem orationis dæmonibus metuendam [emittunt], insidiasque invisibilium adversariorum observant, ac latenti virtutum progressu sanctitatem suam occultant, exercitiis quoque observantiæ regularis pulcherrime decorantur, et per continentiam a carnalium putredine abstinent vitiorum. Hos Christo adduxit navis Ecclesiæ, de qua in libro Proverbiorum fertur, Facta est quasi navis institoris de longe portans merces suas. *Prov.* XXXI, 14.

Sic tandem universa terra, id est fideles toto orbe terrarum diffusi, faciem Christi videre, et ejus sapientiam percipere cupierunt; obtuleruntque ei munera spiritualia et corporalia, imo et corpora sua et animas, et ita spiritualibus ac divinis charismatibus Ecclesia Christi præ ceteris quasi incomparabiliter est repleta, habens illuminatissimas ac devotissimas personas in abundantia tanta, ut sycomori et lapides solent haberi.

ARTICULUS XVIII

DECLARATIO CAPITULI UNDECIMI : REX AUTEM SALOMON ADAMAVIT MULIERES ALIENIGENAS.

RECITATIS prosperitate et excellentia Salomonis, nunc enarratur ejus adversitas, impietas et insipientia. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas,* id est gentiles, *multas :* quas duxit uxores contra legem et ex irrationabili causa, quia non cepit eas in prælio, nec converterat eas ad Judaismum, neque pro pace communitatis, sed desiderio voluptatis ad eas ingressus est; *filiam quoque Pharaonis,* quæ fuit ejus uxor prima, principalis, carissima : quam an licenter acceperit, discussum est supra; *et Moabitidas,* id est de stirpe Moabitarum, *et Ammonitidas, et Idumæas, et Sidonias, et Hethæas : de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel,* id est, de quibus præcepit Hebræis : *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras,* per copulam carnalem aut conjugalem. Istud quippe prohibuit Dominus in Exodo, et libro Numerorum et Deuteronomii. *Certissime enim avertent corda vestra* a cultu unius veri Dei, nisi fuerint ad ejus fidem ac cultum conversæ, *ut sequamini deos earum,* illos colendo. Feminea etenim blandimenta, oblectamenta, importunæque preces virilem animum sic enervant, flectunt et vincunt.

Deut. XXI, 11-13. III *Reg.* III, 1. *Exod.* XXXIV, 16; *Num.* XXXVI, 7, 8; *Deut.* VII, 3, 4.

His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore : qui amor ἔρως appellatur, et est pessimus amor, rationi omnino prædominans, et rationalem creaturam quasi in brutum convertens, ita ut non sapiat nisi carnem, et ejus concupiscentiis sit prorsus subjectus. *Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ.* Josephus ait, Septuaginta. Dicuntque aliqui, quod tot erant principaliores, vel quod reginis connumerantur earum pedissequæ. Alii dicunt, quod juxta litteræ veritatem erant septingentæ : non quod omnes fuerint filiæ regum gentilium, sed reginæ vocantur, utpote regi nuptæ. Et addunt, Salomonem ad tantam carnalitatem prolapsum, quod delectabatur frequenter habere adolescentulas virgines : quemadmodum narratur de Assuero, quod quasi quotidie recentem habuerit. Nempe libido quo magis extenditur et vagatur, eo plus furit; nec usu *Esther* II, 3, 14.

Digitized by Google

suo restringitur, sed insanissime dilatatur. A *Et concubinæ trecentæ. Et averterunt mulieres cor ejus.*

Quumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, quum tamen in senibus soleat libido remitti, et avaritia augmentari : estque inhonestissimum in antiquis, agitari concupiscentiis carnis, et ineffabiliter scandalosum in præsidentibus, potissimum in his qui sapientes et docti fuerunt; *ut sequeretur deos alienos; nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. Sed* B *colebat Salomon Astarten deam Sidoniorum:* quæ alio nomine dicitur Juno, fuitque uxor ac soror Jovis; *et Chamos deum Moabitarum.* In libro Judicum legitur, Jephthe mandasse regi Ammonitarum, Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus, jure tibi debentur? Quomodo ergo Chamos nunc appellatur deus Moabitarum, præsertim quum in Jeremia dicatur, Si mutavit gens deos suos? quasi dicat, Non mutavit. Ad quod dici potest, quod interdum tempore procedente, nunc istud, nunc illud idolum C amplius coluerunt. Ammonitæ quoque et Moabitæ loco et natione propinqui, communicasse creduntur in suorum cultu deorum. *Et Moloch idolum Ammonitarum.* Unde in Levitico præcipitur, De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch. *Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, et non adimplevit ut sequeretur Dominum sicut David pater ejus.*

Judic. XI, 24.

Jer. II, 11.

Lev. XVIII, 21.

Tunc ædificavit Salomon fanum, id est templum, ipsi *Chamos idolo Moab in monte qui est contra,* id est ex opposito, quan- D tum ad situm, *Jerusalem,* utpote in monte Oliveti e regione templi Dei : quod vehementer displicuit Deo, quia et idololatria ibi facta, a tota poterat civitate videri; sicque fuit maxime scandalizativa plebis ad idololatriam inclinatæ : ideo locus ille dictus est postea locus et mons Offensionis. *Et Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura et immolabant diis suis :* id est, omnibus illis quæ ejusdem cultus seu idololatriæ erant, fecit fanum unum.

Præterea habuit quoque concubinas trecentas, de quibus non videtur dicendum, quod fuerunt uxores ejus legitimæ ac secundariæ, prout de concubinis David dictum est supra. Non enim oportet Salomonem excusari a fornicatione hujusmodi, qui nec ab idololatria excusatur. Ad tantam autem carnalitatem videtur occasionaliter esse prolapsus post consummationem ædificiorum, in quibus diu et multum fuit occupatus, ex quiete et otio, opulentia et nimia prosperitate : sicque carnalitate hac victus, ad idololatriam lapsus est. Non fuit tamen sic excæcatus, quod putavit idola honoranda, aut aliquid numinis esse in eis, sed ne suas contristaret delicias, id est uxores : quemadmodum Adam comedit de fructu vetiti ligni, non quod crediderit promissioni serpentis, quia in hoc (secundum Apostolum) non fuit deceptus, sed ne Evam contristaret, non conformando se ei in esu illo, prout Augustinus libro de Civitate Dei testatur.

II Reg. V, 13; XV, 16; XX, 3.

Gen. III, 6.

I Tim. II, 14.

Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo, et præceperat de verbo hoc, ne sequeretur deos alienos, et non custodivit quæ mandavit ei Dominus. Dixit itaque Dominus Salomoni, vel in visione, sicut apparuerat ei semel in Gabaon ante templi constructionem, et postea semel in Jerusalem, templo jam consummato, vel per Prophetam aliquem, atque (ut aliqui opinantur) per Nathan prophetam : *Quia habuisti hoc apud te,* id est, in tantis sceleribus tam immansive et incorrigibiliter excessisti, *et non custodisti pactum meum, et præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum,* id est, populum tibi subjectum in duas dividam partes, *et dabo illud,* id est partem majorem, *servo tuo,* puta Jeroboam, qui fuit unus officialium Salomonis. Istud justissime fecit Deus. Nam ex quo Salomon subtraxit et minuit

III Reg. III, 5.

Ibid. IX, 2.

Digitized by Google

cultum et honorificentiam Dei, decuit ejus A regium minorari honorem. *Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum,* quem in te filio suo volo sic honorare, ad declarandum merita ejus. III *Reg.* xii. *De manu filii tui scindam illud,* ut sequenti narratur capitulo. *Nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo,* præter tribum Juda, ut quidam exponunt. Unde et quidam ait : Tribus Juda non fuit filio Salomonis data, quia I *Cor.* iv, 7. fuit sua. Sed dicit Apostolus : Quid habes quod non accepisti? Ideo non fuit sic sua, B quin etiam data : imo dum Dominus dixit hæc, nondum fuit sua, quia necdum cœpit regnare. Infra quoque in isto capitulo legitur, Una tribus remanebit ei, id est Salomoni seu filio ejus; et ibi per unam tribum intelligitur tribus Juda : idcirco et hic dum dicitur, Tribum unam dabo ei, per tribum unam intelligenda videtur tribus Juda, quæ principaliter ac directe ex intentione data est filio Salomonis; tribus autem Benjamin quasi ex occasione, quia in medio tribus Juda manebat; tribus vero C III *Reg.* xii, 31; II *Par.* xi, 14. Levi, quia Jeroboam ejecit eam, ut dicitur infra. Hinc quoque sequenti habetur capi- III *Reg.* xii, 20. tulo : Nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam. *Propter David servum meum, et Jerusalem quam elegi,* id est, propter continuandum cultum meum in urbe Jerusalem, in qua templum est, et quam ad locum templi ac cultus divini elegi, quem cultum prævideo in aliis tribubus cessaturum; vel, Propter Jerusalem, id est habitatores devotos et sanctos qui fuerunt tempore David, et postea ibi. D

Suscitavit autem Dominus Salomoni sic transgresso *adversarium, Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom,* id est, regum Idumæorum. *Quum enim esset David in Idumæa, et ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendos eos qui fuerant* II *Reg.* viii, 13, 14. *interfecti* de Idumæis ab exercitu David : quos jussit occisos misericorditer sepeliri, quoniam Idumæi et filii Israel nati erant *Gen.* xxv, 25. ex duobus fratribus, scilicet Esau et Jacob, et quoniam in Deuteronomio scriptum est : Non abominaberis Idumæum, quia frater *Deut.* xx[iii], 7. tuus est; *et occidisset omne masculinum in Idumæa (sex enim mensibus ibi moratus est Joab et omnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumæa), fugit Adad ipse et viri Idumæi de servis patris ejus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum. Erat autem Adad puer parvulus.*

Quumque surrexissent de Madian, hoc est, urbe seu territorio Madianitarum. Madian quippe interdum est nomen provinciæ, interdum proprium nomen civitatis in illa; quandoque proprium nomen viri nati ex Abraham et Cetura, ut patet in Genesi. *Gen.* xxv, 2. *Venerunt in Pharan :* quod quandoque est nomen urbis in terra præfata inter Madian et Ægyptum; quandoque nomen partis deserti inter Ægyptum et Chanaan, ut patet in Numeris. *Tuleruntque secum* *Num.* xiii, 1, 4, 27. *viros de Pharan, et introierunt Ægyptum, ad Pharaonem regem Ægypti. Qui dedit ei domum, et cibos constituit, et terram delegavit. Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valde* condolenti regio adolescenti ita fugato, *in tantum ut daret ei uxorem, sororem uxoris suæ germanam Taphnes reginæ.* Taphnes quandoque est proprium nomen loci sic dicti in Ægypto, juxta illud Jeremiæ : Venerunt usque ad *Jer.* xliii, 7. Taphnes. Hic autem est proprium nomen conjugis Pharaonis reginæ Ægypti. Nam subditur : *Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, et nutrivit eum Taphnes in domo Pharaonis. Eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis ejus.*

Quumque audisset Adad in Ægypto, dormisse David cum patribus suis, et mortuum esse Joab principem militiæ, Salomonem quoque infatuatum, ut in Scholastica historia additur, *dixit Pharaoni : Dimitte me, ut vadam in terram meam. Dixitque ei Pharao : Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam? At ille respondit : Nulla. Sed obsecro te, ut dimittas me* ad Idumæam, de qua natus sum : et jure successionis competeret mihi. Unde et spe atque affectu recuperandi eam rediit illuc.

Digitized by Google

Subditur de secundo adversario Salomonis. *Suscitavit quoque Dominus ei adversarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum suum,* id est regionis sic dictæ in Syria : de quo rege dictum est libro secundo. (II *Reg.* VIII, x.) *Et congregavit contra eum viros, et factus est princeps latronum, quum interficeret eos David,* id est quosdam eorum. *Et abierunt Damascum, et habitaverunt ibi et constituerunt eum,* id est ipsum Razon, *regem in Damasco. Eratque adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis.* Nec obest quod dictum est, Salomonem in summa pace regnasse, et ex omni parte pacem habuisse (III *Reg.* IV, 24.) : quia quod modicum est, pro nihilo reputatur. Nec Razon iste audebat aut poterat publice impugnare regem aut populum Israel, sed corde magis quam opere adversarius fuit regis. Hinc item elicitur, quod non fuit suscitatus a principio contra Salomonem propter ejus peccata, quia diu justus permansit; sed permissive a Deo fuit suscitatus ex propria invidia contra Salomonem, eo quod David latrones socios suos occiderat. Salomone autem infatuato, suscitatus fuit a Domino in ultionem criminum Salomonis, et tunc magis nocere conatus est. *Et hoc est malum Adad et odium contra Israel.* Quare non ait, Hoc est malum Razon? Respondetur, quod Adad confortavit ipsum Razon contra Salomonem, adjuvitque eum, ut rursus juvaretur ab eo ad obtinendum Idumæam Salomone invito. *Regnavitque in Syria.*

Jeroboam quoque filius Nabat Ephratæus de Sareda, servus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva mulier vidua, levavit manum contra regem. Dicunt aliqui, quod Nabat pater hujus Jeroboam, fuit ipse Semei quem Salomon interfecit (*Ibid.* II, 46.), ut dictum est supra. Sed hoc falsum videtur, quia ut patuit, Semei fuit de Benjamin (II *Reg.* XVI, 5.), Nabat de Ephraim. *Et hæc est causa rebellionis contra eum, quia Salomon ædificavit Mello, et coæquavit voraginem civitatis David patris sui,* hoc est, muros a radice illius voraginis, præcipitii seu foveæ excidit, et exaltavit, ut eos æquaret civitati David seu arci Sion in alto, prout istud secundo Regum libro magis expositum est (II *Reg.* V, 9.). *Erat autem Jeroboam vir fortis et potens; vidensque Salomon* in arte physiognomiæ peritissimus, *adolescentem* Jeroboam esse *bonæ indolis,* id est a natura bonæ inclinationis, et aptum ad prudentiam et virtutes, *et industrium,* id est perspicacem, *constituerat eum præfectum super tributa universa,* vel, ut aliqui legunt, universæ *domus Joseph,* super vectigalia recipienda : et per domum Joseph quidam intelligunt tribum Ephraim et Manasse; alii tribum Ephraim, et mediam tribum Manasse habitantem citra Jordanem : quod verius reor. Alia namque medietas tribus Manasse, sita ultra Jordanem, computabatur cum tribubus Ruben et Gad, quæ habuerunt suos præfectos.

Dicunt aliqui, quod Salomon primo constituit eum præfectum ædificii Mello, deinde super vectigalia domus Joseph : quod Magister in historiis tenet. Alii, quod primo posuit eum in officio præfecturæ prædictæ, postea super ædificii opus : propter quod indignatus, quod de majori officio ad minus depositus fuit, exivit Jerusalem. Sed primum verius æstimatur. Quum enim fuisset Salomonis judicio aptus ad tam magnum officium, non est verisimile, quod posuerit eum in tam parvo officio; sed quum industriam ejus fuisset expertus in minori, ad majus eum promovit : et hoc etiam Josephus dicit. Nec propter operis illius non diu durantis præfecturam, oportuisset eum a majori deponi officio. Denique, si de illa depositione fuisset indignans, fuisset ambitiosus, et per consequens indignus regali præsidentia super populum adhuc fidelem : quod non apparet. Nam eo tempore quo Deus sibi prædixit, quod promoveret eum in regem super decem tribus, videtur fuisse dignus et bonus. Quidam Hebræi dicunt, quod Jeroboam redarguit Salomonem ob hoc, quod locum illum Mello fecit claudi, quem David dimisit apertum, propter devotionem

Digitized by Google

venientium in Jerusalem in festis præcipuis : unde Salomon indignatus, ejecit eum.

Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem, et inveniret eum non casu, sed ex præostensione et admonitione divina, *Ahias Silonites propheta,* id est oriundus de oppido Silo aut commoratus ibidem, *in via, opertus pallio novo. Erant autem duo tantum in agro. Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat :* quod tunc ex proposito induit, tanquam rem novam nuntiaturus, et viro noviter in regem promovendo locuturus, atque ut ex novi pallii tam multiplici scissione prophetia sua magis attenderetur ac crederetur; *scidit illud in duodecim partes,* juxta numerum tribuum Israel, non ex insania, sed quia Prophetæ frequenter prophetaverunt, non verbis dumtaxat, sed etiam rebus : quem-

Ezech. XII, 7. admodum Ezechiel fodit parietem, et exivit per eum efferens vasa transmigrationis ;
Is. XX, 2. sic et Isaias ivit discalceatus et nudus, Je-
Jer. XXVII, 2; XXVIII, 12, 13. remias posuit ligneas catenas in collo suo.

Et ait ad Jeroboam : Tolle tibi decem scissuras, id est decem partes pallii scissi ad præfigurandum quod super decem tribus regnabis. *Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. Porro una tribus remanebit ei, propter servum meum David, et Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel : eo quod dereliquerit me, et adoraverit Astarten deam Sidoniorum, et Chamos deum Moab, et Moloch deum filiorum Ammon ; et non ambulaverit in viis meis, ut faceret justitiam coram me, et præcepta mea et judicia, sicut David pater ejus. Nec auferam omne regnum de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ propter David servum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea et præcepta mea. Auferam regnum de manu filii ejus, et dabo tibi decem tribus. Filio autem ejus,* hoc est Roboam filio Salomonis, *dabo tribum unam,* sicut expositum est, *ut remaneat lucerna,* id est

A clarum memoriale, *servo meo David, cunctis diebus coram me, in Jerusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi. Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel.*

Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea et præcepta mea, sicut fecit David servus meus : ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi
B *David domum, et tradam tibi Israel ; et affligam semen David super hoc,* hoc est, de hac regni Davidici divisione affligam posteros atque domesticos Salomonis : quia in corporalibus filii quandoque puniuntur pro peccatis parentum, prout declaratum est sæpius ; *verumtamen non cunctis diebus.* Nam, ut infra habetur, regnum decem IV *Reg.* XVII, 6.
tribuum habuit finem sub rege Osee tempore Ezechiæ ; vel ideo dictum est hoc, quoniam quidam boni de semine David descendentes, non doluerunt de illa divi-
C sione, in quantum fuit opus divinæ justitiæ. Aliqui vero etiam Hebræi exponunt hoc, quia in adventu Messiæ omnes tribus Israel colligentur sub Messiæ dominio, sicut in Zacharia, Ezechiele et Isaia prædi- *Zach.* 10 : *Ezech.* XXXIV, 13 ; XXXVII, 22 ; *Is.* XLIV.
ctum est : et vera est expositio ista, quamvis non secundum infidelium Judæorum intentionem. In Christo quippe adunati sunt electi Judæi ex cunctis tribubus Israel conversi, qui erant valde multa millia, ut *Act.* II, 41 ; IV, 4 ; VI, 7.
partim patet in Actibus. Insuper, post reditum a Babylone præfuerunt omnibus il-
D lis reversis, eorumque posteris, Zorobabel, *I Esdr.* II, 2 ; III, 2.
et alii quidam de tribu Juda, de qua Machabæi ex una parte fuisse leguntur.

Voluit ergo Salomon interficere ipsum *Jeroboam.* Ex hoc apparet, quod Salomon percepit ea quæ Ahias propheta prædixit huic Jeroboam de promotione sua ad regnum : et si ob hoc voluit eum occidere Salomon, ut littera sonare videtur, fuit hoc magna excæcatio, ambitio, impatientia, quasi vellet et posset impedire propositum Dei de regni divisione, quod et sibi a Deo

Digitized by Google

fuit prædictum. Porro Magister in historiis ait, quod Jeroboam verbis Prophetæ auditis, intumescens, suasit populo ut a Salomone recederet. Et alii dicunt, quod animatus verbis Ahiæ, cœpit alios incitare ad rebellandum Salomoni, et murmurare adversus eum. Quod si verum est, fuit culpabile : quia ut patet in textu, Ahias inter cetera prædixit Jeroboam : Ducem ponam eum, videlicet Salomonem, cunctis diebus vitæ suæ ; auferam autem regnum de manu filii ejus. Et iterum : Si audieris omnia quæ præcepero tibi, sicut fecit David, ero tecum. Ideo debuit virtuose secundum Deum procedere, non ad rebellionem inducere. *Qui* Jeroboam *surrexit et aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti.* Iste
III *Reg.* III, 1. rex fuit alter a Pharaone, cujus filia uxor fuit Salomonis. Imo et Josephus scribit : Hic ultimus regum Ægypti appellatus est Pharao, quod est nomen commune, interpretaturque regnans. Verumtamen postea
IV *Reg.* XXIII, 29. fuit Nechao, qui vocatur et Pharao, ut infra libro quarto asseritur. Ad quod poterit responderi, quod non fuerunt omnes per ordinem ita vocati, post mortem Pharaonis præfati, ut ante. *Et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis.*

Reliquum autem verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia ejus, ecce universa scripta sunt in libro Verborum dierum Salomonis. Per quem librum quidam putaverunt librum Paralipomenon intelligendum, quia παραλειπομένον Latine interpretatur, verba dierum. Quod stare non potest, quia nec in Paralipomenon scripta sunt reliqua verba et opera Salomonis, imo
II *Par.* IX, 29. secundo Paralipomenon sic legitur : Reliqua vero operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitæ, in visione quoque Addo videntis. Idcirco liber iste Verborum dierum Salomonis, creditur non haberi, et forsan a Chaldæis fuit combustus ; forsan etiam per librum istum intelliguntur pluraliter illi libri in Paralipomenon allegati. *Dies autem quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnem*
A *Israel, quadraginta anni sunt. Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo.*

Circa præhabita quæritur, quot annorum fuerit Salomon, quando incepit regnare. Ad quod certitudinaliter respondere difficile est, propter verba Scripturæ quæ hinc inde videntur diversimode inde sentire, et quia expositores super hoc diversimode sentiunt, tam catholici quam Hebræi. Nempe Magister in historiis ait : Salomon duxit
B uxorem filiam Pharaonis, de qua (ut aiunt Hebræi) genuit filium, quasi contra naturam, quum adhuc undecimum ageret annum. Josephus quoque testatur : Mortuus est Salomon valde longævus, qui regnavit annis octoginta ; vixit autem annis nonaginta quatuor. Sed divina Scriptura eos tantum exprimit annos quibus regnavit, antequam prævaricaretur. Et hæc verba inducit Magister in historiis pro solutione quæstionis, qua quærit, qua ratione dicitur Salomon senex fuisse, quum modicum
C ultra quinquaginta annos legatur vixisse. Roboam enim quadraginta et unius anni erat, patre suo Salomone defuncto, quem Salomon quum undecim esset annorum, genuisse perhibetur.

Præterea, circa hæc recitat Lyra : Occurrit hic dubium, qualiter dicatur Salomon senex fuisse, quando depravatus fuit per mulieres, quia dicit Rabbi Salomon, et alii Hebræi, quod erat tantum duodecim annorum, quando cœpit regnare, et in isto capitulo dicitur, quod quadraginta annis re-
D gnavit, et sic vixit tantum quinquaginta et duobus annis. Ipse autem depravatus fuit per mulieres ante mortem suam, per sex annos aut circiter, quoniam ædificavit templa idolorum pro uxoribus suis postquam fuit depravatus, in quorum ædificationibus fluxerunt plures anni : et sic quando fuit depravatum cor ejus, non videtur habuisse ultra quadraginta sex annos vel circiter. Ex tali autem ætate nullus dicitur proprie senex. His addit : Ad hoc autem respondet Magister in historiis, quod Salo-

mon regnavit octoginta annis, ad quod allegat Josephum dicentem, Scriptura tacet quadraginta annos regni sui, quibus impie vixit, sicut de Saule dicitur supra primo libro, quod duobus annis regnavit, et taceantur decem et octo anni, quibus male se habuit. Sed istud reprobat Lyra, adjiciens: De dicto Magistri parum est hic curandum, quoniam contradicit sibi ipsi et Scripturæ. Nam dicit, quod Salomon undecim annorum genuit Roboam, et quod Roboam patre suo mortuo, fuit quadraginta et unius anni, in qua etiam ætate cœpit regnare, ut infra dicitur; sicque revertitur primum dictum, videlicet quod Salomon vixit tantum quinquaginta et duobus annis.

I *Reg.* XIII, 1.

III *Reg.* XIV, 21.

Deinde respondet juxta propriam mentem, addendo : Salvo meliori judicio, videtur dicendum, quod Salomon postquam quadraginta annis regnavit, mortuus est, et successit ei in regnum filius ejus Roboam, habens quadraginta et unum annum, sicut dicit Scriptura. Sed quando Salomon cœpit regnare, non solum habuit duodecim annos, ut ab aliis dicitur, sed non probatur, nec ex ipsa Scriptura habetur, quia exprimit annos regni sui tantum, non autem annos ejus, quando cœpit regnare, nec annos totius vitæ suæ : imo habuit viginti annos vel plures in principio regni sui; et sic, quando mortuus fuit, habuit ad minus sexaginta annos. Et ita convenienter potest dici, quod post quinquaginta annos ætatis suæ depravatus fuit per mulieres : et tunc poterat dici senex, quoniam et Levitæ completo anno vitæ suæ quinquagesimo, servire cessabant in tabernaculo, tanquam senes, ut habetur in libro Numerorum. Et ex hoc patet quod Salomon non genuit Roboam undecim vel decem annorum, sed multo plurium, quia contraxit cum matre ipsius Roboam post suam coronationem.

Num. VIII, 25.

Deinde Lyra contra hæc objicit, quia Hieronymus in epistola ad Vitalem presbyterum de Salomone et Achaz, videtur dicere, quod Salomon undecim annorum vel minus genuit Roboam, et quod duodecimo

A ætatis suæ anno, accepit regnum. Et solvit istud, dicendo quod Hieronymus non loquitur ibi assertive, ut manifeste patet ex fine ejusdem epistolæ. Sed supposito quod tunc regnare inceperit, et ipsum Roboam genuerit ita ut dictum est, respondet quomodo hoc sit possibile, adducens ad hoc exemplum cujusdam mulieris nutrientis parvulum, qui in eodem cum ea lecto jacebat, et quum decimum annum implesset, et ipsa calefacta fuisset vino, induxit puerum ad carnalem copulam, et sic aliis

B noctibus sequentibus, quæ de puero illo concepit, et infra duos menses uterus ejus intumuit. Hieronymus tamen attribuit hoc magis virtuti divinæ, quam naturæ, ut occultum facinus per evidens signum panderetur. Et sic arguendum est ad oppositum, quod Salomon virtute naturæ non genuit Roboam quum undecim esset annorum.

Hæc Lyra. In cujus verbis multa continentur incerta, et quædam quæ non videntur posse salvari. Et primo, prosequendo id quod ad B. Hieronymi verba respondet,

C apparet dicendum, quod ipse S. Hieronymus in illa ad Vitalem epistola præsupponit pro vero, quod Salomon duodecim exsistens annorum, cœpit regnare. Sic etenim ait : Deprecaris ut exponam tibi causas, quare Salomon et Achaz undecim annorum, filios genuisse dicantur. Si enim duodecimo anno Salomon super Israel accepit imperium, et quadraginta annis regnavit, filiusque ejus Roboam quum quadragesimum annum ageret ætatis, patri successit in regnum, perspicuum est, undecim an-

D norum fuisse Salomonem vel decem, quando videlicet genuit Roboam. Quis crederet, ut undecim annorum puer generaret filium ? Multa et alia in Scripturis dicuntur, quæ videntur incredibilia, et tamen sunt vera. Neque enim valet natura contra naturæ Dominum. Deinde in illa epistola multipliciter persuadet, illud nec impossibile, nec incredibile reputari debere ; nec dubium esse potest diligenter legenti illam epistolam, quin istud fuerit de mente Hieronymi, præsertim quoniam et in aliis

Digitized by Google

multis locis idem testatur. Siquidem et in epistola ad Rufinum presbyterum scribit: Interpretatio judicii Salomonis super jurgio duarum mulierum meretricum, quantum ad simplicem historiam pertinet, perspicua est, quod puer duodecim annorum contra ætatis suæ mensuram judicaverit de intimo humanæ naturæ affectu : unde admiratus est et timuit omnis Israel. Super Isaiam quoque id ipsum testatur, ut infra tangetur.

Præterea, quum Josephus aliique Hebræorum doctores et expositores præcipui in isto generaliter satis concordent, verisimile est, quod a senioribus et majoribus suis sic acceperunt et didicerunt. Nec verum est quod Magister in historiis contradicit Scripturæ : imo quidquid Scriptura de ista materia narrat, ipse concedit; nec ipse ex persona sua affirmat, quod Salomon regnavit annis octoginta, sed recitat Josephi verba et Hebræorum opinionem.

Amplius, incertum omnino est quod Lyra affirmat, Salomonem habuisse viginti annos vel plures, quando incepit regnare, nec ipse hoc probat; nec videtur consonare Scripturæ, quoniam primo Paralipomenon legitur David dixisse majoribus Israel:
I Par. XXIX, 1. Salomonem filium meum elegit Deus adhuc puerum et tenellum. Supra quoque scriptum est, quemadmodum Salomon quando
III Reg. III, 7. a Deo accepit sapientiam, dixit : Et nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo. Ego autem sum puer parvulus, ignorans egressum et introitum meum. Hæc autem non videntur convenire homini virilis ætatis. Nam quamvis in Scripturis viri frequenter vocentur pueri, non tamen pueri tenelli et parvuli. Nec David vocavit Salomonem puerum et tenellum, respectu regiminis ei imponendi, sed ratione ætatis, et quia inter fratres suos junior fuit : et quoniam intendebat populo persuadere, ut promotioni Salomonis filii sui præberent consensum, non ita parvificasset eum, nisi absolute tam tenellus fuisset. Nec obstat, quod David dixit
Ibid. II, 9. ad Salomonem, Vir sapiens es : quia ut super Isaiam scribit Hieronymus, vocavit eum virum, non ratione virilis ætatis, sed ob maturitatem morum, atque prudentiam.

Sed si ita quis teneat, restat videre, qualiter Salomon asseratur in sua senectute depravatus per mulieres, quum juxta hæc videatur vixisse non ultra quinquaginta et duos annos. Ad quod in præallegata ad Vitalem epistola respondet Hieronymus : Ad summam dici potest, quod in regno David regis, Salomon quum duodecim esset annorum, obtinuerit solium; et postea, quia Scriptura hoc reliquit incertum, vixerit ipse David aliquot annos, regnante suo filio Salomone, qui sibi et non Salomoni deputentur; et mortuo ipso David, postea Salomon filius ejus regnarit annis quadraginta, quibus sine patre regnavit : atque ita et initium regni Salomonis, et tempus quo solus ipse regnavit, ab historia demonstratum; nec tamen omnes anni vitæ Salomonis quinquaginta et duorum annorum circulis contineri. Si autem dubitas quod regnantibus filiis, patribusque eorum viventibus, non filiis tempus regni eorum, sed patribus computetur, lege Regnorum
volumen, et invenies quod Ozias rex Juda, IV Reg. XV, 5.
postquam lepra percussus est, habitavit in domo separata, et filius ejus Joathan imperium rexerit, et judicaverit populum terræ usque ad diem mortis patris sui; et tamen post mortem illius quum viginti
quinque esset annorum, sedecim annis re- Ibid. 33.
gnasse dicatur, quibus solus regnavit. Hæc Hieronymus.

Insuper prorsus incertum est, nec ex aliqua authentica probari potest scriptura, quod Salomon non nisi sex annis aut circiter fuit depravatus per mulieres; sed videtur diutius vixisse in tanta libidine, quum habuerit tot uxores reginas et tot concubinas, imo et adolescentulas, atque ut verbis utar Hieronymi in epistola ad Vitalem presbyterum, tot scorta quorum non erat numerus, tot fana construxerit conjugibus suis idololatris.

De hac demum materia tam diffuse conscripsi non aliquid asserendo, sed magis,

Digitized by Google

ne quis in re tam obscura aliquid incaute affirmet, aut venerandos Patres irreverenter expediat.

Postremo, Rabbi Paulus sic ait: Rationabiliter dici posset, quod Salomon dicendus fuerat senex, quum fere esset quinquaginta annorum, quia ætates mensurantur, A non solum secundum annos vel secundum ea quæ ad incrementum aut diminutionem corporalium virium pertinent, sed etiam respective secundum status moresque personarum : sicque Salomon respectu tantæ scientiæ sibi datæ et dignitatis suæ, senex tunc vocabatur.

ARTICULUS XIX

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI UNDECIMI SENSU.

HISTORIA hujus capituli multipliciter atque salubriter admonet nos et informat, ne quis unquam de viribus suis præsumat, de scientia sua se jactet, de parentum sanctitate confidat inordinate, aut in dignitate et eminentia, prosperitate et fama, donisve gratiæ gratis datæ inaniter glorietur ; sed in omnibus jugiter timoratus, custoditus, atque sollicitus coram Deo (*Mich.* VI, 8.) consistat, in vera et sancta humilitate semper persistens, ac omnem suam fragilitatem, defectuositatem, et pronitatem ad malum incessabiliter pensans, ac tanti viri istius, videlicet Salomonis, tam admirabilem ac miserabilem ruinam perpendens, nec propter præterita merita sua, periculosa securitate pigrescens. Ecce enim Salomon iste sanctissimi David filius, tanta sapientia, fama, prosperitate præfulgens, prophetiæ dono ornatus, copiosissimis documentis abundans, et diu in veris virtutibus Deo fidelis, et præclarissimum templum ei molitus, ad tam extremam et infinitam insipientiam, ad tantam impietatum voraginem, ad tam sordidissimam et inverecundissimam carnalitatem est devolutus, lapsus, demersus, ut nemo de hoc sufficiat admirari, præsertim quod desuper correptus, et comminationibus avisatus non cessavit, et subditis suis totique regno suo, imo et sæculo universo tantam scandalositatem præbuit et reliquit : in quo claris- B sime patet ineffabilis et semper deflenda humanæ conditionis fragilitas, atque in omne malum proclivitas. Jugiter ergo et profundissime humiliemus nos ipsos, et qui stat, videat ne labatur, nec glorietur (I *Cor.* X, 12.) sapiens in sapientia sua, et cui plus datum (*Jer.* IX, 23. *Luc.* XII, 48.) est, amplius vereatur.

Præterea perpendamus ad quam horribilia crimina trahat luxuria, et immundissima illa voluptas, quæ et sapientissimum virum hunc ad tam ridiculosam feminarum, uxorum, concubinarum, scortorum C multitudinem traxit, et insuper ad idololatriam perduxit eumdem. Heu ! qualiter fœditas illa obtenebrat hominem, ut nec Deum nec hominem vereatur, nec de sua turpissima et scandalosissima vita verecundetur, et non solum non acquiescat correptioni et informationi humanæ, sed nec angelico, neque divino obtemperare curet instinctui, quemadmodum Scriptura fatetur : Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit. (*Prov.* XVIII, 3.) Ecce qualiter paulatim fit lapsus ad deteriora, quia D peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud. Hoc quoque pensandum, quod is cui majora gratiæ dona sunt præstita, et qui ad virtuosiorem tenetur vitam, in immaniora cadit facinora, dum propter suos excessus juste a Deo relinquitur. Ecce quam periculosum est in hoc sæculo prosperari,

Digitized by Google

abundare divitiis, et undique reputari, otio A et torpori locum præbere. Ecce qualiter impia consuetudo incorrigibilitatem inducit.

Præterea legitur Salomon specialiter deservisse idolis tribus, videlicet Astartæ deæ Sidoniorum, per quam effeminata designatur libido : nam et Astarte, plasmationis superfluitas designatur. Luxuria quippe semper quærit superflua, quum natura modicis minimisque contenta noscatur. In hoc sequuntur Salomonem libidinosi, quorum deus venter est, et gloria in pudendis eorum. (*Philipp.* III, 19.) Coluit quoque Moloch, quod in- B terpretatur, rex eorum : per quod notatur superbia, in quo sequuntur eum ambitiosi et animosi, qui in tantum suam præsidentiam appretiantur et amant, ut persequantur, ac de vita hac tolli cupiant eos, per quos principatu suo privari verentur. Coluit etiam Chamos, quod interpretatur congregans : per quod avaritia figuratur. Opulentiam namque quærunt lascivi, qua suarum obtineant objecta deliciarum. Quemadmodum etiam Salomon propter has tres idolorum culturas acquisivit specialiter tres C inimicos, videlicet Adad Idumæum, Razon Syrum, atque Jeroboam Israelitam : sic qui præfatis vitiis obsequuntur, tres specialiter adversarios sortiuntur, utpote mundum, qui inclinat ad avaritiam; carnem, quæ ad concupiscentiam movet; diabolum, qui ad superbiam trahere nititur.

Postremo, ex isto docemur capitulo, quod propter scelera principum transferantur regna ac principatus de gente in gentem, et de uno ad alium. Nam sicut clementia roboratur thronus regis, sic per crudelitatem atque tyrannidem eradicatur. (*Prov.* XX, 28.) Hinc scriptum est in Ecclesiastico : Principatus sensati stabilis erit. (*Eccli.* X, 1.) In Proverbiis quoque : Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. (*Prov.* XXIX, 14.) Nempe ut in Daniele habetur, Deus mutat tempora et ætates, transfert regna atque constituit. (*Dan.* II, 21.) Hinc rursus in Ecclesiastico legitur : Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias et injurias et contumelias et dolos diversos. (*Eccli.* X, 8.) Et rursus ait Scriptura : Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. (*Ibid.* 17.) Nempe, ut ait beatissima Virgo, Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. (*Luc.* I, 52.)

ARTICULUS XX

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : VENIT AUTEM ROBOAM IN SICHEM.

TRACTATUM est hucusque de unico Israeliticæ plebis regno, in quo unus D præfuit illi populo universo; nunc et in sequentibus de eodem agitur regno bipartito, sicut patebit. *Venit autem Roboam* filius Salomonis cum suo exercitu *in Sichem*, id est in locum seu oppidum sic vocatum : de quo in Genesi legitur, Missus Joseph de valle Hebron, venit in Sichem; (*Gen.* XXXVII, 14.) de quo etiam in Judicum libro multa leguntur. (*Judic.* IX.) Denique, Sichem etiam proprium nomen est viri, de quo in Genesi habetur : Egressa est Dina; quam quum vidisset Sichem princeps terræ illius, etc. (*Gen.* XXXIV, 1, 2.) *Illic enim congregatus erat omnis populus Israel*, id est quidam de omnibus tribubus et principaliores, demptis his qui venerunt cum Roboam. Qui præfixit eis locum ibidem, quia fuit locus famosus, et in tribu Ephraim situs : quæ tribus post tribum Juda fuit egregia, atque ut quidam addit, fuit quasi in medio regni : quod non videtur, quoniam super librum Judicum dictum est sæpe, et expositores communiter dicunt hoc, quod tribus Juda et tribus Ephraim, tanquam ceteris fortiores sortem et man-

Digitized by Google

sionem acceperunt in extremitatibus Israelitici regni pro totius munimine populi, una ab una parte, et alia ab altera.

Additque idem : Fuit etiam ibi primus rex Israel, scilicet Abimelech, institutus, ideo populus fuit ibi congregatus, *ad instituendum* cum regem.* (* constituendum) Quod propter duo stare non potest : Primo, quia Abimelech fuit judex, non rex. Unde in libro Judicum de ipso est mentio. Et quamvis scriptum (Judic. IX, 6.) sit, quod constituerunt eum regem, non tamen constituerunt regem super duodecim tribus, sed super Sichimitas : idcirco non fuit rex Israel; imo Saul primus rex (I Reg. X, 1, 24.) Israel fuit, ut patuit primo libro. Unde in Actibus asserit Paulus, quod Deus primo (Act. XIII, 20, 21.) dedit judices usque ad Samuelem, et exinde postulaverunt regem, et dedit eis Saul. Istud Beda, Rabanus, aliique affirmant. Unde Magister in historiis ait : Quæritur, quomodo Saul primus rex Israel dicitur. Ad quod respondet, quod propter regimen universale; Abimelech autem solum regnavit in Sichimitis. Secundo, quoniam totum negotium Abimelech fuit tyrannicum, ambitiosum et pessimum, nec inter judices a Domino suscitatos, et in quibus Spiritus (Judic. IX.) Domini fuit, est computandus, ut patet in libro Judicum : ideo propter ejus promotionem in Sichem factam, aut ob illius honorem non convenerunt ibidem.

At vero Jeroboam filius Nabat, quum adhuc esset in Ægypto profugus a facie Salomonis regis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto, confidens se promovendum in regem, prout ab Ahia propheta sibi erat prædictum. *Miseruntque* viri de tribu Ephraim, et alii multi, *et vocaverunt eum,* ut interesset novi regis (III Reg. XI, 28.) creationi. Nam erat vir fortis et potens, atque industrius bonæque indolis, ideo volebant ejus uti consilio. *Venit ergo Jeroboam, et omnis multitudo Israel, et locuti sunt,* præsertim decem tribus, et unus ex parte omnium, *ad Roboam, dicentes : Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis :* quod non intelligitur de jugo tributi, aut vilium operum servitute, quum dictum

A sit supra de filiis Israel, Non fecit servire (III Reg. IX, 22.) quemquam ; sed de persolutione vectigalium in expensas ipsius regis. Dictum est quoque ante, quod Salomon habuit duodecim (Ibid. IV, 7.) præfectos super omnem Israel, id est super duodecim tribus, qui præbebant annonam regi per singulos menses, quam levabant a tribubus ipsis : quod fuit non modicum onus, quoniam sumptus Salomonis fuit grandis, ut superius narratur. (Ibid. 22 et seq.) Forsan etiam Salomon post suam infatuationem aliquid plus exegit a populo in B constructionem fanorum et aliorum magnorum inutiliumque cum mulieribus sumptuum. *Tu itaque nunc imminue paululum* jugum illud : quod videbatur pia petitio, quia dixerunt, Minue paululum ; *de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi. Qui ait eis : Ite* ad propria *usque in diem tertium,* remanentes in locis vestris, ut interim bona deliberem, *et revertimini ad me.*

*Quumque abiisset populus, iniit consi*C*lium rex Roboam cum senioribus qui adsistebant coram Salomone patre ejus, quum adhuc viveret, et ait eis : Quod datis consilium, ut respondeam populo?* Hoc ipsum fuit prudentiæ, quod primo a senioribus illis quæsivit consilium, quoniam erant valde experti, prudentes, maturi, atque ut scriptum est in libro Job : In antiquis est (Job XII, 12.) sapientia, et in multo tempore prudentia. In Ecclesiastico quoque : Quam speciosum (Eccli. XXV, 6, 7.) est a veteranis quærere sapientiam. *Qui dixerunt ei : Si hodie,* id est tempore D isto, *obedieris populo huic et servieris, et petitioni eorum cesseris,* hoc est, eorum acquieveris petitioni (sicque Obedire sumitur hic extense : nam proprie spectat ad inferiores), *locutusque fueris ad eos levia, erunt tibi servi cunctis diebus* vitæ suæ. *Qui dereliquit consilium senum, quod dederunt ei :* quia erat rudis, superbus, carnalis, ideo verba humilitatis et sapientiæ ei non sapiebant.

Et adhibuit adolescentes qui nutriti fuerant cum eo, et adsistebant illi. Sed quæ-

Digitized by Google

ri potest, quomodo erant adolescentes, qui A erant cum eo nutriti, quum ipse esset jam quadraginta unius annorum. Dici potest, quod adolescentia sumitur hic large, prout juventutem includit, sive pro juventute, Eccle. XI, 9. sicut in Ecclesiaste legitur : Lætare, juvenis, in adolescentia tua. Hinc secundo Pa- II Par. X, 8. ralipomenon dicitur, quod cum juvenibus tractare cœpit. Verumtamen juxta Glossam dicuntur adolescentes seu juvenes non ætate, vel non solum ætate, sed potius animo et moribus. Præterea, secundum Hieronymum et Glossam, seniores a quibus Ro- B boam petivit consilium, fuerunt (ut dicunt * Jahiel Hebræi) Banaias et Achiel *. In Scholastica autem narratur historia, quod erant Sadoc, Banaias, Joiada, et reliqui principes Salomonis. *Dixitque ad eos : Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi : Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos? Et dixerunt ei juvenes, qui nutriti fuerant cum eo : Sic loquere populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes : Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic lo-* C *queris ad eos : Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei,* hoc est, multo major est rigor disciplinæ jurisdictionisque meæ et potentia mea quam patris mei, ita ut parva pars rigoris atque vigoris mei, magnam partem rigoris patris mei excedat. Istud fuit puerile et stultum consilium ab inexpertis probatum, et juvenili audacia datum. Unde in Paralipomenon fertur, quod II Par. X, 10. responderunt ei, ut juvenes in deliciis secum nutriti. *Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam* D *super jugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.*

Venit ergo Jeroboam et omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens : Revertimini ad me die tertia. Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum quod ei dederant, et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens : Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro. Pater meus cecidit, hoc est percussit, *vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus,* id est, multo acrius regam et corrigam vos quam pater meus. Juvenes isti, ut Josephus tangit, consuluerunt Roboam regi, ut imperiose et comminatorie loqueretur, putantes quod sic populus terreretur, nec reclamare auderet. Porro scorpio, secundum Glossam, est genus flagelli, et proprie dicitur rubus aculeatus seu flagellum virgarum nodosum, vel scutica in summitate habens plumbeas glandes. Interdum ponitur pro uno de duodecim signis, nonnunquam pro quadam bestiola, quæ vultu blanditur et cauda pungit. *Et non acquievit rex populo,* id est precibus populi, ut mitius responderet; *quoniam adversatus fuerat eum Dominus,* hoc est, Deus justo judicio adversabatur ipsi Roboam in hac causa, non inclinando cor ejus ad consentiendum sano seniorum consilio, sed relinquendo eum in sua improbitate. Hinc in Paralipomenon dicitur, Erat II Par. X, 15. enim Dei voluntatis : non quod culpa ipsius Roboam placuerit Deo, sed permissio Dei fuit. *Ut suscitaret,* id est impleret, *verbum suum quod locutus fuerat in manu,* hoc est per obsequium, *Ahiæ Silonitæ ad Jeroboam filium Nabat.*

Videns itaque populus oculo interiori, id est considerans, *quod noluisset eos audire rex,* scilicet Roboam : cui jure hereditario competebat in regno succedere, qui tamen nondum fuit acceptatus a populo; *respondit ei, dicens : Quæ nobis pars in David? vel quæ hereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua, Israel.* Hæc eadem verba dixit Seba filius Bochri in re- II Reg. XX, 1. bellione adversus David regem, ut libro secundo continetur, ubi hæc verba exposita sunt. *Nunc vide domum tuam, David,* id est, tu, posteritas et cognatio David regis, perpende populum tuum, quia jam pauci remanent tecum, et provide populo tuo. Vel, Vide domum tuam, hoc est templum ex David ordinatione constructum, et in eo sacrifica : quasi dicant, Non veniemus illuc amplius ad offerendum. *Et*

Digitized by Google

abiit Israel in tabernacula sua. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

Misit ergo Roboam Aduram, qui erat super tributa, ad vectigal levandum, ut decem tribus revocaret, excusando ipsum Roboam de verbis prolatis quasi ex levitate, non animo malo dictis, et quia jam paratus esset revocare; *et lapidavit eum omnis populus Israel,* hoc est quidam ex decem tribubus de ceterorum consensu : et hoc fecerunt in despectum Roboam regis, et ex indignatione contra eum ac ejus officiatum; *et mortuus est.* Dicit Glossa, quod secundum Hebræos, ipse Roboam ex suggestione istius Aduram, tam superbe responderat, et de hoc (ut aliqui opinantur) decem tribus habuerunt eum suspectum; et quod propria quæreret lucra : quia qui præsunt tributis, cupiunt ea augeri. Verumtamen incertum videtur, an de consilio Aduram ita responderit Roboam, qui de consilio juvenum seu adolescentium respondisse sic perhibetur; sed Aduram jam erat senex. Nam et tempore David præfuit
II *Reg.* xx, 24. tributis, ut libro secundo scriptum est, si tamen sit idem Aduram. *Porro rex Roboam festinus ascendit currum, et fugit in Jerusalem. Recessitque Israel a domo David usque in præsentem diem.*

Factum est autem, quum audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt, et vocaverunt eum congregato cœtu, et constituerunt eum, videlicet ipsum Jeroboam, *regem super omnem Israel,* hoc est super decem tribus, quæ de cetero reservaverunt sibi nomen hoc Israel, quoniam plures erant. Itaque elegerunt et fecerunt Jeroboam regem, quia sciverunt sibi a Deo
III *Reg.* xi, 31. per Prophetam esse promissum decem tribuum regnum, et quia fuit vir aptus ad
Ibid. 28. hoc, utpote fortis, strenuus, prudens, et
Ibid. 26. quia fuerat adversarius Salomonis : sicque eum promovendo, magis irritaverunt Roboam regem; et item quoniam fuit de tribu Ephraim, quæ post tribum Juda fuit nobilis et famosa, potens ac bellicosa. In hac quoque promotione Jeroboam, impleta

A fuit prophetia Jacob patriarchæ, qui benedicendo filiis Joseph, juniorem nomine Ephraim, præposuit seniori Manassæ, dicens : Frater ejus minor, major illo erit. *Gen.* xlviii, 19.
Id quoque quod in benedictione Joseph profertur, Inde pastor egressus, quidam *Ibid.* xlix, 24.
exponunt de isto Jeroboam, quidam de Josue Ephratæo. *Nec secutus est quisquam domum David,* id est, nullus de tribubus Israel ex intentione et directe adhæsit Roboam nato ex David, tanquam regi, *præter tribum Juda solam.* Tribus quoque
B Benjamin secuta est Roboam occasionaliter, quia non poterat se separare a tribu Juda, in cujus medio habitavit : similiter tribus Levi, quoniam locus divini cultus et sacrificiorum, videlicet templum, in Jerusalem stetit, et quia Jeroboam eos abjecit. II *Par.* xi, 14.

Venit autem Roboam Jerusalem, et congregavit universam domum Juda, id est totam illam tribus Juda familiam, quantum ad viros prælio aptiores, *et tribum Benjamin in centum octoginta millia electorum virorum et bellatorum, ut pugnarent con-*
C *tra domum Israel, et reducerent regnum Roboam filio Salomonis. Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens : Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad omnem domum Juda, et Benjamin, et reliquos de populo, dicens : Hæc dicit Dominus : Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel. Revertatur vir in domum suam. A me enim factum est verbum hoc,* id est divisio ista monarchiæ regni Judæorum in duo regna, propter Salomo-
D nis peccata et improbam Roboam regis responsionem. *Audierunt sermonem Domini, et reversi sunt de itinere, sicut præceperat eis Dominus.*

Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, et habitavit ibi, id est, urbem illam melioravit in ædificiis, et loca munita aut fortalitia in ea construxit ad resistendum Roboam regi. *Et egressus inde, ædificavit Phanuel,* id est oppidum sic vocatum, de quo in libro Judicum fit *Judic.* viii, 8.
mentio. *Dixitque Jeroboam in corde suo :*

Digitized by Google

Nunc revertetur regnum ad domum David, id est, præsidentia super decem tribus auferetur a me, et redibit ad posteros regis David, *si ascenderit populus iste* decem tribuum, *ut faciat sacrificia* per manus sacerdotum, *in domo Domini in Jerusalem,* quia amore templi et suggestione sacerdotum redibunt ad sobolem David; *et convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda,* cui jure successionis competisset dominium super populum illum, *interficientque me* tanquam schismaticum principem, *et revertentur ad eum,* ad memoriam revocando beneficia David ac Salomonis.

Et excogitato consilio vitiosissimo, ad cavenda illa pericula, utpote privationem regni et mortem, *fecit duos vitulos aureos,* Exod. xxxii, 4. secundum quod Aaron in solitudine fecerat unum, et quoniam in Ægypto didicit idololatriæ hujus formationem. Ægyptii equidem taurum colebant. *Et dixit eis : Nolite ultra ascendere in Jerusalem,* ad sacrificia offerenda in festis Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, prout præceptum fuit in Exodo, Levitico et libro Ibid. xxxiv, 23; Lev. xxiii; Num. xxviii, xxix. Numerorum. *Ecce dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Simili modo formato aureo vitulo per Aaron, filii Israel Exod. xxxii, 4. dixisse leguntur : Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, id est, simulacra ista colatis pro Deo, qui eduxit vos de Ægypto. Sed qualiter vir ille ingeniosus potuit tam stultam et apertissime falsam propositionem proponere populo? et quomodo populus ille, qui hactenus coluit verum Deum, potuit tali mendacio consentire aut credere, quod scilicet imagines illæ recenter factæ, essent dii eorum? Sap. ii, 21. Ad quod dici potest, quod excæcavit eos eorum malitia. Vel dixit sic, non quod ratio sua hoc verum putavit, sed ut per hanc viam prætacta vitaret pericula, quemadmodum III Reg. xi, 4-8. Salomon idola adoravit, ne suas contristaret delicias. Populus autem ad idololatriam fuit proclivis. Verumtamen Josephus nititur aliqualiter excusare Jeroboam et filios Israel, dicens, quod Jeroboam persuasit populo, dicens : Ubique præsens est Deus, non oportet ut in urbe adversariorum Jerusalem ipsum quæratis, sed in vitulis istis ipsum adorare potestis et colere. Verum excusatio ista non valet, nec concordat Scripturæ, quæ infra sæpissime asserit, quod adoraverunt vitulos et eis sacrificaverunt.

Posuitque unum in Bethel et alterum in Dan, id est, in locis seu oppidis illis aut montibus fecit duo fana, in quolibet unum, et in quolibet fano posuit vitulum unum; et erant loca illa remota ab invicem, ut longe habitantes facilius devenirent ad unum illorum. *Et factum est verbum hoc in peccatum,* id est, ex illo præcepto seu facto Jeroboam, secuta sunt peccata gravissima, idololatria scilicet et alia multa. Nam subditur, *ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan;* similiter ad adorandum vitulum alium in Bethel : qui vituli a Josepho vocantur vitulæ, et in Osee dicuntur vaccæ. Osee x, 5. *Et fecit fana in excelsis,* id est duo præfata vitulorum templa in locis sublimibus montuosis Bethel et Dan, *et* fecit *sacerdotes de extremis populi,* id est de reliquis tribubus sibi subjectis, *qui non erant de filiis Levi.* Unde secundum Josephum dixit : Faciam vobis ministros et sacerdotes ex vobismetipsis, ut non indigeatis filiis Levi. Et tamen hæc omnia erant contra legis præcepta, videlicet facere similitudinem ad Exod. xx, 4. colendum in ea Deum, ut in Exodo legitur; similiter sacrificare extra Jerusalem templo ibi constructo, et de aliis tribubus facere sacerdotes.

Constituitque diem solennem in mense octavo, quintadecima die mensis, id est diem dedicationis fanorum suorum atque altarium, quemadmodum Salomon septimo III Reg. viii, 2. mense ad hoc certum deputaverat diem. Ideo subditur : *in similitudinem solennitatis* dedicationis *quæ celebrabatur in Juda,* id est in Jerusalem et in templo ac populo tribus Juda. *Et ascendens altare,* id est ad altare accedens, *similiter fecit in Bethel,* id est fano ibi constructo, *ut immolaret*

Digitized by Google

vitulis quos fabricatus fuerat: sicque assumpsit sibi sacerdotale officium, et manifeste dicit Scriptura, quod vitulis immolavit, non Deo vero in vitulis; et quamvis Deus verus qui eduxit Israel de Ægypto, sit unus, pluraliter tamen dixerunt, Ecce dii tui, juxta modum loquendi idololatrarum, vel plurale pro singulari ponendo, sicut de vitulo Aaron loquebantur, Isti sunt dii tui. (*Exod.* xxxii, 4.) *Constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat. Et ascendit super altare quod exstruxerat in Bethel, quintadecima die mensis octavi, quem finxerat de corde suo. Et fecit solennitatem filiis Israel, et ascendit super altare, ut adoleret incensum,* id est, solennitatem dedicationis celebraret, sicut expositum est; de qua multa loquuntur in Osee : Dies regis nostri, id est, hæc est dies solennis, quam rex noster Jeroboam instituit nobis, prout ibi expositum fuit. (*Osee* vii, 5.)

Circa hæc scribit Lyra : Dicunt aliqui, et satis probabiliter secundum ista Josephi verba, quod populus in illis vitulis adoravit Deum. Contra quod scribit Rabbi Paulus, et ait : Dicere quod populus in illis vitulis adoravit Deum, et sic excusatus fuit a peccato idololatriæ, est penitus inconveniens : quoniam sub eisdem forma et modo coluerunt vitulos, sicut populus Israel in deserto vitulum aureum, dicendo, Hi sunt dii tui, Israel, etc.; sicque vitulos receperunt in deos, juxta illud : Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. (*Ps.* cv, 20.) Unde et in Amos habetur : Qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt : Vivit Deus tuus, Dan. (*Amos* viii, 14.)

Sensus moralis.

Juxta tropologiam patet ex isto capitulo, quam stultum sit, sapientiorum, seniorum et expertorum consilia non sectari, et juniorum consiliis adhærere. Qui enim non est expertus, pauca recognoscit, et vir in multis expertus cogitat multa; eritque salus ubi sana consilia. (*Eccli.* xxxiv, 10.) (*Prov.* xi, 14.) Insuper, Roboam malos, duros et ambitiosos præsidentes designat, qui subditis suis nesciunt humiliter respondere, mititer loqui, condescendere, et in piis acquiescere precibus, sed propria commoda quærunt, timeri et honorari desiderant, et cum austeritate ac potentia præsunt. Similiter Jeroboam eos præfiguravit, qui in principio suæ promotionis sunt boni, sed tempore procedente, honores pervertunt ipsorum mores, ita quod timore perdendi principatum aut sustinendi molestiam, in multa et gravia labuntur facinora; nec confidunt in Domino, sed honores, dignitates et prælationes suas, quasi simulacra quædam colunt, amant, appretiantur. Nec Jeroboam iste ex formidine qua occidi timuit, excusatur : quoniam per Prophetam Deus sibi promisit, quod esset cum eo, et domum ei ædificaret fidelem, si in suis permaneret præceptis; sed ipse divinam promissionem non perpendit, nec ejus jussionem implere curavit. (III *Reg.* xi, 38.)

Postremo constat ex his, ad quanta facinora trahat ambitio, quia Jeroboam iste in tantum ad suam dominationem afficiebatur, quod timore perdendi eamdem, introduxit idololatriam pessimam, et totum populum Dei sibi commissum avertit a cultu Dei, et ad multiplicem divinorum transgressionem præceptorum universam sibi creditam communitatem induxit, non considerans neque formidans divini rigorem judicii, acerbitatem æterni supplicii, neque suorum immanitatem innumerabilitatemque scelerum.

Digitized by Google

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ET ECCE VIR DEI VENIT DE JUDA.

INCREPATIO et obstinatio ipsius Jeroboam, hic describuntur. *Et ecce vir Dei,* videlicet sanctus Propheta : qui fuit Dei, non solum per creationem et generalem gubernationem, sed item per prædestinationem æternam et specialem devotionem; *venit de Juda,* id est de terra regni Juda, *in sermone Domini,* id est, habens sibi commissum sermonem impio regi denuntiandum ; vel, In sermone Domini, id est ex Dei præcepto. De isto viro Magister in historiis ait, quod in Paralipomenon vocetur Addo. Sed advertendum, quod secundo Paralipomenon scriptum est : Opera Roboam scripta sunt in libro Addo videntis. Similiter eodem libro fertur : Reliqua verba Salomonis scripta sunt in visione Addo videntis contra Jeroboam. Ex quibus probabiliter æstimatur, quod vir iste fuerit Addo; non tamen in Paralipomenon dicitur istud. *In Bethel,* ad fanum quod erat ibidem, *Jeroboam stante super altare,* id est ante illud, ita quod pro parte eminebat superius, *et thus jaciente.*

II *Par.* XII, 15. *Ibidem.* *Ibid.* IX, 29.

Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait : Altare, altare : non quod altare potuerit verba intelligere vel audire, sed propter adstantes, ad altare verbum direxit, ut ipsi adverterent; *hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David,* id est in regno Juda ex semine David ad magnum illius regni commodum ac profectum, *Josias nomine :* quod additur, propter majorem excellentiam ac certitudinem vaticinii hujus, et propter sanctitatem tanti regis; *et immolabit,* id est comburet quantum ad ossa, *super te sacerdotes excelsorum,* id est fanorum et altarium seu vitulorum aureorum in locis sublimibus positorum, *qui nunc in te,* id est super te,

A *thura succendunt, et ossa hominum super te incendet :* quod qualiter factum sit, infra libro quarto describitur. Et hoc fecit Josias in contemptum idololatriæ et fanorum : unde infra vocatur pollutio illorum altarium, quod etiam fuit Deo placitum tanquam sacrificium : propter quod vocatur hic immolatio. *Deditque* Propheta *in illa die signum,* id est, miraculum fecit, ad probandum quod vere loqueretur ex parte Dei, *dicens : Hoc erit signum quod locutus est Dominus : Ecce altare scindetur,* B quum tamen sit forte ac factum de novo, *et effundetur cinis qui in eo est,* id est, qui super altare mansit ex combustione holocaustorum, decidet per scissuram altaris.

IV *Reg.* XXIII, 15-20. *Ibid.* 16.

Quumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens : Apprehendite eum, id est captivate. *Et exaruit manus ejus quam extenderat contra eum, nec valuit eam retrahere ad se. Altare quoque scissum est, et effusus est cinis de altari, juxta si-* C *gnum quod prædixerat vir Dei, in sermone Domini. Et ait rex ad virum Dei,* ex plaga Dei perterritus : *Deprecare faciem Domini Dei tui,* id est pietatis ejus respectum, *et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi,* id est, ut curetur a Deo, sicque uti valeam ea, et quantum ad usum, eam recipiam. *Oravitque vir Dei faciem Domini,* reddens bonum pro malo, *et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuit,* ut ex tantis Dei miraculis ac beneficiis compungeretur ac pœniteret. D *Locutus est autem rex ad virum Dei,* volens esse gratus eidem : *Veni mecum domum, ut prandeas, et dabo tibi munera.* Si pro curationis supernaturalis beneficio

Rom. XII, 17.

Digitized by Google

temporale quid rependere voluit, simoniacum fuit, prout infra de Naaman inducetur. *Respondit vir Dei ad regem : Si dederis mihi mediam partem domus tuæ*, imo et totam domum, totumque regnum, *non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini*, et pro nulla re mundi licet Dei mandatum prævaricari, *præcipientis : Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter quo venerat in Bethel.*

IV Reg. v, 15.

Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel. Et verba quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri suo. Et dixit eis pater eorum : Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda. Et ait filiis suis : Sternite mihi asinum. Qui quum stravissent, ascendit et abiit post virum Dei, et invenit eum sedentem subtus terebinthum. Et ait illi : Tune es vir Dei, qui venisti de Juda? Respondit ille : Ego sum. Dixitque ad eum : Veni mecum domum, ut comedas panem. Qui ait : Non possum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto, quia locutus est Dominus ad me, in sermone Domini, dicens : Non comedes panem, et non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua ieris. Qui ait : Et ego propheta sum similis tui. Et angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens : Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, et bibat aquam. Fefellit eum, et reduxit secum. Timuit enim ille bonus Propheta offendere Deum, non obediendo commissioni divinæ factæ per angelum, ut putavit : tamen non debebat ita faciliter credere, sed Dominum invocare, ut sibi super hoc veritatem ostenderet, quemadmodum si alicui appareat quis in specie Christi, et dicat se Christum ac jubeat adorare. Ideo ait Joannes apostolus : Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus utrum ex Deo sint. *Comedit ergo panem in domo ejus, et bibit aquam.*

I Joann. iv. 1.

Quumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam qui reduxerat eum, id est ad pseudoprophetam. Quid autem Dominus dixerit huic falso per angelum, in textu non exprimitur, sed ex sequentibus elicitur. Annuntiavit etenim ei quid bonus ille Propheta passurus esset pro inobedientia sua : et forsan non vidit exterius angelum in aliqua forma sensibili, sed in vi imaginativa audivit et vidit quod subditur. *Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens : Hæc dicit Dominus : Quia non obediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam in loco in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum*, id est, ad patriam tuam vivus non reverteris, nec sepelieris in ea. Denique, prophetica revelatio quum sit donum gratiæ gratis datæ, communis est bonis et malis; sicque impio huic facta est revelatio illa.

Quumque comedisset et bibisset, stravit asinum suum Propheta quem reduxerat. Qui quum abiisset, invenit eum leo in via : qui leo, Deo sic ordinante, ibi advenit ductu angeli boni : quo ductu animalia venerunt ad Noe in arcam; *et occidit*, non corpus ejus dilaniando, sed forsitan simpliciter suffocando, juxta quem modum leones occiderunt sanctum Ignatium martyrem illustrissimum. *Et erat cadaver ejus projectum in itinere*, ubi et leo corpus exstinctum projecit, ut factum a transeuntibus videretur et publicaretur. Unde apparet, quod sanctus ille Propheta viso leone, paululum declinavit a via ex naturali mortis timore : et tamen ipsam mortem æquanimiter pro sua culpa sustinuit. *Asinus autem stabat juxta illum*, puta leonem, non fugiens neque læsus, vel jux-

Gen. vii.

Digitized by Google

ta illum Prophetam occisum, *et leo stabat juxta cadaver,* custodiens asinum et corpus exanime. In quo facto considerantur multa miracula, quod scilicet leo nec defunctum nec asinum laniavit aut manducavit, nec facto commisso recessit, ut suæ naturæ est, et instar rationalis creaturæ custodivit occisum, ne a bestiis aut avibus tangeretur; atque ut ait Glossa, ex hoc quod leo cadaver sic honoravit, constat, quod culpa Prophetæ relaxata fuit in sua morte. Præterea aliqui dicunt, Prophetam illum fuisse partim inductum ad credendum pseudoprophetæ desiderio corporeæ escæ, quia esuriit. Gregorius autem videtur sentire, quod sanctus ille Propheta per miracula, per se exhibita, inani motus sit gloria, ideoque permissus sic decipi. Iterum ait Gregorius : Bene ex ore mali prophetæ sententiam mortis accepit, cujus seductione a præceptis vitæ declinavit, ut inde pœnam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisit.

Et ecce viri transeuntes, viderunt cadaver projectum in via, et leonem stantem juxta cadaver ; et venerunt, et divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille senex habitabat. Quod quum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait : Vir Dei est, id est corpus ipsius, *qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni* ad occidendum, *et confregit eum, et occidit juxta verbum Domini quod locutus est ei.* Ex hoc apparet, quod non solum suffocaverit eum, sed et dentibus læsit vel confregit eum : quia a vitæ integritate eum subtraxit, imo quia pro culpa sua fuit occisus, forsitan fuit et læsus.

Dixitque ad filios suos : Sternite mihi asinum. Qui quum stravissent, et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via, et asinum et leonem stantes juxta cadaver : non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum. Tulit quoque prophetes cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum, super quem venit ille sanctus Propheta, nec timuit malus ille propheta a leone occidi, quia perpendit leonem ideo

A juxta cadaver manere, ut traderetur mox sepulturæ, *et reversus, intulit in civitatem prophetæ senis, ut plangerent eum. Et posuit cadaver ejus in sepulcro suo,* quod sibi ipsi jam præparavit aut deputavit : sicque honoravit verum Prophetam, quem et ideo in proprio posuit monumento, ut juxta eum sepeliretur. *Et planxerunt eum : Heu, heu, mi frater.* Iste fuit tunc modus deplangendi defunctos. Dicuntque aliqui, quod ficte tantum deploraverunt eum, quia ad hoc falsus ille decepit eum, ut propter B inobedientiam suam mereretur occidi, vel probaretur mentitus esse regi, dicendo se ibi nullatenus comesturum, vel transgressus divinum præceptum. Sed dato quod falsus ille defleverit ipsum ficte, probabile tamen est, quod alii eum deplanxerunt ex corde, præsertim propter miracula circa ipsum in morte exhibita.

Quumque planxissent eum, dixit pseudopropheta ille *ad filios suos : Quum mortuus fuero, sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est ; juxta ossa ejus ponite* C *ossa mea. Profecto enim,* id est indubitanter et certe, *veniet,* id est implebitur, *sermo quem prædixit in sermone Domini,* id est, Dei verba sibi dicta ac revelata repetendo ; vel, Veniet sermo, id est res significata per sermonem ; *contra altare quod est in Bethel,* quod scilicet supra ipsum comburentur ossa sacerdotum ipsius sacrilegorum, *et contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ* in locis altis constructa. Verumtamen hucusque non legitur bonus ille Propheta pro- D phetasse de profanatione fanorum illorum ; sed ex verbis istis elicitur, quod etiam contra illa omnia prophetavit, quæ post tempus istius pseudoprophetæ multiplicata fuerunt, et infra libro quarto leguntur IV *Reg.* xxiii, 19, 20. a Josia esse destructa. Hinc falsus iste jussit se sepeliri juxta sanctum Prophetam, ut ossa sua cum ossibus illius Prophetæ manerent intacta, nec cremarentur super il- *Ibid.* 18. lud altare.

Post hæc verba, id est post præfata gesta et signa ac vaticinia, *non est reversus*

Digitized by Google

Jeroboam de via sua pessima, quum vidisset præfata miracula de scissione altaris et curatione propriæ manus ; nec dubium quin et percepit quæ gesta erant circa bonum illum Prophetam ; *sed econtrario fecit de novissimis populi,* id est etiam de vilioribus hominibus decem tribuum, *sacerdotes excelsorum,* id est idolorum et fanorum quæ erant in locis sublimibus constituta. *Quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum,* id est, consecrari se fecit et hostiam obtulit, quæ in consecratione sacerdotum consuevit offerri; vel, Implevit manum suam, portando in manibus suis munera regi, per quæ obtinuit sacerdotium illud ; vel, Implevit manum ipsius regis, dando ei pretium sive pecuniam pro sacerdotio obtinendo. *Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam,* id est cognatio seu soboles et familia ejus atque domestici sequentes scelera regis, *et eversa est et deleta de superficie terræ.*

Circa hæc quæritur, primo, qualiter potuit esse quod Jeroboam post signa prætacta mansit tam obstinatus. Ad quod Josephus, aliique expositores et Magister in historiis ipsum sequentes, dicunt quod pseudopropheta ille persuasit Jeroboam regi, non fuisse verum prophetam, quem Dominus per leonem occidit; dexteramque ipsius ex labore thurificandi et immolandi obstupuisse seu aruisse, et quum inde quievisset, ad pristinum redisse vigorem ; atque altare fuisse scissum ex onere impositarum hostiarum. Sed textus non videtur his consonare, quoniam sicut jam patuit, falsus ille evidenter dixit ac fatebatur, quod Propheta ille fuisset vir Dei, et quod in nomine Dei esset locutus ; quod item omnia quæ prædixit, certissime implerentur; quod etiam esset a leone occisus, eo quod Dei præceptum fuit transgressus comedendo in loco prohibito. Deinde quæritur, an bonus ille Propheta peccavit mortaliter comedendo in loco illo. Videtur quod sic, quia divinum violavit præceptum, et fuit inobediens Deo, et quia fuit statim occisus. Ad istud non audeo aliquid affirmare, nisi quod peccatum illud fuit aut leve mortale, aut grossum veniale ; et quamvis materialiter prævaricatus fuit præceptum divinum, non tamen formaliter, ut apparet, quia putavit Deum interim mutasse præceptum.

Ex his infert Henricus de Hassia, quod homo difficulter excusetur a divini transgressione præcepti, imo et faciliter incidat eam, quia Propheta iste, non obstante quod credidit Dominum præcepisse, quod falsus ille asseruit, nihilo minus judicatus est inobediens fuisse : quid ergo de his, qui ex certa scientia, ex proposito, ex mera malitia peccant ? Et si justus atque omnipotens Deus tam cito ac dire ultus est culpam illam, quæ tantam habuit excusationem et alleviationem : qualiter puniturus est eos, qui sine freno absque timore ac numero transgrediuntur? Denique constat ex illo, qualiter Deus electos in præsenti castigat, reprobos vero æternæ damnationi reservat. Nam sanctum illum Prophetam pro culpa sua mox interemit, sed pseudoprophetam illum reliquit hic impunitum. Innotescit item ex his, qualiter dominandi libido obtenebret induretque animum, et incorrigibilem efficiat hominem, ita ut nec signis, nec beneficiis, nec ratione, nec comminatione retrahatur a vitiis. Itaque, quando in vita hac occurrunt nobis mala morte minora, pensemus qualiter ille vir Dei pro modica (ut apparet) culpa patienter tulit mortis illius tormenta, sicque semper patientes ac humiles permaneamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO CAPITULI QUARTIDECIMI : IN TEMPORE ILLO ÆGROTAVIT ABIA.

De vitiis, debitisque punitionibus Jeroboam regis decem tribuum, et Roboam regis Juda, hic agitur. *In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam* primogenitus. Ægrotavit autem ægritudine, de qua paulo post obiit : et quamvis ægrotatio illa ex naturalibus potuit causis procedere, ex divina tamen providentia, cui naturalia cuncta subduntur, principaliter venit, ut impius rex in ægrotatione et obitu primogeniti cariorisque filii sui graviter affligeretur; secundo, ne bonus juvenis ille paulatim inficeretur criminibus patris ac populi sui, sicut de justo legitur in libro
Sap. IV, 10, 11. Sapientiæ : Vivens inter peccatores translatus est; raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius, aut ne fictio deciperet animam ejus. Tertio, ne juvenis ille diutius vivendo, videret mala pœnalia suæ cognationi futura, quemadmodum infra habetur
IV Reg. XXII, 20. de rege Josia : Jam colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

Dixitque Jeroboam uxori suæ : Surge et commuta habitum, induendo plebeia ac vulgaria vestimenta, *ne cognoscaris quod uxor sis Jeroboam,* utpote regina, ne forte Propheta ad quem ibis, abneget tibi dicere veritatem propter me, quia ejus informationi et præceptis Dei mihi per eum datis, non acquievi, vel ne propter regium fastum vereatur tibi dicere quod verum est; *et vade in Silo, ubi est Ahias propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc. Tolle quoque in manu tua,* id est in aliquo repositorio seu canistro manu portando, *decem panes et crustulam,* id est panem parvum ac tenuem
Exod. XXIX, 2, 23; Lev. II; VI, 15, 21. sic vocatum, quia totaliter quasi crusta est, de quo sæpe in Exodo et Levitico agitur

A mentio, *et vas mellis :* quæ omnia misit Prophetæ antiquo quasi eleemosynam, et ut ad benevolentiam provocaretur, non autem ut pretium prophetiæ, imo magis ut stipendium vitæ ; vel si impius rex corrupta misit intentione, sanctus tamen Propheta non accepit nisi ut sustentaculum vitæ; *et vade ad illum. Ipse enim* Ahias propheta, qui mihi prædixit quod regnarem, *indicabit tibi quid eventurum sit huic puero.* Credebat ergo Jeroboam, quod Propheta ille de hoc faciliter impetraret revelationem a Domino. III Reg. XI, 31.

B *Fecit, ut dixerat Jeroboam, uxor ejus. Et consurgens, abiit in Silo, et venit in domum Ahiæ. At ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute. Dixit autem Dominus ad Ahiam : Ecce uxor Jeroboam ingreditur, ut consulat te super filio suo, quia ægrotat. Hæc et hæc loqueris ei. Quum ergo illa intraret, et dissimularet se esse quæ erat, audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium :* cui Deus jam revelavit quæ esset,
C cur venisset, et quid puero eveniret; *et ait : Ingredere, uxor Jeroboam. Quare aliam te esse simulas?* quasi dicat : Frustra hoc agis, quia divina revelatione panduntur occulta ; et si humanam, non tamen propheticam ac divinam, potes effugere notionem. *Ego autem missus sum ad te durus nuntius,* id est adversa et aspera nuntians. Sed quum mulier ista missa fuerit ac venerit ad Prophetam, non ille ad ipsam, quomodo verum est quod ait, Ego missus sum ad te? Et respondendum, quod quæ-
D dam missio est localis, qua femina ista venit missa ad vatem. Alia est missio spiritualis, qua quis dicitur mitti, quia ad agendum aliquid deputatur, dirigitur, or-

Digitized by Google

dinatur. Sic Propheta iste fuit missus, id est directus a Spiritu Sancto ad loquendum feminæ huic verba sequentia. De qua missione in Jeremia habetur, Auditum audivimus a Domino, et legatus ad gentes missus sum; et in Abdia, Legatum ad gentes misit : quia nec Jeremias, neque Abdias corporaliter missus fuit gentilibus. (*Jer.* XLIX, 14.) (*Abd.* I, 1.)

Vade, et dic Jeroboam tuo marito : *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quia exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israel, et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo; sed operatus es male super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares,* id est, pejus quam reges Israel te priores operatus es : ex quo videtur gravius peccasse quam Salomon, qui non coluit deos alienos ex animo, sed ne contristaret suas delicias, neque induxit communitatem generaliter ac directe ad idololatriam, nec cultum veri Dei in templo prohibuit; *me autem projecisti post corpus tuum,* id est, tanquam aliquid vile reliquisti atque a tuo corde abjecisti ; *idcirco ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, et percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem,* id est, quidquid masculini est sexus, cui competit stando ad parietem emanare urinam, *et clausum et novissimum in Israel,* id est etiam incarceratos ac viliores quosque de semine ejus, qui ei communicaverunt in crimine, quum tamen talibus miserabilibus personis soleat parci. Porro, quod per mingentem ad parietem, debeat intelligi masculus, patet ex eo, quod supra libro primo David dixit de Nabal : Non mansisset mingens ad parietem usque ad mane. Quidam per mingentem ad parietem, intelligunt, vel canem qui crure levato super parietem mingit, vel infirmos ac debiles qui mingere nequeunt, nisi se ad parietem apodiando : qui sensus non videtur con- (*I Reg.* XXV, 34.)

A veniens, nec textui consonus. Deus enim principaliter minabatur sanis ac fortibus viris, deinde infirmioribus; et hominibus, non canibus. *Et mundabo reliquias domus Jeroboam,* id est, terram purgabo ab eis, auferendo eos de vita hac : ideo subditur, *sicut mundari solet fumus* usque ad purum,* id est, sicut purgatur domus a fumo, per hoc quod fumus educitur. *Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli; quia*
B *Dominus locutus est.*

* fimus

Tu igitur surge, et vade in domum tuam, et in ipso introitu pedum tuorum in urbem, id est, intrante te domum tuam, *morietur puer,* videlicet filius tuus Abia : qui tamen fuit virilis ætatis aut circiter; *et planget eum omnis Israel, et sepeliet. Iste enim solus inferetur de Jeroboam,* id est, de sobole ejus, *in sepulcrum,* ita quod reverenter sepelietur, *quia inventus est super eo sermo bonus a Domino Deo Israel in domo Jeroboam,* id est, iste solus inter
C filios Jeroboam bonus est, et Deus de ipso bona locutus est ad suum honorem. Fuit equidem virtuosus, atque ut fertur, quum pater ejus prohibuisset populo suo ire et sacrificare in templo Jerusalem, et in viis posuisset aliquos ad observandum, an aliquis illuc iret ut caperent eos, iste Abia pro posse amovit illud impedimentum, et cooperabatur ad hoc, quod libere irent ad templum. Multi quippe ex decem tribubus illuc iverunt, juxta illud secundi Paralipomenon : De cunctis tribubus Israel qui- (*II Par.* XI, 16.)
D cumque dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israel, venerunt Jerusalem ad immolandum victimas Domino Deo patrum suorum.

Constituet autem Dominus sibi regem super Israel, qui percutiat domum Jeroboam in hac die,* id est de proximo vel eadem die circulo redeunte, *et in hoc tempore; et percutiet Dominus Deus Israel,* id est, decem tribus pro suis sceleribus puniet, et de terra ista expellet, *sicut moveri solet arundo in aqua,* ubi vento faciliter

* percutiet

Digitized by Google

Matth. xi, 7; Luc. vii, 24. agitatur, sicut in Evangelio dicitur : Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? *Et evellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans flumen, quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum,* id est, disperget eos in terram Assyriorum, ut infra legitur factum. (IV Reg. xvii, 6.) Sicque per flumen potest intelligi vel Jordanis, vel Mesopotamiæ aut Syriæ fluvium, de quo Josue ait : Trans fluvium habitaverunt patres vestri. (Josue xxiv, 2.) *Et tradet Dominus Deus Israel,* utpote decem tribus, adversariis suis, *propter peccata Jeroboam, qui peccavit et peccare fecit Israel,* id est propter crimina regis sui, in quibus et ipsi imitati sunt eum.

Surrexit itaque uxor Jeroboam, et abiit, et venit in Thersa. Quumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel, juxta sermonem Domini quem locutus est in manu servi sui Ahiæ prophetæ.

Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, et quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel. Dies autem quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt. Et dormivit Jeroboam cum patribus suis, regnavitque Nadab filius ejus pro eo.

Expedita descriptione vitæ ac mortis primi regis decem tribuum, redit Scriptura ad describendum facta regis Juda contemporanei ejus. *Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Juda. Quadraginta et unius anni erat Roboam, quum regnare cœpisset, et decem et septem annos regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus, ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis.* Unde apparet, quod Salomon de prima et principali conjuge sua filia Pharaonis, non habuerit filium masculum : vel si habuit, non mansit superstes usque ad mortem Salomonis; alias successisset ei in regno, si tamen ad hoc aptus fuisset.

Et fecit Judas, id est rex Roboam et populus ejus, *malum coram Domino* omnia intuente : ad cujus irreverentiam, peccatique gravitatem spectat, quod infelix creatura ipso præsente ac inspiciente audet peccare ; *et irritaverunt eum super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt. Ædificaverunt enim et ipsi sibi aras et statuas,* id est altaria et idola, quibus super altaria illa immolaretur, *et lucos,* id est nemora pro idololatriis et luxuriis exercendis, *super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam :* quæ distributio accommoda est, atque intelligenda pro generibus singulorum, non pro singulis generum, sicut et infra sæpe; *sed et effeminati fuerunt in terra* Juda, id est evirati natura, arte aut actu, seu molles ad femineam fragilitatem deducti et enervati, seu ephebi vitiis Sodomiticis dediti, prout secundo Machabæorum narratur (II Mach. iv, 12); et in Isaia, Pueris alienis adhæserunt (Is. ii, 6); *feceruntque omnem abominationem gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel.*

Consequenter tantorum punitio scelerum recitatur : *In quinto autem anno regni Roboam,* qui (ut secundo Paralipomenon legitur) tribus annis cum populo suo ambulavit in via Domini (II Par. xi, 17), *ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem :* quæ tunc fuit tribus muris fortissimis clausa et munita, ideo eam tam cito ac faciliter non potuisset intrare, nisi intromissus fuisset; quum et potentissimus ille Nabuchodonosor, quasi triennio obsederit eam antequam eam potuit obtinere (IV Reg. xxv, 1-4) : quam nec tunc obtinuisset, nisi fames invaluisset in civitate. Itaque, prout Josephus et Magister in historiis tradunt, rex Ægypti præcedentibus pactis fuit intromissus, sed fœdera non servavit : imo templum, palatium, civitatem spoliavit non modice, ut consequenter textus qui planus est, enarrat. *Et tulit thesauros domus Domini, et thesauros regios, et universa diripuit; scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon, pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, et tradidit ea in manum ducum scutariorum, et eorum qui excubabant ante ostium domus regis. Quumque*

ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium, et postea reportabant ad armamentarium scutariorum. A

Reliqua autem sermonum Roboam, et omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda. Fuitque bellum inter Roboam et Jeroboam cunctis diebus. Dormivitque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis; et regnavit Abia filius ejus pro eo. Quæ hic non exponuntur, in secundo libro Paralipomenon patent et exponuntur. Passibus autem planis atque facilibus non est immorandum, nisi forte propter moralitatem aut sententiarum fecunditatem, moralitatisque fructum. B

Spiritualiter, per Jeroboam designantur iniqui prælati ac præsidentes injusti, qui de bonis Ecclesiæ aut inferiorum ditati, et ecclesiasticis dignitatibus sublimati, ingrati sunt Deo, a quo omnis promotio; et negligenter, carnaliter ac scandalose se gerunt, non inducentes populum ad virtutes, sed magis ad vitia. Talium unicuique potest Dominus dicere, *Quia exaltavi te de medio populi*, etc. Tales namque gravissimam damnationem merentur. Postremo, quemadmodum Roboam suis sceleribus meruit subdi regi Ægypti, spoliari ab eo, ac ei servire; sic pastores ac rectores injusti, invisibilibus hostibus aperiunt aditum et pandunt ingressum in Ecclesiam Dei ad perimendum ac spoliandum plebem Christi charismatibus Spiritus Sancti. Sensus spiritualis

ARTICULUS XXIII

EXPLANATIO CAPITULI QUINTIDECIMI : IGITUR IN OCTAVODECIMO ANNO REGNI JEROBOAM.

NUNC de Abia et filio ejus Asa regibus Juda, de Nadab quoque et Baasa regibus Israel, tractat Scriptura. *Igitur in octavodecimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abia super Judam. Tribus annis regnavit in Jerusalem,* non integris, sed duobus et parte tertii anni. *Nomen matris ejus Maacha filia Absalon.* Aliqui dicunt in Hebræo haberi, Filia Abessalom, quem putant alium esse ab Absalon filio David. Magister in historiis ait, quod Maacha fuit filia Thamar filiæ Absalonis. Unde dictum est libro secundo, quod Absalon habuit filiam elegantis formæ nomine Thamar. (II *Reg.* XIV, 27.) *Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum; nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.* Verumtamen sicut Roboam fuit ad tempus bonus, ita Abia, quemadmodum secundo Paralipomenon continetur. (II *Par.* XIII, 10-12, 18.) Præterea quæritur, quomodo Maacha dicatur hic filia Absalon, quum in præalle- C gato Paralipomenon legatur libro, Nomen matris ejus Michaia filia Uriel de Gabaa. (II *Par.* XIII, 2.) Ad quod in expositione illius libri diffuse responsum est. *Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, et staret in Jerusalem, eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi,* id est, demptis criminibus quæ commisit in Uriam et conjugem ejus: quæ (II *Reg.* XI, 4, 15.) D erant ita enormia, quod comparatione illorum alia ejus peccata quasi nulla aut minima reputantur. Nihilo minus, ut patuit supra libro secundo, imo et primo, ipse David in quibusdam etiam aliis non parum peccavit, (I *Reg.* XXV, 22.) sicut in populi dinumeratione, et in ipsum Miphiboseth. (II *Reg.* XXIV, 1, 2; XVI, 4.)

Attamen bellum fuit inter Abiam et Jeroboam: in quo Abia inopinatam obtinuit Deo auxiliante victoriam, ut patet secundo (II *Par.* XIII, 15-19.)

Digitized by Google

Paralipomenon; *omni tempore vitæ ejus,* puta Abiæ; ita quod inimicitia fuit inter eos, et sibi invicem particulariter nocuerunt; tamen sicut in prætacto Paralipomenon libro fertur, post prædictum triumphum
II Par. XIII, 20. nequivit Jeroboam huic Abiæ resistere. *Reliqua autem sermonum Abiæ et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? Fuitque prælium inter Abiam et inter Jeroboam. Et dormivit Abia cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David; regnavitque Asa filius ejus pro eo.*

In anno ergo vicesimo Jeroboam regis Israel, regnavit Asa rex Juda, et quadraginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Jam dictum est, quod Abia qui cœpit regnare anno octavodecimo ipsius Jeroboam, regnavit tribus annis: ergo Asa cœpit regnare anno vicesimo primo Jeroboam. Respondetur ut tactum est, quod Abia non regnavit ex integro tribus annis: ideo tertius ille annus per synecdochen, nunc regno Abiæ, nunc regno filii ejus Asa adscribitur. *Nomen matris ejus Maacha filia Absalon.* Jam dictum est, quod mater Abiæ patris Asa, fuit Maacha filia Absalon: quomodo igitur Maacha illa fuit mater istius Asa? Ad hoc communiter respondetur, quod mater hic pro avia ponitur. Alii opinantur, quod duæ fuerunt eodem nomine nuncupatæ et sorores, quarum una fuerit uxor Roboam patris Abiæ, quæ mater Abiæ vocatur; alia uxor Abiæ, materque Asa.

Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus. Et abstulit effeminatos de terra, id est a populo regni et territorii sui. Qui autem dicantur
III Reg. XIV, 24. effeminati, præcedenti est dictum articulo. *Purgavitque universas sordes idolorum quæ fecerunt patres ejus,* id est, ido-
II Par. XIV, 2, 3, 5; XV, 8. lolatrias seu sordida idola Roboam et Abiæ destruxit, et ab eis plebem suam purgavit, inducendo eam ad pœnitentiam, cultumque Dei. *Insuper et Maacham matrem suam amovit* a suo principatu superstitioso, sacrilego, quo præfuit in idololatriis Priapi. Unde subditur, *ne esset princeps,*

A id est quasi prælata et abbatissa, *in sacris Priapi:* qui vocatur deus hortorum, et erat juvenis, quem propter insolitam magnitudinem membri virilis, mulieres colebant pro Deo; *et in luco ejus quem consecraverat,* id est, ne in nemore illo in quo exercebantur sacrificia Priapi, amplius præsideret Priapi cultricibus. *Subvertitque specum ejus,* id est speluncam, in qua tempore sacrorum illorum exercebantur luxuriæ, *et confregit simulacrum turpissimum* ipsius Priapi, cujus idolum factum erat cum si-
B militudine membri virilis nimium magni et nudi: idcirco vocatur turpissimum. Nam et in sacris Priapi viri ac feminæ incedebant totaliter nudi. *Et combussit in torrente Cedron,* id est juxta vel supra torrentem illum, extra et prope Jerusalem situm: in cujus ripa nascuntur cedri, sicque vocatur torrens Cedron sive Cedrorum. Pulveres quoque combusti simulacri sparsit in aquam illam, ne mater sua aut aliæ feminæ aliquid de reliquiis illius statuæ possent colligere; atque ut in Schola-
C stica fertur historia, Dicunt Hebræi, Asa regem comminuisse idolum illud in pulverem, clamque sparsisse pulverem in torrentem, quod ut palam fieret, ignem processisse ex aqua illa virtute divina, in signum quod placuit Deo.

Excelsa autem non abstulit, id est, loca illa sublimia seu altaria in eis facta non dissipavit, in quibus filii Israel Deo sacrificabant ante templi ædificationem, quod tunc licuit: et etiam postea quando non licuit; non tamen videtur fuisse peccatum
D mortale, Deo super hoc moderante rigorem aut dispensante. Et hoc insinuari videtur ex eo quod subditur: *Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino Deo suo cunctis diebus suis.* Nihilo minus secundo Paralipomenon legitur in quibusdam peccasse, præsertim ponendo Prophetam, a II Par. XVI, 10.
quo erat correptus, in nervo; sed inde pœnituit, et comparatione tantarum suarum virtutum, excessus illi defluxerunt ut fumus. *Et intulit ea quæ sanctificaverat pater suus et voverat, in domum Domini,*

Digitized by Google

argentum et aurum et vasa. Hoc intelligendum videtur sic, quod pater ejus Abia sortitus præfatam victoriam, vovit Deo offerre argentum et aurum vasaque pretiosa, sed paulo post ad idololatriam lapsus, non adimplevit. Asa vero intulit ea in templum, et Domino deputavit ad usum cultus divini. At vero quod dictum est, Excelsa non abstulit, quidam exponunt de fanis, III *Reg.* XI, 7, 8. quæ Salomon fecit idolis suarum uxorum in monte Oliveti, et alibi. Sed præfata expositio verior est, textuique concordior, quia in fanis illis filii Israel non sacrificaverunt Deo, qui frequenter leguntur in excelsis obtulisse. De excelsis quoque fit I *Reg.* IX, 12; II *Reg.* XXIV, 25; III *Reg.* III, 2-4, etc. mentio supra, in primo, secundo, ac tertio libris, pro tempore quod ædificationem fanorum Salomonis præcessit.

Bellum autem erat inter Asa et Baasa regem Israel, de quo infra est mentio, *cunctis diebus eorum,* quibus pariter regnaverunt, hoc est opportunis diebus. Sed obviare videtur illud secundi Paralipomenon : II *Par.* XIV, 1, 5, 6. Regnavit Asa, in cujus diebus quievit terra decem annis ; et regnavit in pace, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente. Sed ad hoc ibidem responsio data est. *Ascendit quoque Baasa rex Israel in Judam,* id est in terram regni Juda, *et ædificavit Rama.* Sicut in libris Josue ac Judicum patet, *Josue* XVIII, 25; *Judic.* XIX, 13. Rama fuit civitas in tribu Benjamin ; et quidam dicunt, quod sumitur hic pro fortalitio magno, quod circa oppidum illud construxit. Interdum quoque Rama est nomen commune, significatque excelsum, *Matth.* II, 18. sicut in Evangelio : Vox in Rama audita est. *Ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda,* hoc est, ut ipsum Asa ac populum ejus arctaret, ac impediret a libero exitu de terra sua ad loca alia opportuna, saltem ex illa parte, et a regressu ad propria : quia in fortalitio voluit ponere bellatores ad infestandum hoc modo regnum Juda.

Tollens itaque Asa omne argentum et aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, et in thesauris domus regiæ, A *dedit illud in manus servorum suorum ; et misit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens : Fœdus est inter me et te,* id est, de cetero sit inter nos amicitiæ pactum ; vel sensus est, quod et ante jam fuit ; *et inter patrem meum et tuum* fuit fœdus, id est confœderatio pacis ; *ideo misi tibi munera, argentum et aurum, et peto ut venias et irritum facias,* hoc est cassum et violatum, *fœdus quod habes cum Baasa rege Israel, et recedat a me.* B Si fœdus initum inter regem illum Syriæ regemque Israel, fuit in se honestum aut licitum, videtur Asa peccasse, petendo ut cassaretur : quia ut ait Augustinus, fidelitas etiam inter infideles est conservanda, et fœdera pacis cum illis inita, sunt tenenda.

Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, et percusserunt Aion, et Dan, et Abeldomum Maacha, et universam Cenneroth, omnem scilicet terram Nephthali. Quod C *quum audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, et reversus est in Thersa. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam,* id est ad totum populum regni sui, etiam ad Benjamin, *dicens : Nemo sit excusatus* venire ad me, nisi quem impossibilitas excusat. *Et tulerunt lapides de Rama, et ligna ejus, quibus ædificaverat Baasa, et exstruxit de eis rex Asa, Gabaa Benjamin, et Maspha,* id est oppidum sic vocatum, ea meliorando aut in eis fortalitia construendo.

D *Reliqua autem omnium sermonum Asa, et universæ fortitudines ejus, et cuncta quæ fecit, et civitates quas exstruxit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda ?* In secundo Paralipomenon multa magnalia de ipso sunt II *Par.* XV, XVI. scripta, et ibi exposita. *Verumtamen in tempore senectutis doluit pedes* vehementissime, et merito, quia in compedes misit Prophetam, a quo fuerat Deo jubente correptus, et ita in præsenti est castigatus. *Et dormivit cum patribus suis, et sepultus est*

Digitized by Google

cum eis in civitate David patris sui. Regnavitque Josaphat filius ejus pro eo.

Consequenter Scriptura revertitur ad reges Israel, qui fuerunt sub tempore Asa. *Nadab vero filius Jeroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Juda,* id est, anno illo secundo cœpit regnare. *Regnavitque super Israel duobus annis. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, et ambulavit in viis patris sui, et in peccatis ejus quibus peccare fecit Israel. Insidiatus est autem ei Baasa, filius Ahiæ de domo Issachar, et percussit eum in Gebbethon quæ est urbs Philistinorum : siquidem Nadab et omnis Israel,* id est multi de singulis decem tribuum, *obsidebant Gebbethon,* id est urbem sic appellatam : quæ, ut in Josue legitur, ad tribum Dan pertinebat, sed Philistæi eam inhabitaverunt, ideo Nadab cum populo suo eam obsedit, ut reduceret eam ad regnum suum. *Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Juda.* Quare non ait Scriptura, quod interfecit eum anno quarto regis Asa, ex quo* Nadab cœpit regnare anno illius secundo? Respondetur, quod Nadab non regnavit per duos integros annos. *Et regnavit pro eo. Quumque regnasset, percussit omnem domum Jeroboam. Non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eum, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu servi sui Ahiæ Silonitæ, propter peccata Jeroboam quæ peccaverat, et quibus peccare fecerat Israel, et propter delictum quo irritaverat Dominum Deum Israel. Reliqua autem sermonum Nadab, et omnia quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Fuitque bellum inter Asa et Baasa regem Israel cunctis diebus eorum.*

Josue XIX, 44.

* eo quod

Anno tertio Asa regis Juda regnavit, id est, circa finem illius anni cœpit regnare, *Baasa filius Ahiæ super omnem Israel,* id est universas decem tribus, *in Thersa,* urbe imperii sui, *viginti quatuor annis. Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in viis Jeroboam, et in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel.* Ita in vita præsenti habuit suam mercedem pro obsequio divinæ justitiæ, exhibito in exstirpatione cognationis et sobolis ipsius Jeroboam regis. Hæc littera difficultatem non habet : idcirco prolixam expositionem non exigit.

Juxta tropologiam, per Asa et ceteros bonos reges Juda, intelliguntur veri Catholici; per impios reges ac populos Israel idololatras, hæretici infideles atque schismatici, qui vel idola vel errorum suorum figmenta colunt pro vero Deo : inter quos sunt assidua prælia.

ARTICULUS XXIV

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : FACTUS EST AUTEM SERMO DOMINI AD JEHU.

AGITUR mentio in isto capitulo de Baasa, ejusque filio Ela, et aliis quibusdam regibus Israel. *Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baasa, dicens.* Secundo Paralipomenon legitur, quod Hanani propheta corripuit Asa regem : propter quod fuit ab eo missus in nervum. Sicque Jehu iste vir sanctus, creditur fuisse filius Hanani illius, succedens patri suo non solum in temporalibus, sed et in divinis charismatibus gratiæ gratum facientis et gratiæ gratis datæ. *Pro eo quod exaltavi te de pulvere,* id est, de parvo statu promovi ad regnum saltem permissive, *et posui te ducem super populum meum Israel; tu autem ambulasti in via,* id est idololatria et pessima conversatione, *Jeroboam, et peccare fecisti populum meum*

II Par. XVI, 7-10.

Digitized by Google

Israel, ut me irritares in peccatis eorum : ecce ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus ejus, et faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat, id est, instar metentium succidam et de vita hac tollam morte violenta posteros tuos. *Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes ; et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli. Reliqua autem sermonum Baasa, et quæcumque fecit, et prælia ejus, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa ; et regnavit Ela filius ejus pro eo.* Josephus scribit eum occisum a Creone suo commilitone. *Quum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ, verbum Domini factum esset contra Baasa et contra domum ejus, et contra omne malum quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam : ob hanc causam occidit eum, hoc est Jehu filium Hanani prophetam.*

Anno vicesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis, id est anno uno et parte alterius anni. *Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux mediæ partis equitum. Erat autem Ela in Thersa, bibens, et temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa. Irruens ergo Zambri percussit et occidit eum, anno vicesimo septimo Asa regis Juda, et regnavit pro eo. Quumque regnasset, et sedisset super solium ejus, percussit omnem domum Baasa, et non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, et propinquos et amicos ejus. Delevitque Zambri omnem domum Baasa, juxta verbum Domini quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jehu prophetæ, propter universa peccata Baasa, et peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, et peccare fecerunt Israel, provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. Reliqua autem sermonum Ela, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel?*

A *Anno vicesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri septem diebus in Thersa. Porro exercitus obsidebat Gebbethon, urbem Philistinorum. Quumque audisset rebellasse Zambri, et occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris. Ascendit ergo Amri, et omnis Israel cum eo, de Gebbethon, et obsidebant Thersa. Videns autem Zambri quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, et succendit se cum domo regia ; et mortuus* B *est in peccatis suis, quæ peccaverat, faciens malum coram Domino, et ambulans in via Jeroboam, et in peccato ejus quo fecit peccare Israel. Reliqua autem sermonum Zambri, et insidiarum ejus, et tyrannidis, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Tunc divisus est populus Israel in duas partes. Media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, ut constitueret eum regem ; et media pars, Amri. Prævaluit autem populus qui erat cum Amri, populo qui* C *sequebatur Thebni filium Gineth ; mortuusque est Thebni, et regnavit Amri.*

Anno tricesimo primo Asa regis Juda, regnavit Amri super Israel duodecim annis. In Thersa regnavit sex annis. Patet ergo quomodo Zambri irruens, occidit Ela anno vicesimo septimo Asa regis. Delevit etiam, id est interfecit, Zambri omnem domum Baasa. Quumque audisset exercitus ipsum Zambri occidisse regem Ela præfatum, fecit sibi regem Amri, qui erat princeps militiæ, et obsidebant Thersa urbem, D in qua fuit Zambri : qui videns se capiendum, incendit palatium et seipsum in illo. Anno quoque tricesimo primo Asa regis, regnavit Amri super Israel duodecim annis. Nam mortuo Zambri divisus est populus Israel in duas partes, quarum una nitebatur Thebni facere regem, alia istum Amri, duravitque ista contentio tribus annis ; sicque succumbente et mortuo ipso Thebni, regnavit Amri pacifice. Regnavit autem duodecim annis a prima sua electione. *Emitque montem Samariæ,* id est par-

Digitized by Google

tem montis, in qua erat civitas nomine Mareon ; emit autem eum *a* viro nomine *Somer duobus talentis argenti ; et ædificavit eam,* id est, in ædificiis reparavit ac melioravit. *Et vocavit nomen civitatis quam exstruxerat, nomine Somer domini montis, Samariam,* id est, nomen urbi imposuit ex nomine viri, a quo partem montis emit : qui vir dictus est Somer, et erat dominus montis illius. Sicque vocavit eam Samareon, a Somer et Mareon, quæ Græce appellatur Samaria ; atque in ea constituit sedem regni, et ex tunc facta est Samaria metropolis regni. Interdum tamen Samaria est nomen illius provinciæ.

Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, et operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum. Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Nabat, et in peccatis ejus, quibus peccare fecerat Israel, ut irritaret Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. Reliqua autem sermonum Amri, et prælia ejus quæ gessit, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel? Dormivitque Amri cum patribus suis, et sepultus est in Samaria; regnavitque Achab filius ejus pro eo.

Achab vero filius Amri, regnavit super Israel anno tricesimo octavo Asa regis Juda. Et regnavit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti duobus annis. Si ut dictum est, Amri pater Achab regnavit duodecim annis, et regnare cœpit anno tricesimo primo regni Asa, ergo Achab regnare incepit post mortem Asa duobus circiter annis, quoniam Asa regnavit annis quadraginta et uno. Ad hoc in Scholastica respondetur historia : Quando Scriptura dicit ipsum Amri tricesimo primo anno Asa regis regnasse, intelligendum est, quod tunc solus et plene super decem tribus, mortuo scilicet Thebni, cœpit regnare. Quando autem dicit eum regnasse duodecim annis, tunc numerat a vicesimo septimo anno Asa, quando Israel elegit ipsum Amri in regem : quod tempus extenditur usque ad tricesimum octavum annum regni Asa, quando Achab cœpit regnare. Denique, huic concordantiæ consonat in sequentibus Scriptura, quæ dicit ipsum Josaphat filium Asa incepisse regnare quarto anno regni Achab. Sed si ista ita se habent, non videtur stare quod Josephus ait, quod regnante Josaphat filio Asa, cœpit regnare Achab; sicque juxta jam tacta Asa fuisset defunctus, quando Achab regnare exorsus est : quod textui huic non consonat. Ideo aliqui dicunt, vitio scriptorum hic esse erratum in numero, prout in fine hujus articuli, de hoc plenius dicam.

Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes reges Israel *qui ante eum fuerunt. Nec suffecit ei, ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat. Insuper duxit uxorem Jezabel, filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit et servivit Baal, et adoravit eum ; et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, et plantavit lucum. Et addidit Achab in opere suo irritans Dominum Deum Israel super omnes reges Israel qui fuerant ante eum.* Et Deus tamen multa beneficia ac triumphos ei impendit, per miracula quoque præclara, et per sanctissimum prophetam Eliam ipsum admonuit ; nec tamen se emendavit.

In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericho, non recordans aut non ponderans maledictionem quam Josue fuerat imprecatus ei qui urbem illam reædificaret. *(Josue VI, 26.) In Abiram primogenito* * *suo fundavit eam :* id est, in pœnam culpæ suæ, qua urbem illam cœpit reædificare, statim obiit filius ejus senior nomine Abiram, quando ædificationem illam incepit; *et in Segub novissimo* filio *suo posuit portas ejus :* id est, urbe constructa, quando portas ejus appendit, obiit junior filius ejus. Dicuntque aliqui, quod in prosecutione ædificationis urbis illius, inter mortem istorum duorum, obierunt successive et alii filii ejus ; et si ignoravit præfatam ipsius Josue imprecationem, non tamen fuit ex illa ignorantia excusatus a culpa, quia scire id debuit. *Juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.* Qui ait : Maledictus *(Ibidem.)*

* *primitivo*

vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. Unde elicitur, quod justo Dei judicio parentes frequenter puniuntur in sobole sua, et propter parentum peccata proles sustinet pœnam: quod qualiter non deroget æquitati divinæ, nec injuriosum sit proli, sed Deo sic moderante, potius prosit animæ ejus, declaratum est sæpe.

Amplius intuendum, quia ut ait in epistola ad Vitalem presbyterum S. Hieronymus, in libro Regum frequenter occurrit tanta quasi dissonantia, difficultas et contrarietas in computatione annorum regum amborum regnorum, ut potius videatur hominis otiosi quam studiosi, circa hoc pro concordantia immorari. Verumtamen quia necesse est sacram Scripturam ab omni errore atque mendacio excusari, sicut revera ab illis prorsus immunis est, ideo expositores catholici, Beda, Rabanus, Petrus Comestor, et alii, laboraverunt pro assignanda concordia, præsertim ad defendendum Scripturam ab incredulorum calumnia.

Itaque ex dictis catholicorum doctorum concordatur: Primo per mysticam numerorum designationem. Magna etenim mysteria in numeris continentur, et quandoque taxat Scriptura annos juxta mysterium, aliquando juxta litteram et rem gestam. Secundo, quia Scriptura interdum non curat, nec computat minutias numerorum ac temporum. Tertio per tropos, quoniam sæpe denominatur pars a toto, et econverso: sicque idem tempus ob unam sui partem adscribitur vitæ seu regno unius, et ob aliam sui partem regno seu vitæ alterius. Quarto, specialiter per synecdochen : per quam dicitur Christus tribus diebus in monumento fuisse. Quinto, quia ut ait Hieronymus, filii quandoque conregnaverunt patribus suis : sicque interdum dicuntur tot aut tot annis regnasse, vel quia soli regnaverunt tam diu, vel quia una cum patribus regnaverunt tot annis, ut specialiter patet de Ozia rege et Joatham filio ejus, sicut et infra patebit. Sexto, quia ut iterum ait Hieronymus, regnum Juda seu Israel quandoque vacavit ad tempus, quemadmodum et judiciaria præsidentia illa temporibus judicum, prout super Judicum fuit expositum : et tempus illius vacantiæ, numeratur interdum in tempore regis sequentis, quandoque non numeratur. Septimo, quia nonnunquam Scriptura solum exprimit tempus et annos, quibus rex bene vixit ac laudabiliter præfuit : juxta quem modum in primo libro legitur, Filius unius anni erat Saul quum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit. Octavo, ex vitio et errore scriptorum. Unde in historiis ait Magister : In libro Regum emergunt contrarietates de collatione annorum regum Juda et regum Israel : quæ determinari quandoque possunt ; ubi vero determinatio non invenitur, vitio scriptorum hoc credimus evenisse, qui in propriis nominibus ac numeris sæpe falluntur. Ex his memoriter retentis poterunt difficultates in sequentibus solvi.

Moraliter, ex præsenti docemur capitulo, quam terribiliter post hanc vitam puniantur principes ac prælati iniqui, præsertim ex modico statu aut stricta competentia ad magna promoti : quorum ingratitudo est grande piaculum, et cum subditis suis, qui eorum negligentia ac pravis exemplis seducuntur ac pereunt, de electorum consortio præscinduntur, et vitam gratiæ perdunt ac gloriæ. Rursus, per Baasa, qui sanctum Prophetam a quo increpabatur, occidit, intelliguntur impatientes, iracundi, superbi, qui increpantibus et castigantibus se indignantur, proterve respondent et obloquuntur. Insuper, constat ex capituli hujus historia, quanta facinora gignat in mundo dominandi libido : ex qua spiritualia ac corporalia nocumenta, homicidia, infestationes, insidiæ, invidiæ, partialitates nascuntur, imo et inquietudines ac timores : quia quod quis intulit alteri, veretur et sibi posse inferri. Idcirco ut in libro Sapientiæ legitur : Semper præsumit sæva,

IV *Reg.* xv, 1, 30.

I *Reg.* xiii, 1.

Sensus spiritualis.

Sap. xvii, 10.

Digitized by Google

perturbata conscientia. In libro Job quoque A
Job xv, 21. fertur : Sonitus terroris semper in auribus
impii ; et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Qui autem de alterius læsione conscius sibi non est, vivit securius.

Innotescit demum ex isto capitulo, quam
Matth. xii, 25; Luc. xi, 17. vere dixit Salvator, Omne regnum in se
ipsum divisum, desolabitur : quia regnum illud duodecim tribuum, non solum in duo divisum, contra se invicem præliabatur, sed et regnum decem tribuum in se ipsum gravius debacchabatur, et reges invicem se
Ps. lviii, 9. truncabant, donec paulatim ad nihilum est B
redactum. Per quod etiam designatur, quod quamvis omnes hæretici ab ecclesiastica unitate dissentiant, tamen inter se multipliciter graviterque discordant. Ideo qui de talibus moritur *in civitate,* id est militante Ecclesia, quæ est gloriosa civitas Dei altissimi, a canibus devoratur, id est, a malignis ferociæ, iræ, furoris spiritibus absorbetur, quia non prodest ei inter Catholicos corporaliter conversari, quibus per fidem et caritatem non jungitur. Si vero *in regione* obierit, id est in latis et spatiosis C
itineribus suæ perfidiæ atque malitiæ, vel inter suæ incredulitatis impietatisve socios, comedunt eum aves, id est aereæ potesta- Luc. viii, 5, 12.
tes, spiritus elationis et immansionis, qui auferunt semen verbi cœlestis de corde.

Postremo, per Jericho quam sanctus vir
Josue primo totaliterque destruxit, et sub Josue vi, 24, 26.
terribili maledictione reædificari prohibuit, designatur hoc sæculum nequam, seu
mundus positus in maligno, vel vanitas I Joann. v, 19.
atque impietas sæculi hujus. Hanc Jericho reædificat, qui post contritionem et confessionem, post fidei et Baptismi susceptionem, post religiosæ vitæ assumptionem, mente aut corpore redit ad pristina vitia, nec implet quod jubet Apostolus :
Nolite, inquiens, conformari huic sæculo, Rom. xii, 2.
sed renovamini spiritu mentis vestræ. Ta- Ephes. iv, 23.
lis in exordio suæ aversionis ac recidivationis, qua incipit mundum in se ipso construere, privatur primogenito, boni totius fructu vero ac spirituali amore, deinde bonorum operum fructificatione multiplici, ac præmio tandem salutis æternæ. Non
itaque diligamus mundum, nec ea quæ in I Joann. ii, 15.
mundo sunt : quia si quis diligit mundum, id est vanitates, voluptates, perversitates hominum, caduca ista inordinate amantium, non est caritas Dei in eo.

ARTICULUS XXV

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : ET DIXIT ELIAS THESBITES.

MIRABILIA quædam Dei, in Elia et per D
Eliam peracta, consequenter narrantur, ex quibus impietas Achab ac filii ejus et subditorum, clarius innotescit. *Et dixit Elias Thesbites,* id est, natus de oppido
Judic. ix, 50, 53. Thebes, in quo Abimelech est occisus, *de habitatoribus Galaad,* hoc est terræ sic dictæ. Galaad autem quandoque est pro-
Num. xxvi, 29, 30; xxvii, 1. prium nomen viri, ut patet in libro Numerorum ; quandoque est nomen civitatis, aliquando terræ ultra Jordanem, in qua Elias forsitan maluit commorari, ut ab idololatris rege ac populo se, quantum congrue poterat, elongaret. *Ad Achab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto,* id est, sum et vivo, atque per gratiam sum erectus, et in virtutum semitis ambulo. Iste fuit tunc modus jurandi. Elias vero tanquam vir excellenter heroicus, pensavit assidue se jugiter in divinæ majestatis præsentia, atque in divini vultus intuitu esse, vivere, conversari : ideo reverenter in cun-

Digitized by Google

ctis se habuit coram Deo. *Si erit,* id est, non erit, *annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba,* id est, nisi tunc et quando prædixero rorem pluviamque venturos; vel nisi quando verba orationis fudero pro impetrandis rore et pluvia.

Hæc totius magnanimitatis ac confidentiæ verba dixit Elias zelo justitiæ, ex plenissima quam habebat ad Deum fiducia, quia amicus Dei erat, et quasi consiliarius et secretarius ejus; vel ex instinctu divino et inspiratione Spiritus Sancti, impellentis sanctum virum ad ista dicenda. Vel Elias primo Dominum exoravit, ut impiissimum regem ac populum pessimum, per subtractionem roris ac pluviæ paternaliter castigaret, ut vel sic vexatione intellectum præstante, converterentur ad verum Deum a cultu idolorum, a quibus infra tantum tempus, nec rorem, nec pluviam impetrare quiverunt. Quumque Dominus revelasset Eliæ se esse desuper exauditum, locutus est verba præhabita regi. Dicunt autem quidam Hebræi, quod Achab videns maledictionem ipsius Josue adimpletam in eo, qui urbem Jericho ædificavit, non autem maledictionem Moysis, qui idololatriam sub eadem, imo sub multum majori maledictione prohibuit, quum tamen Moyses fuerit pater magisterque Josue, dixit Eliæ a quo de sua idololatria arguebatur : Potest accidere ut verbum discipuli, scilicet Josue, impleatur, quum tamen verbum magistri, utpote Moysis, contingat non adimpleri : quod in parvipensionem comminationum Mosaicæ legis dixit. Quo audito, Elias oravit, ut nec ros, nec pluvia ad tempus descenderet; seque exauditum intelligens, locutus est verba præinducta ad Achab.

Is. XXVIII, 19. — *Josue* VI, 26. — *Deut.* XXVII, 15; XXVIII, 15 *et seq.*

Et factum est verbum Domini ad eum, videlicet ad Eliam per angelum, *dicens : Recede hinc,* discedendo ab impio Achab, ne durante defectu roris ac pluviæ, te persequatur. Nam licet bonis hominibus propriæ personæ fugere persecutionem, dum sine scandalo fieri potest, sicut in Evangelio ait Salvator : Quum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. *Et vade contra orientem,* id est versus plagam orientalem, *et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem,* hoc est, juxta torrentem sic dictum absconde te, *et ibi de torrente bibes; corvisque præcepi,* id est, ad hoc eos movebo ministerio angelico, *ut pascant te ibi :* qui victualia tibi apportabunt ibidem. *Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini. Quumque abiisset, sedit in torrente Carith qui est contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane,* hoc est hora prandii, *similiter panem et carnes vesperi,* id est hora cœnæ : et erant carnes allatæ, ad edendum paratæ. Angelus autem corvis attulit illa. *Et bibebat de torrente.* Voluit autem omnipotens Deus omnipotentiam ac providentiam suam monstrare, etiam per irrationales creaturas : ideo non per angelum, sed per corvos fecit illa afferri. Sic et in novo Testamento, corvus attulit quotidie panem beatissimo Paulo primo eremitæ. Hinc quoque perpenditur, quod juxta consuetudinem ac congruentiam loci ac temporis nutriendus sit homo. Nam Eliæ sub Mosaica lege allati sunt panes ac carnes bis quolibet die, quia tunc nondum venerat evangelicæ legis perfectio, de abstinentia a carnibus et quotidiano jejunio. Ideo Paulo anachoretæ non nisi semel in die allatus est panis dumtaxat. Denique, ut super Joannem ait Chrysostomus, quæ Deus supernaturaliter operatur, sunt optima, sicut vinum quod Christus ex aqua fecit in nuptiis. Sic de panibus et carnibus Eliæ supernaturaliter apportatis, dicendum videtur, quod erant valde boni saporis : quemadmodum etiam in primo libro Vitarum Patrum refert Hieronymus de pane quotidie divinitus exhibito cuidam sanctissimo monacho, quod erat candidissimus, optimique saporis : quod et in eodem libro narrat de victualibus supernaturaliter apportatis beatissimo patri Apollonio et monachis ejus.

Matth. X, 23. — *Joann.* II, 3-11.

Post dies autem aliquantos siccatus est torrens. Non enim pluerat super terram. Poterat Deus facillime aquam conserva-

Digitized by Google

re, imo producere in torrente, sed voluit subvenire non solum Eliæ, sed et devotæ viduæ per Eliam, sicut subjungitur.

Factus est ergo sermo Domini super eum, dicens : Surge et vade in Sarepta urbem *Sidoniorum :* quæ parvula urbs inter Tyrum et Sidonem magnas urbes fuerat situata. Silva quoque juxta oppidum sita, vocabatur Sarepta. *Et manebis ibi ; præcepi enim ibi mulieri viduæ,* id est inclinabo mentem illius, daboque ei voluntatem et facultatem, *ut pascat te :* imo tu potius pasces eam, quoniam meritis tuis providebo et illi. *Surrexit et abiit in Sarepta Sidoniorum. Quumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna.* Et tunc Deus revelavit Eliæ, quod de illa femina fuit ei locutus, vel ante ei prædixit, quod illa esset quam inveniret ibidem ; sive (ut quidam dicunt Hebræi) Elias ignorans in particulari, de qua muliere Deus sibi esset locutus, oravit, ut Dominus sibi ostenderet quæ esset mulier illa, per hoc quod mulier illa prompte præberet sibi petenti poculum aquæ, quemadmodum et in Genesi legitur servus Abrahæ exorasse. (Gen. xxiv, 14.) Hinc sequitur : *Et vocavit eam, dixitque ei : Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. Quumque illa pergeret, ut afferret* aquam, *clamavit post tergum ejus.* Tunc certificatus Elias, quod de illa femina Dominus ei dixisset, adjecit, *dicens : Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua.*

Quæ respondit : Vivit Dominus Deus tuus. Consideravit hæc mulier Eliam esse devotum Dei cultorem, ideo Deum universorum vocavit specialiter Deum ipsius. *Quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna,* hoc est pauca ligna, ponendo numerum determinatum pro indeterminato, *ut ingrediar, et faciam illud mihi et filio meo :* id est, ex lignis construam ignem, sicque coquam panem ex farina quam habeo in hydria, quam farinam conspersi oleo, quod habeo in lecytho, hoc est vase

A ad hoc apto : et proprie appellatur lecythus vas amplum de aurichalco ; *ut comedamus* ego et filius meus panem illum, *et moriamur* ex inopia : quia jam fuit ibi caristia, nec putavit vidua hæc se posse acquirere necessaria vitæ, pane illo consumpto.

Ad quam Elias : Noli timere te et filium tuum ex inopia morituros, *sed vade, et fac sicut dixisti,* faciendo ignem, et oleo conspergendo farinam. *Verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum,* hoc est sub cinere co-

B ctum : quem voluit sibi Propheta primo parari atque afferri, non principaliter ex magnitudine famis, sed ut mulier in tanta caristia sibi credendo ac obtemperando mereretur adjuvari a Domino ; *et affer ad me ; tibi autem et filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : Hydria farinæ non deficiet,* hoc est, non evacuabitur hac farina, sed Dominus supernaturaliter multiplicabit farinam in ea. Eodem modo *nec lecythus olei minuetur,* ita quod satis invenietur in eo tempore

C opportuno : tamen in ipsa olei effusione forsan minuebatur, sed mox miraculose oleum multiplicabatur in eo ; *usque in diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.*

Quæ abiit, et fecit juxta verbum Eliæ. Et comedit ipse et illa, id est Elias et vidua, *et domus,* hoc est domestici, *ejus,* præcipue filius : et forsan jam tam gratiose provisa, accepit aliquos pauperes et propinquos in domo sua, ut secum reficerentur. Tale quid frequenter in novo contigit

D Testamento misericordissimis hominibus, qui tempore necessitatis omnia sua liberalissime atque piissime communicaverunt pauperibus : propter quod eorum blada, panes, oleum et consimilia tempore longo non defecerunt, quantumcumque tollebatur ab ipsis. *Et ex illa die hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Eliæ.*

Factum est autem post verba hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, id est

Digitized by Google

viduæ hujus, *et erat languor fortissimus,* A totaliter vincens naturam, *ita ut non remaneret in eo halitus,* id est vis respirandi : quod est signum vicinæ mortis. Potuit autem infirmitas illa ex naturali accidere causa ; potius tamen ex divina providentia, ut per pueri suscitationem Deus omnipotentiam suam inter gentiles ostenderet, ac sui Prophetæ panderet sanctitatem. *Dixit ergo ad Eliam : Quid mihi et tibi, vir Dei?* id est, quid commune est nobis, et quare convenimus, qui tam impares sumus in vita, ita quod ex tua præsentia videtur mi- B hi majus incommodum quam commodum contigisse? Ideo sequitur : *Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum?* Quod interrogative intelligendum est, tanquam dicat : An idcirco venisti ad me, ut respectu et comparatione sanctitatis tuæ, magis appareant et graviores a Deo judicentur culpæ meæ, sicque occasione tui propter mea demerita Deus jussit filium meum mori? Quum enim opposita juxta se posita, magis appareant, quotidiana peccata feminæ C hujus, quamvis devotæ, respectu excellentiæ meritorum quotidianorum Eliæ, plus apparebant. Sic nanus inter pygmæos magnus, respectu viri pulchri est parvus ; et omnis sapientia, perfectio, puritas creaturæ, respectu excellentiæ Dei, nullius momenti est. Juxta hunc sensum intelligendum est, secundum Hebræos, quod Lot
Gen. XIX, 19. dixit ad angelum : Non possum in monte salvari, id est cum Abraham viro in sanctitate sublimi.

Verumtamen huic expositioni a Catholi- D cis et Hebræis inductæ contradicit Rabbi Paulus, et ait : Opinio illa est penitus irrationabilis. Nam licet sanctitas mulieris esset modica respectu sanctitatis Eliæ, sicut justitia Lot respectu justitiæ Abrahæ, ex hoc tamen non debet dici iniquitas esse in muliere, vel Lot non posse salvari in monte, id est juxta Abraham. Nam minus virtuosi juvantur magis quam vitientur ex consortio perfectorum. Nam bonum est sui diffusivum. Deinde scribit contra exemplum quod Lyra inducit de pallido, quod respectu rei multum albæ, videtur ad nigredinem declinare, et ait : Quamvis judicium sensitivum secundum comparationes et respectus decipiatur, non tamen judicium rationis : ut patet de sole, qui secundum sensum judicatur fere bipedalis ; tamen ratio judicat eum multo majorem tota terra. Quanto igitur incomparabiliter æstimandum est de divino judicio, quod non judicat aliquem esse injustum ob hoc quod non æqualis est alteri? Reddit enim uni- Ps. LXI, 13;
cuique juxta opera sua. Unde talis respe- Apoc. XXII, 12.
ctus nihil hic operatur. Ideo ad intelligentiam textus sciendum, quod mulier hæc devota reputabat se peccatricem, et Eliam maximum justitiæ zelatorem : ideo præsumebat, et quod adventus Eliæ in domum suam procuraverat mortem filii sui ex iniquitate sua, scilicet matris, et quod Elias recordaretur iniquitatem illam coram Deo ad finem istum, ut per mortem sui filii temporalem mulier illa converteretur ad Deum, sicut frequenter homines per pœnas temporales castigati emendant se. Hæc Rabbi Paulus.

Circa quæ dico, quod justitia minus justi dicitur injustitia respectu multo majoris justitiæ, non simpliciter, sed respective et propter mala annexa ; nec in hoc errat ratio sic dictando, imo hoc modo dixit Salvator, Nemo bonus nisi solus Deus : et sic Luc. XVIII, 19.
solus dicitur esse, juxta illud, Nonne tu Job XIV, 4.
qui solus es? Sic quoque ait Apostolus : Soli sapienti Deo. Imo sic loquitur Isaias : Rom. XVI, 27.
Quasi pannus menstruatæ universæ justi- Is. LXIV, 6.
tiæ nostræ. Juxta hunc sensum multa scribuntur in libro Job, utpote : Ecce luna non Job XXV, 5; XV, 15.
splendet, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Et : Non justificabitur homo Ibid. IX, 2.
compositus Deo. Sic boni et humiles viri comparatione sanctorum patrum, præsertim Apostolorum, se reputant prorsus defectuosos, immundos, culpabiles. Insuper, quamvis minus boni juventur meritis meliorum, hi tamen qui cum perfectis hominibus conversantur, culpabiliores redduntur, dum eorum vestigia tantum ut opus est non se-

Digitized by Google

quuntur : sicque cum sancto viro se male habere, est valde damnabile. Ideo mulier illa reputans se minus debite exemplis Eliæ proficere, dixit verba præhabita juxta sensum inductum.

Et ait ad eam Elias : Da mihi filium tuum, id est corpus ejus exanime, intelligendo partem per totum. *Tulitque eum de sinu ejus et portavit,* scilicet corpus illud, *in cœnaculum ubi ipse manebat,* videlicet in camera separata, in qua solus soli Deo cum inæstimabili devotione vacabat, et ut ibi solus Deum devotius atque liberius exoraret, *et posuit super lectulum suum. Et clamavit ad Dominum,* corde magis quam ore, quia affectuosissime postulavit, *et dixit : Domine Deus meus.* Hoc est verbum ardentissimi amatoris, qui Deum omnium, specialiter nominat Deum suum, primo ob specialissimam Dei pietatem et gratiam circa se, secundo ob singularissimum affectum et cultum sui ad eum. *Etiamne,* id est anne, *viduam, apud quam ego utcumque sustentor,* id est, aliqualiter repauso et nutrior in terra hac aliena, *afflixisti* in tantum, *ut interficeres* morte naturali *filium ejus?* Ecce ista sunt verba familiarissimi amici Dei altissimi, loquentis ad Deum ex summa fiducia, quasi per modum admirantis, et quodammodo veluti increpantis, quod ita tractaverit viduam bonam, cum servo et Propheta Dei tam misericorditer omni die agentem. Sic in novo Testamento, Paulus Simplex, vir sanctissimus, dum quemdam infirmum non posset tam cito curare ut affectavit, dixit ad Dominum : Vere non comedam hodie, nisi sanaveris eum. Et protinus, quasi delectato Domino in simplicitate atque fiducia ferventissimi famuli et amici, curatus est æger ille.

Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, ut virtute et contactu sancti corporis sui, corpus illud exanime disponeretur ad revivificationem, atque ut coram Deo ostenderet, quantum defuncti resuscitationem optavit, et quantum puerum illum dilexit, et propter rationem mysticam, quæ tangetur. Expandit

A quoque se ter, ad insinuandum superbeatissimæ Trinitatis mysterium, cujus virtute et fide postulavit obtinere supernaturalem illum effectum ; et quoniam universorum entium operumque perfectio, in quadam trinitate consistit, prout primo Sententiarum habetur. *Et clamavit ad Dominum, et ait : Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus,* ita ut denuo corpus informet. *Et exaudivit Dominus vocem Eliæ* in hac secunda exclamatione, quæ videtur fuisse humilis ma-
B gis quam prima : ideo in secunda ista oratione est exauditus. Quoniam suscitatio mortui, tam supernaturale et magnum miraculum est, ut omnipotenti Deo sit proprium ; idcirco magis impetratur humili oratione, quam adjuratione aut quasi increpatorio quodam sermone. Et quamvis Elias fuerit vir eximiæ sanctitatis, pensandum tamen, quam facilius et quasi imperiosius, non solum Christus, sed et gloriosi Apostoli et alii quidam viri sanctissimi in evangelica lege suscitaverunt mortuos, quam
C Elias. Siquidem adolescentem juxta portam Naim Christus suscitavit, dicendo : Adolescens, tibi dico, surge. Similiter duodennem puellam. Sic et dignissimus apostolici ordinis princeps brevi oratione præmissa, suscitavit Tabitham, dicens : Tabitha, surge. Joannes quoque evangelista Drusianam, dicendo : Drusiana, surge, et præpara mihi. Qui etiam superpositione et contactu tunicæ suæ, duos suscitavit simul defunctos.

Luc. VII, 12-15. *Matth.* IX, 23-25. *Act.* IX, 40.

Præterea quæritur, qualiter Elias vir perfectæ staturæ virilis, potuit se non solum
D expandere, sed et metiri seu mensurare super puerum illum. Circa hoc aliqui dicunt, quod miraculose divina virtute contraxit se ad mensuram et adæquationem puerilis corpusculi : quod etiam dicunt de Eliseo, de quo infra libro quarto habetur, quod ascendit et incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus, in signum et typum Christi, qui in Sacramento sub modica panis specie continetur. Potest etiam dici, quod

IV *Reg.* IV, 34.

Digitized by Google

Elias mensus est super puerum, coaptando se ejus corpusculo, non per adæquationem, sed convenientem extensionem atque possibilem applicationem.

Et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. Tulitque Elias puerum, et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ. Et ait illi : En vivit filius tuus. Dixitque mulier ad Eliam : Nunc in isto tam supernaturali effectu *cognovi* certius quam noveram ante, *quoniam vir Dei,* id est Deo veraciter excellenterque placens, *es tu.* Quamvis enim miracula quandoque fiant per malos ac reprobos, sicut in Evangelio ait Salva-
Matth. VII, 22. tor, Multi dicent mihi in die illa, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ? raro tamen, imo rarissime fiunt per illos, præsertim miracula tam præclara, ut est suscitatio mortui, quæ per nullum iniquum legitur facta. *Et verbum Domini in ore tuo verum est,* id est, vere ex parte Dei loqueris, et verus Dei propheta es, ac vera sunt vaticinia tua. Refert Hieronymus, quod puerum istum ab Elia suscitatum, dicunt Hebræi Jonam esse prophetam, de
IV *Reg.* XIV, 25. quo infra libro quarto : qui vocatus est filius Amathi, id est filius veritatis, ut super Jonam exponit Hieronymus, quia dum Elias suscitavit eum, mater ejus locuta est : Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est. Hæc est vidua, de qua apud Lucam
Luc. IV, 25, 26. Veritas protestatur : Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ.

Sensus mysticus. Mystice, per Eliam exprimitur Christus summus zelator justitiæ, qui dum princi- A pes Judæorum de eorum superstitionibus atque criminibus acriter increpasset, absconditus est *in torrente Carith,* id est in abundantia et fluctibus suæ acerbissimæ passionis, in qua abscondita fuit fortitudo *Habac.* III, 4.
et omnipotentia ejus, juxta illud Isaiæ : Quasi absconditus vultus ejus, et despe- *Is.* LIII, 3.
ctus, unde nec reputavimus eum. Et ibi corvi ejus eum pascebant, quia in sua passione de suæ passionis copiosissimo fructu, hoc est gentilium vitiis denigratorum conversione, mens ejus delectata est et re- B fecta. Et sicut corvi attulerunt Eliæ carnes et panes, sic conversi gentiles Christo obtulerunt corpora sua et opes. Cessante autem et exstincta Christi passione, missus est ipse per Apostolorum prædicationem ad viduam *in Sarepta,* id est ad gentilitatem ubique terrarum : quæ duo ligna collegit, dum crucis mysterium didicit, ex cujus consideratione in se ignem amoris accendit, quo sibi et filiis suis spiritualia fercula præparavit : cujus farina et oleo, id est puritate et unctione superna, ac subcinericio C pane, id est humili propriæ fragilitatis recognitione, delectatus est Dominus. Porro, per defunctum viduæ filium, accipitur genus humanum peccatis sopitum et morte culpæ infectum : super quod Filius Dei piissima condescensione in sua incarnatione incubuit, et ejus naturam assumpsit, ac pro ejus salute in crucis patibulo mensus est et extentus, atque pro spirituali ipsius revivificatione deprecatus est Patrem : quem Pater pro sua reverentia exaudivit. Ter quo- *Hebr.* V, 7.
que incubuit, quia ter Patrem oravit, at- *Matth.* XXVI, 39, 42, 44.
D que in sua incarnatione, prædicatione et passione, humano se generi misericordissime coaptavit.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : POST DIES MULTOS VERBUM DOMINI FACTUM EST AD ELIAM.

RECITANTUR hic duo mirabilia Dei per Eliam peracta, pro emendatione impii Achab ac populi ejus idololatræ. Primum est, consummatio holocausti Eliæ facta per ignem. Secundum est, collatio pluviæ. *Post dies multos verbum Domini factum est ad Eliam* per angelum, *in anno tertio,* id est circa finem tertii anni a tempore suæ egressionis ac fugæ de terra Israel : quamvis etenim fames seu caristia [*Jacob.* v, 17; *Luc.* iv, 25.] illa duravit annis tribus et mensibus sex, ut dicit S. Jacobus, illa tamen caristia cœpit atque duravit per medium annum aut circiter antequam de terra Israel exiit, præ- [III *Reg.* xvii, 7.] sertim quia multis diebus mansit prope torrentem Carith situm in terra illa, antequam ivit Sarepta; *dicens : Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab. Erat autem fames vehemens in Samaria,* non solum in urbe metropoli sic vocata, sed et in tota illa provincia, ex terræ arefactione.

Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum Deum valde, filiali et sancto timore : ideo dignus fuit invenire Eliam, et ab eo accipere opem. *Nam quum interficeret Jezabel prophetas Domini,* cupiens cultum veri Dei totaliter exstirpare, idololatriamque augere; *tulit ille centum prophetas,* id est, ad se vocavit occulte totidem viros : qui vocantur prophetæ, vel quia prophetiæ gratia coruscabant, vel quia discipuli erant Prophetarum majorum, intenti divino obsequio, psalmis atque eloquiis Prophetarum sanctorum ; *et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis,* id est in duabus speluncis, in

A qualibet quinquaginta, *et pavit eos pane et aqua,* id est cibo quocumque ac potu, quæ in Scripturis per panem designantur et aquam. *Dixit ergo Achab ad Abdiam : Vade in terram* regni mei, *ad universos fontes aquarum,* in quibus dudum fuerat aqua, quamvis modo sint exsiccati : ad universos, inquam, fontes in parte terræ tibi assignanda locatos, *et in cunctas valles,* juxta eumdem sensum, *si forte invenire possimus herbam,* id est fœnum seu gramina, quæ in locis prope aquas magis solent

B abundare, *et salvare possimus equos et mulos, et non penitus jumenta intereant* fame, quibus et aqua permodica est. Itaque deficiente imbre, defecerunt et gramina terræ, quibus equi et muli, oves, vaccæ et boves aluntur. *Diviseruntque sibi regiones,* id est terras et sortes decem tribuum, in quibus tempore Josue et antea plures reges commorabantur, *ut circumirent eas. Achab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum.*

Quumque esset Abdias in via. Cum Achab

C et cum Abdia aliqui servi currebant, qui hinc inde discurrendo, quærebant pascua juxta regis præceptum. *Occurrit ei Elias. Qui* Abdias *quum cognovisset eum, cecidit super faciem suam,* id est, in terram prostravit se ex humilitate ante faciem Eliæ, quem ob suam sanctitatem atque multiplicem excellentiam in donis Dei venerabatur, imo et Deum in famulo suo, *et ait : Num tu es, domine mi, Elias? Cui ille respondit : Ego. Et dixit : Vade, dic domino tuo, Adest Elias. Et ille, Quid peccavi, in-*

D *quit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me?* id est, ob quam culpam meam injungis mihi istam

Digitized by Google

legationem, mea æstimatione mihi periculosam, ut dicam domino meo Achab te adesse? Ex qua denuntiatione sequetur occisio mea, si subito ad alium locum fueris deportatus per angelum, ut aliquando accidit circa te; sicque te non invento, occidet me, putans me sibi esse mentitum, vel quia non præsentavi te ei etiam vel invitum et captum, quoniam undique te fecit inquiri ad capiendum. *Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, in quo non miserit dominus meus te requirens. Et respondentibus cunctis, Non est hic, adjuravit singula regna et gentes, eo quod minime repereris,* ut unumquodque eorum quod perceperit ubi sis, significet ei. Præterea mirum, quod nemo perceperat ubi esset, quum fuerit in terra Sidoniorum non remote a regno Israel, et per suscitationem mortui forsan fuit ibi famatus. Sed non est consilium contra Dominum. (Prov. xxi, 30.) *Et nunc tu dicis mihi, Vade, et dic domino tuo, Adest Elias? Quumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro; et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me. Servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. Numquid non indicatum est tibi domino meo quid fecerim, quum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua? Et nunc tu dicis, Vade, et dic domino tuo, Adest Elias, ut interficiat me? Et dixit Elias : Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei.*

Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei. Venitque Achab in occursum Eliæ. Et quum vidisset eum, ait : Tune es ille qui conturbas Israel, id est, totum regnum decem tribuum inquietas? quasi dicat : Quum sis hostis boni communis, qui sterilitatem procurasti, dignus es morte. *Et ille ait : Non ego turbavi Israel* turbatione injusta, vel aliquam eis irrogando injuriam, quamvis procuraverim eis justam punitionem; *sed tu et domus patris tui,* id est tu et consanguinei sive domestici tui, qui per idololatriam meruistis pœnas istas, *qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel,* id est majores principalioresque ex tribubus decem, et alios quosdam cum illis, *in monte Carmeli,* exsistentis in funiculo Issachar. (Cf. Josue xix, 26.) Sicque mons iste Carmeli alius fuit ab eo, juxta quem commoratus est Nabal, et fuit in tribu Juda. (I Reg. xxv, 2; Josue xv, 55.) Hic autem Carmelus, in quo immolavit Elias, est in confinio Palæstinæ atque Phœnices. *Et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum,* id est idolorum, vel potius dæmonum, qui in nemoribus colebantur, *quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel.*

Misit Achab ad omnes filios Israel, et congregavit prophetas in monte Carmeli. Accedens autem Elias ad omnem populum Israel, ait : Usquequo claudicatis in duas partes? id est, ad utramque partem erratis, nec in via Dei recte inceditis, et estis ab invicem differentes, dum aliqui vestrum nunc Deo, nunc idolis immolant, et quidam idolis tantum, aliqui Deo solum : sicque pro maxima parte a regia via virtutum receditis, et ad utrumque vitiosum declinatis extremum : juxta illud Psalmi, Filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis. (Ps. xvii, 46.) *Si Dominus est Deus,* id est, si is qui in lege et Prophetis communiter vocatur Deus, est verus et æternus et incommutabilis Deus, *sequimini eum,* id est, adhæreatis ei, et accedatis ad eum per fidem et debitum cultum; *si autem Baal* est verus Deus, cui soli debetur adoratio et sacrificatio, *sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum,* quia erant pusilli, nutantes, et ambigentes cui potius assentirent, impio regi et prophetis ejus superstitiosis, an sancto prophetæ Eliæ.

Et ait rursus Elias ad populum : Ego remansi propheta Domini solus. Jam Elias audierat ab Abdia, quod centum abscondisset prophetas, quomodo ergo mansit so-

Digitized by Google

lus propheta Dei? Et respondendum, quod dixit se solum superstitem de prophetis in manifesto audentibus apparere. *Prophetæ autem Baal quadringenti et quinquaginta, prophetæque lucorum quadringenti viri sunt. Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant. Et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Dei mei; et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus :* hoc est, boum horum unus offeratur a me, et alter a prophetis Baal, et ille habeatur et colatur pro vero Deo, qui fecerit ignem descendere de cœlo, et holocaustum sibi oblatum consumpserit igne illo. *Respondens omnis populus, ait: Optima propositio quam locutus est Elias:* quia in sacrificiis Abel, Manue, Gedeon, Aaron, David et Salomonis descendit ignis virtute divina consumens illorum holocausta.

Gen. IV, 4; *Judic.* XIII, 20: VI, 21; *Lev.* IX, 24; I *Par.* XXI, 26: II *Par.* VII, 1.

Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis; et invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis. Qui quum tulissent bovem quem dederat eis, id est, quem Elias assignaverat eis. Dicunt tamen quidam Hebræi, quod dum prophetæ sacerdotesque Baal elegissent bovem unum, bos ille statim declinavit ab eis nutu divino, quasi sacrificari falsis diis abhorrens, et ad Eliam confugit, ut per hoc quoque populus instrueretur, tuncque Elias tradidit illis bovem. *Et fecerunt,* id est, bovem illum ad Baal honorem mactaverunt, frustatim consciderunt, obtulerunt, et super ligna posuerunt; *et invocabant nomen Baal de mane usque meridiem :* quia ut fertur, prima medietas diei illius fuit illis deputata ad offerendum, reliqua autem Eliæ; *dicentes : Baal, audi nos. Et non erat vox, nec qui responderet,* quoniam Deus non permisit dæmonem respondere per idolum. *Quumque esset meridies, illudebat illis Elias, dicens : Cla-*

A *mate voce majore. Deus enim vester est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. Clamabant ergo voce magna, et incidebant se juxta ritum suum,* id est observantiam cærimonialem idololatriæ suæ, *cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine :* ut per hoc deum suum ad exauditionem et misericordiam flecterent, certi quod dii in sanguinis, præsertim humani, effusione in sacrificiis facta, complacentiam habeant magnam.

B *Postquam autem transiit meridies, et illis,* videlicet prophetis Baal, *prophetantibus* de corde suo et instinctu diaboli, quod Baal jam offensus ab eis, postea placaretur et exaudiret, aut simile aliquid per modum prophetalem loquentibus, *venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis* deorum *respondebat, nec attendebat orantes* prophetas Baal; *dixit Elias omni populo : Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit,* id est reparavit, *altare Domini quod de-*
C *structum fuerat* ab idololatris, quod ab aliquo Israelitarum fuerat ibi constructum. *Et tulit duodecim lapides juxta numerum* duodecim *tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens : Israel erit nomen tuum. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini. Fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris,* id est parvas arationes seu sulcos : fecit enim parvum fossatum per gyrum altaris; *et composuit ligna, divisitque per membra bovem, et posuit su-*
D *per ligna, et ait : Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum,* id est super carnes bovis divisas, Deo in holocaustum offerendas, *et super ligna,* quibus superpositæ sunt illæ carnes. *Rursumque dixit : Etiam secundo hoc facite. Qui quum fecissent secundo, ait : Etiam tertio id ipsum facite. Feceruntque tertio :* duodecim hydrias aquæ fundendo super carnes illas et ligna; *et currebant aquæ circum altare, et fossa aquæductus repleta est,* quia hydriæ erant magnæ, parvaque fossa.

Gen. XXXV, 10.

Digitized by Google

Quumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait: Domine, Deus Abraham, Isaac et Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me, Domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti corda eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini de cœlo aereo, angelico ministerio ibi productus et ad cadendum deorsum motus, quum Elias fudisset orationem in littera positam, *et voravit holocaustum et ligna et lapides, pulverem quoque, et aquam quæ erat in aquæductu lambens:* quam ideo Elias ibi infudit, ut ex consumptione majus esset miraculum. *Quod quum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait : Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus,* cujus virtute refrenata jam fuit operatio Baal seu dæmonis : cujus tamen potestate posset ignis formari in aere atque descendere, Deo hoc permittente : sicut in Apocalypsi fertur de *Apoc.* xiii, 13. bestia, scilicet Antichristo, quod fecit, id est faciet, signa magna, ita ut ignem faceret de cœlo descendere. Nam et hoc modo *Job* i, 16. ignis descendit, qui oves et pueros Job consumpsit.

Dixitque Elias ad eos : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos quum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, de quo *Judic.* v, 21. et in libro Judicum legitur, Torrens Cison traxit cadavera eorum : ut et istorum cadavera in illum projicerentur torrentem. De *Ps.* lxxxii, 10. quo et in Psalmo fit mentio. *Et interfecit eos ibi,* id est, occidit eos ibi manibus populi, vel et propria manu quosdam, quem- *I Reg.* xv, 33. admodum Samuel regem Amalec. Hoc fecit zelo Dei, et ne amplius seducerent populum, et quia fecerunt per imperium Jezabel prophetas Dei occidi. Achab quoque ita fuit attonitus ex miraculo quod conspexit, quod non audebat resistere, quia speravit per Eliam pluviam impetrare.

Et ait Elias ad Achab : Ascende, comede et bibe, quia sonus multæ pluviæ est, A id est, cito tantus imber descendet, quod ruendo grandem faciet sonum. *Ascendit Achab ut comederet et biberet. Elias autem ascendit in verticem Carmeli :* qui locus jam fuit sanctificatus ex constructione altaris, oblatione holocausti et præfato miraculo ; *et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua,* ut sic vultu depresso clausisque oculis, devotius exoraret ; *et dixit ad puerum,* id est ministrum *suum : Ascende et prospice contra mare,* id est, versus mare (forsan Mediterraneum) dirige B oculos tuos ad videndum an de mari ascendat, vel de aere descendat aliqua nubes. Materia quippe nubium, puta vapores solent elevari a mari, et mare solet nubibus operiri, juxta illud in Job : Quis *Job* xxxviii, 8, 9. conclusit ostiis mare, quum ponerem nubem vestimentum ejus? *Qui quum ascendisset et contemplatus esset, ait : Non est quidquam,* id est, nihil de nube apparet. Voluit autem Elias scire an oratio qua pluviam deprecabatur, esset audita ; et quamvis jam ex divina revelatione noverat, et C prædixit pluviam mox futuram, tamen sciebat quod Deus quandoque vult talia devotorum orationibus impetrari : quemadmodum Christus oravit pro sui corporis *Joann.* xvii. glorificatione, et pro Apostolorum confortatione atque illustratione, et Spiritus Sancti missione, quamvis prædixit et novit certissime omnia illa esse futura. *Et rursum ait illi : Revertere* ad videndum, an nubes appareat : nam aer serenissimus erat. Revertere, inquam, *septem vicibus :* ita ut post quamlibet vicem nunties mihi D quid videris, et ego iterum septies orando, nisi citius fuero exauditus, impetrem veniam populo pro universitate vitiorum eorum (quæ universitas septenario designatur), ita ut pluvia eis diutius non negetur.

In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis, id est excrescens ad hominis quantitatem, *ascendebat de mari,* quæ paulo post crevit in nubem grandem. *Qui ait* ministro suo : *Ascende et dic Achab : Junge currum*

Digitized by Google

tuum, id est, jube eum parari, et applica eum tibi, ut in eo cito veharis in urbem Jezrael nomine, *et descende ne occupet te pluvia. Quumque se verterent huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab, abiit in Jezrael. Et manus Domini facta est super Eliam*, id est, divina virtus confortavit eum, et spiritus divini fervoris eum accendit, *accinctisque lumbis, currebat ante Achab*, utpote currum ejus præcedens, *donec veniret in Jezrael*. Tantum gloriabatur in Domino de idololatrarum dejectione, idololatriæ reprobatione, et divini cultus promotione, impetrationeque pluviæ; et eos qui erant in Jezrael, informare optavit.

Circa præhabita quæritur, anne Elias peccavit, monendo cultores Baal ad sacrificandum ei, atque ad invocandum eum. Respondetur, quod non hortabatur eos ad cultum idolorum directe, ut scilicet facerent illa ad idolorum honorem, sed ut facerent illa, quatenus per ea ostenderetur eorum perfidia, et veri Dei omnipotentia, sed permissive, non inductive, secundum
Joann. XIII, 27. quod Christus dixit ad proditorem : Quod facis, fac citius.

At vero circa illud, Usquequo claudicatis in duas partes? asserit Lyra : Aliqui eorum colebant Deum, et cum hoc Baal, sicut de Samaritanis dicitur infra. Sed contra hoc scribit Rabbi Paulus : Samaritani non colebant Deum, sed deos suos; nec infra dicitur de eis, nisi quod timebant Deum. Aliud enim est timere Deum, et aliud colere eum : quoniam timor servilis potest esse sine caritate, non tamen cultus Dei, qui in fide, spe et caritate consistit, secundum Augustinum. Hæc Rabbi Paulus, cujus verba sunt inconsiderate prolata, quoniam infra libro quarto scriptum
IV *Reg.* XVII, 29, 32. est : Unaquæque gens fabricata est deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis quæ fecerant Samaritæ; et nihilo minus
A colebant Dominum. Et paulo post subditur ibi : Et cum Dominum colerent, diis IV *Reg.* XVII, 33.
quoque suis serviebant. Nec verum est, quod cultus Dei non posset esse sine caritate, quum Christus in Evangelio ex Isaia allegat : In vanum autem colunt me. De *Is.* XXIX, 13; *Matth.* XV, 9; *Marc.* VII, 7.
Sarracenis quoque asseritur, quod colunt unum Deum, quorum cultus est sine caritate : et quamvis cultus Dei formatus et meritorius atque interior principaliter consistat in fide, spe et caritate, consequenter tamen in aliorum quoque observantiis
B præceptorum cultus Dei consistit, imo et aliquo modo in actibus bonis ex genere. Unde et sancto Eustachio adhuc gentili, sed actibus misericordiæ valde intento, locutus est Christus : Ego sum quem ignorans colis. Postremo, quamvis non sit convertibiliter idem, Deum colere et Deum timere, quoniam habent se sicut genus et species, tamen Deum timere, est colere eum, præsertim quia in libro Job, ubi nostra habet translatio, Ecce timor Domini, ipsa *Job* XXVIII, 28.
est sapientia ; habet translatio vetus, Ecce
C pietas seu cultus Dei, ipsa est sapientia.

Iterum Lyra ait in hujus expositione capituli, quod prophetæ Baal acceptaverunt propositionem Eliæ, dicentis, Dentur nobis duo boves, etc., quia compulsi fuerunt ad hoc a populo approbante verba Eliæ. Quocirca loquitur Paulus iste : Potest dici, quod prophetæ Baal, tanquam penitus infideles, sicut non confidebant de suis dæmonibus, quod facerent ignem descendere, ita nec credebant quod Elias hoc faceret. Ad quod dico, quod dictum
D hoc Pauli non consonat textui. Nisi enim prophetæ Baal credidissent, ipsum Baal posse ignem desursum deponere, non incidissent se cultris atque lanceolis donec sanguine perfunderentur, ut vel sic exaudirentur a Baal. Hi quoque qui colunt falsos deos, æstimant eos posse conferre subsidia et salutem, sicut in libro Sapientiæ et Isaia manifeste habetur. *Sap.* XIII, 18, 19; *Is.* XLIV, 17.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVII

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI OCTAVIDECIMI SENSU.

EX hujus exordio capituli edocemur, quam infinita sit misericordia Dei, qui hominibus est clementior : propter quod David, Melius est (inquit) mihi incidere in manus Dei (multæ enim miserationes ejus), quam in manus hominum. (II Reg. XXIV, 14.) Ecce enim Elias, qui orando impetravit a Domino pluviæ subtractionem, (III Reg. XVII, 1.) non legitur Dominum primo orasse, ut miseratus redderet pluviam; sed quantum ex tenore ac serie litteræ datur intelligi, Dominus in pietate sua immensa prævenit suum Prophetam in zelo justitiæ abundantem ; et non obstante continuatione scelerum populi, miseratus Dominus super magnitudinem mali pœnalis, jussit Prophetæ ut se monstraret regi, ob cujus facinora ex parte magna inflicta erant tot et tanta adversa, denuntiaretque ei pluviam mox futuram, quatenus ipse ac populus ejus sic reverterentur ad Dominum, contra cujus imperium dii quos coluerunt nil potuerunt. *Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.* Poterat Dominus pluere, Elia non misso ad regem, sed voluit Dominus honorare Prophetam zelo divini honoris succensum, juxta quod dixit primo libro : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. (I Reg. II, 30.)

Moraliter, per Achab designantur negligentes, carnales, vitiosi prælati ac principes, propter quorum negligentias et excessus in subditos redundantes, aufertur ros gratiæ supernæ, et pluvia fecundationis internæ, tam ipsis quam eorum subjectis superiorum suorum pravitates sequentibus : quos volens Dominus in sua pietate immensa misericorditer prævenire, jubet Eliæ, id est devotis ac fervidis prædicatoribus, ut talibus principibus ac prælatis se repræsentent, eorum vitia increpando, A eosque exhortando et inducendo ad vitæ emendationem in omnibus, quatenus detur eis et ipsorum communitatibus irrigatio supernorum charismatum, fecunditas actuum virtuosorum. Achab vero quærens herbam in fontibus et vallibus, designat prælatos et principes pravos, non in Domino confidentes, sed ad humana solatia recurrentes. Denique, quamvis Salomon dicat, Rex impius omnes ministros habet iniquos, (Prov. XXIX, 12.) aliquando tamen contingit, quod in domibus prælatorum et principum B pessimorum sint aliqui justi : quod Deo dispensante sic accidit, in consolationem, opem ac relevamen bonorum ac pauperum, ne nimium ab impiis opprimantur. Sicque Abdias exsistens cum impiissimo Achab, abscondit et pavit Dei prophetas.

Ait Achab ad Eliam : *Tune es ille qui conturbas Israel ?* Sic pravi ac pessimi homines mala quæ oriuntur, imponunt justis ac innocentibus. *Et ille ait : Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui.* Certe, ut Salomon loquitur, Justus quasi (Ibid. XXVIII, 1.) C leo confidens absque terrore erit. Ideo Elias tam imperterrite et audacter respondit, non formidans regem a quo poterat trucidari, sed eum constantissime reprehendit. Hinc ad Jeremiam Dominus dixit : Dedi te in columnam ferream et in murum æneum. (Jer. I, 18.) Atque ad Ezechielem : Ut adamantem (ait) et silicem posui faciem tuam. (Ezech. III, 9.)

Congrega ad me universum Israel. Sic boni evangelizantes universam cupiunt plebem instruere, eique dicunt : *Si Dominus est Deus, sequimini eum ; si autem Baal,* D *sequimini illum.* Ideo, *Usquequo claudicatis in duas partes?* id est, vultis duobus dominis servire, (Matth. VI, 24.) cupientes placere mundo et Creatori, quum tamen dicat Aposto-

Digitized by Google

Galat. I, 10. lus, Si hominibus placerem, Christi servus non essem; nec possibile sit, nunc gloriari cum sæculo, ac deinde regnare cum Christo. Quibus dicendum est: Si Deus est summum, perfectum, infinitumque bonum, ei estote intenti, tanquam incomparabiliter universis ac singulis meliori, amabiliori et honorabiliori. Si autem Baal, id est, in principatu, opibus et prosperitatibus mundi vestra consistit salus, sequimini eum: quod utique non est; imo de talibus Eccle. I, 2. dictum est, Vanitas vanitatum et omnia Eccli. X, 12. vanitas. Itemque, Rex hodie est et cras moritur. *Dentur nobis duo boves.* Bos electorum et justorum, est propria caro, ad Dei honorem discrete castigata et immo- Rom. XII, 1. lata, juxta illud ad Romanos: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium ve- Coloss. III, 5. strum. Et alibi: Mortificate (inquit) membra vestra, quæ sunt super terram. Bos vero impiorum, est caro ex vana gloria pro mundi honore et commodo, per exercitia pœnitentiæ macerata. *Et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus,* id est, ille colatur pro vero Deo, qui solus potest apicem affectivæ accendere, et cor ad libitum Luc. XII, 49. immutare ac inflammare; qui ait, Ignem veni mittere in terram; qui et in die sa- Act. II, 3. cratissimo Pentecostes exaudivit per ignem. *Facite primi, quia plures estis.* Nempe, ut Matth. XX, 16; XXII, 14. ait Salvator, Multi vocati, pauci electi. *Non erat vox.* Per hoc quod Baal exaudire et respondere nequivit, præfiguratum est, quod mundus et ea quæ mundi sunt, homini in extrema necessitate nequeunt succurrere.

Curavit Elias *altare Domini quod destructum fuerat.* Ara interior est fides seu caritas, in qua omne bonum opus Deo est offerendum: quæ per tentationes et peccata destruitur, sed per bonam informationem et pœnitentiam reparatur. *Et tulit duodecim lapides,* id est duodecim virtu- Galat. V, 22, 23. tes morales, seu duodecim fructus Spiritus, quibus decoratur et confortatur altare caritatis ac fidei. *Fecitque aquæductum.* Aquæductus est sacramentum Confessio-

A nis, seu humilitas, per quam gratia obtinetur. *Divisitque per membra bovem:* quoniam unumquodque membrum quo mundo servivimus, deinceps divino mancipandum est obsequio, dicente Apostolo: Sicut exhibuistis membra vestra servire Rom. VI, 19. immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

Implete quatuor hydrias aqua. Quatuor hydriæ istæ sunt, voluntas, intellectus, vis concupiscibilis, et irascibilis, in quibus B possunt esse virtutes ac vitia, quæ implendæ sunt lacrimis contritionis, fletu procedente ex desiderio beatificæ fruitionis, aqua sapientiæ salutaris: quæ aquæ Eccli. XV, 3. super holocaustum sunt effundendæ, id est, bonis actibus ad Dei honorem exhibitis conjungendæ. Vel holocaustum nostrum est proprium corpus, propter Deum cruciformiter mortificatum: qui enim sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum vi- Galat. V, 24. tiis et concupiscentiis. Hoc holocaustum debemus Deo ita offerre cum fletu contri- C tionis, cum lacrimis supernæ affectionis, cum aqua sapientialis considerationis. Rursus, holocaustum nostrum est Sacramentum altaris, videlicet corpus Christi, vel ipsemet Deus et Salvator, qui obtulit semetipsum Patri hostiam reconciliationis Ephes. V, 2. in odorem suavitatis, quod cum lacrimis devotionis offerendum est in officio celebrationis. Est equidem fletus quidam interior et ignita aqua, ex quibus exterior solet procedere fletus, quamvis aliquando non procedat. Ista effusio aquæ super ho- D locaustum facienda est ter, videlicet in devota præparatione ad offerendum, in ipsa oblatione, et post in gratiarum actione. *Cecidit ignis* de cœlo, videlicet accensio caritatis seu infusio Spiritus Sancti, qui est ignis consumens, et in se absor- Hebr. XII, 29. bens totaliterque convertens devotissima corda, eorumque opera faciens Deo accepta, ut nihil proprii commodi aut privati amoris in ipsis sit permanens.

Porro, occisio prophetarum Baal, designat reproborum impiorumque ministro-

Digitized by Google

rum damnationem : quibus sublatis, sonus pluviæ, id est abundantia gratiæ, imminet. *Elias autem ascendit in verticem Carmeli.* Sic boni prælati in alta consideratione se figunt ad considerandum pertinentia ad communem salutem, et concernentia Dei honorem ; et mittunt pueros suos, id est vicarios et prædicatores ac inferiores ministros, ad prospiciendum contra mare, id est, ad intuendum hoc sæculum nequam A instar maris amarum, inquietum, et magnum, an scilicet in hominibus mundanis sit aliquid gratiæ spiritualis, quæ per nubeculam designatur : ad quos gratia destitutos non sufficit semel misisse, sed septies mittitur, id est per omne tempus durationis vitæ eorum, quamdiu est spes de emendatione ipsorum : pro quorum conversione interim orat fidelis ac fervidus pastor.

ARTICULUS XXVIII

ENARRATIO CAPITULI NONIDECIMI : NUNTIAVIT AUTEM ACHAB JEZABEL OMNIA QUÆ FECERAT ELIAS.

QUID ex propria infirmitate et hominum pravitate Elias pertulerit, et magnalia ei desuper contributa, hic recitantur. *Nuntiavit autem Achab* rex *Jezabel* suæ uxori *omnia quæ fecerat Elias, et quomodo occidisset universos prophetas Baal gladio.* Adhuc enim permansit in sua idololatria atque malitia, visis tot signis, ac pluvia descendente : quo patent obstinatio et ingratitudo ipsius. *Misitque Jezabel,* quæ et ipsa fuit in vitiis indurata, *nuntium ad Eliam, dicens : Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, nisi cras posuero animam tuam,* hoc est, te ipsum tractavero, vitam tuam exstinxero, et animam tuam a corpore separavero, violentam mortem tibi inferendo, *sicut animam unius ex illis,* id est, sicut tu posuisti animam cujuscumque ex prophetis Baal. *Timuit ergo Elias.* Hoc fuit humanæ fragilitatis : et quamvis naturale sit mortem timere, tamen ex timore sic fugere, sicut de Elia subjungitur, imperfectionis esse convincitur ; nisi forsan ex divino instinctu sic egerit. Nam et Christus ad tempus recessit ex oculis Judæorum, qui in ejus mortem conspiraverunt, juxta illud Joannis : Jesus jam non in palam ambulabat apud Ju- B dæos. Similiter Paulus a Damasco. *Et consurgens, abiit* ex Jezrael, *quocumque eum ferebat voluntas,* hoc est per vias quas putavit sibi securiores. Vel ideo dicitur, Quocumque eum ferebat voluntas, quia in fuga ista magis videbatur sequi voluntatem, quam rationem. Sed quæri potest, cur Jezabel cum sic præavisavit, nec avisatum fecit custodiri, ne fugeret. Respondetur, quod Jezabel audiens eum tam constanter regi occurrisse et respondisse, atque in ejus præsentia occidisse prophetas Baal, C ac tanta signa patrasse, putavit quod minime fugeret.

Venitque in Bersabee Juda, id est urbem sic dictam, in tribu Juda sitam, de qua dictum est supra primo libro, *et dimisit ibi puerum suum, et perrexit in desertum viam unius diei,* hoc est, volebat intrare desertum, et manere ibidem : quod puero grave fuisset sufferre. Dicunt autem expositores, quod puer ille fuit filius viduæ quem suscitavit a morte : qui creditur fuisse Jonas propheta ; quem vidua illa D dedit et commisit Eliæ, ut ei obsequeretur, et instrueretur ab eo.

Quumque venisset et sederet in deserto *subter unam juniperum :* quæ est spinosa

III *Reg.* xviii, 40. — *Joann.* xi, 54. — *Act.* ix, 25. — *Josue* xv, 28. — I *Reg.* [illegible] 20 ; viii, 2. — III *Reg.* xvii, [illegible]

Digitized by Google

arbuscula, cujus radix est pauperum ci- A bus, juxta illud Job, Radix juniperorum cibus eorum; *petivit animæ suæ,* hoc est, pro solatio animæ suæ afflictæ rogavit Dominum, *ut* ipse ibi mox *moreretur,* quatenus in sinu Abrahæ repausaret, nec afficeretur tot malis, neque tot crimina cerneret in hoc mundo. Sic et Moyses : Obsecro, inquit, ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis. Juxta quem modum ait apostolus Paulus : Supra modum gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere. Nec istud impatientiæ fuit, quia adversitas fuit B eis occasio cupiendi quietem, ad quam per mortem erat perveniendum, ita quod mors non optabatur, nisi ut via et janua vitæ melioris. *Et ait : Sufficit mihi, Domine,* tam diu vixisse in corpore isto mortali, *tolle animam meam* a corpore, et pone eam in limbo patrum. *Neque enim melior sum quam patres mei :* quia mortalis sum, sicut illi fuerunt, et ejusdem naturæ, et sancti Patriarchæ fuerunt tam sancti, quod eis me meliorem aut digniorem non arbitror. *Projecitque se, et obdormivit in um-* C *bra juniperi.* Nam et somnus relevativus est tristitiæ. Apte quoque in umbra dormivit juniperi, quoniam umbra arboris hujus fugat serpentes, ut legitur. Denique, dato quod Elias sanctior fuit patribus suis, de quibus loquebatur, tamen ex humilitate sic loquitur : et secundum quamdam considerationem sic fuit, quum et Apostolus fateatur : Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.

Job xxx, 4. — Num. xi, 15. — II Cor. i, 8. — I Tim. i, 15.

Et ecce angelus Domini tetigit eum, suscitando a somno, *et dixit illi : Surge et* D *comede. Respexit,* admirans a quo esset suscitatus; sed angelus, ut apparet, jam disparuit; *et ecce ad caput suum* positus fuit *subcinericius panis et vas aquæ. Comedit ergo et bibit, et rursum obdormivit. Reversusque est angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi : Surge, comede; grandis enim tibi restat via. Qui quum surrexisset, comedit et bibit,* sumens partem illius panis et aquæ, *et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus,* hoc est opportunis horis tot dierum ac noctium : nec enim ad conficiendum iter illud necessarium fuit indesinenter, sine interpositione quietis, tot diebus ac noctibus proficisci; *usque ad montem Dei Horeb :* qui est mons Sinai, cujus pes vocatur Horeb, qui est locus sanctus, in quo voluit Deus apparere Eliæ zelatori præfervido legis Mosaicæ ac divinæ illico datæ. Dicunt quidam, quod panis ille ab angelo præparatus, habuit potestatem et vim nutriendi, confortandi et conservandi corpus Eliæ tam diu, absque consumptione et læsione humidi radicalis a calido naturali : quod in libro de Mirabilibus sacræ Scripturæ videtur Augustinus sentire.

Quumque venisset illuc, mansit in spelunca : in qua (ut aliqui dicunt) Moyses stetit, quando gloria Domini coram eo pertransiit, juxta illud Exodi, Quumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ : ideo ob loci illius sanctitatem mansit in eo Elias. *Et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi : Quid hic agis, Elia?* Non ex ignorantia quærit, sed ut juxta responsum Eliæ congruenter prosequatur verbum suum ad ipsum. *At ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum,* id est, ferventem habui affectionem, indignationem et iram contra idololatras, ex Dei amore, cujus cultum et reverentiam opto affectu ardenti, *quia dereliquerunt pactum tuum,* hoc est, a fœdere amicitiæ quod Deus cum populo Israel iniit, ab observantia Decalogi quem cum protestatione dedit per Moysen, *filii Israel* recesserunt. *Altaria tua destruxerunt.* Unde in præcedenti capitulo scriptum est, quod Elias curavit altare Domini ante destructum; similiter alia quædam altaria in excelsis constructa, in quibus Deo factæ fuerunt oblationes, quæ destruxerunt in contemptum cultus veri Dei, atque ad idololatriæ promotionem : quod impium fuit. Attamen templo constructo, non licuit alibi Deo sacrificare, nisi ex moderamine dispensationis divinæ. Ideo infra Ezechias

Exod. xxxiii, 22. — Ibid. xx, 2-17. — III Reg. xviii, 30.

Digitized by Google

IV Reg. XVIII, 4. laudatur, eo quod excelsa, videlicet altaria ibi constructa, abstulerit, sed in contemptum cultus veri Dei ea non licuit demoliri. *Et prophetas tuos occiderunt gladio.*

Circa hæc scribit Lyra : Non loquitur hic de altaribus quæ in Jerusalem erant, videlicet de altari incensi et altari holocaustorum, quia illa manebant, sed de altaribus factis in excelsis eo tempore, quando templo nondum ædificato, licuit immolare in illis. Quocontra loquitur Rabbi Paulus : Rationabiliter dici potest, quod Elias hic loquitur de altaribus Jerusalem : quæ quamvis realiter non erant destructa, tamen idololatræ, quantum in eis erat, cupiebant ea destruere, et cultum Dei in eis reputabant inanem. Et iste modus intelligendi, patet ex eo quod sequitur, Et prophetas tuos occiderunt gladio. Non enim legitur, quod tempore Eliæ, vel ante ipsius tempus, aliqui prophetæ fuissent occisi gladio. Hæc Paulus : de quo sæpe admiror, quod scribit tam improprie et incaute. Nec enim sequitur : cupiebant altaria destruere, ergo erant destructa. Præcedenti quoque habetur capitulo, quod Abdias dixit
III Reg. XVIII, 13. Eliæ : Numquid non indicatum est tibi domino meo quæ fecerim, quum occideret Jezabel prophetas Domini? Verumtamen apparet, quod etiam de altaribus templi Dei hæc possent intelligi, non quod corporaliter erant destructa, sed quantum ad usum seu actum super ea exercendum. Jam enim Roboam et Abia reges Juda ad
Ibid. XIV, 22, 23; XV, 3. idololatriam declinaverunt, ut patuit, sicque altaria Dei profanaverunt.

Et derelictus sum ego solus in cultu veri Dei; vel relictus sum ego solus de numero prophetarum, aliis a Jezabel interfectis. Sed horum utrumque videtur falsum, quoniam præter Eliam adhuc multi erant
vers. 18. cultores veri Dei in Israel, ut paulo post habetur in littera, [et] supererant adhuc
Ibid. XVIII, 4. centum prophetæ, quos in speluncis abscondit Abdias, ut præcedenti habetur capitulo, quorum aliqui prophetiæ spiritum habuisse creduntur. Sed ad istud respon-

A dere quis poterit, ex his quæ dicta sunt in expositione litterali præcedentis capituli, super illud : Ego remansi propheta III Reg. XVIII, 22.
Domini solus. Alii dicunt, quod ait se solum relictum, quoniam respective loquendo, paucissimi erant superstites persecutioni Jezabel, juxta quem modum Christus in Psalmo testatur : Sustinui qui simul Ps. LXVIII, 21.
contristaretur, et non fuit. Porro, glossa Gregorii videtur innuere, quod Elias ex quadam velut elatione, dixit se solum relictum. Sic etenim ait : Qui humilis etiam
B occulta Dei noverat, elatus et manifesta nescivit. Unde elicitur, quod humilitatis radio se ipsum illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat. Præterea, videtur Elias ex quodam errore dixisse, Relictus sum ego solus : non putans in regno decem tribuum permansisse tot Dei cultores, quot permanserunt. Ait namque Apostolus ad Romanos : An nescitis in Elia quid dicit Rom. XI, 2-4.
Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego
C relictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal.

Et quærunt animam meam, ut auferant eam, hoc est a corpore separent, mortem mihi infligendo; vel, Animam meam, id est vitam animalem et corporalem, quærunt exstinguere Jezabel et ejus satellites.

Et ait ei : Egredere, et sta in monte coram Domino ubique præsente ac omnia intuente, ut stando in loco patenti et cla-
D ro, videas magnalia Dei. *Et ecce Dominus transit,* id est, in effectu aliquo ante te transiet, et se tibi ostendet in tali effectu, et alloquetur, *et spiritus grandis et fortis,* id est impetuosus ac vehemens ventus, *subvertens montes, et conterens petras,* hoc est tam validus, pulverumque agitationem et ascensum sic concitans, ut videatur montes dejicere, et saxa destruere, *ante Dominum,* id est, ante ejus apparitionem prætactam præcedet. *Non in spiritu Dominus,* hoc est, in hoc vento tibi non ap-

Digitized by Google

parebit, neque loquetur. *Et post spiritum commotio,* id est, post ventum sequetur motus terræ prope montem aut circiter. *Non in commotione Dominus,* hoc est, non apparebit tibi in ea. *Et post commotionem ignis* apparebit ante te visibiliter transiens, ministerio angeli formatus, et taliter motus : cujus etiam virtute fiebant motio illa terræ ac venti impulsio. *Non in igne Dominus* apparebit. Præcesserunt ergo hæc tria apparitionem Dei, ad designandum omnipotentiam et terribilitatem ipsius, qui
Ps. CIII, 32. elementis omnibus dominatur, qui respicit
Job IX, 5. terram, et facit eam tremere; qui transfert montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. Sic olim Dominus legem daturus, et Moysi locuturus ac Israelitis, præmi-
Exod. XIX, 16; XX, 18. sit fulgura atque tonitrua ac nubem densissimam, prout in Exodo legitur. *Et post ignem* apparuit *sibilus auræ tenuis,* designans tranquillam, gratiosam, ac dulcem Dei præsentiam, qui in effectibus suæ justitiæ tam metuendus exsistit. *Ibi Dominus,* hoc est, in sibilo illo apparuit.

Hæc itaque dicta sunt Eliæ adhuc in spelunca. Unde subjungitur : *Quod quum audisset Elias, operuit vultum suum pallio,* ut devotioni magis insisteret oculis clausis. Propter quod præcedenti capitulo
III *Reg.* XVIII, 42. legitur posuisse faciem suam inter genua sua. *Et egressus, stetit in ostio speluncæ,* ut videret tria prædicta, videlicet ventum, motum terræ, et ignem : quibus visis, *ecce vox facta est ad eum, dicens,* quia tunc Dominus transiens, et in sibilo illo apparens, locutus est ei : *Quid hic agis, Elia? Et ille respondit* ut ante : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel. Altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam.*

Et ait Dominus ad eum : Vade, et revertere in viam tuam per desertum in Damascum. Quumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam. Infra quarto libro habetur, quod Eliseus prædixit Hazaeli promotionem suam super Syriam, de IV *Reg.* VIII, 13.
qua promotione videtur Hazael ante nil cognovisse : ideo Magister in historiis, et alii dicunt, quod Elias non unxit aliter Hazaelem in regem, nisi quod per Eliseum discipulum suum prædixit illum regem futurum, vel per aliqua verba aut facta in Damasco præsignavit Hazaelis promotionem. *Et Jehu filium Namsi unges regem super Israel.* Nec illum corporaliter, aut personaliter unxit in regem Elias, sed Eliseo commisisse hoc creditur, qui per unum
de filiis prophetarum implevit hoc, ut in- *Ibid.* IX, 1-6.
fra describitur. *Eliseum autem filium Saphat qui est de Abelmehula, unges Prophetam pro te,* id est, pallium tuum super ipsum ponendo, præmonstrabis eum ade-
pturum a Domino gratiam prophetiæ te *Ibid.* II, 11-15.
sublato, prout infra narratur. *Et erit, quicumque* de idololatris Israelitis, *fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu.* Unde inferius quarto libro conscriptum est, qua-
liter hi duo multos Israelitas idololatras *Ibid.* VIII, 12; X, passim.
occiderunt, quamvis non ob idololatriæ culpam, quanquam Jehu cultores Baal ob idololatriam illam occiderit : et tamen ambo illi fuerunt idololatræ, quia nec Jehu a
cultura vitulorum recessit. Porro quod ait, *Ibid.* X, 29.
Quicumque, intelligendum est per modum distributionis accommodæ pro generibus singulorum. *Quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus.* Non legitur Eliseus aliquos corporaliter occidisse, nisi
quod quadraginta pueris vitiosis maledixit, *Ibid.* II, 23, 24.
qui protinus ab ursis sunt lacerati, qui et idololatriam cœperant exercere; sed non omnia sunt descripta. Nec tamen est intelligendum, quod universi ex regno decem tribuum idololatrantes, fuerunt ab istis tribus occisi, sed quidam de omnibus.

Hæc itaque Deus prædixit Eliæ pro ipso zelanti contra idololatras, pro ipsius Eliæ consolatione. Et quia querebatur se solum relictum, docet et consolatur eum Dominus, subdens : *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum,* hoc est, tot millia hominum conservabo in regno decem tribuum ad meum honorem et cul-

Digitized by Google

tum, *quorum genua non sunt curvata ante Baal, et omne os quod non adoraverit eum, osculans manum* idoli Baal ex devotione superstitiosa ad ipsum; vel osculans ad reverentiam idoli propriam manum: quod aliqui fecerunt idololatræ, et sanctus
Job XXXI, 26-28. Job se fecisse negat, dicendo : Si vidi solem quum fulgeret, et osculatus sum manum meam ore meo : quæ est iniquitas maxima. Verumtamen istud non est intelligendum, quasi ad salutem suffecerit ipsum Baal non coluisse, vel quia cultores idolorum vitulorum aureorum fuerint excusati; sed quod cultus Baal fuit præcipuum atque gravissimum scelus, et item quod septem millia ista aliunde etiam justi exstiterint.

Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat arantem in duodecim jugis, id est paribus *boum,* juxta illud in
Luc. XIV, 19. Evangelio, Juga boum emi quinque; et in
Job XLII, 12. Job, Facta sunt ei mille juga boum; *et ipse in duodecim jugis boum arantibus,* id est inter duodecim viros illos arantes, *unus erat :* sicque unusquisque eorum aravit cum jugo uno. *Quumque venisset Elias ad eum, misit* Elias *pallium suum super eum,* in signum dilectionis suæ ad ipsum, quem-
I *Reg.* XVIII, 4. admodum Jonathas exuit suas vestes, et induit David eas; atque in præsagium futurorum, quod scilicet ipse Eliseus spiritualiter cooperiendus erat, ac vestiendus
IV *Reg.* II, 9. duplici spiritu Eliæ, ut infra habetur, variisque charismatibus Spiritus Sancti. *Qui statim relictis bobus, cucurrit post Eliam,* cupiens et confidens particeps fieri gratiarum ipsius, tantoque viro adhærere, obsequi et adstare : ad quod motus fuit a Spiritu Sancto. *Et ait : Osculer, oro te, patrem meum et matrem meam,* id est, da mihi licentiam valedicendi parentibus meis, *et sic sequar te. Dixitque ei* Elias : *Vade* ut hoc agas, quo facto *et revertere* ad me : *quod enim meum erat,* id est, quod mihi commissum fuit a Deo, et quod amoris atque obsequii mei fuit, *feci tibi :* per quod aptavi te ad gratiam prophetalem. Imo, ut Josephus ait, mox ut Elias pallium suum super Eliseum extendit, Eliseus continuo prophetavit. Præterea, videtur Christus altius aliquid docuisse. Quum enim quidam volentium eum sequi dixisset, Se- *Luc.* IX, 61, 62.
quar te, Domine, sed primum permitte mihi renuntiare his quæ domi sunt, ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et adspiciens retro, aptus est regno Dei.

Reversus autem ab eo, scilicet ab Elia, post quem cucurrit, *tulit par boum,* hoc est duos boves suos cum quibus aravit, *et mactavit illud* par per carnificem; *et in aratro boum,* id est per ignem quem fecit ex lignis aratri in frusta concisi, *coxit carnes et dedit populo,* hoc est ex contribulibus suis et sociis ad comedendum, *et comederunt :* et ita se habuit liberaliter et curialiter valde, et gaudii sui alios voluit esse consortes; ac honeste recessit ab eis, quos tamen bene et caritative refecit. Ipsoque facto monstravit se nolle ad pristinum reverti officium, sed Eliæ inseparabiliter adhærere, quoniam aratrum suum concidit, et boves mactavit. Hoc autem convivium fecit in loco in quo habitavit, non in agro; sed cum aratro et bobus rediit domum, et exhibuit ibi convivium. *Consurgensque* mane, osculatis parentibus, *abiit, et secutus est Eliam,* qui noluit interesse illi convivio, *et ministrabat ei,* non delicata cibaria præparando, sed sub obedientia tanti vatis vivendo.

Digitized by Google

ARTICULUS XXIX

DE SPIRITUALIBUS HUJUS NONIDECIMI CAPITULI SENSIBUS.

De mysticis intellectibus præsentis capituli, Rabanus, Richardus, et Glossa multa inducunt, quæ magna ex parte ex verbis sancti Gregorii sunt accepta. Itaque ex ista docemur historia, quid viri virtutum habeant ex se ipsis, quid ex Deo. Nempe Elias, qui cœlum clausit oratione, et deprecatione sua aperuit illud, qui suscitavit defunctum, et gratia claruit prophetiæ, providentiamque divinam circa se tam specialiter et frequenter fuit expertus, audita comminatione mulieris nefariæ, non oratione contra illam armavit se, non divinum quæsivit oraculum, quid sibi agendum esset, non, de divina protectione angelicoque munimine tutus, mansit intrepidus, sed fugam iniit territus; et qui paulo post tædio vitæ petiit mortem a Domino, jam pro justitia mori expavit. Sancti etenim viri, sublevante Spiritu, ad superna rapiuntur, ac supernaturalia operantur : et tamen durante hac vita, ne de sua excellentia intumescant, tentationibus reprimuntur, et solita gratiæ exuberantia ad tempus dispensative privantur. In virtutibus miraculisque Eliæ, omnipotentia Dei relucet; in timore et fuga, infirmitateque ejus, quid in se fuit ac potuit, innotescit. In magnalibus suis ostendit, quid desuper gratiose accepit; in infirmitatibus suis ad se reversus, accepta munera per humilitatem custodivit.

[*Jacob.* v, 17, 18. III *Reg.* xvii, 22.]

Tropologice, impius Achab designat diabolum; Jezabel, carnem, cui diabolus suggerit, ut persequatur Eliam, hoc est virum devotum : qui fugit a tentationibus carnis, occasiones vitando, atque impuras ac fœdas cogitationes abjiciendo; et intrat desertum, id est religionem seu pœnitentialem exercitationem, in qua mundi vanitas et carnis deliciæ deseruntur. Itaque, si interdum alicui viro bono subrepat tentatio, oriaturque timor humanus, et naturalis defectuositatis imperfectio accidat, non desperet, nec pusillanimitate frangatur; sed penset, quod tantus Propheta humanum quid passus sit, et cum eo ingrediatur desertum, hoc est orationis et meditationis secretum, in quo coram Deo recolligat et effundat cor suum.

[*Thren.* ii, 19.]

Quumque venisset et sederet subter unam juniperum. Per spinosam juniperum, cujus umbra fugat serpentes, et sub cujus cineribus dicitur ignis conservari per annum, intelligitur crux Salvatoris, in qua ipse mortis aculeos toleravit, quæ sua virtute fugat dæmonia, et cujus memoria ignem conservat divini amoris toto vitæ hujus curriculo in animo devoti meditatoris. Sub hac cruce debemus sedere, hoc est, amorose revolvere corde, quid, quanta et qualia propter nos passus sit Filius Dei. Denique, Elias ingressurus desertum, reliquit puerum suum, ad designandum, quod volens desertum pœnitentiæ aut religionis intrare, debet universa puerilia desideria, signa et opera prorsus relinquere, ut cum Apostolo dicere queat : Quum essem parvulus, sapiebam, loquebar, agebam ut parvulus; quum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.

[I *Cor.* xiii, 11.]

Petivit animæ suæ ut moreretur. Sic plane qui Christi passionem intente et efficaciter pensat, eidem appetit conformari, hoc est compati et commori Salvatori, ac propriæ voluntati ac vitiis mori, atque salubriter mortificare se ipsum, ut vivat, jam non ipse in se, sed Christus in eo; sicque tandem cupit dissolvi et esse cum Domino, dicens cum Paulo : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Et ait : Sufficit mihi, Domine,* gratia tua, imo

[*Galat.* ii, 20. *Philipp.* i, 23. *Rom.* vii, 24.]

Digitized by Google

tu ipse, qui solus necessarius es. Etenim pars mea Deus. Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum. *Tolle animam meam,* sicut orat Psalmista: Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. *Neque enim melior sum quam patres mei.* Certe si perpendamus quam virtuose, timorate, et sancte conversati sint patres nostri gloriosi Apostoli, martyres, confessores, et qui in religione nos præcesserunt in vita vere monastica, erubescemus oculos nostros levare ad cœlum, sed cum publicano percutiemus pectora nostra, dicentes: Deus, propitius esto nobis pauperrimis. *Projecitque se, et obdormivit in umbra juniperi.* Ita et nos projiciamus nos coram Deo, prosternentes nos majestati ejus humiliter, juxta id Psalmi, Procidamus ante eum qui fecit nos; et per contemplationem obdormiamus et quiescamus in amore et admiratione ipsius, quemadmodum scriptum est: In pace in idipsum dormiam et requiescam. Insuper, de sero reclinati in lectulo, studeamus in meditatione sacra passionis dominicæ obdormire.

(Margin: Thren. III, 24. Ps. LXXII, 25, 26. Ps. CXLI, 8. Luc. XVIII, 13. Ps. XCIV, 6. Ps. IV, 9.)

Et ecce angelus Domini tetigit eum. Quemadmodum Eliam afflictum, esurientem, lassatum ac dormientem tetigit angelus Dei; sic quoscumque devotos, pœnitentes, tentatos, in bonis operibus fatigatos, ac contemplativos Deus suo instinctu divino piissimo, et per sanctos angelos misericorditer visitat, consolatur, roborat, et accendit, et aqua sapientiæ potat, atque subcinericio reficit pane, videlicet corpore Christi, qui ait, Ego sum panis vitæ. Et rursus, In pulverem mortis deduxisti me: siquidem igne passionis decoctus est. *Comedit ergo et bibit, et rursum obdormivit.* Qui enim Christum in Sacramento salubriter suscipit, in ejus contemplatione et amore obdormit, ab omnium sensibilium inquietudine ac strepitu quiescendo, bonitatem caritatemque Dei, et ejus beneficia recolendo. *Reversusque est angelus secundo, et tetigit eum, dixitque.* Non enim sufficit nobis semel tangi, et excitari ab angelis sanctis, sed subsidio isto indigemus quotidie. *Surge, comede:* quia quotidie debemus saltem spiritualiter Christum suscipere, et ejus refici sacramentis, donis ac gratiis, atque ab actibus vitæ contemplativæ ad opera vitæ activæ, loco et tempore opportunis procedere. *Grandis enim tibi restat via:* quia egemus magno profectu, antequam ad optatam possimus virtutum perfectionem pertingere. Magna quoque est via a fide ad speciem, ab exsilio ad patriam, a miseriis vitæ præsentis ad gaudia æternæ felicitatis, a terra ad cœlum empyreum.

(Margin: Eccli. XV, 3. Joann. VI, 35. Ps. XXI, 16.)

Qui quum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb. Ita Christifidelis in virtute dominici corporis, quod est viaticum peregrinationis præsentis, ambulat per omne tempus vitæ istius, quod est pœnitentiæ tempus, et quadragenario designatur, usque ad montem Ecclesiæ triumphantis; vel usque ad sublimitatem evangelicæ perfectionis, in qua interrogatur et examinatur a Domino qui corda et renes scrutatur, quid operetur. Et felix, qui ex sententia dicere valet, *Zelo zelatus sum pro Domino;* cujus universa præcordia cupiunt Deum ab omnibus debite honorari, et de inhonorationibus ejus contristantur, atque pro ejus honorificentia student, et dicere possunt: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Et certe omnes vere devoti ac fervidi deformationem Ecclesiæ habent deplangere, destructionem, ruinam, perversitatem in cœnobiis atque collegiis in omni tribu, lingua ac natione populi christiani; specialiter quoque, quod perfidi hæretici ac impii Christiani sancta loca profanant, justos persequuntur, ac necare conantur. *Et ait: Egredere, et sta in monte coram Domino:* hoc est, præpara te, ut digne te repræsentes conspectui majestatis divinæ. *Et egressus, stetit in ostio speluncæ.* Spelunca est corpus mortale, sordibus et culparum tenebris plenum: in cujus ostio

(Margin: Ps. VII, 10. Ps. CXVIII, 139.)

Digitized by Google

stat, qui ad occurrendum Judici summo semper paratum se exhibet, et quotidie est dispositus ad egrediendum de carcere corporis hujus.

Spiritus grandis et fortis, subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Spiritus iste piissimum et suavem Dei præcedens adventum, est comminatio Dei in divinis Scripturis, quæ interdum superbos perterret et dejicit, ita quod convertuntur ac pœnitent. Petras quoque, hoc est dura et lapidea corda, emollit ac carnea facit. Non tamen in hac comminatione Dominus: quoniam ex comminatione et servili timore Deo servire, non est meritorium aut acceptum. *Et post spiritum commotio,* hoc est trepidatio ex comminatione incussa, quæ (ut tactum est) non sufficit ad salutem. *Et post commotionem ignis,* id est intensa memoria incendii gehennalis, quam parit divini timor judicii; sed nec in igne hoc Dominus, cui sine caritate nil complacet. *Et post ignem sibilus auræ tenuis,* hoc est interna, quieta, et dulcis adspiratio Spiritus Sancti, qui instar suavissimi roris mentem perfundit, recreat, implet, juxta illud
Cant. IV, 16. in Canticis, Veni, Auster, perfla hortum meum: ideo Dominus est in sibilo isto.
Job IV, 16. Unde et in Job libro dicitur: Vocem quasi auræ tenuis audivi. *Quod quum audisset Elias, operuit vultum suum pallio:* quia vir speculativus in contemplatione mirabilium Altissimi deficit, atque ad propriam

A defectuositatem pensandam, oculos cordis reflectit.

Deinde per Eliam cui præcipitur ungere quosdam in reges, et Eliseum in vatem, exprimitur Christus, qui unctione Spiritus Sancti quosdam dignificavit ad regnandum, ac præsidendum in jure spirituali, quosdam in jure civili, per quos correxit iniquos. *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.* Semper quippe sunt aliqui boni in Ecclesia Dei, qui ne-
B quaquam adhærent rebus terrenis, caducis et vanis, magis quam incommutabili et incircumscriptibili bono.

Profectus inde Elias, reperit Eliseum, super quem misit pallium suum. Ecce quod Dominus virum illum rusticanum et simplicem elegit in Prophetam præcipuum: et sicut super illum extendit Elias pallium suum, sic viri virtutum gratiam sibi concessam, aliis communicare nituntur. *Qui statim relictis bobus, cucurrit post Eliam:* quoniam hi quos tangit et incendit Spiri-
C tus Sanctus, relictis carnalibus affectibus et peccatis, festinant ad Dominum, ac boves occidunt, atque de eis parant convivium proximis, quoniam carnalia oblectamenta ac opera conterunt, et per hoc alios suis exemplis reficiunt. Osculantur autem et suos parentes, dum vinculo caritatis manent eis conjuncti, et verbis salubriter admonent ipsos.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI: PORRO BENADAD REX SYRIÆ CONGREGAVIT OMNEM EXERCITUM SUUM.

HIC describuntur duæ admirandæ victoriæ impio Achab concessæ, non ob merita ejus, sed ex bonitate Dei immensa, ut vel sic converteretur ad Deum verum, videns se ab idolis suis non posse juvari. *Porro Benadad rex Syriæ congregavit om-*
D *nem exercitum suum, et triginta duos reges secum, et equos et currus; et ascendens pugnavit contra Samariam,* metropolim regni decem tribuum, *et obsedit eam. Mittensque nuntios ad Achab regem Israel in civitatem, ait: Hæc dicit Benadad: Ar-*

Digitized by Google

gentum tuum et aurum tuum meum est, hoc est, requiro ut mittas mihi ea; *et uxores tuæ et filii tui optimi,* id est aptiores ad prælia, *mei sunt,* juxta sensum prætactum, vel jure prælii, seu ob aliam causam quam contra te habeo. *Responditque rex Israel : Juxta verbum tuum, domine mi rex, tuus sum ego,* hoc est, paratus tibi servire sub rationabili tributo, seu alio modo, *et omnia mea* bona mobilia. De filiis autem et uxoribus suis subticuit, quia non intendebat eos exponere voluntati illius. *Revertentesque nuntii* ad Achab, *dixerunt : Hæc dicit dominus Benadad, qui misit nos ad te : Argentum tuum et aurum tuum, et uxores tuas et filios tuos dabis mihi,* ut non remaneat tibi superstes qui succedat tibi in regno, nisi forsan quem constituero ego. *Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad te, et scrutabuntur domum tuam, et domum servorum tuorum, et omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, et auferent.*

Vocavit autem rex Israel omnes seniores terræ, volens in tam arduo negotio communitatem concernente uti generali concilio, potissime seniorum, in quibus solet esse major experientia atque prudentia, *et ait : Animadvertite et videte, quoniam insidiatur nobis,* hoc est, occasionem contra nos quærit ad destruendum regnum nostrum totaliter, vel ad subdendum illud suæ jurisdictioni omnino. *Misit enim ad me pro uxoribus meis, et filiis, et pro argento et auro ; et non abnui.* Hoc videtur contra jam dicta. Idcirco exponitur sic : Non abnui, id est, postulationem ejus non negavi ei in toto, quia de argento et auro consensi. *Dixeruntque omnes majores natu, et universus populus ad eum : Non audias neque acquiescas illi :* quia penitus irrationabiliter et tyrannice habet se. Aliqui tamen dicunt, quod consensit etiam de uxoribus et filiis, sed non de scrutatione domus suorum servorum, prout textus videtur prætendere.

Respondit itaque nuntiis Benadad : Dicite domino meo regi : Omnia propter quæ

A *misisti ad me servum tuum in initio, faciam ; hanc autem rem facere non possum. Reversique nuntii retulerunt omnia ei. Qui remisit et ait,* ferens ægre quod rex Achab non acquievit : *Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me :* hoc est, tanta est mecum hominum copia, quod unusquisque eorum vix posset manum suam semel implere de terræ fragmentis, quæ in Samaria sunt, potissime prope muros. Vel sic : Tam multi sunt me-
B cum, ut si unusquisque acciperet et comportaret lapidem aut stipitem unum, vel unum terræ pugillum, tam magnum facerent aggerem extra, ut cives fecerant intra, sicque implerentur fossata, et ex æquo pugnarent adversus illos. Comportaverant autem cives Samariæ terram multam intus ad muros suos, quasi in altitudinem murorum ipsorum, ut muri essent inexpugnabiliores. *Et respondens rex Israel, ait : Dicite ei : Ne glorietur accinctus æque ut discinctus :* hoc est, ipse Benadad adhuc
C armis accinctus, et pugnaturus, non sit ita securus, et de futuro triumpho exsultans, ut is qui jam victoriam habuit, et exuit arma : quoniam eventus belli incertus est, atque in pendulo positus, et pauci quandoque prævalent multis. Idcirco non debet congressurus adversarium suum parvipendere nimis. Nimia quoque securitas et incautela multos decipit. *Factum est autem quum audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse* rex Syriæ, *et reges* qui secum erant, *in umbraculis,* id est papilionibus,
D *et ait servis suis : Circumdate civitatem. Et circumdederunt civitatem.*

Et ecce Propheta unus accedens ad Achab regem Israel. Hunc aliqui dicunt fuisse Michæam : quod non videtur, quum de illo infra asserat Achab, Non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore. *Ait ei : Hæc dicit Dominus : Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam. Ecce ego tradam in manum tuam eam,* hoc est, omnem multitudinem regis Syriæ, *hodie, ut scias quia ego sum Dominus,* omnia po- III Reg. xxii, 8. II Par. xviii, 7.

Digitized by Google

tens, ac omnibus dominans, et ita converA taris ad me. *Et ait Achab : Per quem? Dixitque ei : Hæc dicit Dominus : Per pedisequos principum provinciarum.* Pedisequi hic vocantur scutiferi seu armigeri principum, id est principalium nobiliumque virorum decem tribuum. Aliqui tamen principes illos dicunt fuisse obsides nobiles, quos de aliis regionibus Achab acceperat. *Et ait : Quis incipiet prœliari? Et ille dixit : Tu. Recensuit ergo,* hoc est numeravit, *pueros,* id est præfatos pedisequos, *principum provinciarum, et reperit* B *numerum ducentorum triginta duorum. Et recensuit post eos populum, omnes filios Israel, septem millia.* Mirum, quod tam pauci fuerunt : et forsitan ex timore multi defuerunt. *Et egressi sunt meridie.*

Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo suo, et reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant. Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad; qui nuntiaverunt ei, dicentes : Viri egressi sunt de Samaria. At ille ait: Sive C *pro pace veniunt, apprehendite eos vivos ; sive ut prœlientur, vivos eos capite. Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur. Et percussit unusquisque virum* de exercitu Syrorum, *qui contra se veniebat ; fugerunt Syri,* Deo omnipotenti corda eorum subito immutante, obstupefaciente, perterrente et debilitante, *et persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis. Necnon egressus rex Israel, percussit equos et currus, et percus-* D *sit Syriam plaga magna nimis. Accedens autem Propheta ad regem Israel, dixit ei : Vade et confortare, et scito, et vide quid facias,* id est, provide tibi, et noli offendere Deum, qui tibi concessit victoriam ; *sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.*

Servi vero regis Syriæ dixerunt ei : Dii montium sunt dii eorum, videlicet Israelitarum. Hoc suspicabantur, quia Samaria fuit in montibus sita, imo tota terra promissionis exstitit montuosa, juxta illud Deuteronomii : Terra ad quam ingrederis, montuosa est et campestris. Elias quoque in monte Carmeli erexit altare ; et vituli aurei quos filii Israel adorabant, erant in fanis sublimibus positi, similiter templum in monte Sion. *Ideo superaverunt nos,* quia pugnavimus contra eos in montibus, in quibus dii eorum potestatem exercent. Putabant autem gentiles, diversis terræ partibus, diversisque elementis diversos deos præesse, sicut de hoc in libro de Civitate Dei plenius loquitur Augustinus. *Sed melius est, ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos. Tu ergo verbum hoc fac. Amove reges singulos ab exercitu suo,* id est a turmis eorum : quia reges frequenter inertes sunt et nimis delicati ad sustinendum pericula prœliorum, ac formidolosi, ne percutiantur, juxta illud Job, Angustia vallabit impium, sicut regem qui paratur ad prælium : et forsan in præscripto bello satis cito fugerunt ; *et pone principes pro eis,* ut exercitui cujuslibet regis præsit princeps militiæ strenuus ; *et instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis, et equos secundum equos pristinos, et currus secundum currus quos ante habuisti. Et pugnabimus contra eos in campestribus,* in quibus dii eorum nil possunt, *et videbis quod obtinebimus eos,* id est vincemus. *Credidit consilio eorum, et fecit ita.*

Deut. XI, 10, 11.

Job XV, 24.

Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, et ascendit in Aphec : quæ fuit civitas in regno Israel situata, sed eis per Syros ablata, juxta quam erat magna campi planities ; *ut pugnaret contra Israel,* id est, in qua decreverunt Syri pugnare. *Porro filii Israel recensiti sunt, et acceptis cibariis, profecti ex adverso castrametati sunt,* id est, tentoria sua fixerunt, *contra eos, quasi duo parvi greges caprarum.* Unde elicitur, quod exercitum suum diviserunt in duas partes, quæ ambæ simul fuerunt paucissimæ respectu Syrorum. Hinc subditur : *Syri autem repleverunt terram* pro magna parte. Erant

Digitized by Google

enim centum viginti septem millia, imo et plures, ut in textu insinuatur. *Et accedens unus vir Dei,* utpote sanctus Propheta, vel is de quo jam dictum est, aut alius, *dixit ad regem Israel : Hæc dicit Dominus : Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium,* id est, ob istam eorum blasphemiam, qua dixerunt Deum Israel habere potestatem juvandi suos in montibus, eo quod sit montium Deus ac Dominus, et non in vallibus, quum tamen habeat indeterminatam et infinitam potentiam ; *dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, et scietis quia ego sum Dominus* universorum vere omnipotens, ex tam miraculoso effectu. Et quamvis Achab et sui hoc cognoverunt co- *Rom.* I, 21. gnitione informi, non tamen Deum sicut Deum honorificaverunt aut gratias dignas egerunt, sed permanserunt in idololatriis, impietatibus et ingratitudinibus suis. Sed quomodo nunc dicuntur Syri dixisse, Deus montium est Dominus, quum supra legantur dixisse, Dii montium sunt dii eorum ? Respondetur, quod in Scripturis frequenter ponitur plurale pro singulari, et econverso, et quia multi filii Israel colebant simul cum vitulis suis ac idolis Deum verum, sicut Samaritani, ut dictum est. Idcirco di- IV *Reg.* XVII, 33, 41. cendo, Dii montium, intellexerunt et verum Deum.

Dirigebant itaque septem diebus ex adverso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum. Percusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una. Fugerunt autem Syri, *qui remanserunt in Aphec, in civitatem, et cecidit murus* civitatis Aphec, *super viginti septem millia hominum, qui remanserant* et fugerunt : qui accesserunt ad murum ut eum firmarent, ne a filiis Israel destrueretur, sed virtute divina et ministerio angeli vel boni vel mali præcipitatus est murus super illos cum impetu.

Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum, id est locum secretissimum ad latendum, atque ut Josephus refert, cum

A paucis ei fidelioribus introivit subterraneum locum, cujus aditus in cubiculo fuit. *Dixeruntque ei servi sui,* formidantes ne a rege Israel invenirentur, et sine misericordia occiderentur : *Ecce audivimus quod reges domus Israel clementes sint,* id est proni ad indulgendum, quoniam Deo Israel proprium est misereri ac parcere. Et utique vera clementia est in omni prælato ac principe valde laudanda, quum et Salomon fateatur : Roboratur clementia thronus re- *Prov.* XX, 28. gis. Unde Tullius in laudibus Julii ait : B Nulla te virtus ita commendabilem reddit, ut tua clementia. Idcirco et Seneca in libro de Clementia contestatur : Nihil adeo principem decet, sicut clementiæ virtus. Verumtamen clementiæ contemperandæ sunt discretione atque justitia : propter quod oravit rex pius, Bonitatem et disciplinam *Ps.* CXVIII, 66. et scientiam doce me. *Ponamus itaque saccos in lumbis nostris,* id est, saccis nos accingamus in signum pœnitentiæ et humiliationis, *et funiculos in capitibus nostris,* quasi ipso facto monstrantes nos meruisse C suspendium, *et egrediamur ad regem Israel : forsitan salvabit animas nostras,* id est, a morte nos præservabit, videns nos tam miserabiliter sibi occurrere sponte.

Accinxerunt saccis lumbos suos, et posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem Israel, et dixerunt ei : Servus tuus Benadad, quem paulo ante dominum appellasti ; sed nunc subito facta est tanta rerum mutatio, quæ utique fuit opus dexteræ Excelsi ; *dicit* (unde pa- *Ps.* LXXVI, 11. tet, quod non venit cum famulis suis) : *Vi-* D *vat, oro, anima mea,* id est, ego ipse non occidar a te, sicut promerui. Tanquam dicat, Quamcumque emendam aut mulctam imposueris mihi, acceptabo eam pro mea evasione : juxta illud Job, Cuncta quæ ha- *Job* II, 4. bet homo, dabit pro anima sua. *Et ille ait : Si adhuc vivit, frater meus est,* id est dilectus ut frater, et amicitiæ fœdus feriam secum. *Quod acceperunt viri pro omine,* id est pro bonæ fortunæ eloquio, seu pro augurio prosperoque eventu. Unde Valerius Maximus loquitur, quod omen est ser-

Digitized by Google

mo insperati auditus, ex quo consequitur bonum alterius, et vocatur omen illius. *Et festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus,* repetendo illud, ut tanquam a rege prolatum, inviolabiliter servaretur. Timebant namque ne Achab retractaret illud tanquam sine deliberatione prolatum. *Atque dixerunt : Frater tuus Benadad vivit. Et dixit eis : Ite et adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, et levavit eum in currum suum. Qui dixit ei : Civitates quas tulit pater meus a patre tuo, reddam ; et plateas fac tibi,* id est forum rerum venalium, ex quo tributum accipias, *in Damasco* metropoli Syriæ, juxta
Is. VII, 8. illud in Isaia, Caput Syriæ Damascus, *sicut fecit pater meus in Samaria, et ego fœderatus recedam a te.* Istud autem Benadad non dixit ex animo, sed magis ad decipiendum ipsum Achab, ut aliqui opinantur. *Pepigit ergo fœdus, et dimisit eum.*

Denique, quoniam Achab peccavit in isto, indiscretam istam clementiam impendendo regi blasphemo morti obnoxio, Dominus prædixit ei de hoc debitam pœnam, ut subditur. *Tunc vir quidam de filiis prophetarum,* qui (ut in Scholastica fertur
III *Reg.* XXII, 8 *et seq.* historia) fuit Michæas : de quo in ultimo hujus libri capitulo plura habentur ; *dixit ad socium suum in sermone Domini,* id est ex revelatione et commissione divina : *Percute me. At ille noluit percutere,* forsitan propter reverentiam viri tam sancti et sanctitatis ipsius. *Cui ait : Quia noluisti audire vocem Domini,* id est, verbis meis ex parte Dei prolatis obedire abnuisti. Unde elicitur, quod socius ille novit Prophetam illum ex ore Dei locutum : ideo non obediendo verbis Prophetæ, fuit inobediens Deo, sicque promeruit mortem, quemadmodum subditur : *ecce recedes a me, et percutiet,* id est occidet, *te leo. Quumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo atque percussit. Sed et alterum inveniens virum, dixit ad eum : Percute me. Qui percussit illum, et vulneravit :* quia credebat quod ex Dei præcepto Propheta petivit se percuti.

A *Abiit ergo Propheta, et occurrit regi in via, et mutavit adspersione pulveris os et oculos suos,* id est, dispositionem vultus sui alteravit, pulverem sanguine suo intinctum vultui superponendo, ne agnosceretur. Fecit quoque se vulnerari, ut sua vulneratione futuram regis vulnerationem præsignaret. *Quumque rex transisset, clamavit ad regem et ait : Servus tuus,* videlicet ego famulus tuus, *egressus est ad præliandum cominus,* id est prope. *Quumque fugisset vir unus* de prælio, vel de manu
B ejus a quo fuerat captus, *adduxit eum quidam ad me, et ait : Custodi virum istum. Qui si lapsus fuerit,* id est, manum tuam evaserit, *erit anima tua pro anima illius,* id est, pro ipso eris mihi servus, vel loco ipsius interficieris, *aut talentum argenti appendes,* id est, pro ejus evasione præfixam solves pecuniam. *Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem,* undique circumspiciendo propter imminens belli periculum evitandum, *subito non comparuit ille* captivus, quia repente clam fu-
C git. *Et ait rex Israel ad eum : Hoc est judicium tuum quod ipse decrevisti,* id est, pœnam quam tetigisti, sustinebis, quod scilicet anima tua erit pro anima illius qui fugit de manu tua, vel solves pecuniam, ita quod alterum horum duorum subibis et lues.

At ille statim abstersit pulverem de facie sua, ut cognosceretur a rege jam illaqueato proprii oris judicio, *et cognovit eum rex Israel quod esset de prophetis. Qui ait ad eum,* applicando Achab parabolam, in
D qua sub persona propria fuit locutus de persona ipsius : *Hæc dicit Dominus : Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua,* scilicet Benadad regem blasphemum, quem Deus dedit in manum tuam ut eum occideres, quod et tibi denuntiavit ; *erit anima tua pro anima illius,* id est, tu occideris pro eo, imo et ab eo seu ejus exercitu : ut infra habetur ; *et populus tuus* III *Reg.*
erit pro populo ejus, id est, occidetur a populo ejus pro magna parte, ut infra dicetur : sicque propter scelus regis, percussus XXII, 34, 35.

est simul et populus ejus, præsertim quia consensit ei in crimine, et rex in subditis suis punitus est. Itaque, per virum qui fugit de prælio, intelligitur Benadad rex, quem Deus dedit in manus Achab. *Reversus est igitur rex Israel in domum suam, audire contemnens,* id est, increpationem istam aspernans, *et furibundus venit in Samariam :* in quo patet ejus obstinatio, ingratitudoque maxima; imo et istum Prophetam jussit claudi et custodiri, ut Magister in historiis tangit, et ex Josepho sumptum est, qui affirmat quod incarceravit Prophetam. Itaque, sicut Nathan proposuit regi David parabolam qua proprio ipsius judicio ipsum convicit, ita Propheta iste impio Achab.

II *Reg.* XII, 1 *et seq.*

Sensus moralis. Moraliter docemur ex isto capitulo, quam periculosa et vitiosa sit præsumptio, jactantia, securitasque incauta, præsertim blasphemia : propter quæ vitia multi etiam fortiores hostibus suis succumbunt. Item, quantum inobedientia sit displicens Deo, et quod inobedientes perimantur a diabolo, qui velut leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Insuper, unicuique vana securitate resoluto, præsumptuoso, incauto, dicendum est : *Ne glorietur accinctus æque ut discinctus.* Durante etenim vita præsente, durat contra nos invisibilium adversariorum conflictus : propter quod debemus esse spiritualibus armis semper accincti. Postremo, si nostra negligentia scandali pravitate perierit aliquis, erit anima nostra pro illius anima, id est, simul cum illo perire meretur. Patet item ex dictis, quod falsa clementia, præsertim quæ vergit in detrimentum boni communis et derogat juri, sit detestanda omni judici ac prælato.

I *Petr.* V, 8.

Hoc quoque tangendum, quia circa exordium expositionis hujus capituli scribit Lyra : Divina providentia, quantum in se fuit, ipsum Achab a malitia revocavit. Contra quod Rabbi Paulus affirmat : Si divina providentia, quantum in se fuit, ipsum Achab a malitia revocasset, fuisset indubie revocatus, quia (ut cantat Ecclesia) divina providentia in sui dispositione non fallitur. Verumtamen istud incaute prolatum est, et communi doctorum sententiæ adversatur : quoniam Deus, quantum in se, nullum relinquit nec perire permittit, dicente Apostolo : Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

I *Tim.* II, 4.

ARTICULUS XXXI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : POST HÆC AUTEM VERBA, VINEA ERAT NABOTH.

RECITATUR hic divina justitia circa transgressionem impiissimi Achab. *Post hæc autem verba,* id est post gesta præscripta, secundum narrationis ordinem saltem, *vinea erat Naboth Jezraelitæ, qui erat in Jezrael,* id est, ipse Naboth in urbe nomine Jezrael habitans, habuit vineam, *juxta palatium Achab regis Samariæ. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens : Da,* id est vende, *mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est et prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem. Aut si commodius tibi putas, argenti pretium quantum digna est dabo. Cui respondit Naboth : Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi,* id est, ab hac culpa præservet me : quia sine rationabili causa non sunt hereditaria bona vendenda, atque in lege fuit prohibitum filiis Israel vendere possessiones suas in sempiternum ; sed solum usque ad annum jubilæum poterant in necessitate eas venundare, ut habetur in Levitico. Unde

Lev. XXV, 13-16, 23-31.

Digitized by Google

Lev. xxv, 23. Dominus dixit : Terra hæc mea est, et vos coloni mei estis. Achab autem legis prævaricator atque idololatra non curavit de lege divina, voluitque vineam emere in possessionem perpetuam. *Venit ergo Achab in domum suam, indignans et frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezraelites, dicens : Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, et non comedit panem.*

Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei : Quid est hoc, unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem? Qui respondit ei : Locutus sum Naboth Jezraelitæ, et dixi ei : Da mihi vineam tuam, accepta pecunia; aut si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait : Non dabo tibi vineam meam. Textus est planus. *Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus : Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel.* Hoc mulier tyrannica irrisorie dixit marito, quasi dicat : Ita te habes, quod subditi tui non curant de te. Voluit impia femina illa, ut magis timerent regem mortalem, quam Deum omnipotentem. *Surge et comede panem, et æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Jezraelitæ.*

Scripsit itaque Jezabel *litteras ex nomine Achab,* id est sub ejus persona, *et signavit eas annulo ejus :* quoniam olim consueverunt epistolæ regum eorum annulis sigillari, ut patet in libro Esther, quo habetur : Litteræ signatæ annulo regis, missæ sunt. (*Esther* iii, 12, 13.) In Scholastica fertur historia, quod Jezabel litteras istas scripsit secreto. Alii dicunt, quod ipso Achab sciente et consentiente. *Et misit ad majores natu et optimates qui erant in civitate ejus, et habitabant cum Naboth,* videlicet in oppido Jezrael. *Litterarum autem,* id est epistolæ, *hæc erat sententia : Prædicate jejunium,* id est, injungite populo ut jejunent, quasi ad obtinendum directionem deorum in isto negotio, ut videamini juste procedere, *et sedere facite Naboth inter primos populi,* id est inter superiores, quorum etiam unus

A fuit, ne videamini eum despicere ante accusationem ipsius et accusationis probationem. *Et submittite duos viros filios Belial,* id est sine jugo disciplinæ atque timoris Dei, *contra eum, et falsum testimonium dicant,* videlicet : *Benedixit,* id est, maledixit *Naboth Deum et regem,* id est, in Deum blasphemus est, et reus criminis læsæ majestatis in regem, sicque dupliciter morte dignus. Verumtamen impia Jezabel voluit ut non publicaretur, eam scripsisse illud de testium submissione fal-

B sorum. Denique tam horrendum crimen est, maledicere Deum, quod juxta proprietatem linguæ Hebrææ designatur per suum contrarium, sicut et in libro Job : Nisi in faciem benedixerit tibi. (*Job* i, 11.) Itemque : Benedic Deo, et morere. (*Ibid.* ii, 9.) *Et educite eum* extra urbem, *et lapidate, sicque moriatur.*

Fecerunt ergo cives ejus, majores natu, et optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris, quas miserat ad eos : quam ob suam malitiam serviliter

C timuerunt. *Prædicaverunt jejunium, et sedere fecerunt Naboth inter primos populi. Et adductis duobus viris, filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum. At illi,* scilicet ut viri diabolici, *dixerunt contra eum testimonium coram multitudine : Benedixit Naboth Deum et regem. Quamobrem eduxerunt eum extra civitatem et lapidibus interfecerunt. Miseruntque ad Jezabel, dicentes : Lapidatus est Naboth et mortuus est.* In quo patet injustitia eorumdem : quoniam superioribus non est

D obediendum contra jus naturale aut divinum, et ut princeps apostolici ordinis dixit, Obedire oportet Deo magis quam hominibus. (*Act.* v, 29.) Et quoniam Naboth pro defensione justitiæ innocenter est lapidatus, S. Ambrosius libro de Officiis, martyrem eum vocat et sanctum appellat. Ex quibus etiam innotescit, quam graviter peccant, qui male vivendo ex irrationabili causa et vitioso regimine hereditates suas venundant : quas sicut a suis patribus receperunt, sic filiis suis aut justis heredibus eas

Digitized by Google

deberent relinquere, aut in pios convertere usus.

Factum est autem quum audisset Jezabel lapidatum esse *Naboth et mortuum, locuta est ad Achab : Surge, posside vineam Naboth Jezraelitæ, qui noluit tibi acquiescere et dare eam accepta pecunia :* quia pro crimine læsæ majestatis exheredantur et filii, et bona devolvuntur ad regem. De hoc autem crimine fuit Naboth testimonio falso convictus. Hinc aliqui dicunt, quod pro sceleribus ei impositis et false probatis, omnia ejus bona erant humano judicio infiscata, ideo Achab ascendit ad vineam ejus possidendam. Aliqui vero Hebræi dicunt, ipsum Achab fuisse filium fratris ipsius Naboth, et cum Naboth filios ejus fuisse occisos, sicque vineam illam jure propinquitatis devenisse ad Achab. Quod dictum pro prima sui parte non arbitror verum, quia si Naboth fuisset patruus regis, non apparet quod tam faciliter ad testimonium duorum vilium hominum fuisset occisus ; quod vero filii Naboth secum fuerint interfecti, apparentiam habet ex eo, quod infra dicetur
IV *Reg.* IX, 26. libro quarto, Si non pro sanguine Naboth et pro sanguine filiorum ejus reddam tibi in agro isto. Nam et modo pro crimine læsæ majestatis, filii damnantur exsilio pro patris peccato. *Non enim vivit Naboth, sed mortuus est. Quod quum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, et descendebat in vineam Naboth Jezraelitæ, ut possideret eam.*

Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens : Surge, et descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria. Ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam. Et loqueris ad eum, dicens : Hæc dicit Dominus Deus : Occidisti ipsum Naboth injuste, accusando eum tuæ uxori, et quia complacuit tibi ejus occisio ; sive, ut tactum est, quia de scitu et voluntate Achab, Jezabel (ut aliqui dicunt) litteras præfatas confecit. *Insuper et possedisti :* id est, possidere jam vis vineam Naboth, sicque de scelere tuo reportare
A vis commodum : ac pro illata tam enormi injuria, non solum non satisfacis, sed et lucrum consequeris et auges offensam, quum tamen nulli debeat sua iniquitas suffragari. *Et post hæc addes : Hæc dicit Dominus : In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Quod ait, In loco hoc, multi exponunt, In hac regione. Naboth quippe lapidatus est prope Jezrael ; Achab vero in bello fuit letaliter vulnera- III *Reg.* XXII, 34, 37.
tus, et inde Samariam deportatus, ut infra
B conscribitur. Quidam dicunt, quod sanguis Achab in filio suo, id est sanguis filii ejus, qui fuit quodammodo sanguis patris, a canibus lingebatur in determinato hoc loco quo lapidatus est Naboth, ut IV *Reg.* IX, 25, 26.
infra libro quarto narratur. Verumtamen quidam dicunt, arma in quibus vulneratus fuit Achab, esse lota prope Jezrael, et quod sanguinem sic ablutum linxerunt canes in loco quo occubuit Naboth, seu prope.

Et ait Achab ad Eliam : Num invenisti
C *me inimicum tibi ?* ac si dicat : Cur sic adversaris mihi, quum non inveneris me inimicum tibi ? Sic quidam exponunt. Aliqui libri sic habent : Num invenisti me, inimice mi ? id est, utique nunc rursus mihi occurris, qui jugiter mihi inimicaris : non quod Elias oderit personam, sed culpam Achab. *Qui dixit : Inveni, eo quod venundatus sis,* id est, propria iniquitate venditus diabolo, in cujus transisti dominium, sicut res vendita transit in dominationem ementis ; sicque pro nummo im-
D piæ voluptatis, vendidisti te ipsum diabolo, scilicet numismate tuæ iniquitatis : juxta illud Isaiæ, Ecce in iniquitatibus vestris *Is.* L, 1.
venundati estis ; *ut faceres malum,* id est enormia crimina, *in conspectu Domini :* quia dum homo vitiis suis subditur dæmoni, mox ab eo ad diversa impellitur crimina. Unde de impiis ait Apostolus : Resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti- II *Tim.* II, 26.
vi tenentur ad ipsius voluntatem : sicque comparantur ad illum sicut equus ad sessorem. Ideo ait Gregorius : Peccatum quod

Digitized by Google

per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et ultimum III Reg. xiv, 10; xvi, 3, 11. *in Israel.* Hæc supra bis de Jeroboam atque de Baasa dicta sunt atque exposita. *Et dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia, quia egisti ut me ad iracundiam provocares, et peccare fecisti Israel. Sed et de Jezabel locutus est Dominus,* B *dicens : Canes comedent Jezabel in agro* IV Reg. ix, 32-37. *Jezrael :* quod qualiter sit impletum, infra quarto libro continetur. *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes ; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli.* Quomodo verum est III Reg. xxii, 37. hoc, quum sequenti capitulo in Samaria esse sepultus legatur? Ad quod respondendum videtur, quod istud erat vel comminatio, quam paulo post pœnitendo evasit; vel ideo dicuntur eum canes comesturi, Ibid. 38. quia sanguinem ejus linxerunt. Sanguis C namque est in dispositione propinqua ad carnem. Unde filius dicitur natus de substantia patris, quia de semine ejus, quod vocatur sanguis coagulatus. *Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini. Concitavit enim eum Jezabel uxor sua, et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel.*

Itaque quum audisset Achab sermones D *istos, scidit vestimenta sua,* non ex furore, secundum quod in fine præcedentis capitu- Ibid. xx, 43. li legitur venisse in Samariam furibundus, sed ex timore atque in signum humiliationis ac pœnitentiæ, quamvis humiliatio et pœnitentia illa credantur venisse ex timore servili, non ex fide formata caritate et zelo justitiæ. Aliqui tamen dicunt, quod ad tempus vere pœnituit, sed paulo post recidivavit. *Et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et am-* A *bulavit demisso,* id est inclinato *capite,* tanquam consternatus ac desolatus ; et confitebatur se graviter excessisse, ut Josephus addit. Cur non sprevit verba Eliæ, nec eum incarceravit, sicut contempsit verba Pro- III Reg. xx, 43. phetæ, de quo in fine præcedentis capituli, quem et secundum Josephum in carcere posuit ; quemadmodum etiam in sequenti capitulo legitur, Michæam incarcerasse ? Ibid. xxii, 27. Ad quod videtur dicendum, quod Elias fuit valde famosus Propheta, cujus oratione no- Ibid. xvii, 1. verat cœlum tribus annis fuisse clausum, et alia præclara mirabilia esse peracta, ideo verba ejus magis pertimuit : et forsan supersapientissimus, pius, justusque Dominus videns ipsum Achab ad occisionem Naboth et possessionem vineæ ejus fuisse collapsum ex malitia impiissimæ Jezabel magis quam ex se, dedit ei timorem istum servilem. Pensandum quoque, quam imperterrite locutus sit Elias omnia verba hæc regi animoso et iracundo, qui ante sic fugerat ex comminatione feminæ vitiosæ. Ibid. xix, 2, 3.

Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens : Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est causa mei, id est ex timore vindictæ meæ seu æquitatis et ex intuitu suorum facinorum, *non inducam malum in diebus ejus ; sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus,* id est, præfatas plagas et ultiones differam usque post ejus mortem. Nam dato quod non pœnituerit zelo justitiæ, sed servili formidine, tamen per pœnitentiam illam et humiliationem ac satisfactoria opera, quæ (ut dictum est) fecit, potuit misericordiam hanc mereri : quoniam opera bona ex genere extra caritatem facta, sunt bene meritoria temporalis prosperitatis et prolongationis vitæ præsentis, quum Deus nullum bonum dimittat irremuneratum.

Moraliter patet ex isto capitulo, qualiter Sensus moralis. innocentes ac justi frequenter falsis testimoniis opprimuntur, et quam grave crimen sit hoc ; quomodo etiam superiores frequenter injuste inferioribus indignentur, eosque persequantur, eo quod non

Digitized by Google

consentiant ipsis in rebus illicitis. Insuper, qualiter viri sæpe ad magna et gravia excitentur peccata a suis uxoribus; et quomodo judices inferiores multoties falsa proferant judicia ad complacendum majoribus suis, et ad instigationem ipsorum, vel ex inordinato eorum timore. Postremo, ex hoc quod sceleratissimus Achab ex comminationibus temporalium nocumentorum et ex timore eorum tantam pœnitentiam egit, vestes suas scindendo, cilicium induendo, jejunando et dormiendo in sacco, inclinatoque capite incedendo, non obstan- A te regio fastu et consueta mollitie, declaratur, quanta sit iniquorum perversitas Christianorum, qui nec ex comminationibus Scripturarum sanctarum æterna supplicia comminantium, nec ex sermocinationibus devotorum super hoc terribiliter exclamantium, nec ex terrore tam incomparabilium tormentorum, neque ex consideratione sempiternæ damnationis eorum qui jam perierunt, humiliant semetipsos, vel pœnitentiam agunt, aut mœstum vultum ostendunt, sed absque timore perpetrant mala, imo gloriantur in illis. *Eccle.* VIII, 11. *Prov.* II, 14.

ARTICULUS XXXII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : TRANSIERUNT IGITUR TRES ANNI ABSQUE BELLO.

IN isto capitulo recitatur, qualiter punitio prænuntiata regi Achab præcedenti capitulo, quod scilicet anima sua esset pro anima regis Syriæ, quem injuste dimisit mortem evadere, sit impleta in ipso. (III *Reg.* XX, 42.) *Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam et Israel,* (*Ibid.* 34.) propter fœdus pacis quod Achab et Benadad inierunt, ut dictum est supra, et computantur tres anni isti a tempore pacti illius. *In anno autem tertio,* fine ejus appropinquante, *descendit,* quia terra regni duarum tribuum altior situ fuit quam terra decem tribuum, *Josaphat rex Juda ad regem Israel* visitandum. Nam filia Achab et Jezabel, nomine Athalia, fuit uxor Joram filii Josaphat regis, sicque ad invicem amicitiam contraxerunt. *Dixitque rex Israel ad servos suos : Ignoratis quod nostra sit* de jure *Ramoth* civitas, sita in terra *Galaad, et negligimus eam tollere,* id est recuperare, *de manu regis Syriæ :* qui injuste vi prælii abstulit eam nobis, quum tamen sit notabile oppidum, utpote urbs refugii pertinens ad tribum Gad, ut patet in libro Josue, et Deuteronomii, et civitas sacerdotum. (*Josue* XX, 8; *Deut.* IV, 43; *Josue* XXI, 37.) *Et ait ad Josaphat : Veniesne mecum ad præliandum in Ramoth Ga-* B *laad? Dixitque Josaphat ad regem Israel : Sicut ego sum, ita et tu,* id est, confœderati atque unanimes sumus in talibus; *populus meus et populus tuus unum sunt, et equites mei et equites tui* per confœderationem et amicitiam. Nam et ideo Josaphat vir pacificus fecit filium suum cum filia Achab contrahere, ut inter regnum suum et regnum Israel esset pax.

Dixitque Josaphat ad regem Israel : Quære, oro te, hodie sermonem Domini, id est oraculum Dei per Prophetas, quid sit C expediens ac futurum in causa ista periculosa. Scivit etenim Josaphat, regem ac populum Israel esse superstitiosos atque idololatras, ideo periculosum esse eos juvare. *Congregavit ergo rex Israel prophetas quadringentos circiter viros,* qui erant prophetæ Baal, sed juxta morem loquendi vocantur prophetæ, *et ait ad eos : Ire debemus in Ramoth Galaad, an quiescere? Responderunt : Ascende, et dabit eam Dominus in manu regis.* Quidam ait, propositionem hanc dubiam exstitisse, quia D intelligi poterat tam de rege Israel, quam de rege Syriæ. Verumtamen ex consequentibus istorum pseudo verborum manifeste

Digitized by Google

A habetur, quod per regem intellexerunt regem Israel; et forsan prophetæ illi per Dominum intelligebant deum suum Baal. *Dixit autem Josaphat,* falsos illos prophetas cultores Baal, abhorrens : *Non est hic Propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum? Et ait rex Israel ad Josaphat : Remansit vir unus per quem possemus interrogare Dominum. Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum,* id est prospera, *sed malum,* id est adversa, *Michæas filius Jemla.* Ceteros putavit a Jezabel interfectos. B Sed quare siluit de Elia? Forsan quia recesserat, et nescivit Achab ubi jam esset. *Cui Josaphat ait : Ne loquaris ita, rex,* id est, non dicas te odire Prophetam Dei, eo quod vera tibi prædicat, sive sint prospera sive adversa. *Vocavit ergo rex Israel eunuchum quemdam, et dixit ei : Festina adducere Michæam filium Jemla.*

Rex autem Israel et Josaphat rex Juda, sedebant unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area juxta ostium portæ Samariæ, et universi prophetæ prophetabant in conspectu eorum. C *Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaan,* id est de genere Chananæorum, vel filius viri nomine Chanaan, *sibi cornua ferrea, et ait : Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, donec deleas eam,* id est, potestate et exercitu tuo designatis per cornua ista, disperdes et vinces Syros; vel hoc signum tibi ostendo, quod illos fugabis. Quemadmodum aliquando Prophetæ Dei prophetabant per sola verba, quandoque per verba et sensibilia signa seu gesta; sic et pseudopropheta ista præsumpsit, ut magis authenticus D videretur. *Omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes : Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis.*

Nuntius vero qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens : Ecce sermones prophetarum ore uno regi bona prædicant, sit ergo et sermo tuus similis eorum, et loquere bona. Cui Michæas ait : Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Venit itaque ad regem, et ait illi rex : Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? id est, an expedit ut eamus ad præliandum pro Ramoth recuperanda? *Cui ille respondit : Ascende et vade prospere,* id est, opto ut prospere vadas : sicut communiter dicimus abeunti, Vade in pace. Vel ironice dixit hoc zelo justitiæ, quia rex impius indignus fuit vero responso, quamvis hoc postea datum sit ei. *Et tradet Dominus in manu regis.* Non dixit quos, vel in cujus regis manu, sed obscure locutus est. Vel, quia rex potius voluit audire prospera quam vera, dedit ei irrisorie responsum hujusmodi : ac si diceret, Taliter tibi respondeo, ut mereris et dignus es. Quod Achab suspicans, dixit [quod subditur].

Dixit autem rex ad eum : Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini. Et ille ait, verum dando responsum propter reverentiam nominis Dei quo fuerat adjuratus, sicut et Christus a pontifice adjuratus, respondit, qui antea siluit : *Vidi* in visione imaginaria prophetali mihi ostensa, *cunctum Israel,* id est exercitum tuum, *dispersum in montibus,* quibus terra illa abundat, *quasi oves non habentes pastorem.* Quasi dicat : Sicut collecti vadunt bellatores ad prælium, sic isti dispersi diffugient, et rex seu dux eorum cadet, auferetur que eis. *Et ait Dominus* mihi in visione : *Non habent dominum isti,* id est, rex eorum letaliter vulneratus, mox morietur. *Revertatur unusquisque in domum suam in pace.* Ex hoc aliqui trahunt et dicunt, quod nullus de exercitu Israel cecidit in prælio illo, nisi rex Achab. Supra tamen dixerat Dominus, quod anima Achab esset pro anima regis Syriæ, et populus Israel pro populo Syriæ. Quod aliqui solvunt, quod ideo populus Achab fuit pro populo illo, quoniam fugit de prælio. *Dixit ergo rex Israel ad Josaphat : Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?* quasi dicat : Non vere, sed invidiose loquitur mihi.

Matth. XXVI, 63, 64.

III *Reg.* XX, 42.

Digitized by Google

Ille vero addens, ait, clarius exponendo A suam revelationem et seriem deceptionis perfidi regis : *Propterea,* id est ob tuam incredulitatem confutandam seu informandam, *audi sermonem Domini : Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli adsistentem ei a dextris et a sinistris.* Certum est, quod Deus in se ipso sit incircumscriptibilis, immaterialis, simplicissimus, illocabilis, et intemporalis : idcirco nec angeli incorporei situaliter Deo adsistunt, nec eum inter se terminant aut includunt. Ideo visio ista B Michææ fuit imaginaria, qua vidit Deum in similitudine, forma seu specie quadam ipsum repræsentante, sive fuerit similitudo illa tantum in imaginatione illa Prophetæ, sive formata exterius, prout sanctus Job xlii, 5 Job loquitur Deo : Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Communiter autem fiebant tales visiones ipsis Prophetis ab omni exteriori sensu alienatis. Huicque visioni Michææ similis fuit Is. vi, 1. visio Isaiæ, protestantis : Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. C Illa quoque Danielis, de qua ipse ait: Dan. vii, 2. 9, 10. Adspiciebam in visione mea nocte, donec throni positi sunt et Antiquus dierum sedit. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Juxta quem etiam modum Ezechiel in exordio voluminis sui, innuit sibi Dominum Ezech. i, 26. apparuisse : Super firmamentum, inquiens, quasi adspectus lapidis sapphiri similitudo throni, et super similitudinem throni, similitudo quasi adspectus hominis desuper. Potest quoque hujusmodi visio fieri D in vigilia et in somno.

Porro quod dictum est, Omnem exercitum cœli adsistentem ei a dextris et a sinistris, expositores communiter sic explanant, quod omnis exercitus cœli dicitur Deo adsistere a dextris, quantum ad angelos bonos ; et a sinistris, quantum ad angelos malos : et in hoc sequuntur Gregorium. Sicque dicuntur angeli mali Deo a sinistris adsistere, quia frequenter sunt exsecutores æquitatis divinæ, nec aliquid possunt nisi Altissimo permittente. Unde scriptum est : Factum est quum quadam die filii Dei venissent et starent coram Domino, venissetque Satan inter eos et staret in conspectu ejus. Job ii. 1. Et quamvis expositio ista sit commendanda, videtur tamen locus iste aliter posse exponi, et magis consonanter ad formam textus. Loquitur enim Propheta de Deo tanquam de rege magno residenti in throno suo, et de toto ejus exercitu lateraliter ipsum ambiente, prout milites solent principem circumstare. Sic autem proprie non circumstant neque adsistunt, nisi milites boni aut servi fideles. Item hoc loco per omnem exercitum cœli, videtur intelligendus totus exercitus cœli empyrei, ad quem non pertinent angeli tenebrarum. Ideo per omnem exercitum istum videntur soli angeli sancti intelligendi, quia et hi qui in regno beatitudinis sunt ad sinistram regis, beati sunt. Unde mater filiorum Zebedæi oravit : Dic ut sedeant hi duo Matth. xx. 20, 21. filii mei, unus ad dexteram, et unus ad sinistram tuam in regno tuo. In Proverbiorum quoque libro legitur : Longitudo Prov. iii. 16. dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria. Sponsa quoque in Canticis : Læva ejus, inquit, sub capite meo, et Cant. ii. 6. dextera illius amplexabitur me.

Et ait Dominus : Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad? Loquitur scriptura ista de Deo more humano, quum omnipotens Deus nihil ex ignorantia quærat, nec per se vocaliter sciscitetur; sed interna allocutione loquitur supernis spiritibus, prout de hac re super Job dictum est plenius. *Et dixit unus verba hujuscemodi,* intellectualiter respondendo, seque ad Dei obsequia exhibendo paratum, *et alius aliter :* non quod in civibus cœli empyrei sit discordia ulla, sed omnes ad eumdem finem unanimiter tendebant, quamvis per media plura ac varia. Nec est intelligendum, quod Deus aut angeli sancti voluerunt ipsum Achab directe et efficienter decipere, aut falsa aliqua revelare, sed permissive dumtaxat, juxta quem sensum in Ezechiele scriptum

Digitized by Google

Ezech. xiv, 9. est : Propheta quum erraverit, ego Dominus decepi prophetam illum. Nempe in tantum dependent efficientialiterque procedunt a Deo omnis illuminatio, gratia, virtus, compunctio, directio et profectus, quod etiam opposita horum dicuntur esse ab ipso, quoniam non nisi ipso permittente contingunt. Unde Isaias loquitur Deo : Quare errare nos fecisti de viis tuis? indurasti corda nostra ne timeremus te? Et Psalmista : Declinasti, ait, semitas nostras a via tua. Hinc in Deuteronomio Moyses loquitur : Noluit Sehon rex Hesebon filiis Israel dare transitum, quia induraverat Dominus Deus spiritum ejus et obfirmaverat cor illius. (Is. lxiii, 17. — Ps xliii, 19. — Deut. ii, 30)

Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino. Iste fuit spiritus malus, qui exivit de prava voluntate ad opus seu actum illicitum, stetitque coram Domino ubique præsente, et in imaginaria visione videbatur de sua societate consurgere, et coram Deo sedente in solio apparere, tanquam paratus implere inique, quod Deus permisit fieri juste : non quod spiritus ille malignus unquam empyreum intret cœlum, aut ibi inter angelos Dei consistat; sed sicut angeli sancti paratos se exhibent obsequi Creatori et omni bono, sic ille in malo, vel etiam in exsecutione divinæ justitiæ, tamen perversa intentione et ex vitiosa radice. *Et ait : Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus : In quo? Et ille ait : Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies et prævalebis; egredere et fac ita.* Ista locutio Dei ad dæmonem, est justa permissio ejus, et collocutio per angelum bonum, cujus est refrenare et relaxare potestatem diaboli; sed spiritualia et interna non capiuntur ab hominibus grossis, nisi per similitudines corporalium exprimantur more humano. Tamen ad intelligendum hæc plenius, recurrendum est ad expositionem primi capituli libri Job.

Nunc igitur ecce dedit Dominus permissive *spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt,* id est, a spiritu diabolico, qui est mendax et pater mendaciorum, permisit hos falsos inspirari, falli et provocari ad prophetandum mendose. (Joann. viii, 44.) Unde elicitur error Hebræorum quorumdam dicentium, quod spiritus iste fuit anima Naboth lapidati ac mortui : quæ anima quum fuerit virtuosa atque in sinu Abrahæ posita, non exivit ad proferendum ista mendacia. *Et Dominus locutus est contra te malum.*

Accessit autem Sedecias filius Chanaan, et percussit Michæam in maxillam, et dixit : Mene ergo dimisit spiritus Domini, et locutus est tibi? Sedecias iste superbus et laudis humanæ ac proprii commodi cupidus, qui et cornua fecerat sibi, præ ceteris ægre tulit, quod dicebatur deceptus atque deceptor, nec verum habens spiritum prophetiæ. *Et ait Michæas,* vir patiens, et percutientem non repercutiens, neque cum turbulentia loquens, sed modeste respondens : *Visurus es* vera esse quæ dixi, *in die illa quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abscondaris,* videlicet quum insonuerit rumor de regis occisione, quia tunc metues a filiis regis occidi tanquam falsarius et deceptor, quum fuerint a bello regressi. Circa hæc Magister in historiis Josephum sequens, addit : Vidit Sedecias regem dubitantem quid ageret, confortavitque eum secreto, dicens : Si Michæas esset propheta, aruisset manus mea in eum extensa, sicut aruit manus Jeroboam quam extendit contra Prophetam in Bethel, ut supra patuit : et etiam locutus est contra Eliam, qui dixit te moriturum ubi lapidatus est Naboth prope Jezrael; hic autem dicit, te moriturum in Ramoth. (III Reg. xiii, 4. — Ibid. xxi, 19.) Unde ultra conclusit, quod nulli eorum esset credendum, quia inter se discreparent. Tunc rex audacior factus, jussit incarcerari Michæam, sicut consequenter in textu describitur.

Et ait rex Israel : Tollite Michæam, et maneat apud Amon principem civitatis, et apud Joas filium Amelech, et dicite eis : Hæc dicit rex : Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis et aqua angustiæ, donec revertar in

Digitized by Google

pace. Dixitque Michæas : Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait Michæas, quando jam apprehendebatur, ut duceretur ad carcerem : *Audite, populi omnes,* id est, sitis memores eorum quæ dixi, ut quum fuerint adimpleta, perhibeatis testimonium veritati. Quidam dicunt, quod dixit hoc, volens plus loqui, sed non fuit permissus.

Ascendit itaque rex Israel et Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad. Dixit itaque rex Israel ad Josaphat : Sume arma tua, id est, regiis armis te muni, *et ingredere prælium,* tanquam dominus totius exercitus, *et induere vestibus tuis,* id est, regalem indue apparatum atque vestitum, regalia assumendo insignia, quæ ferre consuevisti ad bella, et communem vestem nunc deponendo. Hoc Achab locutus est, vel ut Josaphat regi tanquam majori deferret, vel ne ipse Achab cognosceretur a Syris, sicque minus impugnaretur ab illis, vel ut pondus belli super Josaphat immineret. Hinc sequitur. *Porro rex Israel mutavit habitum suum,* militari vestitu et armatura communi quasi operiens se, *et ingressus est bellum.*

Rex autem Syriæ præcepit principibus curruum, ex quibus quidam pugnabant, *triginta duobus, dicens : Non pugnabitis contra minorem et majorem quempiam, nisi contra regem Israel solum,* id est, illum solummodo invadetis, tanquam incitatorem principalem totius hujus negotii,
III *Reg.* xx, 34. et quia fœdus pacis, quod secum inii, violat modo. Dicunt tamen quidam Hebræi, quod per exploratores suos clam percepit, qualiter Michæas prædixit eum casurum ibidem, et ceteros evasuros, ideo jussit eum dumtaxat impugnari. *Quum ergo vidissent principes curruum Josaphat, suspicati sunt quod esset rex Israel. Et impetu facto, pugnabant contra eum,* id est contra Josaphat, quem videbant regio diademate decoratum, putantes quod esset Achab, *et exclamavit Josaphat.* Secundo Paralipome-
II *Par.* xviii, 31. non habetur, quod clamavit ad Dominum, id est, Deum pro defensione et evasione rogavit; vocavit quoque ad se auxiliarios suos præcipuos, et capitis sui custodes. *Intellexeruntque principes curruum, quod non esset rex Israel, et cessaverunt ab eo.*

Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit jaculo *regem Israel inter pulmonem et stomachum.* Non sine divina præordinatione hoc contigit : imo respectu divinæ providentiæ omnia certissime intuentis ac æternaliter prænoscentis, nihil est casuale, neque fortuitum; imo sic certus est ordo causarum, quamvis ex hoc non tollantur a rebus creatis libertas, fortuna et casus, ut experientia quoque testatur. Verumtamen in Paralipomenon legitur, quod percussit regem Israel inter cervicem et II *Par.* xviii, 33. scapulas : pro quorum concordia respondetur, quod sagitta a parte anteriori prope pulmonem intravit, et retro circa scapulas exiit, quia tendendo in altius movebatur, utpote a pedite missa, et regem in curru stantem tangens ac perforans. Quod si quæratur, qualiter regem armatum potuit perforare, respondetur ex eo, quod in Hebræo habetur, Percussit eum inter squamas et loricam, videlicet, quia rex super loricam habuit armaturam, ut fertur, de laminis ferreis instar squamarum connexis, elevataque una earum a loco suo, sagitta per eum intravit. *At ille dixit aurigæ suo : Verte manum tuam, et ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum.* Paulo post subditur : Rex Israel stabat in curru suo contra Syros, et in Paralipomenon additur, Usque ad vesperam : quomodo ergo jussit *Ibid.* 34. se de exercitu ejici? Respondetur ex eo quod secundo Paralipomenon asseritur, Educ me de acie. Itaque sensus est, quod *Ibid.* 33. jussit se de prima acie reduci ad posteriorem in curru, in qua minus impugnaretur, suamque læsionem amplius occultaret. Stetit autem in curru suo, ne exercitus suus cognita vulneratione sua territus fugeret.

Commissum est ergo prælium in die illa. Et rex Israel stabat in curru suo contra Syros. Et mortuus est vespere. Fluebat autem sanguis plagæ regis *in sinum,* hoc est interiora ac fundum, *currus, et præco in-*

Digitized by Google

sonuit in universo exercitu, antequam sol occumberet, dicens : Unusquisque revertatur in civitatem et in terram suam, ita ut populus Josaphat cum ipso ad terram regni redeat Juda : sicque præco iste jubente principe militiæ, primo insonuit buccina, deinde protulit verba ista rege jam mortuo aut pene defuncto. *Mortuus est autem rex, et perlatus est in Samariam. Sepelieruntque regem in Samaria, et laverunt* mulierculæ *currum ejus,* sanguinem de sinu currus extergendo, *in piscina Samariæ, et linxerunt canes sanguinem ejus,* sic extersum in aqua, *et laverunt habenas ejus,* hoc est lora seu retinacula freni sanguine regis adspersa, *juxta verbum Domini quod locutus fuerat.*

Reliqua autem sermonum Achab, et universa quæ fecit, et domus eburnea, quam ædificavit, cunctarumque urbium quas exstruxit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Israel? Qui liber non superest, nec habetur. Non enim est liber Paralipomenon in quo de domo eburnea regis Achab nil legitur. *Dormivit ergo Achab cum patribus suis, et regnavit Ochozias filius ejus pro eo.*

Josaphat vero filius Asa regnare cœperat super Judam, anno quarto Achab regis Israel. Triginta quinque annorum erat quum regnare cœpisset, et viginti quinque annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Azuba, filia Salai. Et ambulavit in omni via Asa patris sui, et non declinavit ex ea. Fecitque quod rectum erat in conspectu Domini. Josaphat ergo regnavit anno [III *Reg.* XVI, 29.] quarto regni Achab : de cujus verbi intellectu dictum est supra diffuse. *Verumtamen excelsa non abstulit.* Quid per excelsa intelligatur, et qualiter licuit, aut illicitum [*Ibid.* XV, 14] fuit in eis Deo immolare, dictum est supra. *Adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. Pacemque habuit Josaphat cum rege Israel.*

Reliqua autem verborum Josaphat, et opera ejus quæ gessit, et prælia, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Juda? De opulentia, magnificentia, A victoriis, devotione, fama, justitia, ædificiis, copiosis exercitibus regis Josaphat, multa secundo Paralipomenon in diversis [II *Par.* XVII-XX.] capitulis sunt conscripta ; et tamen ante editionem libri Paralipomenon scripta erant et alibi. *Sed et reliquias,* hoc est residuos, *effeminatorum qui remanserant in diebus Asa patris ejus, abstulit de terra.* Qui dicantur effeminati, in expositione superio- [III *Reg.* XV, 12.] rum continetur. *Nec erat rex tunc constitutus in Edom,* id est, Idumæi quibus David rex abstulit regiam dignitatem et princi- B patum regalem, a tempore illo usque ad tempus Josaphat non constituerunt sibi regem, sed sub tributo servierunt regibus Juda. Istud hic tangitur, ad insinuandum quod et Idumæi erant subjecti Josaphat regi, quanquam secundo Paralipomenon legantur cum Moabitis et Ammonitis contra [II *Par.* XX, 10, 11.] Josaphat convenisse ; sed interierunt, et de cetero manserunt ei subjecti.

Rex vero Josaphat fecerat classes, id est naves, quæ irent *in mari, quæ navigarent in Ophir,* id est locum sic appellatum in C India, *propter aurum* inde portandum ; *et ire non potuerunt,* id est, usque Ophir procedere, *quia confractæ sunt in Asiongaber,* id est loco intermedio sic vocato : de quo loco et de Ophir dictum est supra. De [III *Reg.* IX, 26, 28.] causa hujus dissipationis navium Josaphat, habetur secundo Paralipomenon, videlicet quod amicitiam iniit cum sceleratissimo [II *Par.* XX, 35.] rege Israel Ochozia, cujus soror exstitit sua nurus. *Tunc,* scilicet post primam navium confractionem, *ait Ochozias filius Achab ad Josaphat : Vadant servi mei cum ser-* D *vis tuis in navibus* pro auro. *Et noluit Josaphat,* in hac secunda vice qua misit pro auro, neque deinceps : quia ut in Paralipomenon recitatur, increpatus fuit a Domino [*Ibid.* 37.] per Prophetam de amicitia et societate sua cum Ochozia, fuitque ei prædictum, quod ideo naves suæ dissiparentur in via. Fuit namque in hoc ipso culpabilis, quia et antea fuit ab alio Propheta correptus de hoc, [*Ibid.* XIX, 2.] quod impio Achab præbuit opem, id est, amicitiam ejus admisit. *Dormivitque Josaphat cum patribus suis, et sepultus est*

Digitized by Google

cum eis in civitate David patris sui; regnavitque Joram filius ejus pro eo.

Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel in Samaria anno septimodecimo Josaphat regis Juda, regnavitque super Israel duobus annis. Præhabitum est, quod Achab regnavit annis viginti duobus, (III *Reg.* xvi, 29.) et item quod quarto anno regni Achab, incepit Josaphat rex regnare : ergo Achab regnavit usque ad consummationem octavidecimi anni regni Josaphat. Unde sequi videtur, quod Ochozias filius Achab cœpit regnare anno nonodecimo Josaphat regis. Ad quod respondetur, quod primus et ultimus anni, in quibus Achab regnavit simul cum Josaphat, non fuerunt completi, idcirco nec computantur hoc loco. Et, ut in Scholastica fertur historia, ex dictis et libris diversorum Prophetarum collectus est liber Regum. Hinc est quod alius aliud, et alius aliud assignavit initium inchoationis regni, tam regum Juda, quam regum Israel, secundum diversitatem rationum atque respectuum. *Et fecit malum in conspectu Domini, et ambulavit in via patris sui, et matris suæ, et in via Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. Servivit quoque Baal, et adoravit eum, et irritavit Dominum Deum Israel, juxta omnia quæ fecerat pater ejus,* videlicet Achab. Qualiter autem incommutabilis et tranquillissimus Deus irritari dicatur, utpote quantum ad similitudinem effectus, non per veritatem affectus, juxta quem modum attribuuntur ei furor, indignatio, ira, dictum est sæpe.

(Sensus spiritualis.) Juxta tropologiam, per Achab designantur qui veritatem dicentibus et increpantibus indignantur, quales sunt multi magnates et divites ac potentes. De quibus loquitur Isaias : (*Is.* xxx, 10.) Dicunt videntibus, Nolite videre; et adspicientibus, Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores. De talibus fertur et in Amos : (*Amos* v, 10.) Odio habuerunt corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt. O quam multi nunc tales sunt! Quibus si veritas nude dicatur, et justa fiat correptio, non emendantur, sed persequuntur dicentem. Adulatores autem amant ac audiunt, sicut Achab Sedeciam prophetasque Baal : per quos figurati sunt prædicatores, pastores et clerici, qui principibus et majoribus prælatis blandiuntur, et prospera sermocinantur, quærentes illis placere, et propria commoda, promotiones, beneficia obtinere, non pensantes illud sancti Hieronymi : Nil gravius in sacerdote, quam personarum acceptio. Quod Ambrosius quoque fatetur. Porro, per Josaphat exprimuntur qui veros et justos prædicatores pastoresque diligunt et requirunt, et verba correptionis ac saluberrimæ directionis audiunt patienter, et amplectuntur libenter. Tales demum justi ac timorati prædicatores ac præsidentes, et amatores fratrum, signati sunt per Michæam, qui omni humano timore postposito, et omni propriorum commodorum affectione sopita, constantissime dixit : Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Sic boni et vere sapientes loquuntur ac prædicant tempore opportuno, quidquid Dominus loquitur in Scripturis, et quidquid conscientia dictat, ac Spiritus suggerit veritatis.

Postremo docemur ex isto capitulo, quantum vitanda sit justis principibus ac ceteris timoratis familiaritas societasque pravorum, quia ex ea in diversa et magna labuntur pericula. Iterum constat ex præinductis, quod reges et principes quandoque succumbunt in præliis, quamvis justam habeant causam, quia aliunde sunt culpabiles, et id quod eis debetur ex jure communi, recipere sunt indigni ex crimine speciali. Siquidem Ramoth Galaad pertinebat de jure ad regnum Israel, non ad Syros; et tamen rex Israel in bello, quo urbem illam conabatur recuperare, est victus.

FINIS COMMENTARIORUM LIBRI REGUM TERTII

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

XVII, 6. (Dominus ad Abram :) Reges... ex te egredientur, 301 B'.
XXV, 23. Duæ gentes sunt in utero tuo, ... et major serviet minori, 489 D.
XLVIII, 19. (Jacob ad Joseph :) Frater ejus minor, major erit illo, 680 A'.
XLVIII, 21, 22. Ait ad Joseph filium suum :... Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, 103 D'.
XLIX, 3, 4. Ruben primogenitus meus,... effusus es sicut aqua, non crescas : quia ascendisti cubile patris tui, 73 D'.
XLIX, 10. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, Prœm. 425.
XLIX, 13. Zabulon in littore maris habitabit, 87 A'.
XLIX, 14, 15. Issachar... vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, 87 D'.
XLIX, 16. Dan judicabit populum suum, 192 B'.
XLIX, 18. Salutare tuum exspectabo, Domine, 260 D'.
XLIX, 20. Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus, 88 A.
L, 24. (Joseph ad fratres suos :) Asportate ossa mea vobiscum de loco isto, 103 C'.

EXODI.

VI, 7. Assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus, 482 D'.
XX, 5. Ego sum Dominus..., visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem, 274 C'. *Cf.* 44 C.
XXI, 14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias : ab altari meo evelles eum, ut moriatur, 595 C.
XXII, 1. Si quis furatus fuerit ... ovem, et occiderit vel vendiderit :... quatuor oves (restituet), 504 B.
XXII, 18. Maleficos non patieris vivere, 408 C.
XXIII, 8. Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum, 301 A. *Cf.* 303 A'.
XXIII, 13. Per nomen externorum deorum non jurabitis, 97 B'.
XXIII, 17. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino, 250 A'.
XXIII, 31. Ponam... terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum, 6 C'.
XXV, 15. (Vectes) semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis, 645 B'.
XXX, 12. (Dominus ad Moysen :) Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, 574 B.
XXXII, 4. (Aaron) fecit... vitulum conflatilem; dixeruntque : Hi sunt dii tui, Israel, 207 B, 409 D'.
XXXIII, 17. Dixit autem Dominus ad Moysen :... Te ipsum novi ex nomine, 481 A.
XXXIII, 20. Non... videbit me homo, et vivet, 146 D, 184 A'.

LEVITICI.

III, 16, 17. Omnis adeps, Domini erit jure perpetuo, 269 C', 346 C.
XIX, 18. Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut te ipsum, 391 D.
XIX, 27. Nec radetis barbam, 495 A'.
XIX, 31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, 409 A.
XX, 27. Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, 408 C.
XXV, 25. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat, 238 C.

Digitized by Google

NUMERORUM.

IV, 20. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam involvantur, alioqui morientur, 290 D'. *Cf.* A', 291 B'.

VI, 3. Acetum ex vino,... et quidquid de uva exprimitur, non bibent, 182 B'.

X, 9. Si exieritis ad bellum... contra hostes..., clangetis ululantibus tubis, 34 A.

XI, 15. (Moyses ad Dominum :) Obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, 711 A.

XIII, 23. Ascenderunt... ad meridiem, et venerunt in Hebron, ubi erant... filii Enac, 75 A'.

XIV, 21. Vivo ego : et implebitur gloria Domini universa terra, 482 B.

XXI, 15. Scopuli torrentium inclinati sunt, 136 D'.

XXIII, 19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur ; nec ut filius hominis, ut mutetur, 347 C'.

XXVII, 6. (Dominus ad Moysen :) Justam rem postulant filiæ Salphaad : da eis possessionem inter cognatos patris sui, 82 D.

XXVII, 16. Provideat Dominus... hominem, qui sit super multitudinem hanc, 300 B'.

XXXVI, 7, 9. Omnes... viri ducent uxores de tribu et cognatione sua,... ne sibi misceantur tribus, 168 D, 187 C, 598 D.

DEUTERONOMII.

II, 4. Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau,... et timebunt vos, 171 D'.

II, 19. (Dominus ad Moysen :) Non... dabo tibi de terra filiorum Ammon, 72 B, 171 B'.

II, 28, 29. Tantum est ut nobis concedas transitum, sicut fecerunt filii Esau, 172 A.

IV, 7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris, 483 A.

VI, 6, 7. Verba hæc (erunt) in corde tuo ;... et meditaberis in eis sedens in domo tua, 8 B.

VI, 13. Dominum Deum tuum timebis,... ac per nomen illius jurabis, 97 C'.

VI, 16. Non tentabis Dominum Deum tuum, 175 D. *Cf.* 148 A.

VII, 3. Non... sociabis cum eis conjugia, 187 D. *Cf.* 168 B, 598 C.

VII, 3. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, 188 A.

VII, 6. Te elegit Dominus..., ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram, 481 B', 652 C'.

VII, 22. Non poteris eas (nationes) delere pariter : ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ, 60 D', 92 B', 123 C'.

VII, 25. Sculptilia eorum igne combures : non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, 508 D'.

XI, 10, 11. Terra..., ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti ; sed montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluvias, 78 A'.

XI, 24. Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit, 6 D'.

XII, 16. (Comedes) absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes, 337 D.

XV, 4. Omnino indigens et mendicus non erit inter vos, 451 D.

XVI, 18. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, 524 B.

XVI, 21. Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare Domini, 102 D.

XVII, 15. Eum constitues (regem), quem Dominus... elegerit de numero fratrum tuorum, 303 A', D'.

XVII, 16, 17. Quum... fuerit constitutus (rex), non multiplicabit sibi equos,... neque argenti et auri immensa pondera, 488 A, 664 A'.

XVIII, 10. Nec inveniatur in te qui... ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, 409 A.

XX, 5. Quis est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam ? vadat, etc., 152 B, 320 C.

XX, 16. De his... civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere, 552 D'.

XXI, 11-13. (Si) videris in numero captivorum mulierem pulchram,... volueris que habere uxorem, introduces eam in domum tuam, 598 A' ;... flebit patrem et matrem suam uno mense, 500 D'. *Cf.* 438 B.

XXI, 23. Non permanebit cadaver... in ligno, sed in eadem die sepelietur, 49 B, 557 A'.

XXIII, 3. Ammonites et Moabites... non intrabunt ecclesiam Domini, in æternum, 238 D'.

XXIII, 7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, 489 B', 670 A'.

XXV, 8, 9. Si (propinquus) responderit : Nolo eam uxorem accipere : accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, etc., 239 C.

Digitized by Google

XXV, 17, 18. Memento quæ fecerit tibi Amalec in via... : quomodo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, 343 D.
— 19. Quum... Dominus Deus tuus dederit tibi requiem,... delebis nomen ejus (Amalec) sub cœlo, 344 C'.
XXVII, 1, 5. Præcepit... Moyses et seniores Israel, populo dicentes :... Ædificabis (in monte Hebal) altare Domino, 49 C.
— 2, 3. (Moyses ad populum :) Eriges ingentes lapides,... ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, 49 C'.
— 15 et seq. Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile...; maledictus qui non honorat patrem suum et matrem... etc., 50 C.
— 22. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ, 513 B.
XXXIII, 2. Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis : apparuit de monte Pharan, 136 A.
— 17. Cornua rhinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit gentes, 260 D.

JOSUE.

I, 5. (Dominus ad Josue :) Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ, 41 B.
VI, 26. Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho, 695 D'.
XI, 18. Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos, 60 C'.
— 20. Domini... sententia fuerat, ut indurarentur..., et non mererentur ullam clementiam, 56 C'.
XV, 63. Jebusæum... habitatorem Jerusalem, non potuerunt filii Juda delere, 113 B', 458 A'.

JUDICUM.

III, 1, 3. Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit...: Quinque satrapas Philistinorum, etc., 66 B.
VI, 39. Dixit... rursus (Gedeon) ad Deum : Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, 175 B'. *Cf.* 148 A.
VIII, 23. (Gedeon ad populum :) Non dominabor vestri,... sed dominabitur vobis Dominus, 117 A.
XI, 15. Non tulit Israel terram... filiorum Ammon, 72 B.

I REGUM.

VII, 13. Humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel, 328 D'.
— 13. Facta est... manus Domini super Philistæos, cunctis diebus Samuelis, 328 D'.
VIII, 7. Dixit autem Dominus ad Samuelem : Non... te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, 117 B.
XII, 17. Scietis... quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem, 303 D'. *Cf.* 315 B'.
XXVI, 9. (David ad Abisai :) Ne interficias eum : quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit ? 328 B. *Cf.* 389 D, D', 430 A'.
XXVII, 1. Ait David in corde suo : Aliquando incidam una die in manus Saul, 387 A.
XXX, 24. Æqua... pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, 94 B.

II REGUM.

VI, 20. Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se... et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris ! 371 D.
— 23. Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ, 446 D'.
XVIII, 3. Respondit populus (ad David) : Tu unus pro decem millibus computaris, 365 A'.
XXIII, 8. David... octingentos interfecit impetu uno, 129 B'.

III REGUM.

III, 7. (Ait Salomon :) Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum... : ego autem sum puer parvulus, etc., 675 C.
V[illegible], 58. (Dominus) inclinet corda nostra ad se, 101 D'.
XVI, 34. Ædificavit Hiel de Bethel, Jericho : in Abiram primitivo suo fundavit eam, etc., 37 B.
XVIII, 32, 33. (Elias) ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini..., divisitque per membra bovem, et posuit super ligna, etc., 184 A.

IV REGUM.

III, 14, 15. Dixit... Eliseus :... Adducite mihi psaltem, 313 B'.

Digitized by Google

XXII, 20. (Dominus ad Josiam :) Colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum, 687 B.

I PARALIPOMENON.

IV, 22. Securus et Incedens, qui principes fuerunt in Moab, 225 B'.
V, 1. (Ruben) quum violasset torum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph, 74 A.
XXI, 1. Consurrexit... Satan contra Israel, et concitavit David ut numeraret Israel, 572 A'.
— 3. Responditque Joab (ad David) :... Quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli ? 573 A.
XXVIII, 9. Si quæsieris (Deum), invenies : si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum, 486 D'.
XXIX, 1. Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum et tenellum, 675 C.
— 14. Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, 272 D'.
— 25. Dominus... dedit (Salomoni) gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel, 477 C.

II PARALIPOMENON.

V, 9. Vectium (arcæ)... capita parebant ante oraculum : si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat, 645 D.
VI, 1. Salomon ait : Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine, 646 C.
XIV, 11. Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus, 334 C'.

II ESDRÆ.

XIII, 26. Salomon... dilectus Deo suo erat, 477 C'.

JOB.

II, 1. Quum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, etc., 728 A'.
— 9. Dixit autem illi uxor sua : ... Benedic Deo et morere, 723 B'.
VI, 10. Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me (Deus) dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti, 280 D.
IX, 2. Vere scio quod... non justificetur homo compositus Deo, 700 D'.
XII, 12. In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia, 678 C'.
XIII, 15. Etiamsi (Deus) occiderit me, in ipso sperabo, 214 B'.
XXIV, 12. Deus inultum abire non patitur, 347 D, 453 B, 505 D'.
XXXI, 26-28. Si vidi solem quum fulgeret,... et osculatus sum manum meam ore meo : quæ est iniquitas maxima..., 714 A.
XXXIII, 15, 16. Per somnium in visione nocturna,... aperit (Deus) aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina, 599 D'.
XXXIV, 10, 11. Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, etc., 562 C'.
XXXVII, 4. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, 263 A'.
XLII, 5. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te, 728 B.

PSALMORUM.

II, 11. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore, 562 D'.
IX, 8, 9. Paravit in judicio thronum suum : et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, 263 B'.
XLIII, 19. Declinasti (Domine) semitas nostras a via tua, 572 C', 729 A.
L, 6. Tibi soli peccavi, 506 A.
LVII, 11. Lætabitur justus quum viderit vindictam, 400 B.
LXXI, 8. Dominabitur (Christus) a mari usque ad mare; et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, 476 D'.
LXXII, 11. Dixerunt : Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso ? 100 C'.
— 27. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, 120 C.
LXXIII, 6. Exciderunt januas ejus (templi), 621 C'.
LXXIV, 5. Dixi... delinquentibus : Nolite exaltare cornu, 260 C.
LXXVI, 3 et seq. In die tribulationis meæ Deum exquisivi,.. et meditatus sum nocte cum corde meo, etc., 535 D.
LXXVII, 34. Quum (Deus) occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, 27 C'.
— 66. Percussit inimicos suos in posteriora : opprobrium sempiternum dedit illis, 286 D'.

Digitized by Google

LXXVII, 70. Elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, 475B.
LXXXIII, 3. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum, 259C.
LXXXIX, 1. Domine, refugium factus es nobis, 482D'.
— 10. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni, 548B, 581B.
CXIII, 7. A facie Domini mota est terra, 136B'.
CXVIII, 36. Inclina cor meum in testimonia tua, 101D', 653B.
CXLII, 2. Non intres in judicium cum servo tuo, 653B'.

PROVERBIORUM.

IV, 23. Omni custodia serva cor tuum, 589C.
VIII, 30. Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, 466C'.
XIII, 10. Inter superbos semper jurgia sunt, 156C', 178C.
XIV, 10. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus, 252A.
— 28. In multitudine populi dignitas regis ; et in paucitate plebis ignominia principis, 549A.
XV, 1. Responsio mollis frangit iram, 157B. *Cf.* 161C.
— 1. Sermo durus suscitat furorem, 161A'. *Cf.* 157A'.
XVI, 33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur, 45C', 340C.
XVIII, 1. Occasiones quærit qui vult recedere ab amico, 178D'.
XX, 22. Ne dicas : Reddam malum, 194B.
— 28. Roboratur clementia thronus (regis), 316C', 720A'.
XXIV, 17. Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum, 400A, 488C'.
XXVIII, 14. Qui... mentis est duræ, corruet in malum, 395C.
XXXI, 3. Ne dederis mulieribus substantiam tuam, 582B.

ECCLESIASTÆ.

I, 12. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem, 486D.
— 16. Locutus sum in corde meo, dicens : ... Præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem, 602C.

SAPIENTIÆ.

IV, 10, 11. (Justus) vivens inter peccatores... raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, 687B.
V, 8. Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? 561A.
— 21. Pugnabit cum (Deo) orbis terrarum contra insensatos, 139D'.
VII, 17-21. (Deus) ipse... dedit mihi horum quæ sunt, scientiam veram : ut sciam dispositionem orbis terrarum, etc., 602C.
XI, 17. Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur, 113D, 506A'.

ECCLESIASTICI.

X, 2. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus, 98C'.
— 11, 12. Omnis potentatus brevis vita ; ... rex hodie est, et cras morietur, 582A'.
— 17. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis, 262D'.
XIII, 31. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala, 253A'
XVII, 14. (Deus) in unamquamque gentem præposuit rectorem, Procem. 245.
XXII, 13. Luctus mortui septem dies, 438B. *Cf.* 420B, 500D'.
XXX, 1. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, 514D.
XXXII, 1. Rectorem te posuerunt ? Noli extolli, etc., 89A'.
XLV, 1. Dilectus Deo et hominibus Moyses, 271C'.
XLVI, 1. Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, Procem. 3.
— 13, 14. Judices... quorum non est corruptum cor : ... ut sit memoria illorum in benedictione, Procem. 109.
— 16, 22. Dilectus a Domino... Samuel,... testimonium præbuit in conspectu Domini, et christi ; pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, 323A'.
— 23. Post hoc dormivit Samuel, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitæ suæ, 411C'.

ISAIÆ.

I, 16. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, 593A'.

Digitized by Google

VI, 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, 728B.

X, 5-7. Væ Assur, virga furoris mei... : ad gentem fallacem mittam eum; ... ipse autem non sic arbitrabitur, 532C.

XVI, 1. Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion, Præf. 221.

XIX, 25. Hereditas... mea Israel, 404B, 482C'.

XXVI, 12. Domine,... omnia... opera nostra operatus es nobis, 653B.

XXX, 1. Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, etc., 55A'.

XXXII, 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis,... et in requie opulenta, 476A.

XXXVIII, 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, 252A.

XLIII, 10. Ante me non est formatus deus, et post me non erit, 261A.

XLV, 6, 7. Ego Dominus,... formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum, 505C.

XLVIII, 11. Propter me faciam, ut non blasphemer; et gloriam meam alteri non dabo, 325B.

L, 1. Hæc dixit Dominus : ... Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, 724D'.

LIII, 2. Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti, 563C.

LXIII, 12. Qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum, 482B.

— 14. Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ, 482B.

— 17. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? indurasti cor nostrum ne timeremus te? 572C', 729A.

LXIV, 6. Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, 700C'.

LXV, 10. (Erit) vallis Achor in cubile armentorum, 44B.

LXVI, 1. Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum : quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? 649B'.

JEREMIÆ.

II, 8. Tenentes legem nescierunt me, 269B.

— 19. Vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum..., dicit Dominus, 120C'.

IV, 2. Jurabis : Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia, 339D'.

VII, 19. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? 119D'.

X, 21. Quia stulte egerunt pastores,... omnis grex eorum dispersus est, 98C'.

— 23. Non est hominis via ejus; nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos, 8D.

— 24. Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, 653B'.

XV, 1. Dixit Dominus... : Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, 325B'.

XX, 9. Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans,... et defeci, ferre non sustinens, 317B'.

XXXI, 18. Converte me, et convertar : quia tu Dominus Deus meus, 653D.

THRENORUM.

V, 21. Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, 653C.

EZECHIELIS.

XIV, 9. Propheta quum erraverit,... ego Dominus decepi prophetam illum, 729A.

XVIII, 23. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? 271A', 519A'.

XXII, 11. Frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te (Jerusalem), 512D'.

DANIELIS.

VII, 8. Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, etc., 260D.

VIII, 27. Ego Daniel (post visionem) langui, et ægrotavi per dies, 184A'.

X, 21. Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester, 31A.

OSEE.

XII, 10. Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum, 10B.

JOEL.

II, 13. Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, 451C'.

AMOS.

III, 6. Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? 505C.

Digitized by Google

V, 10. Odio habuerunt corripientem in porta; et loquentem perfecte abominati sunt, 564 C.

MICHÆÆ.

II, 1. Væ qui cogitatis inutile, 593 A'.
VI, 7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum...? 346 A'.

NAHUM.

I, 3. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus, 646 C.

MALACHIÆ.

III, 6. Ego... Dominus, et non mutor, 347 C'.
— 14. Dixistis : Vanus est, qui servit Deo ; et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus? 100 B'.
— 18; IV, 1. Videbitis quid sit inter justum et impium; ... erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula, et inflammabit eos dies veniens, 564 B.

MATTHÆI.

II, 18. Vox in Rama audita est, 294 A'.
III, 9. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, 24 A'.
— 10. Omnis... arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur, 564 A.
V, 43. Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum, 391 D.
VI, 7. Orantes... nolite multum loqui, 252 D.
X, 28. Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam, 562 D'.
XII, 3. Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant, 377 C.
— 31, 32, Spiritus... blasphemia non remittetur,... neque in hoc sæculo, neque in futuro, 271 B.
XVIII, 3. Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum, 327 B.

LUCÆ.

I, 47. Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, 260 C'.
— 68, 69. Benedictus Dominus Deus Israel, quia... erexit cornu salutis nobis, 260 D.
II, 30. Viderunt oculi mei salutare tuum, 260 D'.
VII, 14. Ait (Jesus) : Adolescens, tibi dico, surge, 701 C'.
XVIII, 19 Nemo bonus nisi solus Deus, 700 C'.

JOANNIS.

III, 23. Erat... Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, 306 C.
— 35. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus, 264 A.
V, 22. Pater... omne judicium dedit Filio, 263 C'.
XII, 24. Amen, amen dico vobis,... 586 D.
XIII, 27. Dixit (Judæ) Jesus : Quod facis, fac citius, 707 C.

ACTUUM.

IX, 40. Petrus... conversus ad corpus, dixit : Tabitha, surge, 701 C'.
XIII, 21. Dedit illis Deus Saul filium Cis,... annis quadraginta, 327 C'.

AD ROMANOS.

III, 19. Scimus... quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur, 291 C'.
XI, 3, 4. (Elias ad Dominum :) Ego relictus sum solus, etc. Dicit illi divinum responsum : Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal, 712 B'.
XV, 13. Deus... spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, 259 A'.

I AD CORINTHIOS.

IX, 9. Non alligabis os bovi trituranti, 583 B'.
XIV, 29. Prophetæ... duo aut tres dicant, et ceteri dijudicent, 528 B.

II AD CORINTHIOS.

I, 8. Supra modum gravati sumus..., ita ut tæderet nos etiam vivere, 711 A.
— 23. Ego... testem Deum invoco in animam meam, 15 C', 96 A, 452 D.
III, 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est, 653 B.

Digitized by Google

AD PHILIPPENSES.

II, 13. Deus est... qui operatur in vobis et velle et perficere, 653 B.

I AD TIMOTHEUM.

II, 4. (Deus) omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, 271 D.

II AD TIMOTHEUM.

II, 26. Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, 724 D'.

AD HEBRÆOS.

VII, 7. Sine ulla... contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur, 135 B', 654 B'.
IX, 4. In qua (arca) erat urna aurea habens manna, et virga Aaron, etc., 645 D'. *Cf.* 644 C'.
— 6, 7. In priori... tabernaculo semper introibant sacerdotes; ... in secundo autem semel in anno solus pontifex, 644 D'.
XI, 32, 33. Deficiet... me tempus enarrantem de Gedeon, Barac,... Jephthe,... et Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, 131 A, 160 D, 175 C.
XII, 7. Quis... filius, quem non corripit pater? 514 D.

JACOBI.

II, 10. Quicumque... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, 93 C'.
— 25. Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est? 14 B.

I JOANNIS.

I, 5. Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, 261 A.
IV, 1. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, 145 C'.

APOCALYPSIS.

II, 23. Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda, 351 B'.
III, 14. Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Amen, testis fidelis..., 586 C.

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

AARON. Quandonam ei Deus apparuerit, 272 B. — Futura ejus dignitas parentibus fuerat revelata, 272 A'.

ABDIAS, dispensator domus Achab, in prophetas Domini beneficus, 703 C, quid significet, 708 A'.

ABELA urbs, sapientium frequentia celebris, 552 C', vocatur mater in Israel, 553 B. Ibi Seba obsessus est, 552 A', et occisus, 553 A'. — Mulier sapiens, quam stulte vocant Judæi Saram, filiam Aser, 553 A, eam liberat ab excidio, 552 B'. Moraliter mulier illa prædicatores (vel Prædicatorum Ordinem) signat, 554 C'.

ABESAN, judex Israel, 180 A, a nonnullis idem qui Booz fuisse creditur, 224 A'.

ABIA, filius Jeroboam, bonus et virtuosus, 688 B', multis de causis a Deo sublatus est, 687 A. — Solus de stirpe Jeroboam honorifice fuit sepultus, 688 B'.

Abia alius, rex Juda, 690 C, impius demum, 690 D, Jeroboam devicit, 690 D'.

ABIATHAR sacerdos, e Nobe confugit ad David, 383 B', quem deinceps comitatus est, 383 D', 527 C', pro illo consulens Dominum, 385 B, C, 415 C'. — Factus pontifex, 527 C', Adoniæ partes amplectitur, 584 D, et a sacerdotio ejicitur, 593 A', D', qui occidi meruerat, 593 C'. — Fuit ultimus pontifex stirpis Ithamar, 594 A.

ABIES arbor, quæ, 611 A. — Ex ea confecta sunt pavimenta et ostia templi, 618 C, 621 D. — Tropologice, magnanimitatem exprimit, 624 A'.

ABIGAIL, uxor Nabal, corde et corpore amabilis, 395 B, quomodo David placaverit, 396 B', 399 A. — Prophetiæ spiritum habuisse videtur, 398 D'. — Fit uxor David, 400 B, et filium parit, qui vocatur Daniel et Cheleab, quare, 446 B. — Allegorice, typus est B. V. Mariæ, 401 A, et Ecclesiæ, 401 A'.

ABIMELECH, filius Gedeonis, ambitiosus et astutus, 162 B, fratres interficit, 162 B', et rex a Sichimitis constituitur, 162 C' : quos mox persecutus est, 164 D, et occidit, 166 A. — A muliere vulneratus, 166 C, pessime moritur, 166 A'. — Non fuit primus rex Israel, 678 A, sed tantum ad ulciscendam superbiam Ephratæorum elevatus est, 166 C'. — Tropologice, figurat ambitiosos, 166 D', 167 B

« Abimelech » vocabantur omnes Philistinorum reges, 379 D'.

ABINADAB, sacerdos magnæ virtutis, de Gabaa. Illi committitur custodienda arca Dei, 294 B.

Fuerunt et alii ejusdem nominis : unus, frater David, 351 B'; alter, filius Saul, 418 D'.

ABISAG, Sunamitis, ad calefaciendum David electa, 582 B', an vere exstiterit, 582 D', 583 A. — Fuit vera Davidis uxor, 582 C'. — Ab Adonia ambita, 592 A', causa fuit cur occideretur, 593 A. — Mystice, figura est Ecclesiæ, 588 A, B. V. Mariæ, 588 B, sapientiæ, 588 C, et S. Scripturæ, 588 D.

ABISAI, frater Joab, eo fortior, 442 A, sed minus dolosus, 451 B', quartus inter fortes David computatur, 567 C. — Neci Abner cooperatus est, 451 A', vel saltem consensit, 451 B'. — Ob sævitiam sæpe a David reprehenditur, 402 C', 453 A, 531 D, 546 D'. — Idumæos percutit, 489 C, et Davidem a morte eripit, 558 C. — Mystice quid, 542 B.

ABLACTATIO tripliciter a quibusdam distinguitur, 254 B', ab aliis dupliciter, 254 D'. — Quandonam fieret, 254 B'. — Moraliter, quid ablactati, 257 A'.

ABNER, dux exercitus Saul, vir fortis, 403 D, prudens, 441 D', 447 B, iracundus, 447 A'. — Mortem meruerat, Saul incaute custodiendo, 403 B'. — Isboseth, filium Saul, regem constituit super Israel, 439 C', in hoc non excusandus a culpa, 440 A'. — An licite milites ejus contra Joab concertare potuerint, 443 C'.

Digitized by Google

— Ab Isboseth deficiens, 448B, et Israel ad David reducere moliens, 449A, dolose interficitur, 450A. — A David laudatur, 451D', 452C'. — Videtur salvatus, 594C'. — Cur tantopere nece ejus David se insontem prædicaverit, 450B', 452A'. — Tropologice, varia significat, 444B, D', 453D'.

ABRAHAM. Quod juramentum ejus ad Abimelech, 459A, D.

ABSALON, filius David, amabilis, 522B, et decorus valde, 522C. Ejus cæsaries, quanta, 522A'. — Fratrem suum occidit, 515A', et fugit in Gessur, 516C. An tunc interfici debuisset, 521D. — Callide a Joab revocatus, 517B, contra patrem insurrexit, quo tempore, 524C', quare, 525B, et quomodo, 523D', 526A'. — Concubinas patris incestat, 533A, in ultionem adulterii David, 505D. — Quercui inhærens a Joab transverberatur, 539A'. — Ambitioso et superbo Absaloni juxta merita retributum est, 543B. — Absalonis manus, quid, 540C. — Moraliter, varia ab eo signantur, 537D', 542A', D', 543C'.

ABSTINENTIA, maxime tempore tentationis, commendatur, 342A.

ACHAB, rex Israel, quandonam regnare cœperit, 695C. — Fuit malus, 695B', et induratus, 695B'. — Haud semel a Michæa objurgatus, 721C, 728A, illum in vincula conjecit, 722A, 729D'. — Verumtamen ab Elia correptus de morte Naboth, 724D, aliquantisper vere resipuisse videtur, 725D. — Juste illi imputata est mors Naboth, 724D. — In malo a falsis prophetis confirmatus, 729C', in Ramoth Galaad interfectus est, 730A', et in Samaria sepultus, 731A. — Mystice, typum gerit malorum prælatorum, 708C, 732D, et diaboli, 715C. Ejus pœnitentia condemnat impœnitentes, 726A.

ACHAN, de anathemate Jericho furatus, 39B, causa est cur Hebræi profligentur, 41B'. — Non combustus est, sed lapidatus, 43B, in valle seorsum, quare, 45C'. — An filii ejus cum eo perempti sint, 43B'. — Peccatum confessus, 42A', vere pœnituisse videtur, 43D'. — Ex eo edocemur quanta sit inter populi membra connexio, 44A'.

ACHIMELECH pontifex, quis fuerit, 377C. — Ob auxilium Davidi præstitum, 377A, a Saule interficitur, 382C', 383D. — Mors ejus an Davidi imputanda, 383B', 525A, D, C'.

Varii sunt ejusdem nominis, 402B', 490B.

ACHIS. Sic vocati sunt duo reges Geth, 405C. — Ad utrumque confugit David, 379D', 405C. — Achis, qua benevolentia David susceperit, 405B', 407A, 414C, et quare, 406B'.

ACHITOPHEL, vir astutissimus, 528D, et summæ auctoritatis, sed carens vera prudentia, 533D, fuit avus Bethsabee, 498C. — Contra David ob neptis adulterium animatus, 526C', pessimum dat consilium Absaloni, 533A. — Altero ejus consilio, 534B, a Chusai dissipato, 535A, sibimet mortem consciscit, 537A. — Allegorice, Judæ proditoris speciem tenet, 537D'.

ACHOR vallis, unde sic appelletur, 42D', 44B. — Ibi Achan lapidatus est, 42D', et sepultus, 44A.

ADAD, Idumæus, a clade suorum ereptus, apud Pharaonem adolescit, 670D, et adversatur Salomoni, 670D'. — Quid moraliter indicet, 677C.

ADAM, ubi sepultus, in Calvariæ monte an in Hebron, 76B, 438D. — Sapientior fuit Salomone, 601A', 602B. — Quæ lapsus ejus causa, 669B'.

ADAMANTIUS lapis sanguine hirci scinditur, 617B. — « Adamantius » vocatus est Origenes, 151D'.

ADAREZER, rex Syriæ, a David devictus est 487C', 496C'. — Mystice quid, 491D.

ADDO propheta, ad Jeroboam missus, 683A, vaticinatur contra altare Bethel, 683C, et excelsa, 685C'. — Nimis credulus, 684D, a leone occiditur, 684C'; verumtamen salvatus creditur, 685A. — Quantum peccaverit, 686A'. — Quid nos doceat, 686B'. — Scripsit Visionum librum, 673D, 683B.

ADJUTORIUM. Lapis Adjutorii prope Maspha, cur sic dictus, 282B, 296A'. — Ibi cæsi sunt Israelitæ, 282C', et capta arca Dei, 285D. — Allegorice, Salvatorem figurat, 299D.

ADONIAS, filius David, regnum ambit, 584B, et occupare tentat, 584D'. — Venia primo donatus, 587B, nuptias Abisag affectat, 592C, et occiditur, 593A. — Tanquam legis transgressor, interfici meruerat, 593B. — Tropologice, judaizantes signat, 597B, et ambitiosos, 588B', 597A'.

ADONIBEZECH, rex Bezech, 112D', potens et crudelis, 113B, ab Hebræis comprehenditur, 113A, et obtruncatur, 113D. — Illum pœnituisse videtur, 113C.

ADULTERIUM, quantum peccatum, 509C'. — Quodlibet mortale peccatum adulterium vocari potest, 606A'.

Digitized by Google

ADURAM, præpositus tributis, 680A, et forsan operariis Salomonis, 611C', a populo lapidatur, quare, 680A.
ADVENTUS tempus ad spiritualem pugnam specialiter deputatur, 501B.
ÆGIDIUS (Romanus), Ord. S. Augustini theologus. Liber ejus de Regimine principum allegatur, 123C.
ÆGYPTUS. Ibi inveniebantur optimi equi, 664B'. — Opprobrium Ægypti, quid sit ad litteram, 29D, et mystice, 32C. — Rivus Ægypti, quid, 654B. — Moraliter, Ægyptus est figura mundi, 485A'. *Cf.* Pharao.
ÆRUGO, quid sit et unde oriatur, 651C. — Per hanc recte significatur cupiditas, 656A.
ÆS etiam aurichalcum vocatur, 637C'. — Ex ære quod tulerat David a Syris, 488A', confecta sunt pleraque vasa templi, 637C', duæ columnæ majores, 629B, et mare æneum, 633B'. — Tropologice, constantiam repræsentat, 491C'.
AGAG, rex Amalecitarum, pulcher valde, 344C'. Causa fuit cur Saul a regno dejiceretur, 344D'. — A Samuele interfectus est, 348A.
AHIAS Silonites, propheta, regnum Israel Jeroboam promittit, 672A. — Comminatur mala uxori Jeroboam, 687B', et regno Israel, 689A.
ALEXANDER (Essebiensis) Anglus, Ord. S. Augustini, poeta et theologus, citatur, 643D'.
ALEXANDER de Hales, Ord. Min. theologus, 393B'.
ALEXANDER Magnus, quid egerit ut exercitus de fuga cogitare minime posset, 442D'. — Sub alieno habitu Darii palatium intrasse dicitur, 449D'.
ALTARE holocaustorum populo patebat, 587B. Erat reis refugii locus, 587B', exceptis tamen homicidis voluntariis, 595C. An a Jezabel destructum fuerit, 712A. — Altare thymiamatis, cur et quomodo erectum, 619D, C'. In anteriori parte templi positum erat, 619C', 638A, et ad illud sacerdotes dumtaxat accedebant, 587B. Dicitur etiam altare aureum, 638A, altare oraculi, 619C', et incensi, 620A. Mystice quid, 624C'. 642B'.
AMALECITÆ, atroces Hebræorum hostes, 126C', an peccaverint eos persequendo, 126D'. — Jubente Deo, 343C, disperduntur a Saul, 344C', et a David, 415A, 416D. — Infantes eorum et pecora, cur morti devoti, 343B'. — Amalecitarum malefici in belluas se convertebant, 344A. — Amalecitæ nonnunquam vocantur Idumæi, 428C. — Moraliter, varia designant, 349A, 417D.
AMARITUDO duplex habetur, altera vitiosa, altera salutaris, 251D'.
AMASA, nepos David, 537C, princeps tribus Juda, 594C', factus est dux militiæ Absalonis, 537B, illegitime, 590D. — Princeps exercitus David constitutus, 545B', 551A, a Joab dolose occisus est, 551D. — Fuit vir justus nec ambitiosus, 552B, et salvatus creditur, 594C'. — Cur inter fortes David non recenseatur, 569A'. — Figurate, bonos prælatos indicat, 554D.
AMBITIO, quam nociva et fugienda, 167C, 376C, 435D; quantum excæcet, 588C', 686C'. Multorum causa est malorum, 455A, 529A, 554B', 682C', 696D'. — Ambitiosorum mores describuntur, 166D', 167D, 554A'. Ambitiosi prælaturis indigni sunt, 529B, et recte apostatæ dicuntur, 529C.
AMBROSIUS (S.) presbyterorum bonorum mortem amarissime deplangebat, 435B'.
AMELIUS. *Vide* Amicus.
AMEN multipliciter accipitur, 586C.
AMICUS (S.) pro Amelio duellum sustinuit, 360D. — Amelio quam devinctissimus fuit, 365A, et simillimus, 433A. (Acta SS. ad XII Octob.)
AMICUS fidelis, quantum prosit animæ, 368C', 376B, 437A'. — Quis ita nominari possit, 437C'.
AMMONITÆ. Quo jure aliquid terræ eorum possederint Hebræi, 171D. — Ammonitæ conversi in Synagogam admitti poterant, 238D'. — A Jephthe debellati, 173D', et a David, 494A, 508D, immaniter dissecantur, 508D'.
AMNON, filius David, sororem deperiens, 511C, eam dolose incestat, 512C. — Cur morte non fuerit mulctatus, 514D. — Ab Absalone interficitur, 515A', ebrius et imparatus, 516C.
AMOR eros, sæpe languorem aut mortem inducit, 511D. — Pallore et macie præcipue proditur, 512B. — Rationalem creaturam in brutum convertit, 668B'.
AMORRHÆI filiis Joseph subduntur, 115D'.
AMRI, princeps militiæ Israel, contra regem suum rebellis, 694A', regnum occupat, 694C', et Samariam condit, 695A.
ANACLETUS (S.) papa, allegatur, 393C. (In Jure.)
ANAGLYPHA, quid sint ad litteram, 621C, 625C, et mystice, 625B.

Digitized by Google

ANDRÆAS (Perusinus), Ord. Min. theologus, Scripturæ expositor, allegatur, 62 C, 314 B, D, 396 C'.

ANGELI sunt exercitus Dei, 728 A'. — An prophetæ dici queant, 144 A'. — Licet in finem inter se concordent, circa media dissentire possunt, 728 D'. — Angelorum nomina viatoribus non sunt cognoscibilia, 183 D, et juxta ministeria eorum diversificantur, 183 A'. — Hominibus adsistunt spiritus ultimi chori; politiis, angeli tertii Ordinis, 245. — Nos caritative admonent, 121 B, afflictis succurrunt, 716 C, nec unquam in hac vita penitus deserunt, 121 C. — In secreto apparere solent, 182 B, et epulas quandoque acceptasse leguntur, 182 D'. — Sæpe viri vocantur, 30 B', 144 D.

Angelus apparet Josue, 30 B', 31 A, 32 D', Hebræis congregatis, 117 D, Gedeoni, 144 B', uxori Manue, 180 D, Samueli, 351 A, et Davidi, 575 D.

ANIMA varie sumitur, 15 B', 135 C'. Animæ passiones in vultu manifestantur, 253 D.

Anima fidelis, diversimode circa spiritualia afficitur, 257 D'. — Triplex cum Deo fœdus ejus, 388 A'. — Alios convertens acceptissima est Deo, 454 C. — Multa potest velle quæ Deus non vult, 648 A. — Vaccis arcam deducentibus comparatur, 292 A'. — Quæ sint ejus armatura, 125 C, vestimenta, 236 A', barba, 497 C. — Illi semper adest causa pie lugendi, 285 C', sed etiam exsultandi in Domino, 266 C, et gratias agendi Deo, 266 C'. — Anima noviter conversa, tentationibus lacessita, quid agere debeat, 63 A. — Anima a mundanis curis cavere debet, 47 C', a pravo consortio, 150 D', et a scandalo, 196 A', a vana gloria et stulta præsumptione, 154 D', a verbis superbis, 161 A', et irrisoriis, 161 B', ab indiscreta divinorum scrutatione, 267 D, ab ambitione 317 D', 435 D, et incauta secretorum prolatione, 191 D', 318 A, ab inconsiderantia in credendo, 434 D, et agendo, 533 C'. — Ad Deum plene converti debet, 298 C, anhelare ad cœlum, 86 A', et abhorrere mundum, 697 A'; non facile mala de proximo credere, 497 B, sed sustentare infirmiores, 86 B', et alios bonis exemplis instruere, 186 A; impiorum tolerare derisionem, 472 D', et ad prælium semper esse parata, 125 B; non multum ad dona naturalia attendere, 354 B', sed timorate semper incedere, 676 B, et humilitatem sectari, 151 A, 233 B', 493 A'. — Multum proficit beneficia Dei recolendo, 121 C, 485 C', et aliis occultando, 236 B', 281 D'. — Studeat unitatem consequi, 258 C', et quietem, 297 C', confidentiam in Deo, 155 B, et prudentem timorem, 155 C, discretionem et moderationem, 444 B', promptitudinem et fortitudinem, 437 D. — Non dedignetur consiliarium discretum sibi providere, 376 A, consilia petere, 473 D', acquiescere corripienti, 510 C', 529 B', et ex morte aliorum sapiens fieri, 436 C. — Indiget Dei motione ad agendum meritorie, 653 B, quotidiano angelorum subsidio, 716 D, et vigilantia adhuc in prosperis ampliori, 484 A.

ANNA, mater Samuelis, mulier pulchra, 250 C, et viro dilecta, 250 D', sed sterilis, 250 C, quomodo conceperit filium, 252 A, et quot liberos pepererit, 261 C', 270 A'. — Cur tamdiu Samuelem in templum præsentare distulerit, 254 C. — Ejus canticum explanatur ad litteram, 259 C, 264 D, et mystice, 265 A. — Moraliter, speciem tenet Ecclesiæ, 256 D', 257 B, 265 A, et vitæ contemplativæ, 258 A, et docet nos patientiam, 258 A', et formam orandi, 258 B'.

AOD, judex Israel, fortior sinistra manu, 127 B', C', quomodo Eglon occiderit, 128 A, et quo jure, 128 C'. — An de mendacio excusandus, 128 D. — Moabitas elidit, 129 D. — Allegorice, Christi typum gerit, 134 D.

APHEC, civitas. Ibi percussus est Benadad, 719 D', et Syri quamplurimi muro obruti, 720 D.

APIS. Variæ apum recensentur species, 188 C'. — Rex earum aculeo caret, 322 B'. — Mystice, apis est figura animæ, 191 B.

APOCRYPHA V. T. quæ, 247.

APOLLONIUS abbas, a Deo exquisitis cibis nutritus est, 698 D'.

APOSTOLI, licet inter se regiones diviserint, se mutuo adjuvabant, 117 B', et sæpe inviserunt Judæam, 228 B'. — Sapientiores fuerunt Salomone, 601 B', D', et sunt valde amandi, 142 C'. — Varie in Scripturis figurantur: per Judices Israel, 117 C, per cœlum, 142 B, per fortes David, 570 A, per boves maris ænei, 641 A, et per arcæ vectes, 655 D.

ARABES auctores : Alkindus, 354 B.

ARCA dicitur fœderis, quare, 282 C'. — Quid continuerit, 645 C', D'. — Super eam erant Cherubim, 465 C', et propitiatorium, 282 D', ex quo Dominus responsa dabat, 465 D', 480 D. —

Digitized by Google

Arcæ vectes nunquam ab ea separabantur, 645 B', paululum extra Sanctum Sanctorum prominentes, 645 A. — Sacrificia coram arca oblata, ceteris paribus, efficaciora erant, 600 B. — Jordanem dividit, 19 B, 20 B, 21 B, quoadusque totus transisset populus, 24 B', 25 D. — A Philistæis capta, 283 D', Dagon dejicit, 285 D, et Philistæos gravat, 286 D. — Post septem menses honorifice reducta, 288 A, successive defertur in Cariathiarim, 294 A, 466 C, in domum Obededom, 468 C, et in Jerusalem, 468 C', ubi in tabernaculo fœderis reposita est, 469 B', postmodum in templum solenniter introducenda, 644 B. — Qui nudam viderant, plagati sunt Hebræi, 290 A', non autem Philistæi, 291 C'; quare, 291 B'. — Figurate, quid denuntiet arca, 22 B, C', 23 B, 287 B', 292 A, 655 C, et arcæ deductio, 472 D. — *Adde* Bethsames, Oza.

AREUNA. *Vide* Ornan.

ARGENTUM, quam commune, tempore Salomonis, 663 B'. — Tropologice, facundiam et scientiam humanam significat, 491 C', 667 A', C'.

ARISTOTELES, 433 C, 488 D', vel absolute Philosophus, 40 C, 88 D', 162 A, etc., fuit magnum in natura miraculum, 602 A.

ARMUS victimarum pars erat regalis, 310 A'.

ARNON torrens, ubi sit, 69 A, 172 C.

ASA, rex Juda, 691 B, pius, 691 D, pacificus et quietus, 692 B, in quibusdam tamen peccavit, 691 C'. — Auxilium a Syris petiit, an recte, 692 A'.

ASAEL, frater Joab, velocissimus, temerarius, 441 B', et elatus, 442 B, ab Abner interficitur, 442 C. — Causam præbuit ut occideretur Abner, 450 C. — Mystice, varia designat, 444 B'.

ASER tribus. Sors ejus describitur : xxii civitates et feracem terram obtinuit, 88 A. — A Debora suggillatur, 139 C. — Gedeoni adhæret, 147 B'.

ASINUS. Hebræi asinis utebantur ad equitandum, non equis, 168 A'. — Madianitarum asinos cur non subnervaverit Josue, 67 B.

ASIONGABER, insula in mari Rubro, 659 A'. — Hic stabat classis Salomonis, 659 A'.

ASTAROTH, vel Astarte, idolum Chananæorum et Sidoniorum, libidinis dea, 677 A, Junoni assimilatur, 119 C', 669 B.

ATRIUM. Quatuor in templo erant atria, 622 C, 647 A, quæ describuntur, 622 B, 647 A. — Atrium, mystice quid, 623 B'.

AUGUSTINUS (S.) quantum lites oderit, 300 B.

AURICHALCUM, quid sit, 637 C'. — Ab ære non differt, 637 D'. — Ex éo facta sunt pleraque vasa templi, 637 C'. — Moraliter humanam fragilitatem signat, 642 A'.

AURUM, quomodo in India inveniatur, 659 B'. — Ex eo facta sunt altare thymiamatis, 638 A, mensa propositionis, 638 B, candelabra, 638 D, nonnulla vasa, 638 B', et ornamenta templi, 619 B', et omnis supellex Salomonis, 663 A'. — Quid mystice, 491 C', 625 C, C', 667 C'.

AVARITIA in senibus dominari solet, 669 A. — Judicibus maxime fugienda est, 301 A, 303 A'. — Avari suggillantur, 510 B.

AXA, filia Caleb, Othoniel tradita, 78 C, quo jure avunculo nubere potuerit, 79 D. — Ejus ad patrem petitio, 78 D. — Per eam signatur anima fidelis, 79 D'.

AZOR, præcipua Chananæorum civitas, 64 D', 70 A', a Josue capta, 64 D', incendio traditur, 65 B. — Rex ejus contra Hebræos dimicans, 63 D', trucidatur, 64 D'. — Tropologice quid, 67 C'.

AZOTUS, urbs Philistinorum. Ibi fuit templum Dagon, 285 D', et reposita est arca Dei, 285 D. — Azotii a Deo percutiuntur, 286 A'. — *Cf.* Dagon.

AZYMI panes, in festivitate paschali usitati, 30 D, quid significent, 32 B'.

B

BAAL, deus Chananæorum, Jovi assimilatur, 119 C'; fit deus Hebræorum, 160 B'. — Illi dedicaverunt Sichimitæ fanum Baalberith, 162 D. — Prophetæ Baal, ignem obtinere frustra nitentes, 705 C, interficiuntur, 706 C. Eum utique vere Deum credebant, 707 C'. — Baal ignem producere potuisset, 706 B.

BAALPHARASIM, vallis prope Jerusalem, unde nomen acceperit, 462 C'. — Ibi profligati Philistiim idola reliquerunt, 462 B', C'.

BAANA. *Vide* Rechab.

BAASA, interfecto Nadab, rege Israel, 693 A, cum universa Jeroboam domo, 693 C, regnat in Thersa, 693 B'. — Malus et impius, 693 B', et ipse occiditur, 694 B. — Tropologice, iracundos denotat, 696 C'.

BADAN, judex Israel, idem qui Samson, 323 C'.

BALSAMUM, a regina Saba Salomoni datum, 662 B, Engaddi maxime floruit, 388 B. — A Cleopatra in Ægyptum introductum est, 388 B.

Digitized by Google

BANAIAS, dux bellatorum, 490 C, vir strenuus et prudens, 595 A', quintus inter fortes David, 567 A', quæ fecerit, 567 A'. — Interemit Joab, 567 B', 595 D, et Semei, 567 D', 596 B'. — Consiliarius David effectus, 568 B', super exercitum, loco Joab, constitutus est, 595 A'.

BAPTISMUS, post debita exercitia olim ministrabatur, 12 B'. — Varie in Scripturis figuratur : per Jordanem, 23 A', per ostium templi, 624 A, etc.

BARAC, an idem qui Lepidoth, vir Debora, 130 A, D. — A Debora excitatus, de adjutorio Dei desperasse videtur, 130 D'. — Sisaram devicit, 131 A'. — Laudatur a Debora, 138 D'. — Moraliter, bonorum prælatorum typum gerit, 141 C.

BARBA. Imberbis facies apud Hebræos et alibi ignominiosa, 495 A'. — Barba, quid figurate exprimat, 497 C, et quomodo amittatur, 497 A'.

BATUS mensura, quanta, 634 B'.

BEELPHEGOR, deus Madianitarum. Ob cultum ejus, 95 A, multi de Israel corruerunt, 95 C.

BELIAL. Filii Belial, qui, 210 B', 252 D', 396 A', etc. — Torrentes Belial, quid, 560 D.

BELLUM, licet non appetendum, Hebræis tamen commendatur, 123 B. — De jure belli : Urbibus obsessis primo pax offerenda erat, 552 C'. Hostium feminæ et parvuli vulgo trucidabantur, quo jure, 35 C', 36 A, 216 D', 343 A', 383 A', 406 A. Spolia quomodo dividerentur, 94 A, 417 A. Quænam ad belli justitiam requirantur, 51 A. An liceat insidiis uti, 50 C'. Quid rex facere debeat inchoando bellum, 416 A. — In bello prodest ordinatio, 538 C, et prudentia plus quam fortitudo, 496 B; periculosum est adversarios ad desperationem deducere, 442 C'; et victoria pendet a Deo, 282 A', 496 A'. — Cur in bello interdum justi profligentur, injusti prævaleant, 214 B', 732 D'. — Mira Ecclesiæ bella, 65 D', 142 D, 464 C'.

Bellatores olim uxoribus suis libellum repudii dabant, 356 C', 500 C, et præclara gesta solebant in armis describere, 590 D'. — Bellatoribus apprime competit fortitudo, 151 D', 339 B', et disciplina, 340 B', nec eos dedecet prudens timor, 152 A. — Bellatores Gedeonis, qui stantes biberunt, cur electi, 152 C, A', et quid mystice figurent, 155 B', C'.

BENADAD, rex Syriæ, Hebræos aggressus, 717 D, et bis victus, 719 B, D', salvus dimittitur, 721 A.

BENEDICTIO duplex est, consecrationis et laudis, 135 B'. — Olim a regibus impertiebatur, 50 B. — Benedicere, quibus competat, 654 A'.

BENEFICIUM. Donum Dei est, ejus beneficia recognoscere, 481 C; et magna prudentia, ea occultare, 281 D'. — Cur ea quandoque hominibus Deus improperet, 504 B'.

BENJAMIN tribus semper minima fuit, 310 A, sed fortissima, 213 A'. — Ejus sors, 85 A', ceteris angustior, sed fertilior, 86 B, xxvi urbes habuit, 86 A. — Tota tribus partes Gabaensium amplexata, 213 D, prope exterminatur, 215 B'. — Qua via hujus ruinæ subvenerint Hebræi, 217 B, D. — Quo jure feminæ Benjamin occisæ, 216 D'.

BERZELLAI, Galaadites, vir senex et dives, 548 B, David fugienti succurrit, 537 D, et illum trans Jordanem transmittit, 548 B. — Quæ fuerit ejus merces, 591 C.

BETHAVEN. *Vide* Bethel.

BETHEL. Duæ urbes sic dictæ inveniuntur, 39 D, 297 A, quarum una Bethaven etiam dicta est, altera Luza et Jerusalem, 39 D, 80 C', 115 C. — Tribui Benjamin obtigit, 85 B'. — Ibi congregabatur quotannis populus ut judicaretur, 296 D'; ibi vitulum constituit Jeroboam, 681 A', et tentatus est Christus, 80 C'. — Altare Bethel scinditur, 683 C, B'.

BETHLEHEM cisterna. Ex ea aquam Davidi attulerunt tres fortes, 566 A', D', quam noluit bibere, quare, 567 A. — Quo tempore hoc acciderit, 571 D. — Aqua Bethlehem, mystice quid, 571 A.

BETHSABEE, neptis Achitophel, 498 C, an verum cum David adulterium commiserit, 500 D. — Ejus filius a Deo percussus est, 506 B', quo jure, 506 D'. — Adoniæ conjurationem dissipat, 585 A, et frustra petitionem fovet, 592 A'. — Allegorice, typus est B. V. Mariæ, 597 D, et S. Scripturæ, 597 C.

BETHSAMES, urbs sacerdotalis in tribu Benjamin, 289 D. — Ibi requievit arca Dei, 289 A'. — Bethsamitæ plaga maxima percutiuntur, 290 A', quare, 291 A. — Moraliter, Bethsames figura est Ecclesiæ, 292 C', 293 A; Bethsamitæ, hæreticorum, 293 A'.

BETHSAN. Duæ civitates sic vocabantur, 419 D'. — In Bethsan suspensa sunt corpora Saulis et filiorum ejus, 419 C'.

BOOZ, qui etiam, juxta Hebræos, Abesan dictus est, 180 A, fuit de primoribus Bethlehem, 235 C, et judex civitatis, 237 D'. — An etiam Israeliticum populum judicaverit, 180 A,

Digitized by Google

224 A'. — Quanto tempore vixerit, 240 B'. — Quomodo Ruth sibi conjunxerit, 237 D, et quo jure, 240 B. — Erga eam multas exercuit virtutes, 239 D', et forsan supernaturaliter ex ea genuit Obed, 240 A. — Allegorice, multipliciter est figura Christi, 232 D, 236 A, 241 B.

Booz, columna templi. *Vide* Columna.

BOS ad majora sacrificia reservabatur, 644 A'. — XII boves mare æneum sustinebant, 634 B, et luteres templi, 635 A ; per quos recte significantur XII Apostoli, 641 A. — Bos electorum et impiorum quid, 709 B.

BUL mensis, quis, 622 C'.

C

CADUMIM torrens. Sic vocatur mare Rubrum, 140 A.

CÆCI et claudi custodientes Jerusalem, qui, 458 B' et seq. — Proverbium : Cæcus et claudus non intrabunt in templum, quomodo intelligendum, 460 C'. — Moraliter, cæci et claudi idola significant, 464 A.

CÆLATURÆ templi describuntur ad litteram, 620 D', 621 B', et tropologice, 625 B.

CALCEAMENTUM. Mos solvendi calceamentum olim in certis contractibus usitatus, 239 B, quid designet, 242 A.

CALEB, vir fortissimus, 75 B, et de primoribus Juda, 74 A, unde dictus sit Cenezæus, 74 B. — Ceteris exploratoribus obsistendo, 74 C, optimam partem meruit, 75 B'. — Non fuit de exploratoribus a Josue missis, 36 A'. — Deletis Enacim, 65 D', Hebron occupat, 75 C. — Amicus fuit Josue, 75 C', cui in regendo populo successisse creditur, 112 B.

CALENDÆ. *Vide* Neomenia.

CANDELABRUM. Decem candelabra aurea, in Sancto, coram arca, posuit Salomon, 638 D, Moysis candelabro similia, 638 A'. — Per quæ ferventes exprimuntur, 642 C'.

CANTICUM. Quis aptus sit cantare Deo, 141 C'. — Cantica sanctis viris olim consueta, 135 B, 259 A. — Explanantur cantica Deboræ, 135 C, 141 C; Annæ, 259 C, 264 D, 265 A; Davidis in Saulis mortem, 431 B', 436 B ; ejusdem in gratiarum actionem, 559 D.

CAPITELLA columnarum describuntur, 629 B', 630 B. — Cujus figuræ, 631 A, 633 A', et quot malogranata habuerint, 630 C'. — Sub figura capitellorum variæ prælatorum dotes recensentur, 639 D.

CARDO. Terræ cardines, quid, 263 B. Super eos videtur positum cœlum, 263 B. — Cardines templi, quid, 638 C', 643 A'.

CARIATHARBE. *Vide* Hebron.

CARIATHIARIM, urbs famosa, 291 C, ex civitatibus Gabaonitarum, fuit patria Uriæ prophetæ, 466 B'. — Ibi mansit arca XX annis, 294 A, C'. — Viri Cariathiarim, mystice quid, 297 C.

CARIATSEPHER urbs, cur sic nominata, 78 B. — Traditur Othonicli, 78 C.

CARITAS fraterna, optimum contra hostes munimentum, 51 D'.

CARMELUS. Montes duo sic dicti sunt, 395 A, 704 A'. — In Carmelo caulas habuit Nabal, 395 A, et sacrificavit Elias, 704 B', 705 B'.

CAROLUS Magnus, duellum approbasse legitur, 360 D'.

CARTHAGO, tempore David condita est, 592 A.

CARTUSIENSES. Statuta eorum obedientiam quantum commendent, 346 A'.

CASTITAS ministris Dei præcipue necessaria est, 275 B'.

CATO (Uticensis) laqueo vitam finivit, ne in manus Cæsaris deveniret, 429 B', 537 B.

CEDRON torrens, ubi sit et cur ita vocetur, 595 B', 691 B'.

CEDRUS, arbor pretiosa, 664 C, describitur, 608 D', 623 C'. — Ex ea multa in templo facta sunt, 617 B', 618 B, D', 619 D. — Quid significet, 623 B', 624 A'.

CEILA, urbs Juda, 384 C, a David liberatur, 385 A. — Ceilæ viri, figura Judæorum, 387 C'.

CERETHI et Pheleti, quid, 490 C.

CHABUL terra, quæ, 657 C', et cur sic dicta, 658 A. — Quo jure Salomon eam Hiram dare potuerit, 658 A.

CHAM, filius Noe, factus est typus irreverenter tractantium prælatos, 393 C, quare, 394 A.

CHAMOS, idolum Ammonitarum, 172 C', et Moabitarum, 669 B, deus avaritiæ, 677 B, templum in monte Oliveti habuit, 669 D.

CHANANÆI, valde obcæcati, 64 B, a Josue debellantur, 57 D, 63 D. — Lapidibus de cœlo lapsis occiduntur, 58 D, et regio eorum ab Hebræis occupatur, 65 C, 66 B. — Cur non penitus deleti, 118 A', 120 D', 123 A, B'. — Per terram Chanaan intelligitur etiam Philistæa, 71 A.

CHELEAB, filius Abigail, primo Daniel vocatus, cur Cheleab nomen acceperit, 446 B.

CHERUBIM. Quid vox ista significet, 283 A. — Quomodo super Cherubim Deus sedere di-

Digitized by Google

catur, 282 C', 465 C'. — Duo Cherubim in oraculo posita erant, 620 A, et alia in templi parietibus sculpta, 620 D', 621 C, B', quæ videntur Moysis Cherubim similia fuisse, 620 C'. — Mystice quid, 624 D'.

CHLAMYS, quid sit, 389 B. — Ex chlamydis suæ abscissione cognoscere potuit Saul se esse rejectum, 348 A.

CHORUS in Scripturis varia designat, 468 C'.

CHRISTUS in Scripturis varie figuratur : 1° Per Josue : post resurrectionem præcipue exaltatus est, 22 C'; dæmones sapienter debellavit, 52 B; omnibus gratiæ diem protrahit, 63 A'; per baptismum mundat electos, 22 A; fuit immensæ senectutis, 72 D, et terram universam obtinebit, 72 A'. — 2° Per judices Israel : quidquid perfectionis est in ipsis divisim et incomplete, summe in eo relucet, 134 A. — 3° Per Gedeon : inter reprobos et electos judicium exercet, 149 B'; sacrificium perfectum obtulit Deo, 150 A; optime instruxit Apostolos ad idololatriæ destructionem, 155 C'. — 4° Per Jephthe : a suis repulsus, 177 B, pauperes hujus sæculi in suum traxit auxilium, 177 C. — 5° Per Samson : sol est justitiæ, 185 B, et Nazaræus, 185 B'; alienigenam uxorem, gentilitatem nempe, sibi desponsavit, 190 D, et diaboli vinctos liberavit, 191 B; redivivus e tumulo surrexit, 200 C; a Synagoga tentatus et traditus est, 201 A. — 6° Per Booz, gentilitatem in agrum suum introduxit, 233 A, et per totam noctem ventilat Ecclesiam, 236 B. — 7° Per Elcanam : fuit vir a suæ Matris utero, 256 C, et duas uxores habuit, 256 D'. — 8° Per David : Pharisæorum et Scribarum invidia impetitus, 368 B, de sepulcro aufugit, relicta sindone, 371 D'; propter nos stultus visus est, 380 B'; pontificum chlamydem abscidit, 392 B'; triplicem accepit unctionem, 445 B'; universum sibi subjecit mundum, 463 C, et pastor populi constitutus est, 463 D'; præmium proposuit, quod lucratus est Petrus apostolus, 464 B; optime ordinavit Ecclesiam, 542 A; clarissime cognovit universa, 569 D', et sapientissimus fuit, 570 C; fuit tenerrimus ligni vermiculus, 570 B', et immensæ senectutis, 587 D. — 9° Per Salomonem : domum Dei, id est Ecclesiam, sapienter ædificavit, 479 B, 612 D'; multiplex in eo fuit gratia, 479 D'; describuntur ejus aula, 609 B, magnificentia, 609 A', et sapientia, 609 D'; regni ejus non erit finis, 479 D. — 10° Per Eliam, genus humanum in delictis mortuum suscitavit, 702 C'. — Etc.

Christi corpus in utero B. Virginis in instante formatum est, 563 D. — A Patre plenissime unctus est Christus, 562 A. — Nihil sine consilio Spiritus Sancti egit, 387 B'. — Quamvis sit præcipua totius boni causa, non tamen illud sibi soli adscribit, 418 B'. — Quædam de ipso prænuntiantur, quæ non ad ipsum, sed ad membra referenda sunt, 479 B'. — Est Ecclesiæ columna, 639 A, et noster propinquus, 233 B', 237 B', reverenter tractandus, 22 D. — Sua humilitate judiciariam potestatem promeruit, 263 C'; et cornu ejus multipliciter exaltatum est, 263 D'. — Quid Christi pallium, 236 D', et pedes, 237 A.

CHRISTIANI illi sunt vituperandi, qui in tribulationibus processiones instituunt, quin de emendatione cogitent, 284 D, qui de amissione Terræ sanctæ non dolent, 285 B', nec de offensione Dei, 285 B'. — Vero Christiano semper adest causa pie lugendi, 285 C'; et ad certamen semper paratus esse debet, 125 B. — Christiani populi excellentia major quam Judaici, 485 D.

CHUSAI, amicus David, remanet cum Absalon, 528 D, 532 A'. — Non videtur a mendacio excusandus, 532 C'. — Consilium Achitophel dissipat, 535 A.

Alium Chusai vel Chusi vide, 540 A'.

CHUSAN, rex Mesopotamiæ, qui Hebræos subegerat, 124 B, ab Othoniele vincitur, 124 B'. — Mystice, diabolum exprimit, 125 C'.

CINÆI, quid, 114 A, 344 D. — In tribu Juda habitabant, 114 D.

CIRCUMCISIO, ut baptismus, iterari non poterat, 27 C', 28 A'. — In periculi casu anticipabatur, 507 A'. — An lapideus culter de necessitate circumcisionis fuerit, 27 C, et eo usus sit Josue ad circumcidendum populum, 26 C'. Unde mos ferreum cultrum adhibendi, 359 D'. — Cur in deserto non usitata, 29 A. — Circumcisio Hebræorum a Josue facta, quomodo secunda vocetur, 27 A', et quæ ejus necessitas, 28 B', D'. — Circumcisio spiritualis, quid, 31 C'.

CIS, pater Saul, vir nobilis, 305 D, et fortis, 305 C', quid moraliter designet, 311 A.

CISON torrens. Ibi submersi sunt Sisaræ milites, 140 A, et occisi ab Elia cccc prophetæ Baal, 706 C.

CLEMENS (S.) B. Petro familiaris fuit, 5 B'. —

Digitized by Google

Itinerarium ejus allegatur, 538 A'. *Cf.* Itinerarium.
CLEMENTIA reges maxime decet, 720 A'.
CLEOPATRA, regina Ægypti, balsamum in Ægyptum transtulit, 388 B.
COELUM et cœli cœlorum, quid, 648 D'. — Cœlum empyreum habitaculum dicitur angelorum, et Dei; quare, 649 C. Illud dæmones penetrare non valent, 729 B.
COLLYRIDÆ, quid sint, 469 D'.
COLUMNÆ duæ ab Hiram fabricantur, 629 B, quarum exponuntur dimensiones, 629 B, 632 B', et ornamenta, 629 B'. — Ubi positæ, 632 C, 633 B. — Jakin et Booz vocantur, quare, 632 C. — Tropologice, varia signant, 639 A, 640 D, A'.
COMESTOR. *Vide* Petrus.
COMMENTARIUS. « A commentariis », quid, 490 A.
CONCEPTIO. Quæ conceptionis signa, 498 C'. *Cf.* Fetus.
CONCILIUM generale a Papa frequentius convocari expediret, 298 D'.
CONCUBINA, olim uxor secundaria erat, 160 C, 209 B', 447 B, 461 D'; nunc vero in sensu deteriori sumitur, 211 A. — Concubina Gedeonis, an fuerit uxor legitima, 160 B, 161 D'; item, concubina Saul, 447 B. — Concubinæ Davidis fuerunt veræ uxores, 505 A'; Salomonis vero, non ita, 669 A'.
CONFLATILE. *Vide* Sculptile.
CONSECRATIO. *Vide* Votum.
CONSTANTINUS imperator, ecclesiis jus asyli tribuit, 595 C.
CONTEMPLATIO. Ad vitam contemplativam per exercitia vitæ activæ pervenitur, 258 A. — Licet minus quam vita activa fecunda videatur, tamen est divinior, 258 B. — Multiplex est animæ contemplativæ causa lacrimandi, 258 C.
CONVIVIUM. Solebant Hebræi convivia instruere in ventilatione areæ, in ovium tonsione et suorum sepultura, 234 C, 395 D', 515 D.
COR hominis. Dei est illud ad se trahere, 101 D', et ad libitum inclinare, 131 B', 709 C. — Multis de causis exsultare habet in Domino, 266 C. — Nihil est fugacius, ideo summa diligentia custodiendum, 485 D'.
CORNU multimodis in Scripturis accipitur, 260 C. — Cornu olei unctus est David, quare, 350 B. — Quid cornu Christi, 263 D', et cornua justi, 266 C'.
CRUX. Lignum Crucis in domo Salomonis a regina Saba repertum, postea in piscina probatica inventum est, 662 C.
CUBITUS mensura, quanta, 614 C', 636 A.
CULTUS Dei absque caritate haberi potest, 707 A'.
CURRUS falcati, id est ferreis uncis armati, 114 C', olim apud Chananæos usitati, 114 C'. — Currus Salomonis quot, 664 C. Ad quemcumque quatuor equi jungebantur, 664 D. — Currus Christi, qui, 609 B'.

D

DÆMONES nunquam cœlum empyreum ingrediuntur, 729 B, licet ad exercitum Dei spectent, 728 D. — Unicuique vitio aliqui sunt deputati, 68 C. — An corporeis objectis afficiantur, 353 B', et citharæ pulsu expelli queant, 353 C. — Ex historia constat nonnullis naturalibus inesse vim expellendi dæmonia, 353 D. — An dæmon semel victus adhuc tentandi licentiam accipiat, 68 B'. — Acrius insectantur noviter conversis, 63 B, prælatis, 52 B', solitariis, 52 C', religiosis, 392 B, quos excæcare nituntur, 201 B', et iis quos vident in bono fervere, 149 A, ac fortiter resistere, 66 D; sed in corde electorum non sunt nisi peregrini, 510 B. — Cattis comparantur, 341 B'. — Dæmones, quomodo debellentur, 51 D', 52 A.
DAGON, deus Philistinorum, fanum habuit Azoti, ubi reposita est arca, 285 D, et Gazæ, ubi corruit Samson, 199 D'. — Coram arca prostratus est, 286 A.
DALILA, an Samsonis uxor, et Philistæa, 197 A'. — Ejus artes et perfidia, 197 B'. — Allegorice, typus est Synagogæ, 201 A.
DAN tribus, quam sortem acceperit, 88 B. — In finibus suis coarctati, 205 A, Danitæ urbem Lais expugnant, 205 B', 207 A', et Lesem, 88 D. — Ad idololatriam proni, 205 A', idolum in Lais constituunt, 206 C, 207 C'. — A Debora suggillantur, 139 C. — Mystice quid, 208 B, C'.
Dan civitas, olim Lais vocata, 207 B, erat terminus terræ Israel versus septentrionem, 212 A. — Ibi vitulum erexit Jeroboam, 681 A'. — *Cf.* Lais.
DAVID, quatuor habuit nomina, 558 B'. — Magnis dotibus præditus, 352 A, B', 365 B, fuit pulcher, 352 A, fortis, 358 D, sapiens, 521 A, in bellicis valde expertus, 538 C, humilis, 356 D, 390 D', 545 D, patiens, 507 B', 529 A',

Digitized by Google

533 D', mansuetus, 358 A, misericors, 543 D', justus, 391 B, pius, 469 A', et, quod rarum erat sub lege, 391 D, clemens in adversarios, 389 C, 399 A, 402 C', 531 D, 546 D'. — Repletus Spiritu Sancto, 352 B, de nocte solitus erat secreto orare, 535 C; cantica metrica et musica organa composuit, 560 A; sub lege evangelicas virtutes exercuit, 435 A; gesta ejus mystica et figurativa erant, 382 A, et clarissimis illuminatus est revelationibus, 563 A. — Non semel mirabiliter a morte ereptus est, 370 B, 380 B, 385 D, 387 C, 558 C, et nunquam in bello vulneratus fuisse legitur, 581 B'. — Ad venerea tamen satis proclivis, 582 A, variis de causis plurimas accepit uxores, 462 A; et si a crudelitatis nota utcumque purgari possit, 406 B, 509 A, a mendacio sæpius non est excusandus, 377 A', 406 C. Non omni culpa in Saul caruit, 390 B, nec in Nabal, 397 B. In corripiendis liberis nimis remissus fuisse videtur, 514 D, 584 C, et multipliciter erga Miphiboseth peccavit, 530 A', 547 D'.

A Samuele, non ut rex, sed in regem unctus, 352 C, fit armiger Saul, 353 B, et gener regis, 366 C', primus in mensa regali sedens, 374 D. — De ejus duello : Cujus ætatis, quum Goliath dejecit, 359 A, et quomodo a Saul non sit agnitus, 360 A'. Quid eum ad duellum moverit, 357 B', et quomodo prostraverit adversarium, 359 B, C'. Licite contra Goliath dimicavit, 362 B', et ex revelatione noverat se victorem fore, 358 C'. — Fugiens ad Achimelech, 377 A, licite potuit panes sacerdotales manducare, 377 B', 378 D, et gladium Goliath de sanctuario auferre, 379 D; sed non videtur a nece sacerdotum omnino excusandus, 383 C', 525 A, D, C'. — « Ebannitus » a Saul, 376 D, cum tota familia, 381 A, B', transit ad Philistæos, 380 B, 405 C. Quoto tempore ibi manserit, 413 B', et an reapse voluerit eis auxilium præstare, 407 B, 414 B'. — Etsi unctus in regem, non potuisset occidere Saul, 388 C', nec in eum rebellare, nec regnum vi occupare, 407 D, nec bona Nabal auferre, 398 C', quamvis de interitu ejus non illicite gavisus sit, 400 A. — Iterum et tertio unctus, 438 D', regnat in Hebron super Judam, 438 C', et in Jerusalem super Israel, 457 D. — Davidis victoriæ enarrantur, in Philistiim, 462 B, 487 B, 557 D', Moabitas, 487 C, Syros, 487 C', Idumæos, 489 B, Ammonitas, 494 A. — De ejus lapsu : Quot Davidis peccata in Uriam, 502 A. Verum cum Bethsabee adulterium commisit, 500 C. Ex nimio otio illud peccatum incidit, 502 B, jam senex, 526 B, et diu in illo impœnitens permansit, 507 A. Quo sensu soli Deo se peccasse contendat, 506 A. Quanta ejus contritio, 506 C. In ultionem hujus sceleris, interfecti sunt quatuor filii regis, 504 C, constupratæ concubinæ ejus, 505 D, et ipse a regno exturbatus, 525 B. — De ejusdem altero lapsu : Propter flagitia populi in elationis vitium incidit, 572 A, et recenseri populum jubet, 572 C, in quo dupliciter peccat, 574 A. Quis ad hoc eum moverit, 572 A'. Ex amore populi, a Deo flagellari eligit, 574 A', et optimi regis se exemplar præbet, 575 B'. — Ultima ejus verba, 561 D, et ad filium monita, 589 A. Cur Joab Salomoni puniendum tradiderit, 590 C, 591 A. Cur a construendo templo prohibitus sit, 484 A', 610 D, 647 D'. — Post senectutem decrepitam, 581 B, in arce Sion sepelitur, 591 D'. Ad ejus nominis invocationem templi januæ ultro apertæ sunt, 654 C'.

Davidis planctus in mortem Saulis explanatur ad litteram, 431 B', et tropologice, 436 B. Tres partes complectitur, 434 A'. — Exponitur itidem ejus eucharisticon (Psalmus XVII) 560 A. — Ex promissionibus Davidi factis, aliæ de Christo, aliæ de Salomone intelligendæ sunt, 476 C; item aliæ absolute, aliæ sub conditione, 563 A', 590 A. — Mystice, fuit figura Christi multipliciter, 363 B, 367 D, 387 D, 417 D, etc., et boni prælati, 501 C.

Davidis fratres, quot, 351 C', et quid significent, 363 D. — Ejus filii, quot, 446 B; quo sensu sacerdotes dicantur, 490 B', et quid exprimant, 453 C', 492 A. — Ejus filiæ, qua simplicitate enutritæ, 513 C'. — Quid intelligendum per ejus uxores, 418 B, et concubinas, 554 B.

DEBORA, prophetissa, cujus uxor, 130 A, et cur Hebræis prælata, 130 B. — Fuit quasi mater Israel, 137 B'. — Barach incitat et comitatur adversus Chananæos, 130 D, 131 A. — Allegorice, typum gerit Ecclesiæ, 141 C, et B. V. Mariæ, 134 A'. — Ejus carmen explanatur ad litteram, 135 B, et mystice, 141 C.

DELECTATIO, unde oriatur et ubi sedeat, 259 B'. — Aliquando redundat in inferiores animæ et corporis vires, 260 A. — Delectatio ordinata est bona, 259 C. — Dupliciter quis in Deo delectari potest, 259 A'.

Digitized by Google

DEUS a nullo vivente videri potest, 146D, 184A'. — Quo sensu dicatur irasci, 119D', malorum perditionem velle, 271D, pœnitere, 345A, 347C', et pœnitentia hominum flecti, 347A', sedere, ambulare, 474D', esse alicubi, 649A', aliquem diligere, 508A. — Ab eo sic pendet omne meritum, ut Scriptura malum etiam culpæ illi tribuere soleat, 572B', 729A. — Dei solius est cor hominis ad se trahere, 101C', et ad libitum inclinare, 131B'; et mortuos suscitare, 701B'. — Recte petra vocatur, 293C. — Illi competit imprimis sanctitudo, 261A, et fortitudo, 261B. — Ejus imperium æquissimum est, 562B'. — Multiplici providentia hominem gubernat, 245. — Servis suis varios cibos subministrasse legitur, sed semper optimos, 698B'. — Ejus promissa sub conditione intelligenda, imo oratione sæpe impetranda sunt, 483B', 706C'. — Donum Dei est ejus beneficia recognoscere, 481C.

Deum appropriate « suum » vocare, non nisi perfectis competit, 41A, 701B. — De eo non est indiscrete investigandum, 267D, sed magis dolendum de ejus offensione, 285B'. — Dupliciter quis potest in eo delectari, 259A'; verumtamen ei servire arduum est, 101B, et ab ejus servitio refugiunt multi, 100A'. —Voluntati ejus non semper conformari tenemur, 648A. — Quomodo factus sit Deus Israel, 482D', locutus sit Josue, 5B', et cum eo fuerit, 7D, apparuerit Samueli, 278A', Salomoni, 599B', et Eliæ, 712C'.

Dii gentium humani sanguinis effusione delectabantur, 705A'. — Dii diversi diversis terræ partibus præesse credebantur, 719A'. — Diis alienis servire, est propriis passionibus obtemperare, 122C.

DEVOTIO duplex habetur, 371A'. — Devotio informis, qualem habent Judæi et Sarraceni, est donum gratiæ gratis datæ, 371B'.

DEXTERA. Per dexteram, in Scripturis, spiritualia et prospera designantur, 135A'. — A dextris Dei sedere dicuntur angeli, 728D.

DIES, quot horis productus sit a Josue, 62B, et ab Isaia, 62C. — Uter longior, 62B.

DILIGENTIA, quomodo ab Origene commendetur, 26B. *Adde* 311A'.

DIONYSIUS Areopagita a sanctis Apostolis instructus est, 62A'. — Sæpius allegatur, 267A', 309A, 562C, A'.

DIONYSIUS Cartusianus suggillat prælatorum sui temporis mores, 167C', 241B', Ecclesiæ deformitatem, 229C, 716C', ecclesiastici ordinis corruptionem, 275B, 276A', vestimenta christianorum ridicula, 497C', 513C', clericorum ambitionem, 529C, et magnatum superbiam, 732D.

DISCRETIO commendatur, 444B'.

DIVINI Philistinorum, quo spiritu de arca prophetaverint, 291A'.

DOCTOR. In rebus dubiis, cujuscumque doctoris sententiam deserere licet, 412D'.

DOEG, Idumæus, 307B', vel Amalecita, 428C, conversus ad Judaismum et proselytus, 379A, 430D, cujus dignitatis apud Saulem, 378B'; 419A. — Davidem Sauli adducit, 352C'. — Sacerdotes Nobe denuntiat, 382A', et interficit, 383D, et urbem subvertit, 383A'. — Miserabiliter occumbit, 419B, D. — Tropologice, adulatores exprimit, 384B'.

Ejus filius, qui se Saulem interfecisse jactabat, 428B', et Davidi diadema ejus attulerat, 429A', occiditur, 430B', et quidem juste, 430D'. An vere Saulem interfecerit, 429B. — Quid nos doceat, 437D'.

DOLOR et mœror, in quo differant, 253A.

DOMINATIO duplex habetur, 302D', 309A; imo triplex, 303A; ex quibus, quænam licita sit, 302D'.

DOMUS. Facere domum, in Scripturis, quid significet, 476B. — Domus Saltus Libani, a Salomone constructa, cur sic dicta, 626D, 627B'. Describitur, 626B'. In ea reponebantur aromata, 627A', et arma, 627C'; et fuit valde mirabilis, 660B'. — Domus reginæ, uxoris Salomonis, describitur, 628A. — Domus regalis fabrica, quanto tempore duraverit, 626B. — Domorum tecta in Palæstina, instar solarii, plana erant, 615D.

DUELLUM. Duplex duelli genus distinguitur, 360D', 361D. — An sit licitum, 360C'. — Duellum judiciarium prohibetur, 362B. — David licite cum Goliath duellum iniit, 362B'; sed minime pugnatores Gabaon, 443C'.

DURANDUS (a S. Portiano) Ord. Præd. theologus, allegatur, 360D', 466D'.

E

ECCLESIA novum bellandi genus invexit, 65D', 142D, 464C'. — Recte domus David dicitur, 480B, et columna, 639A. — Varie in Scripturis figuratur : 1° Per Rahab : nemo extra domum ejus salvari potest, 17D, 38A'. —

Digitized by Google

2° Per plebem Judæorum : ipsi traditus est mundus, 11 C, et nullus ei prævalere potest, 11 D; cur tot hostibus lacessatur, 122 C'. — 3° Per Deboram : precibus suis triumphum de hostibus meretur, 134 A', et ipsi competit cantare Deo, 141 C'. — 4° Per uxorem Samson : licet alienigena, a Christo dilecta fuit, 190 D. — 5° Per Noemi : sæpe a Deo relinqui visa est, 228 A'. — 6° Per Ruth : a Synagoga Scripturarum notitiam accepit, 232 D, et in agrum Domini introducta est, 233 A. — 7° Per Annam, matrem Samuelis : primo sterilis, postmodum meruit fecundari, 257 B, et Synagogæ substitui, 265 A. — 8° Per Abisag : Christum consolata est de Judæorum induratione, 588 A. — 9° Per templum Salomonis : quæ ejus dimensiones, 623 B, et dispositio, 624 C. — 10° Per reginam Saba : quo zelo Christum requisierit, 665 A. — Etc.

Ecclesiæ consecratæ reos a vindicta tutantur, 90 C', exceptis enormiter criminosis, 595 C, 597 B'. — Ecclesiæ consecratio ad orationis efficaciam confert, 652 A. — *Cf.* Templum.

EDOM, multipliciter accipitur, 136 A'. — Quomodo per Edom transierit Dominus, 136 A. — Idumæi, an transitum Hebræis denegaverint, 171 C'. — Lex eos benigne tractari jubet, 489 B'. — A David subacti sunt, 489 B, et exinde usque ad Josaphat rege caruerunt, 731 A'. — Tropologice, avarorum speciem repræsentant, 491 D'.

EFFEMINATI, quid, 689 B'.

EGLON, rex Moab, 126 D, pinguissimus, 127 D', servituti subjecit Hebræos, 127 B, et idola in Galgalis erexit, 128 A. — Quomodo ab Aod occisus, 128 C. — Fuit impii Mahometi figura, 134 B.

ELA, rex Israel, cum tota progenie deletur, 694 C.

ELCANA, pater Samuelis. Quomodo interpretetur, 249 A'. — Cur dictus sit Ephratæus, 249 B', quum de stirpe Levi fuerit, 250 B. — Mystice, per Elcanam adumbratur Christus, 256 C, et bonus prælatus, 257 C'; per ambas uxores ejus, Ecclesia et Synagoga, 256 D', vita activa et contemplativa, 258 A.

ELEAZAR, filius Aaron, Terræ sanctæ divisioni præest, 73 B. — Ex ejus posteris prius eligebantur pontifices, 224 B'. — In urbe sua Gabaath moritur, 104 B. — *Cf.* Pontifex.

Eleazar alius, secundus inter fortes David, 565 C, quæ fecerit, 565 A'. Cur fortissimus vocetur, 565 D'.

ELECTUS in Scripturis non semper prædestinatum significat, 305 D'. — Electos in hac vita castigat Deus, reprobos æternæ damnationi reservans, 686 C'.

ELIAB, frater major David, elegantis et proceræ staturæ, 351 A, sed superbus et iracundus, 351 C, 357 D', Scribas et Pharisæos signat, 363 B'.

ELIAS propheta, fuit quasi secretarius Dei, 698 A. — Ad confutandam incredulitatem Achab, siccitatem inducit super terram, 698 B. — A Deo non semel mirabiliter nutritur, 698 A', 711 D; oleum et farinam viduæ multiplicat, 699 B', et filium ejus suscitat, 700 A, quomodo, 701 A. — In Carmelo sacrificans, 705 A, ignem de cœlo educit, 706 A, et prophetas Baal occidit, 706 C. — Eliæ visio in Horeb explicatur, 712 C', 717 A. — Arguit Achab mortis Naboth, 724 D. — Nonnunquam aliquid infirmitatis humanæ passus esse videtur, 715 A, A'; fugiendo Jezabel, imperfectus fuit, 710 C; et in Horeb, quadam elatione tactus est, 712 A'. An peccaverit prophetas Baal ad sacrificandum exhortando, 707 B. — Moraliter, fuit figura Christi, 702 D, 717 A', et devotorum, 715 C. Ejus sacrificium ad tropologicum sensum explanatur, 709 D.

ELIMELECH, vir Noemi, de primoribus Bethlehem, 225 C', ubi sit mortuus, 225 C. — Tempore ejus, ob prævaricationes populi, stetit sol et facta est fames, 225 C. — Allegorice, Christum designat, 228 B.

ELISÆUS, vir rusticanus, 717 B', a Deo in Prophetam eligitur, 713 B'. — Eliæ pallio indutus, 714 C, statim prophetat, 714 A', et fit Eliæ minister, 714 D'. — Quid mystice, 717 B'.

ENACIM a filiis Israel exterminati, 65 C', tantum in Geth, Azoto et Gaza remanserunt, 65 D'. — Tropologice, persecutores Ecclesiæ figurant, 68 A.

ENGADDI, urbs et desertum. Ibi erat vinea balsami, 388 B; ibi David chlamydem Saulis abscidit, 388 B', 389 A.

EPHI mensura, quanta, 356 B'.

EPHOD, quid sit, 159 D, C', 203 A, 334 B, 379 C. — Vestimentum erat sacerdotale et prophetale, 270 C, per quod consulebatur Dominus, 385 A, 415 C'. — Ephod sibi inconsulte fecit Gedeon, 159 D, quod Hebræis causa fuit idolatrandi, 159 D'. — Mystice quid, 275 A', 472 A'. — *Cf.* Oraculum.

EPHRAIM tribus, post tribum Juda fuit prima, 677 D'. — Quasi potentior, ad septentrionem

Digitized by Google

terræ Chanaan sortem accepit, 156 D, quamnam, 81 B. — Ephratæi cupidi, 81 C, superbi, 156 C, 178 C, et invidi, 156 C', indebite Chananæis parcunt, 81 C'; contra Gedeonem insurgunt, 156 C, et contra Jephthe, 178 C, et ab hoc debellantur, 179 B. — Quasdam litteras proferre non valebant, 179 B'.

Mons Ephraim, quid sit, 249 B. — Saltus Ephraim, ubi sit et cur sic dictus, 539 C. Ibi occisus est Absalon, 539 D.

EPIPHANIUS (seu potius Pseudo-Epiphanius, de Vita et morte Prophetarum) 498 B'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 43, col. 393.) — *Adde* 255 A.

EQUUS. Cur subnervati equi Chananæorum, 64 D, 67 B, et Syrorum, 488 A. — Equi Salomonis, quot, 608 C, D, 664 B, C; unde eos emerit, 664 B', et quanti, 664 C'. An peccaverit, tot equos congerendo, 664 D. — Tropologice, quid sint equi, 67 C, 491 A', equi Christi, 609 B', equi diaboli, 67 A.

ESDRAS litterarum hebræarum formam mutavit, 246. — Libros V. T. reparando, nonnihil addidisse creditur, 307 C.

ETHAI, filius Achis, proselytus, David fugientem sequitur, 527 D, et super partem exercitus constituitur, 538 B. — Quid mystice, 542 B.

ETHANIM mensis, quis, 643 D'. — Totus solennis erat apud Hebræos, 643 D'.

EUPHRATES, flumen paradisi, fuit orientem versus, Terræ promissæ terminus, 487 D'.

EUSEBIUS (S.) Papa, allegatur, 393 D', 394 B. (In Jure.)

EUSTACHIUS (S.), etiam gentilis, Christum coluisse dicitur, 707 B'.

EXCELSA, quid, 691 C', 692 A. — Ante templum constructum in excelsis sacrificare licebat, 598 C', licet hoc fuerit minus perfectum, 599 B; imo, ædificato templo, non videtur fuisse sub gravi prohibitum, 691 C'.

EXCOMMUNICATI, ineunte Ecclesia, a dæmonio vexari solebant, 650 A'.

EXERCITUS Dei, quid sit, 728 D.

EXPLORATOR. Duplex est explorationis genus : ex quibus utrum licitum, 13 A'. — Exploratores Josue, quomodo inter Chananæos sint versati, 13 A, et quo tempore, 13 B'. A Rahab salvantur, 14 B', 15 D'. Quid significent, 16 D. — Exploratores et periti a Josue missi sunt, qui dividerent terram, 84 D, D', 85 C.

EXSILIUM a lege Judaica nunquam indicitur, quare, 404 C, 519 A.

F

FEMUR, quid sit proprie, 193 B'. — Femori suram imponere, lugentibus et meditantibus solitum, 193 D.

FENESTRÆ obliquæ a Salomone excogitatæ fuerunt, 615 A. — Mystice, libros S. Scripturæ signant, 623 C.

FETUS. Ejus materia a matre, vis autem formativa a patre ministratur, 477 D. — In utero, menstruo alitur, 498 A'.

FICUS arborum principatum recusans, quid significet, 163 C, 167 A'.

FIDES in spiritualibus præliis victoriam confert, 53 A.

FIGURA tripliciter considerari potest, 476 C'.

FILIUS, a patre vulgo cognominabatur, a matre raro, 5 B. — Circa matrimonium, filios parentibus obedire decet, 187 A. — Non injuste parentum scelera pœnis luunt, 274 C', 343 B', 451 A, 556 C'. — *Adde* David, Heli, Samuel.

Filiæ regum olim sub arcta custodia servatæ erant, 511 C', et in vestibus modestæ, 513 C'. — *Adde* Jephthe, Pharao, Salphaad.

FLETUS. Locus flentium, cur sic dictus, 118 C'. — Ibi angelus Hebræos increpat, 117 D.

FOEDUS non licet frangere, etiam impositum, 187 D', vel cum infidelibus initum, 692 B'. — Fœdera olim, aqua effusa, pangebantur, quare, 103 A, 295 B', et quo ritu, 295 D'. — Fœdus cum Deo renovant Hebræi, 101 B', 102 B, in cujus signum, lapis in sanctuario erigitur, 102 C, D'.

FONTES e mari magno originem ducunt, 560 C'.

FORCIPES, quid sint ad litteram, 638 B', et mystice, 642 D'.

FORMIDOLOSUS, quid sit proprie et quomodo a timido differat, 152 A. — Recte ab exercitibus olim formidolosi ejiciebantur, 151 D.

FORNICATIO. Sic dici potest quodcumque mortale peccatum, 160 A, maxime idololatria, 120 C. — Fornicatores majora manent in inferno supplicia, 380 A'.

FORTITUDO, licet a Deo pendeat, imperari potest, 8 D. — Maxime ad principes spectat, 7 D', et ad bellatores, 151 D'. — Inter timorem et audaciam medium tenet, 152 A.

Fortes David recensentur, 564 A', 568 D'. — Quot fuerint, 569 B. — Nonnulli laudantur, 564 A' et seq. — Cur inter ipsos non inveniantur Joab et Amasa, 569 A'. — Allegorice, Apostolorum speciem referunt, 570 A.

Digitized by Google

FRATER. Sic in Scripturis vocantur propinqui, 238B.

FRIGUS. Cur tanta infrigidatione David in senectute laboraverit, 581B. — Contra membrorum infrigidationem, quodnam remedium, 583B. — Uter magis ad hoc valeat, virginis an corruptæ amplexus, 583D', 584A.

FUNICULUS, in Scripturis, quid significet, 82A'.

FUNUS. In funeribus solebant Hebræi defunctum inclamare, 685A', et convivium facere, 515D. — Mortuos septem diebus lugebant, 438B, cum planctu et jejunio, 420B, 429D', induti veste lugubri, 517C, et ab unguentis abstinentes, 517D'. — Super magnatum cadavera aromata incendebantur, 420A ; et unusquisque, quantum fieri potuit, in sepulcro paterno condebatur, 160B', 200A', 443B', 457A', etc. — *Cf.* Luctus *et* Mors.

FUSCINULA, quid sit, 638B', 642D'.

G

GAAL, filius Obed, vir potens et ambitiosus, 164C', Sichimitas adversus Abimelech concitat, 164D', et ab eo fugatur, 165C'. — Tropologice quid, 167D'.

GABAA, est aliquando nomen commune, 466A'. — Gabaa, urbs tribus Benjamin, 210B, vicina Cariathiarim, 466B. Ibi natus est Saul, 319D, et forsan reposita est arca, 466B. — Incolæ ejus, fortissimi, 213A', et in arte sagittandi peritissimi, 315C', sed inhospitales, 210B, et nequissimi, 210B'; propter vim uxori Levitæ illatam, 211A, disperduntur, 215C'. — Hoc scelus minus videtur adoratione vituli et idololatria Danitarum, 211A'. — Quandonam evenerit, 209D', 213D'.

GABAON, urbs regalis Chananæorum, 54C, 57C, tribui Benjamin obtigit, et Levitarum facta est, 92D. — Ibi erat fanum celeberrimum, 599 D, et diu mansit tabernaculum fœderis, 599A'; ibi factum est celebre certamen inter milites Abner et Joab, 440D', 444A'; et apparuit Dominus Salomoni, 599B'. — Gabaonitæ calliditate sua mortem effugiunt, 54C, et ad ministerium templi applicantur, 55D. — Ceteris Chananæis meliores fuisse videntur, 56B'; et postea Nathinæi vocati sunt, 56B. — Gabaonitis a Saule injuste occisis, 555C, C', Judæa fame trienni afflicta est, 555A, quæ non nisi immolatis Saulis nepotibus cessavit, 556C.

GAD, quomodo in sortem accepisse dicatur dimidiam partem Ammon, 72A. — A Josue laudatur, 93B ; sed a Debora suggillatur, 139C. — Nullum ducem dedit Israeli, 475A. — Mystice quid, 12B', 26B'.

GAD propheta, dicitur Videns Davidis, quare, 574C. — Ad corripiendum regem mittitur, 574C, et ad consolandum eum, 575D'.

GALAAD nomen est viri, 82A, et civitatis, 170A, et regionis, 82B, 319A, 697D, imo duarum regionum, 151C', 173C'. — Filiis Manassæ obtigit, 82B. — Galaad, quo sensu fugitivus Ephraim dicatur, 179B.

GALGALA, quid significet, 29B', 30B. — Ibi circumcisi sunt Hebræi, 26C', et Saul rex constitutus est, 321A; eo quotannis congregabatur populus ut judicaretur, 296D'.

GAUDIUM. De injusti oppressoris ruina gaudere fas est, 488C', sicut de inimici morte, zelo justitiæ, 400A.

GAUFREDUS, Anglus, Ord. Cisterc. theologus, 360D'.

GAZA, urbs Philistinorum, 196D, cujus portas Samson abstulit, 197C. — A Judæis capta, 114A, Terræ promissæ terminus erat versus occidentem, 60B'. — Ibi conclusus idem Samson, 199B, templum Dagon super Philistæos dejecit, 199D'. — Moraliter, per Gazam signantur infernus, 200C, et gentilitas, 200C'.

GAZER, urbs regalis Chananæorum, 70B, Ephraim obtigit, 81B'. — Data est Salomoni a Pharaone, in dotem filiæ, 658D.

GEDEON. Quomodo interpretetur, 154D. Dictus est etiam Jerobaal, quare, 147D, 154D. — Fuit humilis, 145A, D, 156D', 161C, et prudens, 145C'. — Ab angelo magnifice salutatus, 144C', Deo, non angelo sacrificasse credendus est, 145D'. Quo jure extra tabernaculum sacrificium obtulerit, 146C, 147A. — Signum petens a Domino semel et bis, 147B', an et quantum peccaverit, 148A, 175B'. — Qua arte bellatores elegerit, 151D, 152C, A', et Madianitas profligaverit, 153B'. — Somnio confortatur, 153B. — Viros Soccoth et Phanuel disperdit, 157B, 158A. — A plebe rogatus ut dominationem exerceret, modeste recusat, 158D', sed sibi sacerdotale officium assumit, 159D, jam senex, 159B', et aliis peccandi ansam præbet, 159D'. — Etsi in hoc certe peccaverit, 160A, 161A, non est punitus, quare, 160D'; imo a Deo adhuc adjutus est, 175B'. — An a concubinatu excusandus, 160C, et adulterio, 160D.

Digitized by Google

— Salvatus creditur, 160 A', 175 D, sed ejus posteri principatu exciderunt, 160 C', et deleti sunt, 162 B'. — Spiritualiter, fuit figura Christi, 149 B', 154 D, et sacrificium ejus, typus Cœnæ dominicæ, 150 A. Ex eo edocemur pravum fugere consortium, 150 D', humilitatem sectari, 151 A, et præsumptionem vitare, 154 D'. Gedeonis socii, mystice quid, 155 B'.

GELASIUS Papa, allegatur, 393 A'. (In Jure.)

GELBOE montes. Ibi victi sunt Hebræi, et occisi Saul et Jonathas, 418 D'. — A David maledicuntur, 432 D. — Quid moraliter, 436 C'.

GIGANTES nonnulli a David et ejus sociis interfecti sunt, 359 C', 558 A, A', B', 559 A, C, 567 C'. — Vallis Gigantum, seu Raphaim, 566 B', prope Jerusalem, 462 D. Ibi pluries cæsi sunt Philistiim, 462 D, D'. — *Cf.* Enacim, Orpha, Raphaim.

GLADIUS. Os gladii, quid, 207 A'.

GLOBUS pro exercitu sumitur, 41 C.

GLORIA vana, quantum Deo displiceat, 154 D'. — Perfectis periculosius insidiatur, 293 C'.

GLOSSA ordinaria (Walafridi Strabi) passim allegatur, 112 D, 124 C', 128 A', 129 C', 132 D', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113 et 114.)

GOLIATH Gethæus, cujus proceritatis, 355 D. — Arma ejus describuntur, 355 D. — Hebræos ad singulare certamen provocat, 355 C'. Tribus (ut aiunt) lapidibus percussus dejicitur, 359 C'. — Arma ejus in Tabernaculo reposita, 360 C, an Deo consecrata sint, 379 D. — Tropologice, quid exprimat, 363 A.

GRATIA alicui, ob aliena demerita, denegari potest, 572 B.

GUILLELMUS Parisiensis, vel simpliciter Guillelmus, Parisiorum episcopus, allegatur, 354 B, 361 C, 446 A, 502 C'.

GULA multos obtenebrat, 457 B'.

H

HABER Cinæus, vir de semine Jethro, 131 B. — Apud illum interfectus est Sisara, 131 D'.

HAGIOGRAPHA. Sic vocatur tertia pars Scripturæ, quare, 4; quid contineat, 3, 247.

HAI civitas modica, 39 C', juxta Bethel, 39 D, primo Hebræis resistit, 40 A, sed ab eis tandem capta, 48 C, penitus destruitur, 49 A. — In rege Hai ostendit Josue exemplum divinæ justitiæ, 49 A. — Spiritualiter, quid indicet Hai, 51 D', et rex ejus, 52 B'.

HAMULA, utensile templi, quid ad litteram, 637 A', et mystice, 642 A'.

HANON, filius Naas, rex Ammon, nimis credulus, 495 D, injuriam servis David irrogat, 495 D, et ab eo devincitur, 495 D'. — Moraliter, diabolum adumbrat, 497 C.

HAZAEL, quomodo unctus sit rex Syriæ, 713 D. — Licet idololatra, idololatras Israelitas percussit, 713 B'.

HEBAL mons. Ibi Josue sacrificat, 49 C, lapides lege inscriptas erigit, 49 A', et legem solenniter promulgat, 49 D'.

HEBRÆI, quomodo Jordanem transierint, 21 A', 24 B'. — Iterum circumciduntur, quare, 28 A'. Num in Ægypto, nocte Phase, circumcisi fuerint, 27 D'. — Ad idololatriam proni erant, 124 A; verumtamen tempore Josue, non videntur idola coluisse, 100 D, 103 D; nunquam universi ad polytheismum declinaverunt, 713 D', et cum idolis suis verum quoque Deum colebant, 707 C. — Fœdus renovant cum Deo, 101 A, 102 B. — An juste possederint terram Ammon, 171 D, et Jerusalem, 459 A. — Eorum variæ captivitates, quot, 122 D, et quantum duraverint, 180 C. Sigillatim describuntur, 124 B, 126 C, 129 C', 143 D, 168 A, 180 C. — Cur illos voluerit Deus præliandi consuetudinem habere, 123 B. — Pauciores inveniuntur in terra Chanaan quam in Ægypto, 212 A'. — Triplici regiminis formæ successive adhæserunt, 246, imo quadruplici, 109. Quis eis post Josue præfuerit, 111 B'. An licite petierint regem, 303 C', et quare, 324 A. Utro tempore, regum an judicum, majorem sortiti sint quietem, 475 C'. — Confœderati contra Benjamin, 212 A, cur semel et bis, licet consulto Domino, profligati, 214 B, A'. — Eorum exigentibus peccatis, 572 A, David populum recenseri jubet, 572 C, et plebs peste triduana castigatur, 575 D'. Qua eorum culpa rex istam in elationem inciderit, 576 D.

Mos illis fuit ex eventu aut proprietate rebus nomina imponere, 146 B'; in ventilatione areæ, in ovium tonsione, et in suorum sepultura, epulum facere, 234 B, 395 D', 515 D. — Ter, aut saltem semel in anno, coram Domino apparebant, 250 A'. — Eis licebat conjugia inire cum alienigenis, saltem conversis, 598 D. — Spiritualiter, quid significent triplex Hebræorum cibus, 33 A, et variæ servitutes, 133 D.

HEBRON, urbs inclyta et famosa, 438 D, 526 D, prius civitas regalis Chananæorum, 57 C, et dicta Cariatharbe, 75 D', Caleb data est in

Digitized by Google

possessionem, 74B', 75C, C', et postmodum Levitis obtigit, 92D. — An ibi sepultus sit Adam, 76B. — Ibi conditus est Abner, 451D', et regnaverunt David, 440C', et Absalon, 526A'. — Allegorice, Ecclesiam militantem signat, 444C.

HELI, quo jure pontificatum occupaverit, 223B, 224A. Illi concessum fuerat sacerdotium Eleazari, 273C, sed culpa ejus iterum ad stirpem Eleazari rediit, 273C'. — Annæ filium promittit, quo instinctu, 253B. — Non videbat lucernam Dei, quo sensu, 277B'. — Quia fuit in increpando filios remissus, ipsi eorum imputata sunt peccata, 273A, et in progenie sua terribiliter castigatus est, 274A, 279B, juste, 274C'. — Propter obedientiam, 280C, et piam mortem, 284A', salvatus creditur, 280D. — Moraliter, est ignavorum prælatorum typus, 276B.

Filiorum Heli corrupti mores, 269B, 270B'. — Propter eos subtracta est ab Israel revelatio divina, 277B. — A Philistiim trucidantur, 283B, D'. — Mystice, malos sacerdotes exprimunt, 275B.

HENRICUS de Hassia, Ord. Cartus. theologus, allegatur, 686B'.

HERCULES, filius Jovis fortissimus, a quibusdam in Samsone reviviscere creditus est, 184C'.

HIEL, de Bethel, contra præceptum Josue Jericho reædificans, mulctatur, 695C'.

HIERONYMUS. Prologus ejus in librum Regum transcribitur, 246. — Versionem, non paraphrasim se fecisse testatur, 248. — Quid de Aristotele senserit, 602A. — Passim allegatur.

HIRAM, rex Tyri, amicus David, 461A', 610B, illi ligna et operarios præbet, 461D; similiter Salomoni, 611A, a quo xx urbes recipit, 657C'. — Cum Salomone mercaturas facit, 659B', 663C', et de ænigmatibus concertat, 659D'. — Ad veri Dei cultum conversus fuisse videtur, 658B. — Tropologice, quid Hiram, 464A', 612D', et classis ejus, 666A', 667B'.

Hiram alius, filius Tyrii et Hebrææ, 628A', vir sapientissimus et « pater regis », 628D', Salomonis operibus præponitur, 629A. — Quæ fecerit, 629B, 633B', 634C', 637C.

HISTORIA scholastica (P. Comestoris) passim citatur, 112B, 113A', 124D', 129B', 144C, 146C', etc. — In quibusdam refellitur, 87B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.) *Cf.* Magister in historiis *et* Petrus Comestor.

HOLOCAUSTUM, totum comburebatur, quare, 599D. — Quandoque incensum dicitur, 620A. — Holocaustum animæ fidelis, quid, 709B'.

HOMICIDIUM, sæpe ob demerita occidentis vel occisi permittitur, 390A'. — Homicidæ voluntarii ab altari evellebantur, 595B. — An quandoque cum eis dispensari poterat ne occiderentur, 521B, D'. — *Adde* Refugium.

HOMO, excellentissima corporearum creaturarum, multiplici providentia Dei gubernatur, 245. — Angelis non nisi aliqualiter comparari potest in hac vita, 520D, D', licet eis major esse possit in cœlis, 521A. — Hominibus placere modo licet, modo non, 271C'.

HORDEUM, propheticum sermonem significat, 233A.

HOREB mons. Sic vocatur ima pars Sinai, 711A'. — In spelunca Horeb Moyses vidit gloriam Dei, 711B', et Elias visionem habuit, 712C'.

HUMERULI luterum, quid, 635D, et quomodo dispositi, 636C. — Per hos intelligi possunt quatuor mendicantium Ordines, 642A.

HUMILITAS commendatur, 267C. — Cum magnanimitate consociari potest, 319C'. — Quæ sit vera humilitas, 473B'.

HYDRIA, vas templi, quid ad litteram, 638B', et mystice, 642D'.

HYPERBOLE, quid sit, 213B'. — In ea non est mendacium, 213B'.

I

IBEX, quid sit ad litteram, 388C, et mystice, 392C.

ICHABOD, nepos Heli, cur sic dictus, 284B'.

IDOLUM. Chananæorum idola, quæ, 119C'. — Idolum sibi conficit Michas, 203A, quod a Danitis sublatum, 206C, in Lais longo tempore mansit erectum, 207C'. — Item duo idola a Jeroboam constituuntur, 681B. — Idololatria sæpe fornicatio vocatur, 120C. — Idololatræ in sacris corpora sua incidebant, 705A'; eorum dementia ostenditur, 207A. — Moraliter servit idolis, qui passionibus obtemperat, 122C.

IDUMÆI. *Vide* Edom.

IGNIS frequenter de cœlo in Sanctorum sacrificia descendit, 705B. — Ab angelis produci potest, 146B, 184B, et a dæmonibus, 706B. — A diabolo formatus creditur, qui oves Job consumpsit, 706C. — Ignis nomine quæcumque calamitas designatur, 164B. — Mystice quid, 150B, 709C, D'.

Digitized by Google

IMMUNDITIA ex concubitu per unum diem ab ingressu templi et victimarum esu impediebat, 377D'. — Quantum peccatum cum immunditia ad altaris Sacramentum accedere, 472A.

IMPII. Proverbium « Ab impiis egredietur impietas » quomodo intelligendum, 390C.

INFERNUS quatuor modis accipitur, 591A.

INFINITUM multipliciter sumitur, 94C.

INIQUITAS. Filii iniquitatis, qui in Scripturis, 475B'. — Iniqui facile mala suspicantur, 495C. — Sunt quasi corona diaboli, 511A'. — Inter se pacem habere nequeunt, 697A. — Spinis comparantur, 563D', et merito, 564C.

INOBEDIENTIA, quantum Deo displiceat, 346D.

INTERCOLUMNIUM templi, quid, 635C'.

INTERRASILE opus, quid sit ad litteram, 634D', et mystice, 641C'.

INVIDIA, quid sit proprie, 365C'. — Ex arrogantia generatur, 156C'.

IRA, quo sensu Deo tribui possit, 119D'.

ISAI, pater David, vir magnæ ætatis et auctoritatis, 356B, quot filios habuerit, 351C', et nomina, 537C.

ISBOSETH, filius Saul, ignavus et imbellis, 339D, constituitur rex super Israel, 439C'. — Ineptus erat ad regnandum, 449B, et non fuit rex legitimus, 440B. — Abnerum avertit a se, 447D. — Dolose interfectus, 456B', in Hebron sepelitur, 457A'. — Spiritualiter, typum gerit desidium et ignavorum, 457B'.

ISRAEL non semper idem significat, 549C. — Populus Israel, hereditas Domini, 312D, 404B, 482C', 520B, ceteris gentibus antefertur, 481A'. — Multi ex Israel a David deficiunt, 550B, et a domo ejus, 679C', et Jeroboam regem sibi constituunt, 680C. — Regnum Israel decem tribubus constabat, 672C, 680C. — Quam secum discors, 697A. — Reges Israel de clementia commendantur, 720A'.

Liber sermonum dierum regum Israel non amplius superest, 731B.

ISSACHAR tribus, qua sorte donata, 87C'. — Urbes XVI et optimam regionem obtinuit, 87D'. — A Debora laudatur, 138C'.

ITINERARIUM, seu Recognitiones S. Clementis allegantur, 538A'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 1, col. 1157.)

J

JABES, urbs Galaad, ubi sita, 319A. — Ab Hebræis destruitur, quo jure, 216C'; et virgines Benjamitis traduntur, 217B. — Obsessa, a Saule liberatur, 319B. — Viri Jabes ossa Saulis et filiorum honorifice sepeliunt, 420A, ideoque a David benedicuntur, 439A. — Viri Jabes, quid exprimant, 321B, 421C', 444A.

JABIN, rex Azor, a Josue expugnatur, 63D'. — Quid mystice, 66C'.

Jabin alius, itidem rex Azor, Hebræis dominatur, 129C', quibus arma aufert, 137C'. — A Debora profligatur, 131B'. — Spiritualiter, persecutores signat, 134D.

JACOBUS (Major) apostolus, Hispaniam inconvertibilem relinquens, rursus in Judæa prædicavit, 228B'.

JAHEL, uxor Haber Cinæi, dolose Sisaram interficit, 132A; an recte, 132A'. — Non videtur in toto excusanda, 132B'. — A Debora laudatur, 140B'. — Ejus tempore quieverunt semitæ, quomodo, 137C. — Allegorice, Ecclesiam præsignabat et B. V. Mariam, 134A, 143B'.

JAIR, Judex Israel, vir valde potens, 168A'.

JAKIN, columna templi. *Vide* Columna.

JEBUSÆI, unde orti, 459A, C. — Ex arce Jerusalem a David ejiciuntur, 458A', 460A'; an licite, 459A. — Cæci et claudi ab eis super mœnia Jerusalem constituti, quid, 458B'. — Spiritualiter, Jebusæi gentiles significant, 464A.

JEHU, filius Namsi, quomodo unctus sit rex Israel, 713A'. Licet idololatra, idololatras Israelitas prostravit, 713B'.

Jehu alius, propheta, contra Baasa vaticinatur, 693D.

JEJUNIUM potu nimio frangi contendunt, 452D. — Ad orationis efficaciam non mediocriter confert, 510D'.

JEMINI et filii Jemini, quid, 127D, 210C, 305C.

JEPHTHE, vir fortissimus, 170A, sed spurius, 170B, primo dux latronum, 170C, a Galaaditis in principem eligitur, 171B'. — Quo tempore vixerit, 173C. — Videtur fuisse ambitiosus, 171A. — De ejus voto : Quale fuerit, 173D', 174D'; an licitum, 174C'; an, Deo inspirante, emissum, 175B; quomodo impletum, 175D'. — Jephthe fuit incautus in vovendo, impius in reddendo, 176C; imo votum istud illicitum videtur, 176D'. — Allegorice, figura est Christi, 177B; et ab eo vota fideliter servare docemur, 178A.

Filia Jephthe Isaac comparatur, 174C. — An vere fuerit immolata, 175D'. — In ho-

Digitized by Google

norem ejus institutum est festum, 174B'. — Allegorice, humanitatem Christi signat, 177C'.

JERICHO urbs, a Josue capta, quomodo, 33C, et quo die, 37A'. — Anathemati subjicitur, 35A; opes ejus Domino consecrantur, 35D, et habitatores trucidantur, 35C', et quidem non injuste, 36A. — Tribui Benjamin obtigit, 85A'. — Imprecatio Josue in Jericho, 36D', postmodum in Hiel verificata est, 695C'. — Mystice, quid sit Jericho, 37C, 38D', rex Jericho, 17B, Jericho reædificare, 39A', 697A'.

JEROBAAL, quid sonet, 154D. — Sic dictus est Gedeon, quare, 147D. *Vide* Gedeon.

JEROBOAM, quem falso putant quidam filium Semei, 671D, vir strenuus, 671A', 678D, et bonus, 671D', cur a Salomone defecerit, 671C', 672D'. — A Deo rex Israel eligitur, 672A. — Idololatriam inducens in Israel, 681B, et sacerdotale officium sibi assumens, 682A, multipliciter peccavit, 681C', 686A, nedum excusari queat, 681D, 682B', et a Deo reprobatus est, 688A. — A propheta correptus et sanatus, 683C, cur in infidelitate permanserit, 686C. — Ejus idololatria pejor fuit idololatria Salomonis, 688B. — Quot annis regnaverit, 689C. — Mystice quid, 682A'. — *Cf.* Abia *et* Ahias.

JERUSALEM. Ibi permanserant Jebusæi, quare, 79B, 459A. — Ab Hebræis capta, incenditur, 113B', quando, 209D'. — Cur modo Benjamin, modo Judæ tribuatur, 78D', 114D'. — A David murata, a Salomone munita, triplicem habuit ambitum, 598B, et facta est regni metropolis, 460A'.

JESBAAM, primus inter fortes David, quæ fecerit, 564C', 565B. — Videtur consobrinus David fuisse, 565D. — Cur dictus sit fortissimus, 565D'. — Mystice quid, 570A, B'.

JESUS. Tres in V. T. hoc nomine insigniti sunt, 10B.

JEZABEL, uxor Achab, impia et sanguinaria, Eliæ insidiatur, 710B, et Naboth interficit, 723B. — Spiritualiter, carnem significat, 715C.

JOAB, filius Sarviæ, vir ambitiosus, 508A', callidus, 442A, 500A, 517B, perfidus, 450B, audax, 496C, et in re bellica peritus, 496B, præmium obtinet a David propositum, et fit dux militiæ, 460B, B', et primus in regno post regem, 584D. — Ex invidia et ambitione, 450C, 551D', dolose occidit Abner, 450A, et Amasam, 551D; ideo a David maledicitur, 450B', 451A. — Quinque maledicta in eum conjecta, 451C. — Cur non statim David in eum sævierit, 453A', sed eum Salomoni puniendum reservaverit, 590C, 591A. — Absalonem revocat, 517B, et cum patre reconciliat, 522D'; sed mox, contra præceptum regis, eum transfigit, 539A', 540A. — Regem increpat, 544B, et a proposito recensendi populum avertere frustra conatur, 572C'. — Adoniæ partes secutus, 584D, ad altare occiditur, 594D, et licite, 595B. — An sit salvatus, 595D. — Cur inter fortes David non recenseatur, 569A'. — Moraliter, varia designat, 454C', 455C', 523C, 542B, C', 549D, 554D.

JOANNES apostolus, tres mortuos resuscitavit, 701C'.

JOAS, pater Gedeonis, vir potens, 144B', fuit idololatra, 146C', sed non induratus, 147C.

JOATHAM, filius Gedeonis, a clade fratrum ereptus, 162C'. — Ejus ad Sichimitas parabola, 162D'. — A Deo videtur inspiratus fuisse, 166C'.

JONADAB, nepos David, vir carnaliter sapiens, pessimum dat Amnoni consilium, 511D'. — Falso putant aliqui eum fuisse Nathan prophetam, 515D'. — Gigantem Philistæum devicit, 559B.

JONAS propheta, de Sarepta, filius viduæ ab Elia suscitatus, 702C, factus est Eliæ minister, 710C'.

JONATHAN ben Uzziel, « magnus apud Hebræos », quomodo Annæ canticum interpretatus sit, 264D.

JONATHAS, filius Saul, magnanimus, 334A', et inclytus, 364C', 373D', amabilis, 433C, D', et decorus, 433D. — Ope Dei Philistæorum stationem disturbat, 335C. — Votum patris transgressus, 336D', a morte liberatur, 338D', an licite, 340C'. — Peccasse videtur, votum patris transgrediendo, 340C, et illud reprobando, 340A'. — Davidi tenerrime devinctus, 364B, 369C, 434A, cum eo non semel fœdus pangit, 364D, 373C', 385B'. — Cur a Philistæis occisus, 419A. — Ossa ejus honorifice conduntur, 420A, 557C'. — Moraliter, quid Jonathas, 340D', 367D, et triplex ejus cum David fœdus, 388A'.

Jonathas alius, Levita, de stirpe Moysis, 203D, fame pulsus, fit idoli sacerdos apud Micham, 203B', et postea in Lais, 206C', 207C'. — Quid exprimat, 208B'.

Digitized by Google

JORDANIS fluvius, in tempore messis exundat, 18 C, 20 D'. — A Josue dividitur, quomodo, 21 B, et quando, 9 A. — Cur aliter divisus ac mare Rubrum, 21 C'. — Spiritualiter, figura est Baptismi, 11 B, 23 A', 31 D, et humilitatis, 11 B, 31 C.

JOSAPHAT, rex Juda, amicitiam cum Achab jungit, 726 C, quare, 726 B'. — In Ramoth Galaad periclitatur, 730 B. — Optimus fuit, 731 C; verumtamen de sua cum rege Israel societate reprehenditur, 731 D'. — Mystice quid, 732 B'.

JOSEPH patriarcha. Ossa ejus in Sichem reponuntur, 103 B'. — Domus Joseph, quid significet, 115 C, 671 B'. — Cur in duas tribus divisa sit, 73 C'. — Partem Levi recepit, 73 B', et quantum ad hoc, successit Ruben in jure primogenituræ, 73 D'. — Sors ejus describitur, 80 C, 83 D. — Ad meridiem sortem recepit, quare, 85 A. — *Cf.* Ephraim *et* Manasse.

JOSIAS, rex Juda, de longe prænuntiatur, 683 C.

JOSUE, vir sub omni respectu fortis, 3, obediens, 65 C, et humilis, 89 A, non immerito Josue aut salvator dictus est, 3. — Specialissimus minister Moysis, 5 A', et ipse propheta, 3, 10 A, in gratia confirmatus fuisse videtur, 8 A', et in quibusdam Moyse præstantior fuit, 7 A'. — An exploratores mittere licite potuerit, 13 C. — Cur tribus diebus ad oram Jordanis moratus sit, 18 C, et quomodo eum transierit, 20 A'. — Incaute cum Gabaonitis fœdus iniit, 55 B, sed sapienter cum eis composuit, 56 A. An fœdere reapse teneretur, 56 C'. — Populum alloquens, quomodo ab omnibus audiri potuerit, 20 A', 34 D', 35 A'. — Solem et lunam sistit, 58 B', et diem protrahit, quot horis, 62 B. — Chananæis per sex annos debellatis, 65 D, 66 A, duodecim tribubus terram partitur, 70 D, 84 B, et in possessionem accipit Thamnath Saraa, 88 B', et Sichem, 88 C'. — Novissima ejus verba ad populum, 97 B, 98 C. Fœdus renovat inter Deum et Israel, 102 B. Cur delinquentes tribus non corripuerit, 104 C. — Moritur et sepelitur in Thamnath Saraa, 103 C. Mors ejus a quo conscripta, 104 B'. In sepulcro ejus imaginem solis sculpserunt, 119 A'. — Spiritualiter, in multis fuit figura Christi, 10 C, B', 21 D, 38 A, 67 C', 89 A', boni prælati, 10 D', 11 D', 98 A', et prædicatoris, 104 C'.

Liber Josue a quibusdam inter historiales computatur, 4; ab aliis inter prophetales, 3, quare, 4, 10 A. — A quo sit conscriptus, 5 A, 104 B'. — Est prosecutio Deuteronomii, 5 A.

JUDA non semper idem designat, 549 C. — Juda successit Ruben in jure primogenituræ, 73 D', et sceptrum de eo non defecit usque ad Herodem, 477 A'. — Tribus Juda, tanquam ceteris fortior, sortem ad meridiem accepit, ut Israel protegeret, 76 D', 85 A, 156 D. — Ejus sors describitur, 76 D et seq. Fuit aliarum tribuum sorte amplior, 86 D', 113 C'; sed quædam ex ea pars Dan et Simeoni cessa fuit, 87 A. — Ceteris tribubus vulgo antefertur, 499 C, et viri Juda seorsum semper dinumerantur, ut digniores, 344 C, 572 C. — Populo, post mortem Josue, præposita est, 111 B', non generaliter, 112 B, sed in bello contra Chanaan, 112 D, et contra Benjamin, 214 A. — Diu sola fuit obsequens David, 440 B'. — Regnum Juda tribus tribubus constabat, 670 B, 680 A'. — Mystice, quid tribus Juda, 79 C', 117 A', et viri Juda, 443 D'.

JUDÆI conversi gentilium conversioni inviderunt, 190 D'. — Judæos non licet interficere, 542 A'. Eorum insectatores Joab comparantur, 542 C'. — Stultæ eorum fabulæ: de Phinee, 119 A, 144 B, 169 B, 272 A, de Elia, 272 A, de Saul, 283 D', de Doeg, 352 C', de causa cur ferrum ad circumcidendum sit adhibitum, 359 D', de Samuele suscitato, 409 C', D', de dæmonibus Salomonis, 478 A, de Sara, filia Aser, 553 A, de vermiculo Tamir, 612 C', de anima Naboth, 729 A'.

JUDÆI auctores : Josephus, historiographus, 124 A', 131 D', 144 C', 152 B', 153 C, etc. — Rabbi Moyses (Moses Maimonides) 603 A'. — Rabbi Salomon (Jarchi, vulgo Rasi) plerumque refellitur, 61 D, 75 A', 383 B, etc. Ut novitatum confictor habetur, 13 C'; sæpe verum Scripturæ intellectum corrumpit, 500 A'. — *Adde* Paulus.

JUDEX, tanquam animata justitia, debet munera declinare, 301 A, avaritiam fugere, 303 A', omnem affectum privatum excludere, 489 D', et zelo justitiæ ardere, 435 A'. — Ad restitutionem pro injusta sententia tenetur, 301 B. — Judices quandoque pastores nuncupantur, 378 C'.

Judices Israel, ex quadruplici capite commendantur, 109. — Qua de causa suscitati, 203 D', 204 B'; et quænam eorum auctoritas

Digitized by Google

in populum, 116D, 301C'. — Probabilius consiliarii tantum erant et medii inter Deum et plebem, 116D'. — Inimicos Israel juste debellaverunt, 187C', et errata populi corrigere valebant, 203D', 204A'. — Allegorice quid, 117C, 134A.

Liber Judicum, a quo conscriptus, 116B, et quando, 116C. — Est libri Josue prosecutio, 111A.

JUDICIUM. In extremo judicio nemo testibus adjuvari poterit, 410A.

JUNIPERUS, spinosa arbuscula. Ejus radix cibus est pauperum, 710D', et umbra serpentes fugat, 711C. — Mystice, Crucem signat, 715A'.

JURAMENTUM. Forma jurandi apud Hebræos, 338D', quomodo intelligenda, 280A, 452C. — Juramentum infringere, quam grave peccatum, 559A'. — Pejerantes in V. T. divinitus puniri solebant, 650A'.

JUSTUS mundanorum et impiorum contemptui obnoxius est, 472D'. — Justi in hac vita quandoque affliguntur, 44C, variis de causis, 148C; sed in prosperis et adversis inconcussi manent, 640D. — Justitia alicujus, respectu majoris justitiæ, injustitia dici potest, 700B, quo sensu, 700C'. — Minus justi, justioris conversatione modo juvantur, modo gravantur, 700D'. — *Adde* Sancti.

Liber Justorum, deperditus videtur, 60D'. Non est liber Regum, 61C, nec Geneseos, 61D, D', 431C. Sic vocari posset universa Scriptura, 61D'.

L

LAIS, seu forte Lesem, 88D, civitas Sidoniorum, 205B', dolose, sed non injuste a Danitis capta, 207A', Dan deinceps vocata est, 88D, 207B'. — Ibi erectum est idolum, 207C'. — Viri Lais, quid mystice, 208C. — *Cf.* Dan.

LAPIDOTH, vir Deboræ, quis fuerit, 130A, D.

LAPIS. Duodecim lapides in Jordane eriguntur, 24D, et in Galgalis, 23D', 25B', quare, 24B. Allegorice, XII Apostolos signant, 25C'. — Item lapis prægrandis a Josue collocatur in sanctuario, 102C, D', ubi, 102D, B'. Per quem rite intelligitur Christus, 105A. — Lapidei cultri, quandonam ad circumcidendum adhiberi desierint, 359D'.

LEBES, utensile templi, quid sit ad litteram, 637C, et mystice, 642A'.

LEGENDA aurea (Jacobi de Voragine) allegatur, 255B.

LENTICULA, quid ad litteram, 312B, et mystice, 316D'. — Lenticula olei unctus est Saul, quare, 350B.

LEO. Plures leones occisi leguntur, 188D, a Samsone, 188C, a David, 358D, a Banaia, 567A', B'. — Leones passim in templo figurabantur, 635A, 636D, et in throno Salomonis, 663D. — Spiritualiter, leo varia significat, 191B, 641C', 667A.

LEVI. Tribui Levi extra ceterarum numerum positæ, 73C', substituta est tribus Ephraim, 73B'. — Nullam sortem accepit, 72C, 73B'. — Regno Juda adhæsit, 670B, 680A'. — *Adde* Levitæ.

LEVIRATUS ante Moysen et apud Moabitas servabatur, 226D. — In leviratu, mulieris filius defuncto marito adscribebatur, 238A'. — Quidnam moris in Israel, quum quis leviratus beneficio renuntiabat, 239B.

LEVITÆ usque ad quinquagesimum annum in templo ministrabant, 255D, et postmodum circa templum occupabantur, 255B'. — Ceteris tribubus matrimonialiter copulari poterant, 203D, 209A. — Quænam eorum sors, 71C'. — Illis ad manendum concessæ sunt XLVIII civitates, ex diversis tribubus, 91D, 92A', nempe : XXIII Caathitis, 91C', XIII Gersonitis, 92A, XII Meraritis, 92B; sed non soli ibi degebant, 92A'. Cur sic in Israel dispersi, 93A. — Eorum erant urbes refugii, 91B. — Moraliter, quid Levitæ, 72C', et Levitarum urbes, 93A.

Levites quidam, cum uxore sua transiens Gabaa, 210B, ab incolis impetitur, 210B'. — Quandonam vixerit, 209D'. — An peccaverit, uxorem Gabaensium libidini exponendo, 211B'. — Causa fuit cur Israel contra Benjamin consurrexerit, 211C. 212B'. — *Cf.* Uxor.

LEX primo filiis Esau et Ismael oblata, 136A, Hebræis terribiliter intimata est, 136B'. — Non actum tantum, sed et desiderium vetabat, 593D. — Lex, sive Thorah, pars Scripturæ, quid contineat, 247.

LIBANUS mons. Ibi nascebantur cedri, 608D', 610C', et abietes, 611A. — Mystice, mundi figura fuit, 613B. — Domus Saltus Libani. *Vide* Domus.

LIBIDO, quo plus fovetur, eo plus furit, 668D'. — Recte furor vocatur, 212D'. — In senibus et præsidentibus turpissima est, 669A. — Multos obtenebrat, 457B', et plurimum nocet, 676B'.

LITTERÆ XXII apud Hebræos, Syros et Chaldæos habentur, 246, quarum quinque du-

Digitized by Google

plices sunt, 246. — Eædem fuerunt apud Hebræos et Samaritanos, usque ad Esdram, qui alios reperit characteres, 246. — Nonnullæ a quibusdam gentibus proferri nequeunt, 179 C'.

LONGÆVITAS priscorum hominum super naturam fuisse videtur, 548 B. — Longævitas hodierna, quanta, 548 B, 581 A.

LUCERNÆ septem noctu in tabernaculo ardebant, et tres per diem, 278 B. — Lucerna Dei, quomodo ab Heli videri non posset, 277 B', et quid moraliter significet, 281 D.

LUCTUS. Lugentibus olim consuetum erat vestes scindere et pulverem capiti imponere, 40 B', 427 B, 429 C', et defunctum inclamare, 685 A'. — Mortui septem diebus lugebantur, 420 B, 438 B. — Luctus viduarum, quotus, 500 D'. — *Cf.* Funus *et* Mors.

LUDOVICUS (S.), rex Galliæ, duellum approbasse legitur, 360 D'.

LUDUS, quandoque est actus devotionis et latriæ, 466 C'. — Speciali virtute regitur, 466 D'. — Sic vocatur etiam concertatio militaris, 441 A.

LUTER, quid sit, 634 D. — Decem luteres ab Hiram fabricati, 634 C', cujus figuræ, 636 B', C'. — Super quatuor rotis imponebantur, 635 C, sed de loco ad locum devehi non poterant, 636 B. — Vocantur etiam conchæ, 637 B. — Ibi lavabantur hostiæ concisæ, quo ritu, 637 A. — Luterum bases, quæ ad litteram, 634 C', et mystice, 641 B', 642 D. — Item, luterum rotæ, 635 C, 641 D'.

LUZA. Plures civitates sic fuerunt dictæ, 115 C, B', ex quibus una, id est Bethel, a filiis Joseph capta fuit, 115 D. *Cf.* Bethel.

LYRA (Nicolaus de), Ord. Min. theologus, et notissimus postillator, circa sensum litteralem et historiam studiosus fuit, 566 D. — Sæpissime allegatur, 61 A, 119 A, 130 A', 136 A, etc. — Sæpe, tacito nomine, designatur verbo « Quidam », scilicet quum improbanda videtur ejus sententia, 18 C, 19 D, 21 A, 29 D, etc.

M

MAACHA, mater Absalon, gentilis, quo jure a David duci potuerit, 446 D.

Maacha alia, neptis Absalon, 690 C, avia regis Asa, 691 C, fuit idololatra famosa, 691 D.

MACHABÆI, ex uno latere ad tribum Juda pertinebant, 477 A'.

MADIAN varia significat, 670 A'. — Madianitæ multos reges habebant, 157 C. — Quo sensu Ismaelitæ dicantur, 159 B. — Hebræis dominati, 143 D, qua arte a Gedeone profligati fuerint, 153 B'.

MAGISTER in Historiis. Sic vocitatur Petrus Comestor, auctor Historiæ scholasticæ, 112 D, 114 C, 116 C, 136 B, etc. — *Cf.* Petrus Comestor *et* Historia scholastica.

MAGISTER Sententiarum. Sic vocatur Petrus Lombardus, auctor libri Sententiarum, 648 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 191, 192.)

MAHANAIM locus. Ibi angeli Jacob occurrerunt, et constitutus est rex Isboseth, 439 C'.

MAHOMETUS, impius et lubricus, ab Eglon figuratur, 134 B. — Stolide de Sinai destructione fabulatur, 137 B.

MALEDICTIO in Deum tantum est scelus ut nunquam in Hebræo proprio nomine exprimatur, 723 B'. — Hominibus maledicere, an liceat, 51 A'. — Sancti nonnulli persecutoribus maledixisse leguntur, 451 B.

MALLEUS in construendo templo non est auditus, quo sensu ad litteram, 617 A, et mystice, 623 D'.

MALOGRANATA in capitellis columnarum, quot, 630 C' et seq. — Moraliter, eloquia S. Scripturæ signant, 640 B.

MANASSE tribus, qua sorte donata, 71 D', trans Jordanem, 81 D, et cis Jordanem, 82 C. — Chananæis contra Dei præceptum parcit, 83 C ; sed Gedeonem adversus Madianitas sequitur, 147 B'. — A Josue laudatur, 93 B.

MANICHÆI falso putant Moysen damnatum, 6 C.

MANNA Hebræis defuit, quando, 30 A', et quare, 32 C'.

MANUE, pater Samsonis, vir zelotypus, 181 A', an de promissione angelica dubitaverit, 183 A. — Quo jure sacrificium obtulerit, 183 D'. — An peccaverit nuptiis filii consentiendo, 188 A. — Quid significet, 186 B, 191 C.

MANUS est organum organorum, 439 A'. — Quandoque pro monumento sumitur, 540 C.

MANZER, quid sit, et quomodo a spurio et notho differat, 355 C.

MARE, apud Hebræos quid significet, 633 B'. — Mare Mortuum, varie nuncupatur, 21 B. Fuit terminus tribus Juda ad orientem, 77 A, D. — Mare Magnum, id est Mediterraneum, 7 A, 26 D, 77 C, fuit occidentem versus, terminus Terræ Sanctæ, 6 C', et tribus Juda, 77 C ; quid mystice, 31 C. — Mare æneum,

Digitized by Google

cujus figuræ, 633 B', et magnitudinis, 633 C', et capacitatis, 634 B'. Super XII bobus positum erat, 634 B; ad dexteram templi, 636 C', quare, 642 D. Tropologice, figura est Baptismi vel Pœnitentiæ, 640 B'; et sub ejus forma describitur labor pœnitentiæ, 640 C'.

MARIA Virgo, triennis Domino oblata, sola gradus templi ascendit, 255 A. — Nullum prægnationis gravamen sensit, 498 D'. — In utero ejus corpus Christi in instante formatum est, 563 D. — Super omnes angelorum choros exaltata est, 521 A. — Ad ipsius commendationem nonnulla præclara per feminas olim operatus est Deus, 134 D'. — Nulli tamen reprobo salutem obtinere valet, 597 D. — Varie in Scripturis præfiguratur : 1° Per Deboram : præ ceteris prophetiæ gratia fuit ornata, 134 A'. — 2° Per Jahel : diaboli caput contrivit, 134 C'. — 3° Per Gedeonis vellus : maternitatem cum virginitatis gloria sociavit, 150 C'. — 4° Per Abigail : Christum peccatoribus placatum præbet, 401 A. — 5° Per Abisag : sponsa Dei, virgo mansit, 588 B. — 6° Per Bethsabee : in throno exaltata est, ubi copiosissime exauditur, 597 D. — 7° Per thronum Salomonis : quæ ejus virtutes, 666 D'. Nullus ei comparari potest, 667 C.

Historia de Nativitate Virginis (Evangelium Nativitatis M. V.), 255 A. — Non videtur S. Hieronymo adscribenda, et in quibusdam apocrypha dicitur, 255 B. — (Migne *Patrol. lat.* tom. 30, col. 297.)

MARTINUS (S.) animæ passiones vultu nunquam exprimebat, 253 B'.

MASPHA, urbs. Eo convenerunt Hebræi adversus Benjamin, 212 B, 216 B, et profugati sunt Philistiim, 296 A. — Ibi congregabatur populus a Samuele ut judicaretur, 295 D, 296 D'.

MATRIMONIUM, quatenus olim vetitum vel licitum, inter fratrem et sororem, 513 A; inter avunculum et neptem, 79 B'; inter Hebræos et alienigenas, 123 D', 598 D; inter diversas tribus, 168 B, 187 C, 530 D'. — Senum conjugium valet, 583 C. — Circa matrimonium filios parentibus obedire decet, 187 A. — Nuptiarum solemnitas per septem dies agebatur, 189 C. — *Cf.* Repudium.

MELCHOM, deus Ammonitarum, 508 B'. — Ejus coronam usurpavit David, 508 A', an licite, 508 D'.

MELLO, vorago in Jerusalem, 461 A. A Salomone complanata, 671 D, causa fuit cur Jeroboam a Salomone deficeret, 671 D, B'.

MENANDER, historiographus, allegatur, 659 D'.

MENDICITAS ab Hebræis abhorrebatur, quare, 451 D. — Quatuor mendicantium Ordines præsignantur, 642 A.

MENSA propositionis, cur sic dicta, 638 B. — Decem mensas in templo posuit Salomon, 638 C. — Spiritualiter, S. Scripturam exprimit, 642 B'.

MENSTRUUM, post conceptum, ad alimoniam fetus reservatur, 498 A'. — Eo durante, feminæ ad concubitum minus aptæ, 498 A'.

MERETRIX. Duæ meretrices coram Salomone contendentes, 603 D', quid mystice significent, 606 A', B'.

MEROB, filia Saulis primogenita, Davidi promissa, 366 D, postmodum denegatur, 366 B. — Quinque filii ejus a Michol adoptati, 557 C, a Gabaonitis crucifiguntur, 557 B.

MEROZ terra a Debora maledicta, quæ, 140 D, et cur reprobata, 140 A'.

MESOPOTAMIA, unde nomen acceperit, 124 C. — Chusan, rex Mesopotamiæ, Hebræos subjicit, 124 B. *Cf.* Chusan.

MESSIS in Palæstina fit ineunte vere, 21 A.

MICHÆAS propheta, quomodo de indiscreta clementia Achab reprehenderit, 721 C. — Iterum contra regem vaticinatus, 727 B', 728 A, in vincula conjicitur, 722 A, 729 D'. — Ejus visio, sicut et aliorum Prophetarum, imaginaria fuit, 728 B. — Mystice quid, 732 B'.

MICHAEL archangelus, Synagogæ princeps, Josue apparet, 30 B', 31 A.

MICHAS, idololatriam in Israel introduxit, 202 A, 203 A. — Quandonam vixerit, 203 D'. — Quantum idololatriæ deditus, 207 C. — Quid moraliter signet, 208 B, A', C'.

MICHOL, quæ etiam Egla dicta est, 446 B', filia Saul, ducentis præputiis a David acquiritur, 367 B. — Callide virum salvat, 370 C. — Tradita Phaltiel, impollutam se servat, 400 B', usque dum Davidi reddatur, 448 A'. — Superba et profana, viri pietatem deridet, 469 A', 470 B, et ideo sterilitate affligitur, 470 B'. — Obiisse fertur pariendo Nathan, 446 D'. — Quinque filios sororis adoptaverat, 557 B. — Specialiter uxor Davidis vocatur, 446 B'. — Tropologice, varia designat, 454 B, 472 D'.

MINGENS ad parietem, quid significet, 399 C, 688 C, D.

MIPHIBOSETH, filius Jonathæ, claudus, 456 A', sed bonus, 493 A, a David extollitur, 493 C.

Digitized by Google

— Multipliciter in eum David peccavit, 530 A', 547 D'. — Mystice quid, 493 B', C', 549 C'. — *Adde* Siba.

MIRACULA non nisi raro a reprobis operantur, 702 B'. — Quædam Eliæ miracula enarrantur, 697 D, 699 A', 701 A, 706 A.

MISERICORDIA apprime reges decet, 322 A', 519 D'. — Misericordia erga adversarios, ante Christum rara, 391 D. — Misericordium hominum substantiæ frequenter a Deo multiplicatæ sunt, 699 D'.

MOABITÆ conversi in Synagogam admitti poterant, 238 D'. — An Hebræis transitum denegaverint, 172 A, et postea legitime dominati sint, 126 D, D'. — Ab Aod eliduntur, 129 D, et a David, 487 C. — Terra Moab, quid moraliter signet, 229 D, 491 B.

MOLOCH, idolum Ammonitarum, 669 C, deus superbiæ, 677 B, a Salomone colitur, 669 C.

MONARCHIA ceteris regiminis formis præfertur, 162 A, 303 C'. — Optimum est regimen, vel pessimum, 302 A'.

MONTES non semel a facie Dei fluxerunt, 136 D'. — Spiritualiter, varia exprimunt, 142 C, 149 D, 362 C'.

MORS est via ad æternam vitam, 589 A. — Mortui septem diebus lugebantur, 438 B, et in eorum sepultura agebatur convivium, 515 D. — Quæ pro ipsis fiunt, cognoscere possunt, 434 C'. — Mortuos suscitare est Dei proprium, 701 B'. — Licet Elias mortuum suscitaverit, multo magis gloriose Christus et Apostoli, 701 B'. — Mortuum a reprobo suscitatum fuisse, nusquam legitur, 702 B. — *Cf.* Funus, Luctus *et* Resurrectio.

MORTARIOLA, vasa templi, quid ad litteram, 638 B', et mystice, 642 D'.

MOYSES sapientior fuit Salomone, 601 A', C'. — Futura ejus gloria parentibus revelata fuerat, 272 A'. — Transitum Jordanis prædixerat, 24 C'. — Quandonam mortuus, 13 C'. — Vere mortuus est, et salvatus, 6 C. — Fuit figura legis, 10 A, D'.

MULI. Etsi mulos producere Hebræis vetitum, eis uti non illicitum erat, 515 B'.

MULIER. Nonnulla præclara per mulieres operatus est Deus, quare, 134 D'. — Mulieres de loquacitate notantur, 308 B. — Quibus signis se concepisse sciant, 498 C'. — Gentis triumphos in choreis decantare solebant, 365 C, 432 C. — Nimio vestium luxu gravissime peccant, 513 C'. — Quam viris nocivæ, 501 D, 516 C'. — *Adde* Abela *et* Thecua.

MUNDITIA quanta a celebrantibus et communicantibus requiratur, 380 A', 472 A.

MUSICA valide animum movet, 313 B', 354 B. — Melodiis se ad fervorem incitabant Prophetæ, 313 A'. — An dæmones valeat exturbare, 353 C.

N

NAAS, rex Ammon et Moab, 494 B, crudelissimus, 319 B. — Obsidens Jabes Galaad, 318 D', a Saule devincitur, 320 B'. — Benigne David suscipit, 494 B. — An ille sit rex Moab cui David parentes commisit, 494 A'. — Diabolo assimilatur, 321 B.

NABAL, vir Abigail, de genere Caleb, 395 C, malitiosus, 395 C; ubi habitaverit, 394 D'. — Davidi injuria illata, 396 A, infeliciter obit, 399 B'. — Nabal stultus interpretatur, 397 B'. — Tropologice, prælatos iniquos figurat, 401 A.

NABOTH, quis fuerit, 724 B. — Vineam regi vendere nequibat, 722 D'. — Injuste a Jezabel occisus, 723 B', fuit martyr justitiæ, 723 D', et a Deo dire ultus est, 724 A'. — Sanguis ejus, ubi effusus, 724 A'. — Stulte putant Judæi animam ejus venisse ad decipiendum Achab, 729 A'. — Vinea Naboth, quo jure regi cesserit, 724 A. — Filii Naboth cum patre interfecti sunt, 724 B.

NABUCHODONOSOR potentior fuit Salomone, 602 B'.

NATHAN, propheta, discipulus Samuelis, 400 D', et filius David adoptivus, 462 A. — In responsione incautus invenitur, 474 C. — Adulterium David impedire nequit, 498 B', sed argute illud castigat, 503 C. — Adoniæ conjurationem dissipat, 585 A; et Salomoni judicium Dei significat, 669 C'. — Regum libros complevit, 400 C'. — Filii ejus a Salomone honorati, 607 B.

Nathan alius, 462 A, fuit filius David et Michol, 447 A.

NATHINÆI. Sic vocati sunt Gabaonitarum posteri, 56 B. — Lignum et aquam in templum deferebant, 55 D', et victimarum membra in piscina probatica lavabant, 637 B.

NAZARÆI. Alii erant ad tempus, alii in perpetuum, 181 D', 252 C. — A variis abstinebant, 182 A', et caput eorum semper intonsum manebat, quare, 181 A. — Samson, cur dictus sit Nazaræus ab utero, 181 B.

NEOMENIA. In calendis seu neomenia fiebat epulum, 307 D', 374 D, de quo mundi tantum

Digitized by Google

edere poterant, 374 B'. — Mystice, quomodo a Christianis celebranda, 376 A'.

NEPHTHALI tribus. In sorte ejus fuerunt XIX civitates, 88 B. — Ex ea prodiit Tobias, 88 B. — A Debora laudatur, 139 D. — Gedeoni adhæsit, 147 B'.

NOBE, civitas sacerdotalis, 377 A. — Ibi receptus est David, 377 A, et pastus, 378 D; ideo a Saul subversa est, 383 A'. — An subversio ejus Davidi imputanda, 383 B'.

NOEMI, socrus Ruth, mulier satis indevota, 226 C', in consiliis suis ad Ruth peccasse videtur, 234 A, A'. — Noemi pulchra interpretatur, 227 B'. — Spiritualiter, Ecclesiæ typum gerit, 228 C, et Synagogæ, 232 D.

NOMEN sæpe pro fama sumitur, 482 A, vel pro monumento, 489 A', C'.

NOTHUS, quomodo a spurio et manzere differat, 355 C.

NOX tempus est revelationibus aptissimum, 474 A', 599 C'. — Nox intempesta, quid sit, 604 A. — Moraliter, figura est V. T. et vitæ præsentis, 236 B.

NUBES. Columna nubis ante Jordanis transitum defuit, 19 A'. — Nebula templum implens, 646 A, et quæ gloria Dei dicitur, 646 B, utrum tenebrosa an lucida, 646 B. — Causa fuit cur a multis Deus in templum localiter descendisse crederetur, 650 A. — Deus in nube habitare dicitur, quare, 646 A'. — Moraliter, quid nube designetur, 655 B'.

NUDUS. Sic in Scripturis nuncupatur parum vestitus, 371 C.

NUMERUS ternus sæpe pro indeterminato sumitur, 9 B'. — Septenarius, in Hebræo, quid significet, 262 B, 625 D'. — Tricesimus, perfectionis est, 464 A. Tricesimus ætatis annus aptus est ad præsidendum, 458 C. — Quadragenarius, pœnitentiæ figurativus, 642 C. — Centenarius perfectionem significat, 155 C'. — Quo instigante facta sit populi dinumeratio sub David, 572 A, A', et quot reperti fuerint, 573 D. In hac recensione dupliciter contra legem actum est, 574 A.

O

OBED, filius Booz, qua virtute progenitus, 240 A. — Quid significet, 240 B'.

OBEDEDOM, quis fuerit, 468 C. — A Deo benedictus est, deposita apud eum arca, 468 A'.

OBEDIENTIA commendatur, 346 A, 349 C'; verumtamen contra jus, est vitiosa, 723 C'. — In sensu lato, superioribus etiam competit, 59 B'; imo Deus ipse quandoque obedire dicitur, 59 D. — Obedientiæ exempla in Josue laudantur, 65 C, et in Samuele, 278 C', 281 D'.

OCHOZIAS, filius Achab, quo anno regnaverit, 732 A. — Fuit impius et idololatra, 732 C.

OCULUS. Evagatio oculorum plurimum nocet, 501 D; et est stultitiæ indicium, 501 C'.

ODOLLA urbs et spelunca. Ibi requievit David, 381 A. — Mystice quid, 383 D'.

OG, rex Basan, ultimus fuit de stirpe Raphaim, 71 A'. — Regnum ejus describitur, 69 A'. — A Moyse occisus est, 68 D.

OLIVA, quo sensu Deo et hominibus utilis dicatur, 163 B. — Oliva arborum principatum recusans, quid significet, 163 B.

OPHIR, provincia Indiæ, 659 B'. — Quomodo ibi inveniatur aurum, 659 C'. — Inde classis Salomonis multa pretiosa advexit, 659 B', 661 B'.

OPHNI. *Vide* Heli filii.

ORACULUM in Scripturis varia significat: templum, 615 C', 618 A; Sanctum sanctorum, 615 C'; locum arcæ, 619 B; sed præcipue operculum arcæ, seu propitiatorium, 465 D', 480 D. — Oraculum, quid sit proprie, et quomodo a visione et somnio differat, 603 D. — In oraculis consulebat Deum pontifex, 408 A', coram arca, 465 D, per ephod, 385 A, 415 C'; responsio Dei per angelum ad sacerdotem fiebat, 438 D. Propter peccata sæpe denegabatur responsum, 277 B, 338 C, 408 A'. — *Cf.* Sanctum sanctorum, Somnium, Visio.

ORATIO. Quomodo sit orandum, 258 B'. — Illa præcipue efficax est oratio in qua multoties idem sensus exprimitur, 252 C. — Ad orandum seorsum recedere confert, 510 D'. — Quo sensu orare liceat ut verificentur promissiones Dei, 255 C'. — Orationes peccatorum aliquando ad suam perniciem exaudiuntur, 303 B', ideoque in multis sub conditione tantum orare debemus, 303 C'. — Salomonis oratio in dedicatione templi, 648 C, septem petitiones complectitur, ut Oratio dominica, 650 A.

OREB, dux Madianitarum, interficitur, 154 A'. — Ab illo nomen accepit petra Oreb, 154 A'.

ORIGENES, qui et Adamantius dicitur, 151 D', mirifice laudatur, 46 B. — Sæpius citatur, 47 D, 57 A', 66 C, 67 B, 76 C, etc.

ORNAN, seu Areuna, Jebusæus, proselytus, angelum videt, 575 D'. — Aream in monte Moria habebat, in qua altare David extruxit, 576 B.

Digitized by Google

ORPHA, nurus Noemi, 225 A', noluit in Judæam cum socru transire, 226 C'. — Dicitur etiam Arapha, et facta est mater gigantum, 558 A.
OSTIENSIS (Henricus de Bartholomæis) episc. et card., auctor Summæ aureæ, allegatur, 360 D'.
OSTIUM. Varia templi ostia describuntur, 617 B, 621 A, C, C'. — Mystice quid, 624 A, 625 D, B'.
OTHONIEL, frater Caleb, peritus in lege, 114 D. — Quo jure neptem duxerit, 79 D. — Expugnat Cariathsepher, 78 C, et Hebræos a servitute Chusan liberat, 124 D. — Sub eo Israelitæ bene vixisse creduntur, 124 B'. — Moraliter, quid figuret, 80 A, 126 B.
OTIOSITAS multis fuit origo peccandi, 502 C.
OVIS inter puriores victimas reputata, ad majora sacrificia reservabatur, 644 A'.
OZA, filius Abinadab, sustinens arcam a Deo percutitur, 467 A ; quare, 467 D. — Salvatus creditur, 468 A. — Tropologice, quid significet, 471 C'.

P

PALMA. Civitas Palmarum, quæ, 114 B, 127 B. *Cf.* Jericho.
PANIS. Tria erant apud Hebræos panum genera, 377 C'. — Panes propositionis, qui, 377 B'. Quolibet sabbato, duodecim ante Dominum apponebantur, 638 B, in memoriam XII tribuum Israel, 638 C. Lege communi a laicis comedi non poterant, 378 B, nisi tantum in casu necessitatis, et a mundis, 377 C'. Mystice quid, 380 A', 642 B'. — Panis nomine, apud Hebræos quæcumque cibaria designantur, 157 C, 182 D', etc.
PAPIAS, lexicographus, 661 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 141, col. 1437.)
PARABOLA aliquando etiam de re gesta dicitur, 517 B'. — Salomonis parabolæ multæ; a Chaldæis combustæ videntur, 608 C', 609 D'. — Exponuntur parabolæ Joatham, 162 D', Nathan, 503 C, Thecuitidis feminæ, 518 A, et Michææ prophetæ, 721 A', 728 A.
PARENTES. Cur eorum peccata in filios innocentes vindicet Deus, 274 C', 343 B', 451 A, 556 C'. — Parentibus valedicere, ante Christum laudabile, post Christum vero non ita, 714 D. — Sicut benedictione digni sunt qui filios Deo consecrant, 275 C', sic maledictione qui eos a servitio Dei retrahunt, 276 A.
PASCHA Hebræorum triplex, quid mystice, 32 A'.
PASSIONES animæ vultu manifestari solent, 253 D. — Rationis judicium subvertunt, 382 D, et verba ipsa plerumque detruncant, 563 B'. — Passiones appetitus sensitivi, temporis lapsu decrescunt, 516 D; sed corpori multum nocent, 511 D.
PATIENTIA in adversis sæpius commendatur, 258 A', 511 A, 529 A', 533 D'. — Per patientiam sapientia viri noscitur, 473 A.
PAULUS (S.) eremita a Deo mirabiliter nutritur, 698 B'.
PAULUS Simplex. Mira ejus simplicitas, 701 C.
PAULUS (Rabbi), Judæus conversus, episcopus Burgensis, 193 B', 262 C, etc. — Communiter Lyræ contradicit, 262 C, 304 B, 478 D, 593 D. — Sæpius et ipse carpitur, 304 A', 420 D', etc. et inconsiderationis arguitur, 707 D, 712 B, 722 B'.
PAUPER. Oppressio pauperum, peccatum clamans ad Dominum, dire vindicatur, 510 B. — Sæpe ad prælaturam pauperes a Deo evecti sunt, 262 D'. — *Adde* Mendicitas.
PAVO, avium genus, quid sit ad litteram, 663 D', 667 D', et mystice, 668 A.
PECCATUM. In hominum peccatis, quid Deo sit attribuendum, 531 C'. — In omni peccato mortali contemptus Dei implicite vel explicite includitur, 504 D', 510 B'. — Peccata in Deum, quæ, 271 C. Sunt ceteris graviora, 271 A. — Periculo peccati non licet se objicere, 137 D'. — Quænam peccatorum remedia, ante et post Baptismi institutionem, 91 A. — Peccatum omnino inultum esse nequit, 347 D ; et, si non deleatur, semper ad graviora trahit, 502 B, 676 D'. — Semper, adjuvante Deo, a peccatis resurgere possibile est, 67 D. — Peccatum proprium confiteri, Deum laudare est, 47 C. — Non injuste unius culpa in alium vindicatur, 44 C ; ut parentum in filios et nepotes, 274 C', 343 B', 451 A, 556 C'.
Anima peccatrix adultera est, et meretrix diaboli, 606 A'. — Duo peccantium genera, 606 A'. — Peccator unitatem nescit, 258 C', et quietem, 298 A ; spinis comparatur, 563 D', et merito, 564 C. — Frequenter a pari punitur, 390 D ; et ejus finis, ut plurimum, miserrimus, 537 B'. — Peccatores multimodis Deus ad se revocat, 519 A', nec penitus unquam in hac vita deserit, 519 C'. — Peccatori cur sit propitiandum, 519 B. — Juxta

Digitized by Google

circumstantias mitius tractari potest, 514 B'; sed, etiam absolutus, non statim ad familiaritatem Dei admittendus est, 523 B'.

PECUNIA, unde nomen hauserit, 103 C'.

PECUS. Cur propter hominum delicta, pecora olim occiderentur, 343 B', D'.

PELTA, quid sit ad litteram, 627 D', 663 A, et mystice, 666 C'.

PERFECTIO. Sunt plura perfectionis genera, 100 B.

PERSECUTIO. Aliquando persecutionem declinare licet, 698 D. — In persecutorum actibus, quid sit Deo attribuendum, 531 C'.

PESTIS peccatis David excitata, 574 D', prece ejus compescitur, 575 D. — Quamdiu duraverit, 574 D', et quot percusserit, 575 C.

PETRUS apostolus primus gentilitatem invasit, et factus est princeps militiæ christianæ, 464 B. — Varie præfiguratus est : per Salomonem, 596 C', 597 A, Jesbaam, 570 A, et columnas templi, 639 B.

PETRUS COMESTOR, auctor Historiæ scholasticæ, sæpius allegatur, 128 D, 253 C', 354 C, etc. *Adde* Magister in historiis *et* Historia scholastica.

PHALTIEL, vir timoratus et in lege peritus, a Michol abstinuit, quæ ei tradita fuerat, 400 B', 448 C'. — Non fuit vere ejus maritus, 448 B'. — Cur flens eam dimiserit, 448 C'.

PHANUEL civitas. Ibi luctatus est Jacob cum angelo, 157 C'. — Ob habitatorum duritiam, 157 C', a Gedeone subversa, 158 C, a Jeroboam reædificata fuit, 680 D'.

PHARAO, nomen commune regum Ægypti, 379 D', quid significet, 673 B. — Pharao dat Salomoni Gazer et alias urbes, 658 D.

Filia Pharaonis, uxor Salomonis, 598 A, C, primaria et prædilecta, 628 A, filium habuisse non videtur, 689 D. — Illi Salomon splendidam exstruxit domum, 628 A, 659 A. — Tropologice, figurat Ecclesiam, 605 B.

PHENENNA, uxor Elcanæ, 250 C, superba et ingrata, 251 C, Annæ molesta fuit, 251 B. — Quæ ejus punitio, 261 C'. — Nascentibus Annæ filiis, dicuntur filii Phenennæ obiisse, 261 D'. — Mystice, typus est Synagogæ, 256 D', et vitæ activæ, 258 A.

PHIALA, vas templi, quid ad litteram, 638 B', et mystice, 642 D'.

PHILISTÆI, acerrimi hostes Israel, 185 C. — Bellicosi et fortes, 339 B', per centenos et millenos ordinabantur, 413 C. — Quinque majora oppida habebant, et alia minora, 290 B. — Eorum reges Abimelech vocabantur, 379 D'. — Variis in Judææ locis stationes constituerant, 313 D, e quibus tyrannice dominabantur, 331 B'. — Sæpissime cum Hebræis bella gesserunt, 114 A', 192 D, 282 A, 328 B', 334 A, etc. — Propter arcam Dei divinitus plagati, 286 D, quid consilii capesserint, 288 A. — Moraliter, varia designant, 185 C, 200 D, 284 D, 341 A', 387 D, 464 C'.

PHILOSOPHI. Eorum commenta, quantavis venustate exposita, contemnenda sunt, 47 D.

PHINEES, filius Eleazar, patri suo in pontificatu succedit, 111 B. — Quomodo Deum consuleret, 111 B. — Stulte fabulantur Judæi eum fuisse angelum, 119 A, 144 B, et ccc annis vixisse, 169 B, vel a mortuis resurrexisse, 272 A.

Phinees alius, filius Heli. *Vide* Heli filii.

PIUS (S.) Papa allegatur, 393 D. (In Jure.)

PLATONICI, quid de dæmonibus senserint, 353 D'.

POENA. Hujus vitæ pœnæ variis de causis permittuntur, 148 C, et sunt medicinales, 274 C'. — Mala pœnæ interdum innocenti ad ipsius bonum irrogantur, 44 C'; et non injuste alii pro aliis temporaliter castigantur, 44 C; mala autem culpæ innoxiis nunquam infliguntur, 505 B. — Non raro per peccatores vindictam exercet Deus, 390 D. — Per quæ quis peccat, per hæc et punitur, 506 A'. — *Cf.* Filii, Parentes, Peccatum.

POENITENTIA, de pœna peccato debita plus minusve aufert, 505 D'. — Non nisi a speciali Dei gratia procedit, 507 B. — Ex metu malorum pœnalium orta, non sufficit, 651 A.

POLENTA, quid sit ad litteram, 30 A', 356 A', 396 B', et mystice, 32 C'.

POMPEIUS Magnus, clementiæ laudator, 322 A'.

PONTIFEX, circa cærimonialia et judicialia dispensare poterat, 521 D'. — Illius erat responsa Domini dare, 338 C, 408 A'. — In ejus unctione per septem dies fiebant sacrificia, 314 D. — Pontificatus, primo filiis Eleazar concessus, 224 B, postmodum ad stirpem Ithamar translatus est, 224 A, et rursum ad progeniem Eleazar rediit, 224 C, 273 C, post quinque generationes, 594 A. *Cf.* Heli, Sadoc.

POPULUS quodammodo supra principem est, et potest eum deponere, 88 D'. — Non injuste plectitur ob delicta regis, 410 C', vel paucorum, 555 A'. — Anguli populi, quid, 338 B. — Pro qualitatibus populorum disponuntur corda regum, 576 B'; et a conver-

Digitized by Google

satione regis, salus vel ruina populorum, 617 D'.

PRÆCEPTUM. A divini transgressione præcepti difficulter quis excusatur, 686 B'.

PRÆDICATIO ad mensuram dispensanda est, 281 B. — A peccatoribus, propter delicta, tollitur, 655 D'. — Prædicatores plaustro comparantur, 292 C. — Illis commendatur ars sagittandi, 435 C' : quænam eorum sagittæ, 376 B'. — Ad orationem frequenter recurrere habent, 275 A. — Peccat sermocinando prædicator non implens quæ docet, 497 A'.

PRÆLATUS. Fugienda est prælatio, 276 C, quia periculosa, 317 D, 436 D, 533 C', et multi in ea pereunt, qui in subjectione salutem consecuti essent, 436 A'; ideo Sancti eam constanter abhorruerunt, 167 B'. Periculosissimum est ad eam anhelare, 529 B, et de ea minime extolli oportet, 332 B.

Prælati per civitates refugii significantur, 90 D', 91 B', et plaustro comparari possunt, 292 C, 471 C. — Sunt quodammodo anguli plebis, 212 C, sponsi Ecclesiarum, 241 D, regula gregis, 333 C', et propinqui subditorum, 237 B'. — Ex eorum bona conversatione pendet prosperitas populi, 98 D, 122 B, 299 A', et sæpe a Deo inspirantur erga subditos, 253 C; ideo præcipuum divinæ dilectionis signum est bonum habere pastorem, 661 A', et post mortem valde est deplangendus, 435 B'. — Ad prælaturam semper eligendus est melior, 306 A, et graviter peccant qui bonum repellunt, 318 C. — De boni prælati dotibus, 257 C'. Boni pastoris est : ceteros antecedere virtute, 7 B', et humilitate, 11 C, 52 A'; legem integre servare, 11 D', ut semper conversationem teneat piam, 12 B, et exemplarem, 52 D. Quantum fieri potest, per seipsum gregem pascere debet, 299 C', aut saltem per auxiliatores idoneos, 332 C', 342 C', 570 B; subditorum correctioni invigilare, 326 A; verbis instruere, 326 D, 641 D, ut armis muniantur, 333 A'; plebi dilectionem impendere, 368 A', curam agere defunctorum, 455 B', et domesticorum, 472 C'. Maxime ipsi proderit propriam quandoque dissimulare injuriam, 318 C', hominibus non nimium placere velle, 349 C, et successores idoneos providere, 486 B, 596 C. — Quid, plebe prævaricante, agere debeat, 46 D', 327 A. — Bono prælato imprimis competit pietas, 316 C', misericordia, 322 A', magnanimitas, 341 D, fortitudo, 333 C', zelus, 570 C', sapientia, 605 D, orationis studium, 275 A, et cardinales virtutes, 640 A. — Quantum gregi noceat pastoris carentia, 208 B. — Sæpe malis populis mali dantur prælati, 167 B'; et sub malo pastore fame laborat vulgus, 708 C. — Prælati negligentes, stultissimi, 401 C; nomine tantum pastores sunt, 218 C; valde peccant, 559 A'; ipsis subditorum imputantur peccata, 276 B; et officio suo privari merentur, 242 A. — An sint denuntiandi, 393 B. — Prælatus prudenter et modeste corripiendus est, 509 C. — *Cf.* Subditi.

PRÆSUMPTIO, quantum Deo displiceat, 154 D', et periculosa sit, 722 B.

PRIAPUS, deus hortorum, a mulieribus maxime colebatur, 691 A'. — Ejus simulacrum et cultus, 691 B'.

PRISCIANUS, grammaticus, 663 B.

PROCESSIO non prodest, imo obest, sine morum emendatione, 284 D'. — Processiones reverenter faciendæ sunt, 34 B', 38 D'. — Per arcæ deductionem præfigurabantur, 472 D.

PROMISSIO interdum fortius ligat quam juramentum, 194 D. — Promissiones Dei sæpe sub conditione sunt intelligendæ, imo oratione nonnunquam promerendæ, 483 B', 706 C'. — Promissa Davidi et Salomoni bona ad spiritualia potissimum referenda sunt, 478 A'; insuper alia absolute, alia sub conditione repromittuntur, 563 A', 590 A.

Promissionis terra. Qui ejus limites, 6 C', 607 D'. — A pluviis fertilitatem exspectabat, 78 A'. — Successive Hebræis tradita est, 92 B'. — Inter tribus a quibus divisa, 73 B, sub quo respectu, 84 C', et quomodo, 85 D. — Duplex ejus partitio, mystice quid, 72 B', 86 B. — Vituperandi sunt qui de ejus amissione non dolent, 285 B'.

PROPHETIA duplicis generis est, 483 C'; sed semper angelorum ministerio communicatur, 562 A'. Spiritus prophetiæ non est semper in Prophetis, 474 C. — Clarissima in David fuit prophetica revelatio, 562 D'. — Prophetiæ gratia bonis et malis communis est, 684 C', nec est mirum si reprobus transitorie prophetet, 371 B'. — Prophetiæ obscuritas per hordeum significatur, 233 A.

« Propheta » diversimode accipitur, 313 C', 366 A, 528 A. — Prophetæ olim Videntes nuncupabantur, quare, 307 D. — Ordinarium erant Dei oraculum ad populum, 280 D'. — Ex dispensatione divina, sacrificia offerre pote-

Digitized by Google

rant, 184 A, et ephod portabant, 270 C. — Missio in Prophetis, quid significet, 343 A, 687 C'. — Musicis instrumentis in se fervorem excitabant, 313 A'; et plerumque visione Dei terrebantur, 184 D. — Frequenter, non verbis, sed rebus futura indicabant, 672 B. — Prophetarum scholæ a Samuel sunt institutæ, 313 C'. — Non licet Prophetæ prophetiæ pretium accipere, 307 A. — Etiam ex gentilibus vatibus doctrinam haurire possunt fideles, 156 A'. — Liber Prophetarum, pars Scripturæ, quid contineat, 247.

Propheta innominatus, missus ad Jeroboam. *Vide* Addo. — Item, Propheta anonymus missus ad Achab. *Vide* Michæas. — Pseudopropheta decipit Addo prophetam, 684 B.

PROPITIATORIUM, seu tabula aurea arcam cooperiens, 465 C', erat quasi sedes Dei, ex qua responsa dabat, 465 C', 480 D. *Cf.* Oraculum.

PROPRIETAS. Liber de Proprietatibus rerum (fr. Bartholomæi Angli, dicti de Glanvilla,) allegatur, 661 C'.

PROSPERITAS temporalis sæpe justis conceditur, 74 D'; verumtamen non est condignum virtutis præmium, 590 A.

PROVERBIA nonnulla hebraica enodantur : Num et Saul inter prophetas, 314 D', 371 D'; Ab impiis egredietur iniquitas, 390 C; Cæcus et claudus non intrabunt in templum, 460 C'; Qui interrogant, interrogent in Abela, 552 C'.

PRUDENTIA vera non nisi virtuosis inest hominibus, 511 D'. — Ipsi aliæ virtutes connexæ sunt, 601 B; et prima pars ejus est docilitas, 601 A. — Variæ species prudentiæ enumerantur, 601 D. — Prudentia carnis, quid sit, 66 D'. Valde communis est, 67 A, et vana, 537 B', et inimica est Deo, 472 D'.

PSALMUS. Quæ Psalmorum excellentia, 562 B. — Psalmus XVII explanatur, 560 A. Cur solus in Regum historia insertus sit, 561 B'. — Psalmus LXXI ad litteram, non de Salomone, sed de Christo intelligendus est. 447 A.

PULCHRITUDO multiplex est, 522 D. — Ad pulchritudinem tria requiruntur, 433 C, 522 D. — Quidam viri de pulchritudine laudantur, ut Saul, 316 B, 433 B, Jonathas, 433 B, David, 352 A, B', Absalon, 522 C.

PYTHO, seu Apollo, inventor artis pythonicæ, 408 D'. — Ars pythonica, quæ, 408 C'. — A mulieribus potissimum exercebatur, 408 D'; sed lege prohibita fuit, 408 B, 409 A. — Pythones reapse non suscitabant mortuos, 409 C; sed dæmon imaginariam defuncti effigiem efformare poterat, 412 B ; verumtamen non repugnat mortuum evocatoris voluntati obtemperare, 412 A. — Nemo evocari poterat, nisi recenter mortuus, 409 A'; insuper evocante rege, mortuus a capite apparebat, ceteroquin a pedibus, 409 C'. — Pythonissa Endor, quæ fuerit, 409 B, et an reapse Samuelem comparere fecerit, 411 C'.

Q

QUADRAGESIMA ad spirituale prælium præcipue deputatur, 501 B.

QUÆSTIO. Liber de Hebraicis quæstionibus a S. Hieronymo non videtur conscriptus, 568 A. — Sæpius allegatur, 525 A, 576 A'.

QUERCUS Sichem, quo jure in sanctuario Domini steterit, 102 C. Juxta eam rex constitutus est Abimelech, 162 C'. — Quercui inhærens Absalon, 539 A', interficitur, 539 D'.

R

RABANUS (Maurus) episc. Moguntinus, citatur, 371 B', 573 A', 627 D, 678 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 107-112.)

RABBATH, metropolis Ammonitarum, urbs populosa valde, 508 D. — Ibi occisus est Urias, 498 A, 499 C'. — A David expugnatur, 508 A'. — Mystice quid, 511 B.

RAHAB Jerichuntina, quæ fuerit, 14 A. — Ob suam erga exploratores Josue misericordiam, 14 B', 15 D', a clade urbis erepta est, 36 D, et Salmon nupsit, 36 C'. — Venialiter peccavit mentiendo, 14 C'. — Quodammodo prophetissa facta est, 15 B; et magis meruit Hebræis adjungi quam Gabaonitæ, 57 A'. — Spiritualiter, typum gerit gentilitatis, 17 A, et Ecclesiæ, 17 D, 38 A'.

RAMA urbs, a Baasa constructa, 692 C, ab Asa destruitur, 692 C'.

RAMATHAIM, patria Samuelis, cur sic dicta, 249 A. — Alio nomine Arimathea nuncupata est, 249 B. — Ibi Samuel mansit, 297 B, et altare construxit, quo jure, 297 A'.

RAMOTH Galaad, urbs refugii, in tribu Gad, a Syris occupata, 726 C. — Ibi mortuus est Achab, 730 A.

RAPHAIM, populus giganteus, habitabant in Astaroth et Edrai, 69 B'. Ab Hebræis deleti sunt, 71 A'. — Vallis Raphaim, prope Jeru-

Digitized by Google

salem, 462 D. Ibi pluries cæsi sunt Philistiim, 462 D, D'. — *Cf.* Og.

RAZON, ex latronum duce, factus rex Damasci, 671 A, adversatur Salomoni, 671 B. — Quid mystice, 677 C.

RECHAB et Baana, duces exercitus Isboseth, 456 B, regno Miphiboseth oblato, 456 C, Isboseth dolose interficiunt, 456 B'. — Quæ eorum pœna, 457 A. — Tropologice, gulam et libidinem significant, 457 B'.

REFUGIUM. Urbes refugii constituuntur, 89 C. — Cur omnes ad Levitas spectaverint, 91 A', et quare ex his media pars trans Jordanem electa fuerit, 90 D, et in montibus, 91 A'. — Dicuntur etiam urbes fugitivorum, 89 C. — Huc casu homicida confugiebat, 89 D, et exposita senioribus causa, 89 C', a vindicta tutabatur, 89 D', donec judicibus urbis propriæ præsentaretur, 90 A. — Absolutus, ibi remanebat usque ad mortem pontificis, 90 B, quare, 90 A'. — Moraliter, varia designant, 90 C'.

RELIGIOSI a Levitis figurantur, 72 C'. — Æquum est eos a fidelibus sustentari, 72 D'. — Eis dæmones potissimum insidiantur, 392 B. — Quantum eis noceat sæcularium conversatio, 125 B'. — Religioso extra claustrum mente evaganti instat confusio, 597 D'. — Religiosi ibicibus comparantur, 392 C, et pavonibus, 668 A.

REMIGIUS (S.), episc. Remensis, suis persecutoribus maledixisse legitur, 451 C.

REPUDIUM, licet Judæis concessum, peccato non carebat, 500 A'. — An bellatoribus fuerit mos uxoribus libellum repudii dare, 356 C', 500 C.

RESPHA, quo sensu concubina Saulis vocetur, 447 B. — Pulchra fuit valde, 447 C. — Propter eam Abner a parte Isboseth defecit, 447 D. — Duobus filiis ejus crucifixis, 557 A, quo zelo eos in patibulo custodierit, 557 D. —Tropologice, lascivas feminas signat, 454 A.

RESURRECTIO. Mortuos suscitare Dei proprium est, 701 B'. — Licet Elias defunctum suscitaverit, multo magis gloriose Sancti N. T., 701 B'. — Mortuum suscitasse reprobus nullus legitur, 702 B. — *Cf.* Elias, Mors, Pytho.

REVELATIO, a primordiis usque ad Christum clarior semper evasisse dicitur, an recte, 279 C. — Revelationes ministerio angelorum fiunt, 599 B', et potissimum nocte, 599 C'.

REX. Deus solus rex Hebræorum haberi voluit, quare, 304 D'. — Petitio populi regem sibi postulantis, si fuerit peccatum, 303 C', cur exaudita, 301 A'. — Non nisi duobus conditionibus rex Hebræis concessus est, 303 A', concessus, non præceptus, 304 B'. — In unctione regis, immolabantur sacrificia, 314 C, et regi noviter instituto dona offerebantur, 316 B'. Unctio fiebat in capite, in modum coronæ, 586 B'. — Apud Hebræos reges sacerdotibus præstantiores erant, 19 C'; legis pœnalia augere poterant, 504 C, et in quibusdam Dei præceptis, dispensare, 521 B, D'. — Quænam eorum jura, 302 B, A'. — Illis ob figurativas rationes concedebatur polygamia, 464 D.

Reges nunc sacerdotibus inferiores sunt, 596 D'; ideo non illis competit in clerum jurisdictio, 596 D'. — Sunt quasi anguli populorum, 338 B, quorum salus vel ruina a regis conversatione pendet, 617 D'; nam regum peccatis regna eradicantur, 677 A'. — Regem ceteros virtute et sapientia excedere oportet, 564 B'. — Eum maxime decet misericordia, 322 A', circumspectio, 589 C, B', clementia, 720 A', zelus in templa et ecclesias, 484 B. — A nimia credulitate abstineat, 495 D, et a falsa clementia, 722 A'. — Quanta damnatio improbos reges maneat, 696 C'. — Reges citius ceteris senescunt, 582 D, et plerumque ad prælium inepti sunt, 719 B'. — Illis permittuntur solatia et melodiæ, 549 D'. — Raro corripientem sustinent, 732 D. — *Cf.* Populus, Subditi.

Libri Regum, quomodo dividantur et vocentur, 245, 579; et quid contineant, 425, 579. — Partim a Samuele, partim a Jeremia conscripti sunt, 246, partim etiam a Nathan vel alio Samuelis discipulo, 400 C', ex diversis Prophetarum dictis, 732 B. — Horum librorum excellentia, 256 C.

RHAMNUS in parabola Joatham, quid allegorice, 163 B', et mystice, 467 B'.

RICHARDUS (a S. Victore), 359 B, 392 D', 715 A.

ROBOAM, filius Salomonis, rudis et superbus, 678 D', duro responso a se repellit populum, 679 D. — Tres tantum tribus illi adhærent, 680 A'. — Propter sua delicta, 689 D, a Sesac devincitur, 689 C'. — Quid mystice, 682 A'.

RUBEN jus primogenituræ amisit, 73 D' — Tribus Ruben, quam sortem consecuta, 71 D'. — A Josue laudata, 93 B, a Debora suggillatur, 139 A. — Nullum ducem dedit Israeli, 475 A. — Quid moraliter, 12 B', 26 A'.

RUBIGO, quid sit ad litteram, 651 D, et mystice, 656 A.

Digitized by Google

RUTH Moabitis, quo tempore vixerit, 223 B, et an credenda sit filia regis Moab, 225 A'. — Laudantur ejus constantia, 226 D', humilitas, 230 B, 231 B, B', verecundia, 230 C', et operositas, 231 A. — Qua arte Booz ad conjugium induxerit, 234 B'. — Non videtur a fornicationis concupiscentia excusanda, 234 C', et agendi modus reprehensibilis fuit, 234 A', 235 B'. — Forsan supernaturaliter concepit Obed, 240 A. — Quid mystice, 229 A', D', 232 D, 236 A, 241 B', D'.

Liber Ruth, cur sic dictus, 221. Post David scriptus est, 241 A.

S

SABA regio ubi sit, 660 A. — Mycaula, regina Saba, 660 A, mulier prudentissima, 662 C, Salomonem invisit, 660 A, et miratur, 660 B'. — Salomoni dat radicem balsami, 662 B, et lignum Crucis indicat, 662 C. — Allegorice, Ecclesiæ typum gerit, 665 A.

SACERDOS. Indifferenter ex Eleazar et Ithamar filiis sacerdotes assumebantur, 224 B. — Eorum manus, in signum consecrationis implebantur, 203 B, 686 A. — Illis erant pascualia prædia quæ sibi invicem vendere poterant, 593 B'; et partem in plerisque sacrificiis obtinebant, 269 B', 272 B'. — Olim regibus inferiores erant, nunc sunt superiores, 596 D'. — Optimates quondam « sacerdotes » vocabantur, 553 D', 607 C. — Sacerdotes Nobe a Saul occiduntur, 383 D. — Sacerdotes Philistinorum quo spiritu sanctum consilium dederint, 291 A'.

Sacerdotes sunt Ecclesiæ oculi, 46 A', et manus, 46 B', mediatores inter Deum et homines, 383 C. — Ipsorum est delinquentes viriliter corripere, 46 B. — Avaritiam fugere debent, 73 A, castitati et sobrietati studere, 275 B'. — Quanta ab eis requiratur munditia, 472 A. — Verba sacerdotis : Dominus vobiscum, unde desumpta, 230 B'. — Sacerdos malus abscindendus est, 46 B'.

SACRIFICIA. Quid sint holocaustum et pacifica, 49 D, 96 A. — Victimæ humanæ nunquam ad sacrificia admissæ sunt, 175 D. — A Prophetis licite offerebantur sacrificia, 184 A. Quo jure a Gedeon oblata sint, 146 C, 147 A, et a Manue, 183 D'. — Templo nondum erecto, ubicumque licebat immolare, 598 C', quanquam hoc minus fuerit perfectum, 599 B; imo, templo stante, illud non videtur sub gravi vetitum fuisse, 691 C'. — Usque ad horam sacrificii vespertini legitime sacrificabatur, 330 C. — In plerisque sacrificiis pars victimæ sacerdotibus cedebat, 269 B', 272 B'. — Sacrificia legalia delere valebant peccata, 91 A, et coram arca, ceteris paribus, meritoria magis erant quam alibi, 600 B. — Ignis de cœlo super Sanctorum oblationes frequenter cecidit, 705 B. — In unctione pontificum et regum per septem dies fiebant sacrificia, 314 D. — Quanta ad N. L. sacrificium munditia requiratur, 472 A.

SADOC, sacerdos, an fuerit propheta, 528 A. — Comitatur David fugientem, 527 C', et Salomonem ungit, 586 A'. — Pontifex, loco Abiathar, constituitur, 595 A'; et in ipso pontificatus ad stirpem Eleazar rediit, 595 B'.

SAGITTA, in Scripturis varia significat, 435 D'. — De tribus prædicatorum sagittis, 376 B', 435 C'.

SALMANA, unus e Madianitarum regulis, 157 C, a Gedeone comprehensus, 157 D', interficitur, 158 C.

SALOMON, patri suo David divinitus promissus, 476 C, 477 B, dictus est Jedidiah, 508 C, et Salomon, quare, 508 A. — A Nathan propheta educatus, 508 C, in arte physiognomiæ peritissimus fuit, 671 A'. — Fratrum minimus, et duodecennis dumtaxat, 591 B', in regem ungitur, 586 A, A'; verumtamen, vivente patre, prorex tantum fuit, 592 B; unde bis unctus fuisse legitur, 590 B. — Cur modo vir, modo puer vocetur, 591 B', 600 B'. — Filiam Pharaonis ducit, 598 A, quo jure, 598 D. — Sapientia Salomonis, quanta, 601 D. Quomodo eam acceperit, 599 B'. Duarum meretricum litem solerter componit, 602 D'. Cum Hiram ænigmatibus concertat, 659 D'. Parabolas et carmina multa dictat, quæ combusta a Chaldæis fuerunt, 608 C'. An fuerit cunctis hominibus sapientior, 601 D. — Quæ ejus potentia, 607 D. Auxiliante Pharaone, multas urbes occupat, 658 D. An omnium fuerit regum potentissimus, 602 A'. — Divitiæ Salomonis, quantæ, 662 B'. Ex India aurum advehit, 659 B', 663 C'. Quot currus ejus et equi, 664 B. An peccaverit, tot opes congerendo, 664 D. — Quæ ejus magnificentia, 608 A. Quo apparatu incesserit, 627 C', D'; quo sumptu templum construxerit, 611 A' (*vide* Templum), palatia, 626 B (*vide* Domus), supellectilem, 629 B, 662 C' (*vide* Scuta, Thronus). — Urbes xx Hiram

Digitized by Google

concedit, 657 C', quo jure, 658 A. — Reginam Saba recipit, 660 A. — Oratio ejus in dedicatione templi explanatur, 648 C. Septem petitiones complectitur, ut Oratio dominica, 650 A. — Fuit filius Dei adoptivus, 477 B', qui eum specialiter dilexit, 508 A, et ei, utpote prophetæ, multoties apparuit, 599 B', 656 D. — Bene vivendo vitam longam promeruisset, 603 A ; sed ex otio et opulentia nimia lapsus in luxuriam, 668 B, 669 A', et idololatriam, 669 A, ob tria idola, tribus hostibus lacessitus est, 677 A ; regnum ejus scissum est, 669 D', et ipse quinquagenarius, vel circiter, obiit, 673 C'. — Uxores ejus multæ nimis, 668 C' ; concubinæ ejus pellices erant, 669 A. Attamen idolis non vere credidit, 669 B'. — Qua ætate cœperit regnare, 673 A', Roboam genuerit, 674 D, depravari inceperit, 673 C', 675 A', et quot annis regnaverit, 675 B. — An illum vere pœnituerit, 486 D, et sit salvatus, 478 B, 486 C. — Allegorice, multipliciter figura fuit Christi, 609 B, 612 D', 622 D, et Petri apostoli, 596 C', 597 A. Quid thronus ejus, 666 D', et classis, 667 B'.

Liber Verborum dierum Salomonis, quid, 673 C.

SALPHAAD. Filiæ ejus sortem in tribu Manasse obtinent, 82 C.

SAMARIA, metropolis regni Israel, ab Amri conditur, 694 D'. — Unde nomen acceperit, 695 A.

SAMGAR, judex Israel, rusticus agricola, brevissime præfuit, 129 B'. — Philistæos mirabiliter percussit, 129 B'. — Quo sensu, ejus tempore, quieverint semitæ, 137 B.

SAMSON, qui et Badan dictus est, judex Israel, 323 C'. — Ortus ejus ab angelo prænuntiatur, 180 D, et ipse tertius est cui nomen a Deo impositum fuisse legitur, 184 C'. — Cur de sterili natus, 180 C' ; quare Nazaræus ab utero vocatus, 181 B, et quomodo fuerit in illo Spiritus Domini, 184 D'. — Leonem interficit, 188 C. — Ex dispensatione Dei, valide Philistææ conjungitur, 190 C' ; sed ab uxore proditus, 189 D, Philistinorum segetes astute comburit, 192 B', ipsos mirabiliter percutit, 194 B', et Gazæ portas aufert, 197 C. — Fuit sanctissimus, 186 B', licet non sanctificatus in utero, 196 D ; nec peccavit Philistæos occidendo, 190 C, 194 B, aut de eis ulciscendo, 192 A', 199 C' ; sed venialiter peccasse videtur, alienigenæ adhærendo, 187 D, 199 A', et mortaliter, fornicando, 196 D. — Fortitudo ejus, mira, 188 D, 193 C', 198 C, et plane supernaturalis, 184 C', 188 D, an in illo habitualiter permanserit, 197 D. — Septem in capite floccellos habebat, 198 D, quibus rasis, fortitudinem amisit, 199 A. — Ab hostibus illusus, 199 B, de voluntaria morte excusatur, 200 A ; imo mors ejus quasi martyrium fuit, 200 B. — Satis juvenis obiit, 200 B'. — A quibusdam Hercules redivivus creditus est, 184 C'. — Multipliciter fuit figura Christi, 185 B, 190 D, 195 C, 200 C, et religiosorum, 186 A'.

Mater Samsonis, mulier pulchra, 181 A', prudens, 181 B', et devota, 182 B. Cur ei abstinentia commendetur, 180 D'. An peccaverit, nuptiis ejus consentiendo, 188 A. — Uxor Samsonis, licet infidelis, 187 C, valide cum eo contraxit matrimonium, 187 B', 190 C' ; et invalide cum secundo viro, 190 B' ; ideo Samsoni reddi debuisset, 192 C. Mariti proditrix, 189 D, quæ fuerit ejus pœna, 193 B, et quid significet, 190 D, 191 A', 195 C. — *Adde* Dalila *et* Manue.

SAMSON, monachus (episc. Dolæ), commendatur et veteri Samsoni præfertur, 186 A'. (Acta SS. 28 Julii.)

SAMUEL, quomodo interpretetur, 254 A. — Matri promittitur, 253 B, et supernaturaliter datur, 253 D'. — Quandonam templo præsentatus, 255 B, et quamdiu ibi manserit, 255 D. — Duodecennis incipit vaticinari, 269 A, 278 D'. — Tres ejus dignitates, 279 B. — Quo jure sacrificia obtulerit, 296 B. — Etiam regnante Saul, populum judicare non destitit, 296 C'. — Primus filios sibi in regimine populi sociasse legitur, 300 C ; primus etiam prophetarum scholas instituit, 313 C'. — Cur ipsi displicuerit petitio populi regem postulantis, 301 D. — Suam commendat justitiam, quare, 322 C', 323 C. — Quanta ejus obedientia, 278 C', 281 D', æquitas, 323 D, et caritas, 325 A'. — A Saule prorsus elongatur, 348 A'. — Mors ejus et sepultura, 394 C. — Samuelis defuncti verba ad Saul, 410 C. An vere ei apparuerit, 411 C'. — Ejus anima vere apparuisse videtur, 412 A', non vi incantationis, sed voluntate Dei, 412 C'. — Allegorice, Christi typum gessit, 311 A, 316 D, et boni pastoris, 298 C, 299 B, C', 325 D.

Filii Samuel, populum judicantes in Bethel et Bersabee, 300 C', sed mali et avari, 301 A, a plebe rejiciuntur, 301 B. — *Cf.* Anna, Elcana, Saul.

Digitized by Google

SANCTI. In utero sanctificati mortaliter deinceps nunquam peccant, 196 D'. — Virtuose agendo, sæpe temporalem prosperitatem merentur, 74 D'. — Prælationem abhorrent, 167 A'; soli unitatem norunt, 258 C', et quietem, 297 C'. — De se humilia prædicantes, a mendacio excusantur, 310 B. — Quandoque suas commendasse virtutes leguntur, 323 C. — Ne intumescant, sæpe tentationibus reprimuntur, 715 B. — Pulchre fasciculo comparantur, 401 D'. — *Adde* Justi.

Sanctum, sive pars templi exterior, duplo majus fuit Sancto sanctorum, 618 B', quare, 624 B'. — Sanctum sanctorum, sive oraculum, 618 A', describitur, 619 B. Cur sic dictum sit, 644 C', et quibus patuerit, 644 D'.

SANGUIS. Cum sanguine carnes manducare lex vetuit, 337 C. — Viri sanguinum, cur olim a construendo templo prohibiti, 484 A'. — Etiam nunc sunt irregulares, 484 C', sed ecclesias ædificare permittuntur, 485 A.

SAPIENTIA, per patientiam maxime noscitur, 473 A, et prælatis imprimis est necessaria, 605 D. — Multiplex sapientiæ genus, 601 B'. — Sapientia hujus sæculi, inimica Deo, 472 D. — *Cf.* Salomon.

SAREPTA, urbs parvula Sidoniorum, 699 A. — Eo secessit Elias, 699 A. — *Adde* Vidua.

SATRAPA, quomodo interpretetur, 123 A'. — Sic vocabantur duces Philistinorum, 114 B', 123 A'. — Non delentur, quare, 123 B'. — Quid mystice significent, 125 D, 293 D.

SAUL, filius Cis, de Gabaa, 319 D, magnis insignitus dotibus, 305 D', et virtutibus, 306 A', 307 A', 315 D, amabilis, 433 B, et decorus, 433 C, optimus erat Hebræorum, excepto Samuele, 316 B, 433 B. — In regem a Samuele ungitur, 312 B, cur olei lenticula, 350 B; et electio ejus variis signis confirmata, 312 B', a populo comprobatur, 315 A, 321 A; verumtamen stirps ejus ad regnum non erat prædestinata, 330 C', et a regia dignitate dejecta est, 330 A'. — Qua ætate regnare cœperit, 327 B, et quot annis regnaverit, 327 C', 328 A. — Post unctionem dignior fuit Samuele, licet minus sanctus, 320 A; sed ab eo quamdam directionem accipere habebat, 314 B. Agriculturæ operam dare non desiit, 319 A'. — Non semel salvavit Israel, 308 D, 320 B', 339 B. — « Num et Saul inter prophetas », 314 C', 371 D. Quæ ejus prophetiæ, 315 A. — Primum ejus peccatum, quod, 329 B'. — Populum voto constringit, 336 B', an recte, 339 C'. — Invidens Davidi, 365 B', illum occidere molitur, 366 A, 370 A, 385 D'; et sacerdotes interficit, 382 C', ac Gabaonitas, 555 D'. — A dæmonio vexatur, 352 D. — Quæ reprobationis ejus causæ, 410 A'. Contra præceptum Domini Amalecitis parcens, 344 C', juste a throno abjectus est, 346 B'. Ab illa humilitate quæ eum ad regnum evexerat, 345 C', in superbiam lapsus, 345 D, 360 A', et ambitionem, 382 D, nunquam vere pœnituit, 346 C', 347 D', et ideo regno privari meruit, 345 C'. Non tamen fuit ita a Deo reprobatus sicut nonnulli reges Israel, 391 D'. — Samuelem suscitatum adspexisse non videtur, 410 B, sed audisse dumtaxat, 411 D. An verbis ejus credere debuerit, 420 A'. — Quomodo mortuus, 418 D, 428 D. Non illi manum sibi inferre licuit, 420 C, C', sed merito proprio gladio periit, 421 A'. — Caput ejus in templo Dagon exponitur, 419 B', et ossa honorifice sepeliuntur, 420 A, 557 C'. — An sit salvatus, 420 C, 421 A. — Stirps ejus eraditur, 418 D, 419 D, 556 D. — Spiritualiter, varia significat, 311 A, 332 B, 363 C', 367 D, 368 C, etc.

SCIENTIA hominum, utpote sensibus innixa, sæpe fallitur, 351 D. — Scientia Salomonis, quanta, 601 D.

SCRIPTURA varie partitur, 3, 4, 247. — Quot libros contineat, 246. — In libris V. T. nonnihil ab Esdra additum esse creditur, 307 C. — Variis modis annos et tempora computat, 696 C, et numerorum minutias curare non solet, 465 C, 614 B', 633 A, 634 A. — Eadem scriptura multiplicem potest habere sensum, 583 A', etiam litteralem, 489 C'; et sensus litteralis non est solus ab auctore intentus, 583 D, A'; verumtamen probatio ex Scriptura non valet nisi in sensu litterali, 476 D. — In Scripturis, triplici modo figura proponi potest, 477 C', et significatio, quadruplici modo, 502 D'. Malum quandoque alicujus boni figura esse potest, aut econtra, 502 B'; sed in his significationibus caute procedendum est, 503 C'. — Varie figurata est : 1° Per arcam : de Synagoga ad Ecclesiam translata est, 471 A. — 2° Per Abisag : ad inflammandum cor optima est, et senibus commendatur, 588 D. — Etc.

SCULPTILE et conflatile. Sic designantur vulgo idola, 202 A'. — Mos offerendi Deo effigiem membri læsi unde inoleverit, 292 B.

Digitized by Google

SCUTA Salomonis, quot, 627 C', 662 C', et quid significent, 666 C'. — A Sesac auferuntur, 689 D'.

SCUTRA, genus vasorum, quid ad litteram, 637 D, et mystice, 642 A'.

SEBA, de tribu Benjamin, decem tribus a David avertit, 550 B. — In Abela obsessus, 552 A', occiditur, 553 A'. — Tropologice, figurat seditiosos, 553 D'.

SEDECIAS pseudopropheta, vaticinatur, 727 C. — Michæam percutit, 729 A'. — Quid moraliter, 732 A'.

SEHON, rex Amorrhæorum. Regnum ejus describitur, 69 B. — Dimidiam partem terræ Ammonitarum abstulerat, 72 C.

SEIR multipliciter accipitur, 136 A'. — Quo sensu dicatur Deus de Seir exisse, 136 A.

SELEUCUS, rex Asiæ, in templo Jerusalem sacrificiorum sumptibus providebat, 651 D'.

SEMEI, de qua tribu oriundus, 530 C'. — Pater Jeroboam dicitur, 531 A, et fuit vir seditiosus et inquietus, 595 C'. — Davidi maledicit, 531 B, sed veniam impetrat, 546 D, 547 B. — Salomonis justitiæ commendatus, 591 D, occiditur, 595 B', 596 B'. — Mystice quid, 549 B', 597 C'.

SEMMA, tertius inter fortes David, quæ fecerit, 565 C'; et cur fortissimus vocetur, 565 D'. Alius est ac frater David, 565 C', 351 C'.

SENECA philosophus, allegatur, 720 B'.

SENEX, quid sit proprie, 70 D. — Senectus in homine a LXX° anno computari solet, 581 A; sed curis et angustiis multum acceleratur, 582 D; ideoque reges citius ceteris senescunt, 582 D. — Senes matrimonium valide contrahunt, 583 C. — Eorum consilium optimum, 678 C', 682 D. — Avaritia præcipue laborant, 669 A. — Illos jam non decent gaudia vitæ, sed pœnitentiæ lamenta, 549 C'.

Senex Gabaa in Levitam hospitalis, 210 C, an peccaverit filiam stupro offerendo, 211 B'.

SESAC, rex Ægypti, Pharaonum ultimus dicitur, 673 B. — Jeroboam suscipit, 673 B. — Jerusalem dolose occupat, 689 C', et vastat, 689 D'.

SETIM locus, ubi sit, 18 C, et quid exprimat, 22 A.

SIBA, de tribu Benjamin, servus Saul, 492 C, et Miphiboseth, 493 B, herum apud David calumniatur, 530 C. — Injuste David eum non punitum dimisit, 548 A.

SICELEG, urbs Philistinorum, Davidi tradita, 405 B', ab Amalecitis incenditur, 415 A. — Allegorice, figurat Ecclesiam, 417 D.

SICHEM varia designat, 161 D', 677 D. — Ager Sichem, a Jacob emptus, 103 B', Joseph datus, 103 D', cessit in partem Ephraim, 104 A. Ibi reposita sunt ossa Joseph, 103 B', et XII patriarcharum, 104 A. — Sichem civitas, Josue data, 88 C', fuit oppidum famosum, 677 D', et urbs refugii, 90 D. — Ibi congregatus populus a Josue, 98 C, fœdus cum Deo redintegravit, 102 B, B'. — Ibi regnavit Abimelech, 162 C', et Jeroboam, 677 D, 680 C, D'. — Sichimitæ Baal adhærent, 162 D, et filios Gedeonis injuste occidunt, 164 A, C; sed adversus Abimelech rebelles, 164 D, disperduntur, 166 A. — Cur sic mulctati, 166 B'. — Moraliter, quid signent, 167 B.

SIDONII, artifices peritissimi, 461 B', 610 D', ligna parabant ad fabricam templi, 611 B.

SIGNUM. Quot signis confirmata electio Gedeonis, 147 B'. An et quatenus peccaverit, ea petendo, 148 A, 175 D'; et quid mystice exprimant, 150 A'. — Item, quibus signis confirmata electio Saul, 312 B', et quid moraliter nos doceant, 317 D. — Quo signo potuerit Saul cognoscere se esse a Deo reprobatum, 348 A.

SILO urbs, de tribu Ephraim, 250 B'. — Ibi fuit tabernaculum, 84 B, 212 B; quousque, 208 A; et manifestatus est Deus Samueli, 278 D, 280 C'. — Huc, ad tractanda gentis negotia, vulgo conveniebant Hebræi, 85 C, 94 A', 213 D'. — Virgines Silo a Benjamitis rapiuntur, 217 A'.

SIMEON tribus, sortem accepit in medio tribus Juda, 86 D. — Nullum ducem præstitit Israeli, 475 A.

SIMIA, quid sit ad litteram, 663 D', et mystice, 667 C'.

SINAI mons, quo sensu a facie Dei fluxisse dicatur, 137 A'.

SINISTRA, in Scripturis, temporalia et adversa designat, 135 A. — A sinistris Dei sedere dicuntur dæmones, quare, 728 D.

SION arx. Præmium a David propositum est primo eam invadenti, 459 C', 460 B, B'; quod Joab obtinuit, 460 C'. — Facta est metropolis regni, 460 A'. — Ibi reposita arca, 468 C', 643 D. — Proprie civitas David nuncupatur, quare, 460 A', 643 D.

SISARA, dux militiæ Chanaan, 130 A, potentissimus, 131 D, a Barac fugatur, 131 A', prope Mageddo, 139 A', et a Jahel dolose interficitur, 131 D'. — Quo sensu stellæ contra eum dimicaverint, 131 C', 139 B'. — Super-

Digitized by Google

bissimus, merito a femina dejectus est, 132 B'. — Mystice quid, 134 A', D'.

SOCOTH, civitas prope Jordanem, 157 B', cur sic dicta, 157 B. — Habitatores Socoth in Gedeonem contumeliosi, 157 D', dire postmodum perimuntur, 158 A.

SOL. Dei solius est cursum ejus immutare, 58 D'. — A Josue sistitur, 58 B'; quod a nullo antea factum fuerat, 59 C'. — Circa vesperam stetisse videtur, 59 B. — Tempore Elimelech etiam stetisse legitur, ob prævaricatores legis, 225 C.

SOLITUDO. Vita solitaria magnis tentationibus patet, 52 C'; sed peccandi occasiones removet, 52 D'.

SOMNIUM, quid sit proprie, et quomodo a visione et oraculo distinguatur, 603 D. — Somnia, sicut visiones et interpretationes, ad gratias gratis datas pertinent, 153 A'. — Somnium Saulis, 309 B', et Gedeonis, 153 B.

SORS, quid sit, 44 D'. — Sortis triplex est species, 45 A. — Quatenus sorte uti liceat, 45 B. — In V. T. frequenter usurpabatur, 45 B'. — Sorte divisa est terra inter tribus, 85 D. — Quæ uniuscujusque sors. *Vide* Aser, Benjamin, etc.

SPIRITUS Domini, quo sensu fuerit in Othoniel, 124 A', Gedeon, 147 A', Jephthe, 173 B', Samson, 184 D', 190 B, Saul, 313 B', 370 D', David, 352 B. — Diabolus dicitur spiritus Dei malus, cur, 352 D. Quomodo a Deo mittatur, 164 D. — Spiritus fortis conterens petras, quid, 712 D', 717 A. — Spiritus mendax, deludens Achab, quid, 729 B, A'.

SPURIUS quomodo a notho et manzere distinguatur, 355 C.

STATER moneta, quantus, 306 D'.

STELLA. Solius Dei est earum cursum immutare, 58 D'. — Actibus humanis non dominantur, 45 B. — Contra Sisaram dimicaverunt, quo sensu, 139 B'.

SUBDITI. Quantum eis noceat prælati carentia, 208 B. — Licet eorum peccata superioribus imputentur, ipsi nihilominus plagantur, 290 D'. — An eis liceat prælatos corripere et denuntiare, 393 B. — Non nisi modeste de superiorum excessibus loqui debent, 393 A. — Graviter peccant, pastori irascendo, et obloquendo, 394 A'. Quæ maledicta eos maneant, 454 D', 455 B. — A præsidente correpti, quid agere debeant, 47 C, 368 B'. — Pro qualitatibus subditorum disponuntur corda regentium, 401 C', 576 B'. — *Cf.* Prælati.

SUPERBIA, quantum Deo displiceat, 154 D'. — Mater est invidiæ, 156 C'. — Perfectis periculosius insidiatur, 293 C'. — Superbi in hac vita humiliantur, 125 C'; in vitia carnis plerumque labuntur, 287 B'; in fine male habent, 543 B.

SURA, quid sit, 193 B'. — Suram femori imponere, lugentibus aut meditantibus solitum, 193 D.

SYNAGOGA, quid sit proprie, 647 D. — In Scripturis varie figuratur : 1° Per Noemi : Ecclesiæ dedit Scripturarum notitiam, 232 D. — 2° Per Phenennam : Ecclesiæ infesta fuit, 256 D', et ab ea supplantata fuit, 265 A. — 3° Per meretricem : a Christo damnata est, 606 B'. — Etc.

SYRI multoties cum Hebræis bella gessisse leguntur, 487 C', 495 C', 717 D, 726 B. *Cf.* Adarezer, Benadad.

T

TABULATA templi, quid, 615 B, 618 C. — Describuntur, 616 A. — In his habitasse videntur ministri templi, 616 C'. — Mystice quid, 623 A', 624 C.

TELESPHORUS (S.) Papa, allegatur, 393 D. (In Jure.)

TEMPLUM, cur a David non sit constructum, 484 A', 610 D'. — A Salomone ædificatur, quo sumptu, 611 C, 612 A, et quo tempore, 613 C'. — Dimensiones ejus recensentur, 614 C'. — Describuntur ostia, 617 B, 621 A, C, C', tegumenta, 617 D, tabulata, 616 A, interior dispositio, 618 B, et ornatus, 618 D', 620 D'. — Ad similitudinem tabernaculi factum est, 615 C. Dedicatur, quomodo, 643 C, 653 C', 654 A, quando, 643 D'. — Vocatur quoque Oraculum, 615 C', 618 A, 619 B. — Quanto in honore apud gentiles, 651 D'. — Violatores ejus puniuntur, 652 A. — Mystice quid, 612 D', 622 D, 655 B.

Templa, cur orationis locus vocentur, 649 C. — Consecratio templi ad orationis efficaciam confert, 652 A. — Munificentia in templa regibus commendatur, 484 B; temporales benedictiones meretur, 485 A. — Templum Dei, quomodo in nobis et aliis construendum, 484 C. — Qui ad ædificandum spirituale templum sint inepti, 484 C'. — *Cf.* Ecclesiæ.

Digitized by Google

TENTATIO. Tres morientium tentationes, 543 A. — Quid in tentatione agendum, 53 A, et post tentationem, 53 B'.

TEREBINTHUS. Vallis Terebinthi. Illic stetit Jacob, et præliatus est David contra Goliath, 355 B, 356 D'. — Quid mystice, 362 D.

TESTIS. Propinqui olim contra reum testimonium proferre valebant, 521 A'.

THAMAR, soror uterina Absalonis, 511 C, cujus filia, 512 D'. — A fratre incestata, 512 C, causa fuit cur occideretur Amnon, 515 A.

Thamar alia, filia Absalonis pulcherrima, 522 C', avia fuit regis Abia, 690 C.

THAMNAT-SARAA, postea Thamnatsolis, 119 D, in possessionem data est Josue, 88 B'. — Ibi mortuus est et sepultus, 103 C.

THARE, pater Abraham, in Chaldæa idola coluit, 99 A.

THARSIS regio, quid sit, 663 C'. — Inde pretiosa educebat classis Salomonis, 663 D'. — Spiritualiter, gentilitatem figurat, 667 B'.

THEBES. Tres urbes sic dictæ inveniuntur, 166 B. — Ibi interfectus est Abimelech, 166 C.

THECUA civitas. Ex ea fuit mulier sapiens, quæ Amos prophetæ proavia creditur, 517 C. — Hæc parabolam narrat Davidi, 518 A. — An reapse duos filios habuerit, 517 C.

THOLA fuit judex Israel, 168 A, et consobrinus Abimelech dicitur, quomodo, 168 B.

THORAH, seu lex, pars Scripturæ, quid contineat, 247.

THOU, rex Emath, Davidi congratulatur, 488 B'. — Quid significet, 491 C'.

THRONUS Salomonis describitur, 663 B. — Allegorice, B. V. Mariam signat, 666 D', et Ecclesiam, 667 C.

THYINA, Indiæ ligna, quæ, 661 C'. — Ex illis conficiuntur nonnulla in templo ac palatio regis, 661 D'. — Moraliter, per thyina intelliguntur viri exemplares, 666 B'.

TIMOR a tremore differt, 48 A. — Infrigidationem parit, 581 A', et debilitat hominem, 408 D. — Quomodo cor dissolvat, 40 C. — Timor Dei commendatur, 537 C', 676 B.

TORQUATUS (Manlius) filium inobedientem occidisse legitur, 340 B'.

TRIBUS et familiæ, unde constitutæ, 643 C. — Unicuique dux præerat sub rege, 594 C', 643 C. — Ex omni tribu, si tres excipias, surrexerunt judices Israel, 475 A. — Quam unaquæque sortem acceperit, 76 D, et seq. *Vide* Aser, Benjamin, etc. — Tribus trans Jordanem ædificant sibi altare, 94 C, et corripiuntur, 94 A'. — Quid per tribus trans et cis Jordanem spiritualiter designetur, 12 B'.

TRICLINIUM, quid sit, 310 D.

TRINITAS. Mysterium Trinitatis insinuatur, 701 A'.

TUBÆ in festis et bellis usurpabantur, 33 C'. — Tubarum sonitu dejiciuntur muri Jericho, 33 C', 35 B'. — Spiritualiter, prædicantium vocem figurabant, 37 D.

TULLIUS (Cicero) allegatur, 50 D', 322 A', 512 A, 720 A'.

TYRANNUS. An liceat tyrannum occidere, 133 A. — Contra tyrannum non debet quis privata auctoritate procedere, 133 B', sed publica auctoritate deponendus est, 133 C'.

TYRUS, civitas. Ibi abundabant ligna et saxa, 461 B'. *Adde* Hiram.

U

UGUTIO (Pisanus), lexicographus, allegatur, 637 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 141, col. 1440.)

UNCTIO regum, quæ, 586 B'. — Per septem dies fiebant sacrificia, 314 D. — Saul oleo lenticulæ, David oleo cornu unctus est, quare, 350 B. — Ter unctus est David, 439 A, et Christus, 445 B'; ter et ungi debet fidelis, 445 B'.

UNITAS commendatur, 258 C'. — Bonis tantum competit, 258 C'.

URIAS, Hethæus, vir magnæ virtutis, 499 A, armiger Joab, 499 B', propter uxorem occiditur, 499 C'. — Moraliter, quid exprimat, 502 D, B'.

URSA, raptis catulis, sævissima, 535 B.

UXOR. Plures uxores habere, ex dispensatione divina, Hebræis fuit licitum, 400 A', potissimum regibus, ob figurativas rationes, 464 D. — Verumtamen prima specialius uxor vocabatur, 446 C', et unicuique, juxta ordinem, debitum reddebatur, 446 A'.

Uxor Samsonis, alienigena, 187 A, et idololatra, 190 B, virum prodens, 189 D, et deserens ut alio nuberet, 190 B', causa fuit cur Philistæi plagarentur, 192 A'. — Quæ ejus punitio, 193 B. — Allegorice, Ecclesiæ fuit figura, 190 D, 191 A'.

Uxor Levitæ de Ephraim, cur virum reliquerit, 209 A. — Gabaensibus tradita, enecatur, 210 D'. — Corpus ejus concisum cunctis tribubus mittitur, 211 C. — Causa fuit cur prope deleretur tribus Benjamin, 212 B', 213 D.

Digitized by Google

V

VACCÆ ad trahendam arcam a sacerdotibus Philistinorum eliguntur, 289 A, quare, 289 C. — Quid tropologice, 292 A'.

VALERIUS MAXIMUS citatur, 181 C', 720 D'.

VEGETIUS, de Re militari, allegatur, 50 D', 123 B, 282 C.

VELLUS Gedeonis madefactum et siccum, 147 B', recte figurat Synagogam, 150 A', religiosos, 150 C', potissimum vero B. V. Mariam, 150 C'.

VERBUM, in Scripturis, quid significet, 428 A, 439 D.

VESTIS. Scindere vestes olim usitatum in signum luctus, 40 B', 427 B, 429 C', aut ad contumeliam, 495 A'. — Deridentur aliquorum virorum vestimenta, 497 C', et mulierum, 513 C'. — Vestes animæ, quid, 497 C, et quomodo abscindantur, 497 B'.

VICTIMÆ humanæ ad sacrificia nunquam sunt admissæ, 175 D. — Victimæ sacrificiorum concisæ, primo in probatica piscina a Nathinæis lavabantur, deinde a sacerdotibus in luteribus templi, demum altari imponebantur, 637 B.

VIDUA, quot diebus virum luxerit, 500 D'.

Vidua in Sarepta Eliam suscipit, 699 B. — Fuit devota femina, 700 B, licet respectu Eliæ iniqua dici potuerit, 700 B et seq. — Ab Elia suscitatur filius ejus, 701 A, quem dicunt Judæi fuisse Jonam, 702 C, 710 C'. — Moraliter, typus est gentilitatis, 702 B'.

VINUM olim mulieribus fuit vetitum, 181 C'.— Quo sensu Deum lætificet, 163 D.

VIR. Qui sic vocentur in Scripturis, 352 D'. — Vir dominus est conjugis, 211 A. — Bonus vir, gaudium uxoris, 226 B.

VIRGO. Apud Hebræos virginitas opprobrium fuit, 174 A'. — Virginis seductor, ad quid adstrictus, 513 A'. — Virginis amplexus, optimum contra membrorum infrigidationem remedium, 583 B, D', 584 A.

VIRTUS, sæpe temporali prosperitate donatur, 74 D'; sed illud est insufficiens virtutis præmium, 590 A.

VISIO, quid sit proprie, et quomodo a somnio et oraculo differat, 603 D. — Visiones ad gratias gratis datas pertinent, 153 A'. — Ministerio angelorum communicantur, 599 B', plerumque in secreto, 182 B, et de nocte, 599 C'.

VISITATIO. In visitationibus jure cautum est ne recipiantur munera, 297 A'.

VITIS. In vite sapientiam et bonitatem suam Deus excellenter declaravit, 163 A'. — Vitis principatum recusans, quid significet, 163 D.

VITULI duo a Jeroboam eriguntur, 681 B. — Num in his Deum verum colere intenderet, 682 B.

VOLUNTAS. Nostram voluntatem voluntati divinæ conformare non semper tenemur, 648 A.

VOTUM. Quænam voveri possint, 176 D. — Res Domino consecrata, modo ad usum communem applicari poterat, modo non, 370 D. — Vota, quam fideliter implenda, 178 A. — *Adde* Jephthe *et* Saul.

VULPES in terra Chanaan frequentes, 192 B'. — Quomodo per eas Samson Philistinorum segetes combusserit, 192 B'. — Mystice, dæmones significant, 195 C'.

VULTUS. In eo manifestantur passiones animæ, 253 D.

Z

ZABULON tribus, qua sorte donata, 87 A'. — Cur tam arctam possessionem obtinuerit, 87 B'. — A Debora laudatur, 138 C', 139 D. — Gedeoni sociatur, 147 B.

ZAMBRI, dux equitum, occiso Ela rege Israel, 694 C, regnum occupat, 694 A'. — Cum domo regia consumptus occumbit, 694 B'.

ZEB, dux Madianitarum, occiditur, 154 A'. — Ab illo nomen accepit torcular Zeb, 154 B'.

ZEBEE, fuit de regulis Madianitarum, 157 C. — A Gedeone comprehensus, 157 D', obtruncatur, 158 C'.

ZEBUL, servus Abimelech, Sichimitis præficitur, 165 A. — Abimelech victoriam præbet, 165 C, D'.

Zebul mensis, quis, 622 C'.

ZELUS quantus a nobis requiratur, 276 C'. — Maxime prælatis et judicibus necessarius est, 435 D. — A semetipso incipere correctionem debet, 510 C.

ZEPHYRINUS (S.) Papa, allegatur, 393 D, 394 A. (In Jure.)

ZIPH solitudo. Ibi David cum Jonatha fœdus pangit, 385 B'. — Ziphæi, iniqui erga David, 386 A, 402 B, quid mystice significent, 387 D'.

Ziph mensis, quis, 613 C.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN LIBRUM JOSUE.

Prooemium 3
Articulus I. Expositio litteralis capituli primi : Et factum est post mortem Moysis 5
Articulus II. De spirituali hujus capituli intellectu 10
Articulus III. Elucidatio capituli secundi : Misit ergo Josue filius Nun de Setim. . 13
Articulus IV. De mystico hujus capituli sensu 16
Articulus V. Elucidatio litteralis capituli tertii : Igitur Josue de nocte consurgens. 18
Articulus VI. De spirituali hujus capituli sensu 21
Articulus VII. Explanatio litteralis capituli quarti : Quibus transgressis, dixit Dominus 23
Articulus VIII. Declaratio capituli quinti : Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum 26
Articulus IX. Spiritualis explanatio ejusdem capituli. 31
Articulus X. Elucidatio litteralis capituli sexti : Jericho autem clausa erat atque munita. 33
Articulus XI. De spirituali hujus capituli sensu 37
Articulus XII. Declaratio litteralis capituli septimi : Filii autem Israel prævaricati sunt. 39
Articulus XIII. De spirituali sensu hujus capituli. 46
Articulus XIV. Explanatio litteralis capituli octavi : Dixit autem Dominus ad Josue : Ne timeas 48
Articulus XV. De hujus capituli sensu mystico. 51
Articulus XVI. Explanatio capituli noni : Quibus auditis, etc. 54
Articulus XVII. Expositio capituli decimi : Quæ quum audisset rex Jerusalem . . 57
Articulus XVIII. Expositio capituli undecimi : Quæ quum audisset Jabin rex Asor. 63
Articulus XIX. De spirituali intelligentia hujus capituli 66
Articulus XX. Expositio capituli duodecimi : Hi sunt reges quos percusserunt filii Israel 68
Articulus XXI. Explanatio capituli tertiidecimi : Josue senex provectæque ætatis erat. 70
Articulus XXII. Declaratio capituli quartidecimi : Hoc est quod possederunt filii Israel 73
Articulus XXIII. Expositio capituli quintidecimi : Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas, ista fuit 76
Articulus XXIV. Elucidatio capituli sextidecimi : Cecidit quoque sors filiorum Joseph 80
Articulus XXV. Expositio capituli septimidecimi : Cecidit autem sors tribui Manasse 81
Articulus XXVI. Declaratio capituli octavidecimi : Congregatique sunt omnes filii Israel in Silo. 84
Articulus XXVII. Explanatio capituli nonidecimi : Et egressa est sors secunda filiorum Simeon 86
Articulus XXVIII. Elucidatio capituli vicesimi : Et locutus est Dominus ad Josue. 89
Articulus XXIX. Elucidatio capituli vicesimi primi : Accesserunt autem principes familiarum Levi 91
Articulus XXX. Expositio capituli vicesimi secundi : Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas. 93
Articulus XXXI. Expositio capituli vicesimi tertii : Evoluto autem multo tempore. 97
Articulus XXXII. Explanatio capituli vicesimi quarti : Congregavitque Josue omnes tribus Israel 98

Digitized by Google

ENARRATIO IN LIBRUM JUDICUM.

Prooemium 109
Articulus I. Expositio litteralis capituli primi : Post mortem Josue, consuluerunt filii Israel Dominum 111
Articulus II. Solutio quæstionum duarum, et de spirituali hujus capituli intellectu. 116
Articulus III. Expositio capituli secundi : Ascenditque angelus Domini de Galgalis. 117
Articulus IV. De spirituali ejusdem secundi capituli intelligentia 121
Articulus V. Elucidatio litteralis capituli tertii : Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit. 122
Articulus VI. De intelligentia hujus capituli spirituali 125
Articulus VII. Elucidatio capituli quarti : Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini 126
Articulus VIII. De sensu ejusdem capituli mystico 133
Articulus IX. Declaratio capituli quinti : Cecineruntque Debora et Barac filius Abinoem 135
Articulus X. Mystica ejusdem cantici expositio 141
Articulus XI. Explanatio litteralis capituli sexti : Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini 143
Articulus XII. De spirituali ejusdem capituli intellectu 148
Articulus XIII. Explanatio litteralis capituli septimi : Igitur Jerobaal, qui et Gedeon, de nocte consurgens 151
Articulus XIV. Ejusdem capituli expositio spiritualis. 154
Articulus XV. Expositio capituli octavi : Dixeruntque ad eum viri Ephraim . . 156
Articulus XVI. Declaratio litteralis capituli noni : Abiit autem Abimelech filius Jerobaal 161
Articulus XVII. Expositio ejusdem capituli spiritualis 166
Articulus XVIII. Explanatio capituli decimi : Post Abimelech surrexit dux in Israel, Thola 168
Articulus XIX. Elucidatio litteralis capituli undecimi : Fuit itaque illo in tempore Jephthe Galaadites 170
Articulus XX. De mystico hujus capituli sensu 177
Articulus XXI. Expositio litteralis capituli duodecimi : Ecce autem in Ephraim orta seditio est 178
Articulus XXII. Declaratio litteralis capituli tertiidecimi : Rursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini. 180
Articulus XXIII. De mystico ejusdem capituli intellectu. 185
Articulus XXIV. Expositio capituli quartidecimi : Descendit ergo Samson in Thamnatha 186
Articulus XXV. De mystica intelligentia ejusdem capituli 190
Articulus XXVI. Expositio capituli quintidecimi : Post aliquantum autem temporis quum dies triticeæ messis instarent. 192
Articulus XXVII. De sensu ejusdem capituli mystico 195
Articulus XXVIII. Expositio litteralis capituli sextidecimi : Abiit quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem 196
Articulus XXIX. Spiritualis expositio ejusdem capituli. 200
Articulus XXX. Elucidatio capituli septimidecimi : Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim, nomine Michas. 202
Articulus XXXI. Explanatio capituli octavidecimi : In diebus illis non erat rex in Israel 204
Articulus XXXII. Expositio capituli nonidecimi : Fuit quidam vir Levites, habitans in latere montis Ephraim 208
Articulus XXXIII. Expositio capituli vicesimi : Egressi itaque sunt omnes filii Israel 212
Articulus XXXIV. Explanatio capituli vicesimi primi : Juraverunt quoque filii Israel in Maspha 216

ENARRATIO IN LIBRUM RUTH.

Præfatio 221
Articulus I. Elucidatio capituli primi : In diebus unius judicis 223
Articulus II. Spiritualis explanatio ejusdem capituli. 228
Articulus III. Elucidatio litteralis capituli secundi : Erat autem viro Elimelech consanguineus 230
Articulus IV. De spirituali ejusdem capituli intellectu 232

Digitized by Google

Articulus V. Explanatio capituli tertii : Postquam autem reversa est ad socrum suam 233
Articulus VI. Spiritualis pertractatio ejusdem capituli 236
Articulus VII. Elucidatio litteralis capituli quarti : Ascendit ergo Booz ad portam, et sedit ibi 237
Articulus VIII. De spirituali ejusdem capituli sensu 241

ENARRATIO IN LIBRUM PRIMUM REGUM.

Prooemium 245
Hieronymi præfatio 246
Articulus I. Expositio litteralis capituli primi : Fuit vir unus de Ramathaim Sophim. 249
Articulus II. Spiritualis expositio ejusdem capituli. 256
Articulus III. Expositio litteralis capituli secundi et cantici sanctæ Annæ : Exsultavit cor meum in Domino 259
Articulus IV. Spiritualis explanatio cantici hujus 265
Articulus V. Declaratio residuæ partis hujus capituli secundi 269
Articulus VI. De mystico sensu residuæ partis hujus capituli 275
Articulus VII. Expositio litteralis capituli tertii : Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli 277
Articulus VIII. De spirituali hujus capituli intellectu 281
Articulus IX. Elucidatio capituli quarti : Et factum est, in diebus illis convenerunt Philistiim 282
Articulus X. Spiritualis pertractatio ejusdem capituli. 284
Articulus XI. Expositio capituli quinti : Philistiim autem tulerunt arcam Dei 285
Articulus XII. Declaratio capituli sexti : Fuit ergo arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus 288
Articulus XIII. De spirituali ejusdem capituli intellectu 292
Articulus XIV. Expositio capituli septimi : Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini. 294
Articulus XV. De mystico hujus capituli sensu 297
Articulus XVI. Expositio litteralis capituli octavi : Factum est autem quum senuisset Samuel 300
Articulus XVII. Expositio litteralis capituli noni : Et erat vir de Benjamin, nomine Cis 305
Articulus XVIII. De spirituali hujus capituli sensu. 311
Articulus XIX. Expositio capituli decimi : Tulit autem Samuel lenticulam olei. . 312
Articulus XX. De spirituali hujus capituli sensu 316
Articulus XXI. Explanatio capituli undecimi : Ascendit Naas Ammonites, et pugnare cœpit 318
Articulus XXII. Spiritualizatio ejusdem capituli 321
Articulus XXIII. Declaratio capituli duodecimi : Dixit autem Samuel ad universum Israel 322
Articulus XXIV. De mystica intelligentia capituli hujus 325
Articulus XXV. Elucidatio capituli tertiidecimi : Filius unius anni erat Saul quum regnare cœpisset 327
Articulus XXVI. De spirituali hujus capituli intelligentia 332
Articulus XXVII. Elucidatio capituli quartidecimi : Et accidit quadam die . . . 334
Articulus XXVIII. De spirituali ejusdem capituli intellectu 340
Articulus XXIX. Expositio capituli quintidecimi : Et dixit Samuel ad Saul. . . 343
Articulus XXX. De tropologia ejusdem capituli 349
Articulus XXXI. Elucidatio capituli sextidecimi : Dixitque Dominus ad Samuelem 350
Articulus XXXII. Elucidatio capituli septimidecimi : Congregantes autem Philistiim agmina sua. 354
Articulus XXXIII. De mysticis sensibus ejusdem capituli 362
Articulus XXXIV. Expositio capituli octavidecimi : Et factum est quum complesset loqui ad Saul 364
Articulus XXXV. De spiritualitate ejusdem capituli. 367
Articulus XXXVI. Elucidatio capituli nonidecimi : Locutus est autem Saul ad Jonathan filium suum 369
Articulus XXXVII. Expositio capituli vicesimi : Fugit autem David de Naioth. . 372

Digitized by Google

Articulus XXXVIII. Explanatio capituli vicesimi primi : Venit autem David. . 376
Articulus XXXIX. Declaratio capituli vicesimi secundi : Abiit ergo inde David . 381
Articulus XL. Explanatio capituli vicesimi tertii : Et nuntiaverunt David, dicentes. 384
Articulus XLI. Expositio capituli vicesimi quarti : Ascendit ergo David inde . . 388
Articulus XLII. De spirituali expositione ejusdem capituli 392
Articulus XLIII. Declaratio capituli vicesimi quinti : Mortuus est autem Samuel . 394
Articulus XLIV. De mysticis intellectibus capituli hujus 401
Articulus XLV. Expositio capituli vicesimi sexti : Et venerunt Ziphæi ad Saul. . 402
Articulus XLVI. Explanatio capituli vicesimi septimi : Et ait David in corde suo. 405
Articulus XLVII. Expositio capituli vicesimi octavi : Factum est autem in diebus illis 406
Articulus XLVIII. Explanatio capituli vicesimi noni : Congregata sunt, etc . . 413
Articulus XLIX. Declaratio capituli tricesimi : Quumque venissent David et viri ejus in Siceleg 415
Articulus L. De spirituali hujus capituli sensu 417
Articulus LI. Expositio capituli tricesimi primi : Philistiim autem pugnabant adversum Israel 418

ENARRATIO IN SECUNDUM LIBRUM REGUM.

Prooemium 425
Articulus I. Expositio litteralis capituli primi : Factum est autem postquam mortuus est Saul 427
Articulus II. De spirituali ejusdem capituli intellectu 434
Articulus III. Expositio litteralis capituli secundi : Igitur post hæc consuluit David Dominum 438
Articulus IV. De mystico hujus capituli sensu 443
Articulus V. Expositio litteralis capituli tertii : Facta est ergo longa concertatio inter domum David 445
Articulus VI. De mystica expositione hujus capituli 453
Articulus VII. Expositio capituli quarti : Audivit autem Isboseth filius Saul . . 456
Articulus VIII. Enarratio litteralis capituli quinti : Et venerunt universæ tribus. . 457
Articulus IX. De mystico hujus capituli intellectu. 463
Articulus X. Expositio litteralis capituli sexti : Congregavit autem rursus David. 465
Articulus XI. De mystico ejusdem capituli intellectu. 471
Articulus XII. Expositio litteralis capituli septimi : Factum est autem quum sedisset rex. 473
Articulus XIII. De spirituali et mystica ejusdem capituli intelligentia 484
Articulus XIV. Explanatio capituli octavi : Factum est autem post hæc 487
Articulus XV. De spirituali hujus capituli intellectu. 490
Articulus XVI. Declaratio capituli noni : Et dixit David 492
Articulus XVII. Expositio capituli decimi : Factum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon 494
Articulus XVIII. Elucidatio capituli undecimi : Factum est autem vertente anno. 497
Articulus XIX. De morali ac mystico hujus capituli intellectu. 501
Articulus XX. Explanatio capituli duodecimi : Misit ergo Dominus Nathan . . 503
Articulus XXI. De ejusdem capituli intelligentia spirituali 509
Articulus XXII. Expositio litteralis capituli tertiidecimi : Factum est autem post hæc. 511
Articulus XXIII. Expositio capituli quartidecimi : Intelligens autem Joab . . . 517
Articulus XXIV. Expositio capituli quintidecimi : Igitur post hæc Absalon . . 523
Articulus XXV. Elucidatio capituli sextidecimi : Quumque David transisset paululum verticem montis 529
Articulus XXVI. Explanatio capituli septimidecimi : Dixit ergo Achitophel . . 534
Articulus XXVII. Expositio capituli octavidecimi : Igitur considerato David populo suo 538
Articulus XXVIII. De mystico hujus capituli sensu. 542
Articulus XXIX. Expositio capituli nonidecimi : Nuntiatum est autem Joab. 543
Articulus XXX. Expositio capituli vicesimi : Accidit quoque ut ibi esset vir Belial. 550
Articulus XXXI. Elucidatio capituli vicesimi primi : Facta est quoque fames in diebus David 555

Digitized by Google

Articulus XXXII. Explanatio capituli vicesimi secundi : Locutus est autem David Domino 559
Articulus XXXIII. Explanatio capituli vicesimi tertii : Hæc autem verba sunt novissima. 561
Articulus XXXIV. De spirituali hujus capituli intellectu. 569
Articulus XXXV. Expositio capituli vicesimi quarti : Et addidit furor Domini. 572

ENARRATIO IN TERTIUM LIBRUM REGUM.

Prooemium 579
Articulus I. Explanatio litteralis capituli primi : Et rex David senuerat. . . . 581
Articulus II. De spirituali hujus capituli sensu 587
Articulus III. Expositio capituli secundi : Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur 589
Articulus IV. De spirituali hujus capituli sensu 596
Articulus V. Expositio capituli tertii : Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis 598
Articulus VI. De spirituali hujus capituli intellectu 605
Articulus VII. Expositio capituli quarti : Erat autem rex Salomon regnans. . . 606
Articulus VIII. Elucidatio capituli quinti : Misit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem 610
Articulus IX. Elucidatio capituli sexti : Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno 613
Articulus X. De spirituali et mystica expositione hujus capituli 622
Articulus XI. Declaratio litteralis capituli septimi : Domum autem suam ædificavit Salomon 626
Articulus XII. De spirituali ejusdem capituli intellectu 639
Articulus XIII. Expositio litteralis capituli octavi : Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel 643
Articulus XIV. Spiritualis expositio ejusdem capituli. 655
Articulus XV. Elucidatio capituli noni : Factum est autem quum perfecisset Salomon ædificium 656
Articulus XVI. Declaratio capituli decimi : Sed et regina Saba 660
Articulus XVII. Spiritualis explanatio ejusdem capituli 665
Articulus XVIII. Declaratio capituli undecimi : Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas 668
Articulus XIX. De spirituali ejusdem capituli sensu 676
Articulus XX. Expositio capituli duodecimi : Venit autem Roboam in Sichem . 677
Articulus XXI. Expositio capituli tertiidecimi : Et ecce vir Dei venit de Juda. . 683
Articulus XXII. Expositio capituli quartidecimi : In tempore illo ægrotavit Abia. 687
Articulus XXIII. Explanatio capituli quintidecimi : Igitur in octavodecimo anno regni Jeroboam. 690
Articulus XXIV. Expositio capituli sextidecimi : Factus est autem sermo Domini. 693
Articulus XXV. Expositio capituli septimidecimi : Et dixit Elias Thesbites . . . 697
Articulus XXVI. Expositio capituli octavidecimi : Post dies multos verbum Domini factum est ad Eliam 703
Articulus XXVII. De spirituali ejusdem capituli sensu 708
Articulus XXVIII. Enarratio capituli nonidecimi : Nuntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias. 710
Articulus XXIX. De spiritualibus hujus capituli sensibus 715
Articulus XXX. Expositio capituli vicesimi : Porro Benadad rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum . . . 717
Articulus XXXI. Expositio capituli vicesimi primi : Post hæc autem verba, vinea erat Naboth 722
Articulus XXXII. Expositio capituli vicesimi secundi : Transierunt igitur tres anni. 726
Index locorum S. Scripturæ 735
Index analyticus 743

EMENDANDA. Pag. 4, lin. 28 : Heptateucum, *lege* Heptateuchum; — 127 B, lin. 22 : Ecclesiastica... Scholastica; — 642 A, lin. 9 : ordines... Ordines.

DUBIA. Pag. 174 C', lin. 25 : filii, *alias* filiæ; — 354 A, lin. 10 : actionum, *forsan* actionem; — 554 C', lin. 33 : prædicatorum... Prædicatorum.

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
Ern. Duquat typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

Widener Library
3 2044 105 205 991

Google